TOLETI

PHYSICA

D. FRANCISCI

TOLETI

SOCIETATIS IESV

COMMENTARIA,

vnà cum Quæstionibus,

IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS,

DE PHYSICA AVSCVLTATIONE.

Nunc denuò summa cura, diligentiaque excusa.

Adiecto duplici Indice copiosissimo.

COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Hæredes Arnoldi Birckmanni.
ANNO M. D. LXXIIII.
Cum gratia & Priuilegio Cæsareæ Maiestatis.

AD LECTOREM.

ANTEQVAM ad Physica hæc in Aristotelem commentaria aggrediamur, Pie Lector, quæ, nostrorum studiorum moderatores, ingenuæ iuuentutis, fidei nostræ commissæ, commodis cõsulentes, in lucem proferre constituunt, pauca quædam de eorundem in ipsis edendis instituto, deq; vniuersa docendi, & philosophandi ratione, præfari visum est. Postulat à nobis suscepta, diuino munere, vitæ ratio, vt in eam curam omni studio incumbamus, qua liberales adolescentes & pietatem coniungant cum literis, & in his breui tempore fructus ferant quàm maximos. Ad eam rem plurimùm cõferre posse videbatur, si in quaq; disciplina certus author exhiberetur, qui & doctrinæ genere, & facilitate dicendi, & illustri quadam breuitate, studiosis eius scientiæ tyronibus maximè esset accommodatus. in quo, & quæ explicãda à doctore essent, domi præuidere, & in gymnasiis exploratius, præceptore docente, percipere, & iam explicata, cùm domi repetere ac recolere, tum verò, quoties opus esset, diligenti studio excutere, atq; explorare possent. Quod sanè consilium, ratione primò inuentum, prudentiæ deinde, atq; vtilitatis plenum esse & doctissimorum hominum authoritas, & longo tèporis vsu experientia comprobauit. Vidimus enim non rarò, qui hanc in suis studijs secuti sunt rationem, adolescentes, vel quàm ipsa ætas ferat, sapientiores euasisse. Etenim quod maximè rem causamq; continet, sine certo libro docendi genus & præceptoribus perdifficile est, & discipulis valdè laboriosum, molestum, atque inutile. Præceptoribus quidem, quod ita se deberent ad docendum comparare, ac si integram, & absolutam vniuersi Aristotelis explanationem commentarentur. in quo sanè & firmæ multorum vires frangebantur, & si quis esset paulò imbecilliori valetudine, quantũuis ingenio & eruditione valeret, minus erat aptus ad docendum. Facilè præterea fiebat, vt qui tunc primùm ad docendum accederent, vtpotè quos nondum vsus docuisset, nimis in minus vtilibus disputationibus morarentur, quo post deficeret ipsos tempus in grauioribus. facilè, vt quos nihil contineret firmum ac cõstitutum, in aliquid minus tutum vel periculosum etiam laberentur, facilè deniq; vt in ipsorum scriptis desideraretur illud, quod tantopèrè doctorum animos tenere solet, vt suo quidq; loco tractaretur.

Iam verò (quod ad ipsos auditores attinet) non minora incõmoda consequuntur. primum enim in prælectionibus audiendis, vel nihil memoria retinere poterant, vel ad recordationem singula erant, doctoris perpetua quadam oratione vtentis, verba excipienda. Deinde multi ad scribendum tardi præceptorem non assequebantur docentẽ: qui verò assequebantur, cùm mentes excolere debuissent, tum scripta castigare, menda & erata corrigere, ipsam veri inuestigationem intermittere cogebantur. Ac cum sæpè falsa cum veris illis ipsis dubiæ fidei monimentis consignassent, hærere sæpè, nec illis satis fidere, nèc certum aliquid sibi persuadere. Turpis præterea plerunq; notarum forma, deprauata signa, lituræ innumeræ, & sordida illa non tam literariũ, quàm liturarum sæpè

congeries, plurimùm egregia adolescentium ingenia retardabat. Nam & vaga multorum inuenum mens, cum nullum authorum sequeretur, in multos & ipsis inutiles libros distrahebatur, & ad futuras scolas, disputationesque nulla se ratione parare poterant, cùm nec quid docturus esset præceptor, nec quo ordine, perspectum haberent. mens quoque tota ad scribendum intenta, rei difficultate obruta, in nullam rem incumbebat minus, quàm vt quæ tradebantur, perciperet, atque cognosceret. Sat multis videbatur esse, si omnia fideliter conscripsissent, plus tandem temporis in scriptis corrigendis, quàm in colendis ingenijs ponebatur. Vitiosa planè res, & præstantibus ingenijs valdè pernitiosa. Huc accedebat valetudo, quæ non mediocriter tam assidua, atque molesta, tot tantarumque rerum conscriptione labefactari solebat. Ergo vt tantus hic leuaretur labor, edendus fuit liber aliquis, quo incredibilis illa præceptorum, & discipulorum molestia minueretur. Is cùm non facilè reperiretur, dum maiora moliuntur Patres nostri in has meas lucubrationes inciderunt, opus & à nobis olim inter docendum Philosophiam, adumbratum potius, quàm omni ex parte perfectum, & cui nec modò, quòd grauibus publicisque negotijs essemus impediti, extrema manus accessit. id vt in lucem proferatur, decernunt: Prodit. Putent ergo præceptores hic iacta esse fundamenta, in quibus, quæ ipsis vtilia videbuntur, tutè, & securè poterunt exædificare. Intelligant etiam discipuli, se nostris vigilijs quasi certum hominem conduxisse, cuius opera, quæ aliàs ipsis summo labore conscribenda erant, distinctius, accuratius, & pulchrius conscripta consequantur.

Sed de causis, quibus adducti sumus, vt hunc in Aristotelem commentarium proferemus in lucem, hactenus: de via rationeque docendi, ac philosophandi, quam sequimur, nunc dicamus. Id sanè in primis curabimus, Lector, vt quæ à nobis omnia proficiscentur, ad illam pietatem conferant, qua adolescentium potissimùm animos peroptamus imbuere. In explicandis ergo physicis difficultatibus id maximè complectemur, quod ex vsu nostro & verius fuerit, & communius. Dum de Aristotelis mente certabitur, optimis quibusque vtemur authoribus, Græcis, Latinis, Arabibus: ex Græcis Theophrasto, Alexandro, Ammonio, Philopono, Porphyrio, Simplicio, Themistio, Eustrathio, cæterisque, quorum nobis commentarios temporum iniuria non ademerit. Ex Latinis autem, D. Thoma Boethio, Alberto Magno, Aegidio, Scoto, Marsilio, ita tamen, vt & qui recentioribus præstant, suum quoque locum habeant. Scotus, Caietanus, Sonzinas, Iauellus, Iandunus, Buridanus, Zimara, Nyphus, & cæteri, siqui alij in hoc genere excellere videbuntur. Vnus sanè D. Thomas instar erit omnium, in quo & diligentia interpretandi, & doctrinæ grauitas cum pietate coniuncta, multa, varia ac solida eruditio, incredibilis præterea methodus, in integris etiam disciplinis pertractandis, nec cõmentarijs solùm, quos scripsit in Aristotelem, sed multò etiam magis Summa Theologiæ, Summa contra gentes: Quæstionibus disputatis, & cæteris eius scriptis, tantam (vt de Theologia taceamus) Philosophiæ lucem attulit vnus, quantam cæteri omnes (aliorũ pace dixerim) possint explanatores afferre: in quo, ex nullius arbitror laude quippiam oetrahi, si id dicitur de D. Thoma, quod ipsorum quisque, si & viueret, & adesset, de eodem videretur esse dicturus.

Ex

Ex Arabibus autem (quamuis numero, doctrina, & eruditione, si vel cùm Græcis, vel cũ Latinis conferantur, longè reperiantur inferiores) vtemur Auempace, Alpharabio, Auenzoar, Auerroe, & alijs: Auicenna potissimùm, quòd eius scripta omni memoria grauissimis hominibus probata sint, & quòd vnus inter omnes Arabes proximè ad verum Philosophiæ Christianæ decus & laudem videatur accessisse.

Hoc autem loco admonendus es, Lector pie, ne cùm in hos aut alios impios Aristotelis interpretes, siuè Græcos, siuè Arabes incideres, in ijs præsertim, quæ ad pietatem attinent, facilè illis credas, atque committas. Nam, cùm impij ferè omnes fuerint, Ethnici, Idololatræ, non nulli etiam Sarraceni, vel Mahumetani, de DEO, de diuinis rebus, de vltimo fine, de diuina prouidentia, de vita beata, de animis ipsis hominum non rarò malè scripserunt. Vna, quam profitemur, Diuina fides, Philosophiæ regula ac norma est, vel potius veritatis: ad q̃ Philosophorum, scriptorumque omniũ opiniones referendæ sunt: ne, quod monet D. Paulus, ab his decipiamur per inanem Philosophiam, secundum elementa huis mundi, & non secundum Deum. Quamobrẽ pios potius religiososque viros, doctrina, & sanctitate præstantes, quales plerique eorum Latinorum sunt, quos commemorauimus, præ cæteris sequendos tibi esse constituas.

Nec verò satis mirari possum, sic quosdam in nonnullis Academijs esse authoribus impijs addictos, vt tantum non apud illos, eorundem authorum causa, fides periclitetur. quo cum sermo deuenerit, de vno Auerroe pauca dicam. Sunt enim aliqui, q̃ nescio quid in eo tam egregium aut insigne viderint, quid tam eximium & illustre, vt eum cæteris anteponendum putent, &, quod deterius est, viri alioqui Catholici, Auerroistas se & esse, & dici velint. Nam vt illum cum cæteris Interpretibus conferrent, à quorum tamen nõ paucis, proculdubio superatur, fortasse ferendũ esset: ita verò esse ei addictos, vt in eius verba iurarint, & ea tanquam oracula sibi edita putent, indignum sanè est grauitate & dignitate sapientis. Primùm enim, is, quem dico, pluribus erroribus fidei, pietatiq̃ perniciosis plenus est, vt non immeriò apud aliquas celeberrimas prouincias, impij cognomen inuenerit. Deo naturæ infinitatem aufert, prouidentiam, rerumque, quæ infrà lunam sunt, scientiam, nobis animorum rationalium immortalitatem & multiplicationem eripit: illudque vnius in omnibus hominibus intellectus monstrum, atque portentum inducit, denique & Deo Opt. Max. vt certum est, & nobis, vt multi asserunt, & ex eius princi pijs consequitur, improbissimè tollit libertatem. Quibus sanè rebus efficitur, nullam esse debere religionem, & pietatem aduersus Deum: nullos ipsius numini cultus, honores, preces adhibendas, cum nec curet nostra, nec sciat: Nulla itẽ aut supplicia flagitijs à Deo, aut præmia rectè factis esse proposita. Quid multa? omnem peccandi impunitatem & sibi persuasit, & quid in ea opinione quæreret, factis testatus est.

Iam verò, qui eiusmodi sectetur dogmata ac decreta, quæ, obsecro, qualiaque putabimus ad ea comprobanda comminisci? Quæ ex his colligere consequentia? Quæ tot errorib. credimus esse posse consentanea, ne secũ ipse identidẽ pugnare cogatur: vt profectò vix vlla Philosophiæ ipsius pars sit, in qua nõ alicuius veneni subsit suspicio. Adde fuisse

Mahu-

Mahumetanum, & (quod ipsa scripta facilè declarant) conceptũ animo aduersus Christianam religionem odium semper habuisse: vt necesse sit, sua eum sordißima secta, scripta quoq; philosophica infecisse non parum. Vsus præterea est corrupto Aristotelis libro, & pluribus in locis deprauato: id quod eius scripta præ se ferunt. Græcus ferè omnib. explanatoribus caruit: Latinus etiam, qui nec dum extabant, destitutus fuit: vt necesse sit, in eo nec grauem, nec securam inesse doctrinam. nam etsi acutum quiddam raro, exile tamen dicendi, & philosophãdi genus, in eo reperitur: est tamen illud obscurum, inusitatum, & sæpè ab Aristotelis sensu intelligentiaq; alienum, quod recta interpretatione, ac versione Aristotelis, aliorumq; interpretum luce caruerit. Nos igitur, vbi quidpiam recti dixerit, non aspernabimur: vbi secus, alios ei longè doctiores anteponemus, & ipsum impietatis, vbi tale quid dixerit, condemnabimus.

Illud quoq; absurdum & perniciosum est, vel disputandi, vel loquendi genus quo illud ex philosophia, hoc ex Veritate, asseritur: aut, Idem secundum philosophiam verum, secundum Fidem falsum esse affirmatur. Neq; enim philosophia, sed φιλοψευδία erit, quæ à veritate abhorret neq; quæ cum diuina doctrina, id est, Fide pugnet, veritas esse poterit: Sic enim vero verum congruit, vt veritas veritati non possit esse contraria. Quocirca non immerito in Concilio Lateranensi tertio hoc disputandi, ac loquendi genus, verbis exterminatur grauissimis. Neq; illud dissimile est, Hoc in Arist. hoc verò in veritate, aut in Fide esse dicendum: vt enim id interdum necessarium sit, tamen ea fieri moderatione debet, vt ne in rebus, quæ ad Fidem & religionem attinent, Fidem ipsam, hoc est, à Deo acceptam disciplinam, obiecta Arist. authoritate premere videamur: quod sanè isti faciunt, qui summo conatu viribusq; nituntur ostendere compluribus in rebus, Arist. contra fidem sensisse, cum tamen constet paucissimis in rebus à Fide dissentire: & (quod peius est,) idem conantur efficere multis locis, in quibus quidem Aristo. possent non sine magna etiam probabilitate pro Fide interpretari: cum præsertim viri grauissimi Arist. sententiam eam esse apertè testentur: In quo sanè de ipso Aristot. cui fauere se putant, malè merentur: cùm sic eum à vera ad falsam sententiam abstrahũt, & cogunt falsum dicere vel inuitum, in rebus etiam grauissimis errare turpissimè. Quid, quod ex hac grauiori, frequentiq; pro Arist. contra Fidem & veritatem concretione, grauia quædã incommoda accidunt, & Christiano viro indigna, & omninò non ferenda? primùm enim, nihil prodest, obest autem plurimum temerè excitare tantum contra Fidem aduersarium, eumq; summo studio contra illam armare, & ad eam oppugnandam omnibus rebus iuuare. Deinde pleriq;, cum audiunt verum quid esse secundum Aristo. id omninò intelligunt, quid est, secundum philosophiam: immò secundum omnium optimam (quã esse putant Arist.) philosophiam: & quod Aristo. sensit, id credunt esse naturali rationi ac lumini consentaneum: atq; ideo sic disputantes, quantum in ipsis est, idem illud Concilij decretum per imprudentiam euertunt, quod credant rationi, & lumini naturali, fidem aduersari. Illud autem incommodum vel grauissimum est, cum enim contra Fidem docent aliquid sensisse Arist. id sic confirmare nituntur argumentis, vt ipsi quoq; contra Fidem cum Arist. sentire videantur: præsertim cum quæ pro Fide & veritate adduci possunt, ea summo studio conentur dissoluere, vt Arist. sententiam tueantur: qd

sanè

sanè plurimum Fidei, & Veritati obesse constat, cùm eius argumenta & rationes infirmari, frangiq; videantur. Illi, illi, inquã, immortali laude digni sunt, & de Fide orthodoxa, deq; Arist. ipso benè meriti, qui ex magna probabilium opinionum, atq; explicationum Arist. varietate, eam potissimum diligunt, ac tuentur, quæ cum Fide congruit, eamq; pro sua virili parte probabiliorẽ reddere conantur. atq; vbi Arist. à Fidei disciplinã abhorruit, curant, non solum rationibus naturalibus, sed alijs eiusdem dictis, atq; decretis ipsammet veritatem ostẽdere: vt quamuis in vno, aut altero loco ea senserit, quæ reijciãtur: tamẽ appareat reliq; eius doctrinã Fidei, et Veritati esse maximè cõsentaneã.

Nec longè dissimile disputandi genus est, Hoc Theologos asserere, illud Philosophos: Hoc latinos Philosophos, illud Græcos, vel Arabes. Nam, vt omittam falsum hoc sæpè esse commentum, hos vt Prouincijs, nationibus, linguis, ita opinionibus dissidere: In hoc disputandi genere latet venenum, cum per Theologos ipsam Theologiam, Fidem & religionem, per Philosophos ipsam Philosophiam facilè quiuis intelligat: & videlicet per Latinos Philosophos D. Thom. cæteros q; Theologos intelligi volunt: quibus cùm alij opponuntur, & ijsdem anteferuntur, in contemptum non solum ipsos Theologos Authores, (quod graue malum est) sed etiam Theologiam ipsam abducunt, & nudam ei, diuinoq; lumine destitutam Philosophiam anteponunt.

Philosophos igitur à Theologis disiungere, Græcos à Latinis, hominum sanè est vel suo quamq; rem momento non ponderantium, vel certè ipsam veritatem consulto prodere, & sibi, atq; alijs pestem afferre studentium. Vna est pura, vera, syncera q; Veritas, quæ à Deo genita, impressa in hominum mentibus adhibita cælesti illa Fidei norma, ex Græcis, Latinis, Philosophis, & Theologis & colligitur integra, & petenda est.

Hæc habui, amice lector, quæ de optimo philosophandi genere vniuersè præciperẽ: ne falsis, ac prauis opinionibus deceptus in perniciosos errores rapiaris, sed veritatis, pietatis, ac diuinæ religionis patrocinium, vt de Philosophia, de Christi & Dei Ecclesia bene merearis, spontè ac lubens semper suscipias. Precor à Deo Opt. Max. quo Patres nostri authore hoc velle cœperunt, vt eodem adiutore, labor hic, propositum sibi diuinæ gloriæ, & publicæ vtilitatis fructum consequatur. Vale in Christo Iesu.

IESVS, MARIA.

D. FRANCISCI TOLETI,

SOCIETATIS IESV COMMENTARIA:

Vnà cum Quæstionibus,

IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS.

De Physica auscultatione.

PRAEFATIO.

De Philosophiæ Nomine, ac Definitione.

PHILOSOPHIA tot hominũ pręconijs, tot sapientum laudibus iam olim celebrataest, vt nostris nõ magnoperè indigeat. Nullus enim est quantumuis indoctus, cui non aliquid sublime, ac penè diuinum philosophiæ nomen videatur. Hanc ergo modò nobis (Diuino auxilio) factis explicare aggrediẽtibus, vtile sanè erit aliqua premittere, quæ faciliorem ingressum efficiant: erunt autem ista quinque: primum, quid Philosophia sit: alterum, quot eius partes: tertium, quis earum partium ordo: quartum, quis Philosophiæ ortus: tandem, quanta eius sit dignitas, & vtilitas.

De quib. agendum est.

Circa primum: vt à nomine ipso incipiamus, Philosophia olim σοφία, id est, sapientia dicta est, & Philosophi σοφοὶ, id est, sapiẽtes nuncupati, vt auctor est Diogenes lib. 1. de vitis Philosophorum. Pythagoras verò huius nominis fuit primus institutor, qui se non σοφὸν, id est, sapientem, sed φιλόσοφον, id est, sapientiæ amatorẽ, ac studiosum Leonti tyrãno, quanam arte polleret, petenti respondit, ac inde Philosophia, quasi sapientię amor, deriuata est, vt idẽ Diogenes refert: idem igitur iam per Philosophiam, quod per sophiam, vt intelligamus, vsus obtinuit.

De nomine Philosophiæ.

Nec oportet existimare, Philosophiam aliquam esse peculiarem scientiam, quæ aliquod ens particulare contempletur: nõ enim sic modò cõsideramus, sed vt vniuersale genus est, varias sub se scientias complectens: vt enim apud morales Philosophos iustitia aliquando pro speciali quadam virtute inclinante voluntatem erga ea, quæ aliorum sunt, vsurpatur: aliquando pro omnium virtutum aggregatione, secundum quam perfectè homo iustus dicitur: ita & Philosophia, quandoq; pro scientia peculiari, quę Metaphysica dicitur, sumitur: quandoq; pro omnium scientiarũ cumulo, vt Philosophus non aliud sit, quàm sciens omnia, vt sciri possunt, vt dicitur 1. Metaphy. cap. 2. hoc autem non vnico habitu fit, sed multis: sicut enim nõ vnus sensus inest animalibus, quo cuncta sentiãt, sed varij, omnibus autem simul perfecta sit sensatio, ita non vnica scientia, & habitu cuncta cognoscuntur, sed multis, omnes autem simul perfectissimam, ac generalem cognitionem omniũ faciunt, quæ quidem dicitur Philosophia: ac ista significatione modò à nobis primò tractatur, & petimus, quid ipsa sit. Quid autem Philosophia hæc sit, non omnes

Non esse Philosophiã particularẽ aliquam sciẽtiam, ſ3 vniuersale genquoddã ad varias scientias.

Definitio Philoso-

 codem

phiæ duplex ex fine, & obiecto.

eodem modo explicârunt, habitus enim & scientię tripliciter definiri possũt, aut ex obiecto, aut ex fine, aut ex vtroque: Ex obiecto quidem, vt Medicina est ars, quæ in humanis corporibus versatur: Ex fine, Medicina est ars sanitatis effectiua: Ex vtroque verò, Medicina est, quæ in humanis corporibus versatur, & sanitatis est effectiua: hoc etiã pacto multi alij habitus definiri possunt. Philosophiæ autem ex fine, & ex obiecto definitiones inueniuntur: Plato in Theage: & in amatoribus vel de Philosophia, ex fine duas assignauit definitiones, quarũ prior Ammon: est moralis; Philosophia est mortis meditatio, quam in explicatione Porphyrij sic explicat: duplex enim vinculum anima cum corpore habet: alterũ naturale, quò ei secundum esse vnum cõpositi coniungitur: alterũ voluntariũ, quò anima se corpori subijcit, & ei seruit: cùm igitur mors non sit aliud, quàm animæ & corporis solutio, erit duplex mors, iuxta duplicis vinculi solutionem: altera naturalis, qua anima secundũ esse à corpore separatur: altera volũtaria, qua homo ab istis sensibilibus semotus, totus contẽplationi traditur, quod per Philosophiam contingit, ac ob id dicitur meditatio mortis, vt Philosophum mortẽ meditari non sit aliud, quàm animum à corporis sensibus auocare. Sic igitur primò definiebat Plato, quæ quidem definitio, præterquã, quòd metaphorica est, quod Arist. damnat, est etiam diminuta, cũ solam contemplatiuam partem exprimat.

1. Definitio ex fine.

Posterior definitio à fine est. Philosophia est Dei similitudo, quoad fieri à nobis potest, id est, Philosophia est, per quã Deo similes sumus: in Deo enim duplex operationum genus cõstituitur circa res has: altera operatio est rerum cognitio, qua omnia speculatur: altera actio, qua omnia gubernat, disponit, & prouidet: ita per Philosophiam hęc duo cõtingunt homini; nam speculatur, & contemplatur res, & secundum eandem Philosophiam gubernat & regit, cùm sit Philosophia actiua, & speculatiua: dicitur autem, quoad fieri potest, quia ista similitudo non est æqualitatis, cùm in infinitum excedat Dei perfectio cuncta creata, sed est similitudo proportionis cuiusdam, secundum quam infima supremis comparari queunt. Hæ duæ definitiones à fine sunt, prior à proximo, posterior ab vltimo. Aliam definitionem ab ipso obiecto sumptam idem Plato tradidit in Phædone, & Theæreto, quam Cicero recepit, nempè: Philosophia, est diuinarum, humanarumq; rerum cognitio: per res humanas, quæcunque sensibilia intelliguntur, per diuinas verò intelligibilia, & à materia separata: vnde definitio hęc perfecta est, omnem Philosophię partẽ comprehendens, cùm quęlibet, aut de humanis, aut de diuinis tractet.

2. Definitio ex fine.

3. Definitio ex obiecto.

Ab Arist. verò vnam Philosophiæ definitionem habemus. 2. Meta. cap. 1. Philosophia, est scientia veritatis, quæ à fine proximo est, quamuis ista potius solius speculatiuæ partis videatur. Atque hoc de definitione sufficiat.

4. Definitio Arist.

De partibus Philosophiæ, eiusq; diuisione. Cap. II.

Prima diuisio Philosophiæ.

DE Philosophię partibus varia fuerunt Philosophorũ placita. Zeno enim, Crysippus, Apollodorus, & reliqui Stoici tres Philosophiæ partes fecerunt. Physicam nempè, Ethicam, & Logicam: Physicam quidem, quę rerum naturaliũ causas speculatur: Ethicam, quæ mores hominum docet: Logicã, quæ modos cognoscendi, & disputandi aperit: quas partes varijs cõparationibus explicabant, vt lib. 7. refert Diogenes: primò enim ipsam Philosophiam animali comparabãt; ossibus, & neruis Logicam: carnibus Ethicam: animæ Physicam conferentes. Rursus ouo assimilabant, cuius corticem Logicam: sequentia Ethicam: intima Physicam dicebant. Rursus agro frugifero, cui circumiecta seps Logica: fructus Ethica: humus, & arbores Physica essent. In qua quidem diuisiõe Logicã Philosophiæ partem faciebant.

2. Diuisio

Epicurus Philosophus tres Philosophiæ partes fecit, Ethicam, Physicã, Canonicam: per Canonicam verò (quantũ mihi videtur) intelligebat Medicinam practicam: hanc enim Canonicam cum naturali coniungebat: Logicam verò partem Philosophiæ non censebat.

Cleãthes sex Philosophiæ partes fecit: Dialecticam, Oratoriam, Moralem, Ciuilem,

3. Diuisio

4. Diuisio

uilem, Naturalem, Theologicam. Alij verò alijs modis diuidebant. At vt ad Peripateticos deueniamus, Simplicius Aristotelem imitatus, Philosophiam in duas diuisit partes, in actiuam, & contemplatiuam: per actiuam, Moralẽ intelligit: contemplatiuæ verò tres statuit partes, Mathematicam, Physicam, & Metaphysicam, vt patet 6. Meta. ca. 1. Dialecticam verò non partem Philosophiæ; sed instrumentum, & organum hic & Aliqui alij Peripatetici faciunt, vt docet Alexand. 1. Priorum: & ibi idem Philoponus: & Themistius. 1. Posterio cap. 24. At si licet inter tot tantorum placita virorum iudiciũ nostrum adhibere: aliter Philosophię diuisio constituẽda est, in cuius gratiam, finem ipsius Philosophiæ oportebit considerare, per hunc enim maximè ipsius diuisio fiet exacta, & manifesta. Philosophia verò in hunc fuit finem inuestigata, vt ignorantia, quam miser homo propter peccatũ incurrit, quoad fieri posset, expelleretur: homo autem per peccatum hæc tria præter alia sibi comparauit: rerum veritatis ignorãtiam: eorum, quæ secundum rationem agere oportebat, similiter ignorantiam: & rursus eorum, quibus ad vitæ sustentationem & conseruationem propter peccatum indigebat, ignorantiam: vnde omni ex parte ignarus factus est in speculabilib. agibilib. & factibilibus: indiguit igitur scientia, qua ens verum cognosceret, qua agenda, & facienda consideraret: & ista est Philosophia in tres præcipuas partes diuisa secundum ignorantiarum numerum: in speculatiuam nempè, qua veritates rerum tantùm cõtemplaretur: in actiuam, qua ea, quæ secundum rationem agere oportet, doceretur: & in Factiuam, qua ea, quibus exterius indigeret, facere sciret: quam partem Philosophi expreuerunt abiectum arbitrantes facere, & exterius operari, cùm tamen, re vera, scientiæ sit pars, nec indignum homine laborare, qui suo peccato & superbia id meruit. & Aristot. 6. Meta. cap. 1. inquit, omnis intellectus est speculatiuus, actiuus, aut factiuus: & est locus notandus. Secundum autem hanc diuisionem multò melius Philosophia dici potest Dei similitudo: Deus enim non solùm cognoscit cuncta, gubernat, & disponit cuncta; sed etiam operatur cuncta: ipse enim est, qui cum naturalibus causis simul effectus cunctos producit. Sit igitur prima Philosophiæ diuisio à fine sumpta, in partem speculatiuam, actiuam, & factiuam.

5. Diuisio Authoris ex tripliciĩ ignorãtia desumpta.

Subdiuisio Speculatiuæ.

Speculatiua subdiuidatur in Metaphysicam, quæ omnium communissima principia, & passiones generales speculatur: in Mathematicam puram, quæ ea, quæ secundum se à motu non dependẽt, secundum rationem abstrahendo à motu tractat, vt figuras, numeros, & his accidentia: & in Mathematicam mediam, quæ ea, quæ secundum naturam suam abstracta sunt, in motu tamen considerat, vt Perspectiua & Musica, & similes: & in Physicam, quæ res sensibiles speculatur.

Subdiuisio Actiuæ

Rursus Actiua diuiditur in Ethicam, qua homo ea, secundum quæ se rationabiliter ordinare debet, cognoscit: & in Oeconomicam, qua familiam, & domũ regat: & Politicam, qua vsus reipublicæ, & ciuitatis, cuius pars est, rectos cognoscat, & exequatur.

Subdiuisio Factiuæ.

Factiua rursus, quæ Mechanica dicitur, bifariam subdiuidi potest: primò in artes necessarias, quæ nempè vsum vitæ necessarium ministrant, vt Lanificiũ, Agricultura, Aratura: & in vtiles, quæ vsum faciliorem vita faciunt, vt Nauigatoria, Militaris, Equestris: & in delectabiles, quæ vsum vitæ iucundiorem reddunt, vt Saltandi ars, Venandi, Cantandi, & similes. Rursus diuidi potest in eas, quæ materiam præparant, vt Ars fodiendi metalla, Conficiendi ferrum, Coquendi lateres: & in eas, quæ materiam disponunt, & componunt, vt Domificatoria, Fabrilis, Sutoria: & in eas, quæ materia composita vtuntur, vt Militaris, Equestris, Nauigatoria.

Aliarum artium & scientiarũ subdiuisio.

Præter has Philosophiæ partes sunt quædam artes, quæ in ministerium Philosophiæ inuentæ sunt: ac propterea Philosophiæ partes nõ censentur ab aliquibus Peripateticis, quamuis nihil citet ex eis, aliquas esse scientias: hæ autẽ quinq; sunt: quædam enim modum cognoscendi, & verũ à falso distinguendi tradit, quę Logica dicitur: & hæc necessaria est simpliciter ad Philosophiã, ac ob id Antiqui

huius solius meminerunt : quædam alia est ad sermonis peritiam obtinendam, quo Philosophia communicatur, & hæc Grammatica est. Tertia ad huius sermonis ornatū & elegantiam, & hæc Rhetorica. Quarta ad delectationem in sermone, & ista est Poetica. Quinta ad experiētiam in rebus omnibus sumendā: & hæc est Historica. Sexta est ad absentiū communitatem rerum: & hæc est Epistolaris. Hæ omnes ancillæ Philosophiæ sunt, & ipsi deseruiunt.

De Ordine partium Philosophiæ inter se. Cap. III.

Prima opinio.

Circa harū partium ordinē fuerunt variæ sententiæ ante Aristotelem, & post ipsum Zeno, & Crysippus, Logicā primo loco discendā: secūdo Physicā: tertio Ethicā censebant. Apollodorus sic ordinem statuebat, vt post Logicā Ethicam, vltimo Physicam iuuenes discerent, vt refert Dioge. lib.7. atque hi Logicā à reliquis scientijs separabāt, ac eius pcepta, & regulas seiūctas ab ipsis sciētijs tradebant. Alij verò simul cōfundebant Logicā, & alias scientias, nec eā separatā docebant, vt refert Origenes Ho.1. super Cantica, versus mediū: & hos reprehēdit Arist.2. Meta. ca.3. Stultum, inquit, est simul scientiā, & modū sciēdi quærere. Ex his fuit sententia quorundā, qui ab Ethica esse incipiendū censebant, qualis fuit Diogenes. Alij verò Physicā priùs, quales fuerūt Panetius & Possidonius: ita illi Antiq sentiebāt de ordine Philosophiæ.

2. opinio.

3. opinio.

At verò post Arist. tempus Ammon. in prefatione Porphyrij censet inter speculatiuas partes hunc ordinē obseruandum, vt primò discatur Physica, secūdò Mathematica, tertiò Metaphysica. Ratio verò eius hæc est, quia Physica est de his, quę maximè sunt cōtracta ad materiam. Metaphysica verò est de summè abstractis, sed non fit transitus ab extremo ad extremū, nisi per medium. ergò prius est Physica, quæ extremum est: posterior Mathematica, quę medias habet abstractiones: tractat enim de his, quæ in materia quidem sunt sensibili secundū rē, sed nō secundum considerationem: nā Physica de his est, quæ secundum rem, & secundum considerationē in materia sensibili sunt: Metaphysica verò in opposito de his, quæ nec secundum rem, nec secundū rationem in materia sunt. Albertus Magnus hoc prologo eandem habet sententiā: constituit enim duos ordines: alterum naturæ, alterum doctrinæ: naturæ est inter ipsas res, quarum est sciētia: doctrinæ est inter ipsas scientias secundum quòd vna prius altera dicitur. Dicit ergò primò, quòd secundum naturæ ordinem Metaphysica est omniū prima, quia tractat de communissimis omnium principijs: post hāc verò est Mathematica, quæ tractat de his, quæ nō dependent secundum se à sensibilibus, ob id priora sunt; vltimum locum obtinet Physica, quę de sensibilibus, & posteriorib⁹ est. Dicit secundo, quòd ordine doctrinæ, primo loco est discenda Physica: secundo Mathematica: tertio Metaphysica: ratio est, qa à notioribus est incipiendum: notior aūt est Physica, quàm Mathematica, nā Physica probat per sensum, à quo Mathematicus abstrahit, Metaphysica verò ob eius magnam abstractionē est difficillima. S. Tho. verò Opusc.70. super Boetium, de Trinitate. q 5. art.1. Post Dialecticam Mathematicam, & post hanc Physicam disci voluit, & Simplicius in præsentia primum locum Mathematicæ, secundum Physicæ, tertium Metaphysicæ concedit. Alij verò Metaphysicam omnium primùm discēdam voluerunt, è quorum numero videtur S. Tho. in prēsenti loco, cuius ratio est, quia sermo de vniuersalibus est præferendus sermonibus particularibus, vt dicitur 1. de partibus animalium, cap.1. At Metaphysica agit de communissimis omnium scientiarum: Ergò illa est præferenda in doctrina omnibus. Hæc sunt, quæ à viris illustribus recepimus erga ordinem partium Philosophię.

4. opinio.

5. opinio.

6. opinio.

In qua quidem controuersia mihi videntur probabiliores conclusiones, quæ sequuntur, quarum prima est. Dialectica præponi debet Philosophiæ partibus: hęc autē notissima est, tradit enim sciendi modū, nec hic de practicis est sermo: rarò enim cum reliquis Philosophię partibus coniunctæ in aliquo reperiuntur, nec multa indigent Dialectica præter eā, quæ naturalis est. Secunda conclusio. Mathematica est prior doctrina, quàm Physica,

7 sententia Autoris.

Prima cōclusio.

Secunda cōclusio.

Physica & Metaphysica: hæc est contra Albertum, & Ammon. sed probatur expressè ex Arist. 6. Ethicorum, capit.8. docet, pueros posse esse Mathematicos, sed non Philosophos, quia Physica postulat longam rerum experientiam, quę nō est necessaria in Mathematicis, quæ quidem experientia non contingit pueris. Præterea probatur: Quia Mathematicæ tractant de sensibilibus per se: Physica de sensibilibus per accidēs: hęc enim de substantia sensibili, illa de figura, & quātitate est. Constat autem quantitatē esse sensibile cōmune per se, substantiā verò nullus sensus percipit per se. Nec ratio Ammo. quicquam valet: nam quòd Mathematica sit magis abstracta, non facit eam posteriorem doctrina: si enim ea, quę Mathematicus considerat, essent in eodem prædicamēto cum his, quæ Physicus tractat, tunc valeret per Mathematicam mediā esse ascendendum ad Metaphysicam, medium enim debet esse eiusdem rationis cum extremis, non sic autem Mathematica, quæ de accidenti est, Physica verò & Metaphysica de substantia. Tertia conclusio: Physica est prior natura, quàm Mathematica, licèt sit posterior doctrina: probatur. Physica est de substantia: Mathematica de accidenti: sed substantia est prior natura, quàm accidēs. 7. Meta. ca.1. ergo & Physica prior est. Nec valet quicquam ratio, quòd abstractum magis sit prius minus abstracto: hoc enim est in eodem genere, vt inter substantias, quæ abstractiores, simpliciores sunt, & in accidentibus: at in diuerso genere id nō est: substātia enim prior est accidēti, siue abstracto, siue non abstracto. Quarta cōclusio. Post Physicam est Ethica, vltimū verò locū tenet Metaphysica doctrina: probatur: quia difficilior est experientia in moralibus, quàm in naturalibus, sunt enim incertiora, & difficillima est Metaphysica, quæ de supremis est, quę nullam cum sensu affinitatem habent. Nec ratio Sancti Thomæ contrarium probat: si enim Metaphysica tantùm de vniuersalissimis in prædicando ageret, esset forsàn anteponenda: at agit etiā de vniuersalissimis causis separatis prorsùs à materia: hæ autem difficillimè cognoscuntur, vt testatur Aristot. 1. Met. ca.2. Est igitur vltima doctrina, quamuis natura prima. Atque hæc circa ordinem sufficiant.

Tertia cōclusio.

Quarta cōclusio.

De ortu, seu inuentione Philosophiæ, ac primò de eius inuentionis modo. Cap. IIII.

Circa ortū Philosophiæ duo oportet considerare: primum de modo ipsius inuētionis, alterum de ipsis inuentionibus. Est autem notandū, quinque esse vias, quibus homines per se sciētiam inuenēre: similitudinis nempè viā, separationis, resolutionis, compositiōis, proportionis: Primò enim homo singula concreta intelligebat, non distinguendo substantiam ab accidenti, sed omnia sub vno cōceptu cognoscebat, sicut sensu cōfusè percipiebat: ante omnia verò similitudines percipiens maiores congregabat in vnam naturam ea, quæ similia erant, nam gloriosus Deus, quāuis intellectum hominis sensibus alligauerit, & sensus substātiam per se cognoscere nō possint, tamen singulis naturis accidentia sensibilia dedit eis propria sensibilia, quædā cōmunia, quædam minus communia secundum naturas ipsas, per quæ accidētia homo substantias distingueret: & ita dedit animalibus motum à se: speciebus animalium varias figuras, per quas varietas ipsarum intelligeretur: homo igitur has similitudines attendens, copulabat natura: magis ac magis, ac vniuersalia cōcipiebat, vt vidēs figuram exteriorem similem in speciebus rerum, singula illarum indiuidua ad speciē vnā adunabat: postea in varijs speciebus alias percipiens similitudines ad genus congregabat: & sic consequenter. Hæc fuit prima via.

Quinque viæ, q̄bus scientiæ inueniūtur.

Secūda via fuit separationis, per quam incepit accidens à substantia, & accidens ab accidente secernere: fuit autem hoc considerando primò separationem accidētis à substantia: expertus enim est hominem modò calidum, modò frigidum: modò malè habere, modò benè: & quòd idem homo perseuerabat, coniecit, aliquid esse in homine, & in rebus, quod nō est ipsæ res, sed in eis sustentantur: quandoquidem nihil ex eiusmodi rebus per se fuerit, & vocauit vnum substantiam, alterum ens accidens. Adhùc viderat

Secunda via.

multa simul accidentia, nec eorum distinctionem perceperat: posteà experitur vnum accidens in alio subiecto, vbi alterum non est, colligit esse distincta, vt sentit albedinem in niue, & frigiditatem: posteà experitur albedinem in calce sine frigiditate, comperit esse distincta. Præterea videt effigiem hominis simul cum quantitate, posteà experitur effigiē sculptam sub minoris quantitatis imagine, percipit effigiem, & quantitatem rei non esse eandem rem: & hæc est via ampla, qua vsus est Aristoteles in Postprædicamentis, vt illic declarauimus.

Tertia via. Tertia via est resolutionis, qua nempè causas, & principia rerum indagamus, retexentes ipsam rem. Vt enim alicuius instrumenti causam & partem cognoscimus, puta horologij, ipsum destruentes, & ipsius partes redigentes: ita resoluentes rem in suas partes, & principia, passionum, & effectuum comperimus.

Quarta via. Quarta via est compositionis, quando res rebus componentes, & coniungentes effectus, & passiones inuenimus, quæ aliàs occulta erant.

Quinta via. Tandem est proportionis, quando per proportionem ex rebus claris, & quas experti sumus, ea cognoscimus, quæ nō sumus experti, quo modo Aristoteles naturam melancholicarum per naturam ebriorum proportione quadam cōperit, & res intelligibiles sæpè per sensibilium proportionem cognoscuntur. Hæc igitur breuiter de modis inuentionis, quos frequenter in Philosophia experiemur.

De Philosophiæ inuentoribus.

Cap. V.

CIRCA inuentiones autem breuiter dicamus aliquid. Græci sibi inuentionem Philosophiæ arrogârunt: nam Dialecticam à Zenone ortum duxisse, à Platone verò perfectionem testantur: moralem verò à Socrate: naturalem à Thalete primo sapientum septem, vt dicit Aristoteles 1. Metaph. cap. 3. auctam verò à Pythagora, vt dicitur ibidem cap. 5. Fuit enim duplex genus Philosophorum: alterum Ionicum: alterum Italicum, vt refert Diogenes libro 1. Et Sanctus Augustinus 8. de Ciuitat. cap. 2. Ionicum habuit originem à Thalete Milesio: Italicum verò à Pythagora, qui Samum patriam, à qua Samius dictus est, à Tyranno Polycrate videns occupatam, Crotonem in Italiam petijt in ea ipsius parte, quæ Calabria modò, olim magna Græcia dicebatur, à Thalete deriuati sunt Philosophi Anaximander, Anaxagoras, & Socrates: & hucusq; perseuerauit nomen Ionicum: habuit autem Socrates discipulos Platonem, & Anthistenem: hic fuit caput Philosophorū, qui dicti sunt Stoici, Zeno enim, Crysippus, & alij ab hoc sumūt doctrinæ originem: dicti autē Stoici, qui Zeno docebat in porticu, nam Stoa porticum significat.

Plato verò fuit caput Academicorum: dicti Academici sunt ab Academia loco, quo Plato docebat. Fuerunt autem discipuli Platonis Xenocrates, & Aristoteles, ille retiuuit nomen academicum: Aristoteles verò docuit in Lyceo, ac ga deambulās docebat, dicti sunt discipuli Peripatetici: vnde tres sectę Philosophorum fluxerunt à Thalete. A Pythagora verò Xenophanes, Parmenides, Xenocrates, Leucippus, & Epicurus originem sumpserunt: atq; ab hoc dicti sunt Epicurei: vnde sunt quatuor Philosophorum sectę, nō solùm nominibus, sed etiam multis placitis, & opinionibus differentes: omnes tamen à Græcis originem ducunt. Sed non est ob id existimandum verum, ipsos primos esse inuentores: cùm omnes sapientes septē Græci floruerint ab Olympiade trigesima octaua vsq; ad quinquagesimā sexcētis annis ante Christi natiuitatem, at multò antiquior fuit scientia, peruenit enim ab Adamo vsq; ad Noe, qui docuit ipsos Armenos, & postea Patriarchæ illi antiqui peregrinantes in Aegypto ipsos docuerunt, ad quos peruenerunt ipsi Græci discendi causa, vt refert Diogenes lib. 7. vnde scientia originem teaxit ab Hebreis, & Chaldęis, vt refert Iosephus. 1. li. contra Appion. & Eusebi. lib. 10. de præpara. Euangelica. & Berossus lib. 3. sed hæc satis: non enim est nostrum præsens institutum hæc vlterius prosequi.

De vtilitate, & dignitate Philosophiæ. Cap. VI.

Circa

CIRCA vtilitatem, & dignitatem omnibus compertum est, quantæ sit vtilitatis, & dignitatis: conducit enim multùm ad conseruationem, & gubernationem hominum; nō enim Res. publicæ consisterent absq; sapientia: cōducit etiam ad eleuandam mentem in ipsum Deum authorem omnium, & vitā instruendam, & mores: non quòd philosophia sola hoc præster, cùm non sufficit virtutem & bonum cognoscere ad exequendum, nisi adsit speciale auxiliū Dei voluntatem iuuans, sed quòd sit magnū motiuum, & occasio bonorum morum: & si adsit Dei gratia, per Philosophiam multa bona fieri possunt, qua deficiente Philosophia, vanus & inutilis profectò labor est. Hęc de Philosophia in cōmuni.

De Physica, hoc est, naturali Philosophia, ac primò, de quibus agendum.

De quib. agendum

NOs verò vnā partem Philosophię, Physicam nempè i. naturalē prosequi aggredimur. Circa quā quatuor potissimum ante omnia trademus: primum, an sit scientia: secundum, quod sit eius subiectum, seu quæ sit intentio, & ipsius scopus; tertium, quæ diuisio: quartum, quis modus procedēdi. prius tamē, quid sibi nomen naturalis velit, exponamus. Simplicius dicit, Phisosophiam naturalem dici, quę tractat de reb. naturalibus: sunt aūt res naturales, quæ motus sui principium habent in se, quales sunt omnes hæ res generabiles, & sensibiles, vt elementa, animalia, mixta, plantæ, & similia: & de his est Physica ista scientia. Sed iā ad primam quæstionē accedamus.

Res naturales quæ sint.

Quæstio 1. An rerum naturalium sit scientia?

Prima opinio.

CIrca hanc quęstionē fuit opinio Heracliti, vt refert Arist. 4. Meta. & Ptolomei, vt refert Alber. tra. 1. c. 2. asserētiū nō esse scięntiā de reb. naturalib. quorū rationes hæ sunt.

Prima, Infinitorū nō est scientia: at res naturales sunt infinitę, & indeterminatę vt patet ex assidua earū mutatione: ergo earum non est scientia. Secunda. Generabilium, & corruptibilium non est scientia. 1. Poster. ca. 7. at res naturales, vt notū est, sunt generabiles, & corruptibiles: ergò earum non est scientia. Tertia. Singulariū non est sciētia: at res naturales sunt singulares: ergo earū non est scientia: maior est nota: minor probatur: quia res naturales sunt sensibiles. 1. quæ sensu percipi possunt: at sensū nō est, nisi singulariū.

2. opinio. At opposita sententia est communis, Physicā esse partē Philosophiæ, & rerum naturaliū esse scientiā, & probatur, quia Physica est de necessārijs per propriā causam, ergò est scientia: patet antecedēs, cū fiant multæ demōstrationes in Physica: demonstratur enim mixtū corruptibile, quia ex contrarijs cōponitur, & animalia moueri à se, quia habent animā, & multa alia. Est tamē notandū ex Linconiensi, vt à Iāduno & cōmuniter alijs asseritur hoc loco in Physica esse duplices ꝓpositiōes, quasdā necessarias, vt semper, vt ignis est calidus, mixta sunt corruptibilia: anima est actiuū principiū motus: & harum est ꝓprijssima scientia: quasdā necessarias vt plerūq;, vt homo nascitur cū duplici oculo: dextra manꝰ est fortior: in hyeme sunt pluuię: & harū est sciētia ꝓpria, quamuis nō ita certa, sicut prior: nō enim omnes sciētiæ æqualē habēt certitudinis gradū. Nota.

Ad primū. Respondetur igitur ad argumentū primum. Admittimus, res naturales esse indefinitas, tamen non eo modo, quo indefinitæ sunt, earum est scientia. sunt enim infinitæ in singulari: earum tamen scientia est, vt ad vniuersales naturas reducūtur, quæ finita sunt: non enim huius. 1. illius equi est scientia, sed equi.

Ad secundum. Ad secundum respondetur: aliud esse generabile, aliud generari: generari enim dicit actum, qui primò inest singularibus quæ mutantur, & non perseuerant: at generabile primò inest naturæ, in qua est principiū; & potentia generationis: vnde homo generabilis dicitur, seu corpus: & ista generabilia sunt vniuersalia, quæ semper sunt, & eorum est scientia: non enim destruūtur, nisi ꝑ accidēs in hoc l. illo singulari, secundum se tamen perseuerant.

Ad tertiū. Ad tertium dico, sensibile dici dupliciter: vno modo per se, nempè, quod primò terminat actum potentiæ sensitiuæ, vt coloratum, calidum ratione qualitatū & ipsa singularia, & talium non est scientia: altero modo per accidens, quia, videlicet, est in his, quę sentiuntur per se, sicut

naturæ, & vniuersalia eorum, quæ per se sentiuntur: & horum est scientia.

Quæstio secunda de subiecto Philosophiæ naturalis.

SEquitur igitur, cùm constet Physicam esse scientiam, vt videamus, quæ sit intentio, & huius scopus. Auerroes respõdet in hoc prologo: Physicam intendere manifestare causas, & passiones harum rerum sensibilium, prout tales sunt, nẽpè mutationes, motus, aliasque similes passiones, & harum causas: dicit, prout tales sunt, quia non omnia, quæ vni rei insunt, vnius est scientiæ considerare, sed propria illius rei, tam causas, quàm passiones. Circa hoc est quæstio satis celebris de subiecto Philosophiæ naturalis: oportet autem ex Logica supponere, quid sit subiectum scientię, illud nempè, quod primò intenditur in scientia, cuius causæ, passiones, & species in scientia considerantur, à quo scientia vnitatem, & ab alijs distinctionem sumit. Circa hanc difficultatem inuenio tres præcipuas sententias: prima est Sancti Thomæ in hoc prologo asserentis, ens mobile esse subiectum Physicæ: per mobile autem non tãtùm intelligimus, quod secundum locũ mouetur, sed quod mutabile est quacunque mutatione. Hanc sententiam recipit Iandunus, q.2. & est Auerrois expressa. 4. Meta. com. 1. & in præsenti videtur idem dicere, nam constituit res sensibiles, vt motus habent principium. Constat autem quòd idem est ens, & res: & hoc idẽ, quod Auerroes, dicit Simplicius. Altera sententia est: corpus mobile esse subiectum Philosophiæ naturalis, quam sententiam recipit Albertus tract. 1. cap. 3. & Aegidius Romanus. Tertia est: corpus naturale, seu sensibile esse subiectum: hoc asserit Auicenna cap. 1. suæ sufficien. Rationes autem cuiusque sententię hę sunt præcipuæ. Sanctus Thomas vtitur hac ratione destruendi corpus naturale non esse subiectum: subiectum scientiæ non probatur in illa scientia esse, sed supponitur: at Physicus probat corpus mobile esse, ergo non est subiectum. Minor probatur, nam maior certa est. 6. Physic. probatur omne mobile esse corpus, ergò Physicus probat, corpus mobile esse. Aduersus quam rationem insurgit Aegidius, quia aliud, inquit, est, probare, quod corpus mobile sit: aliud, quòd mobile sit corpus: hoc facit Physicus, non illud: vnde ratio videtur non probare intentum. Addunt aliam secundam rationem discipuli S. Thomæ, inter quos est Caietanus in q. de subiecto Philosophiæ naturalis, corpus mobile, vt Albertus, & Aegidius existimant, nempè pro substantia naturali, non compræhendit omnia mobilia Physica: at ens mobile compræhẽdit, ergò hoc potius, non illud, est subiectum: antecedens probatur: est enim corpus mobile triplex, aut secũdum substantiam, aut secundum qualitatem, aut secundum quantitatem, hæc autem sunt singula in singulis prædicamentis: nam primum est in substantia, secundum in qualitate, tertium in quantitate: non ergò corpus mobile pro substãtia est commune istis, sicut ens mobile: ergò hoc est subiectum.

Nota

Prima opinio.

2. opinio.

3. opinio.

Rationes primæ opinionis.

Prima ratio.

2. Ratio.

Alij discipuli Sancti Thomæ addunt tertiam rationem, nam corpus mobile non complectitur materiam, quæ est ens mobile, cùm sit partim generabilis, partim corruptibilis: at subiectum debet cõplecti omnia, quibus passio scientię inest: ergò ens mobile est subiectum. Hæc pro prima sententia.

3. Ratio.

Secunda sentẽtia Alberti est declaranda: ipse enim constituit triplex corpus, Metaphysicum, Mathematicum, & Physicum: corpus Metaphysicum vocat substantiam compositam ex materia & forma tantùm consideratam cum aptitudine ad quãtitatem, quæ est prædicamenti substantiæ: & hanc considerare est Metaphysici: substãtiam verò cõpositam cum ipsa actuali quantitate vocat ipse Mathematicum: at corpus cum ipsa materia sensibili est Physicum, & hoc corpus mobile est subiectum Physicæ. Probat primò: Illud est subiectum scientiæ, cuius partes & causæ in scientia considerãtur: sed partes corporis mobilis considerãtur in Physica, nẽpè materia, & forma: ergò illud est subiectum. Secundò argumentatur Aegidius Romanus contra Sanctum Thomam. Mobile, cùm additur enti. l. limitat

Rationes pro secũda opinione.

Nota.

1. Ratio.

2. Ratio

mitat per se. l. per accidens ipsum: si per se, ergò Physica erit species Metaphysicę: sicut sciẽtia de animali rationali est species scientiæ de animali: si per accidens, ergò erit subalternata Metaphysicæ: sicut scientia de linea visuali subalternatur scientiæ de linea secundum se, quorum vtrumque est falsum, cùm Physica sit genus scientiæ à Metaphysica distinctum.

3. Ratio.

Tertiò argumentantur Scotistæ: Ens mobile competit Angelis, qui tamen ad Physicam non pertinent: ergo ens mobile non est subiectum, sed corpus mobile. Hęc pro secunda sententia. Tertiam verò sententiam ego probo. Illud est subiectũ scientiæ, quod continet omnes passiones scientiæ: at corpus naturale cõtinet passiones, non autem ens mobile, quod probatur: nam quiescibile est passio Physica, non tamen videtur inesse mobili, cùm sint opposita motus & quies: at inest corpori naturali, ergò hoc potius est subiectum, non autem corpus, aut ens mobile. Secundò, Passio non est sumenda pro subiecto: sed mobile & motus passiones sunt Physicæ, sicut risus, & risibilitas: nõ ergò ens mobile. l. corpus mobile est subiectum, sicut nec homo est risibilis dicitur subiectum scientiæ, sed solus homo, de quo demonstratur risibile. Hæ sunt rationes pro qualibet parte probabiliores. In hac difficultate id, quod certum est, & quod ambiguum, aperiam: & sententiam S. Thom. explicabo: postea omnium rationes soluam, in quo exactè declarabitur sententia S. Thomę: Tandem, quod mihi visum probabilius fuerit, aperiam. Aduerte igitur, duplex subiectum esse in aliqua scientia: alterum materiale: & hoc est res illæ, quæ in tali scientia considerantur: alterum formale, nempè ratio, secundũ quam res illę in tali scientia considerantur. Omnibus compertum est, materiale subiectum Physicæ esse res omnes sensibiles: formale verò, quatenus habent aliquod intrinsecum sui motus, & mutationis principium: & hoc docet Aristoteles 6. Metaphy. cap. 1. Physicam, inquit, versari circa genus entis, quod in se motus principiũ habet: idem in libro 11. ca. 3. Nec in hoc vlla est apud Doctores difficultas. Sed controuersia tota ferè est in nomine posita: an tale

Rationes pro 3. opinione.

1. Ratio.

2. Ratio.

Quo agẽdum ordine in hac quæstiõe.

Primum fundamẽtum. Duplex subiectũ: materiale, & formale.

In quo sita sit tota cõtrouersia.

subiectum sit dicendum ens mobile, l. corpus mobile. l. corpus naturale. Omnia ista quantum ad suppositionem æqualia sunt, nec pro pluribus supponit vnũ, quàm aliud, imò inter se conuertuntur, sed modus significandi varius est.

Sanctus Thomas vult ens mobile dici subiectum, quia clarius iunguntur istæ partes, ens mobile, quàm corpus mobile: nam quod mobile sit ens, nullus dubitat: quòd verò mobile sit corpus, est demonstrabile, & non per se notum: cùm igitur clarius res sensibiles explicẽtur per ens mobile, quàm per corpus mobile, illud est subiectum: & hoc intendit S. Thõ. Nec contra hoc, modò quicquam valet replica. Aegidij Romani probantis corpus mobile nõ probari. Vt autem clarior fiat sententia ista, soluamus omnia argumenta, etiam discipulorum S. Thomæ, quia volentes defendere ipsius sententiam, non satis id præstiterunt. Ad illud Caietani, negatur illud triplex corpus mobile, imò vnicum est corpus substantiæ, nempè cõpositum ex materia & forma, quod est mobile secundum qualitatem & quod est mobile secundum quantitatem: & eadem sunt principia illorum motuum, nempè materia & forma: non ergò multiplicare oportet mobilia corpora, & hoc nota.

Explicatur opinio Diui Thomæ.

Solutio argumentorũ discipulorũ D. Thomæ, qui nõ rectè eũ defendunt.

Ad argumentum Caietani.

Ad aliud argumẽt.

Ad aliud argumentũ aliorum respondetur: sicut materia non dicitur corpus mobile, ita nec dicitur ens mobile, vt ipsi existimant, nam ens mobile dicitur totum compositum: nec quantum ad rem est differẽtia inter corpus mobile, & ens mobile, vt diximus: quòd si dicas, materiam generari, dico esse falsum, materia enim non generatur per se, sed ratione compositi, cuius est pars: vnde non dicitur ens naturale, sed natura. 2. Physi. c. 1. nec ens mobile, sed pars entis mobilis.

Circa opinionem Alberti, in primis nõ mihi placet distinctio illa triplicis corporis: non nego, posse substantiam compositam concipi intellectu absq; actuali quantitate. l. qualitate: tamen illa substãtia sic cõsiderata ex intrinseca sua ratione habet aptitudinẽ ad illa, eo ipso, quo materialis est, erit ergò eiusdem scientiæ considerare substãtiam quantificabilem & quantam, & substantiam qualificabilem

Solutio rationũ secundę opinionis.

Nota.

lem, & qualem: non enim alterius scientiæ est considerare hominem risibilem, alterius, hominem ridentem: ob id dico, non esse nisi corpus Physicũ, aut Mathematicum, vt vult Auerroes. 3. Meta. com. 17. & 1. Cæli. com. 1. quàmuis alia ratiõe procedat Auerroes, quam postea discutiemus. Ad primam ergo ipsius rationem respondetur facilè, cùm ens mobile, & corpus mobile idem re sint, principia corporis mobilis sunt etiam entis mobilis. Ad secundam Aegidij respõdet Iandu. q. 2. quòd licèt sit ens mobile inferius ente, sicut subiectum subalternatæ, tamen nõ est subalternata Physica, quia ipsius principia sunt immediata, nec in Metaphysica probantur. Aliter respõdet Niphus dicens, quòd etiam si sit inferius ens mobile ente ipso, tamen non est species, quia ens non est genus: in quo videtur Iandu. concedere, mobile esse aditum extrinsecum, Niphus verò intrinsecum. Ego verò vtrunque nego. Et est summoperè aduertẽdum; aliter se habere genus ad sua inferiora, aliter ipsum ens ad sua: genus enim dicit quandam naturam, & rationem obiectiuam, quæ per varias differentias cõtrahitur ad species, aliter nõ esset vniuocum, nisi præter vocem vnam esset etiam ratio communis, vnde addita differentia generi facit compositionem, & additum accidẽs facit compositionẽ, sed accidentalem, vt animal album: at ipsum ens non sic: non enim dicit naturam communem, sed omnes res immediatè, sicut nomen Petrus omnes Petros significat, non significando communem naturam: confusè tamen, & indistinctè significat omnia: vnde quãdo additur quiquam enti, non est compositio realis, sed explicatio quædam, & determinatio cõfusi: qui enim dicit ens substantia, ens album, nihil reale compositum dicit, quàm substantiam, & album. Ex quo fit, quòd ens mobile non est compositum in re, nã mobile est additum, significationem entis confusam determinans: & sic cessat argumentum Aegidij: & hoc est valdè notandum, quod multi nõ aduertunt, non enim est compositum ens mobile, sed rem vnam dicit, sicut si vno vocabulo exprimeretur. Dices, saltem est inferius ipso ente, & eiusdem erit scientiæ considerare ens, & ens mobile.

Ad primũ

Ad secundum.

Nota. Differẽtia entis ad sua inferiora, & generis ad sua.

Dubium.

Dico, & nota, quòd inferiora, & superiora eiusdem scientiæ est considerare, quando sunt sub eadẽ abstractione à materia: at quando non sunt eiusdem abstractionis, non pertinent ad eandem scientiam: ens autem abstrahit à materia omni: mobile verò est cum materia sensibili, ob id non eiusdem scientiæ genere est vtrunq; considerare. Ad tertium argumentum Scotistarum respondetur, Angelos non esse entia mobilia, cùm ens mobile, & corpus mobile idem re sint. Angeli autem non sunt corpora: & quàmuis ens mobile esset superius corpore, Angeli non dicerentur mobilia entia: non enim habẽt motum Physicum, cùm in loco, & tempori subiecti non sint.

Solutio.

Ad tertiũ

Ad primum argumentum pro tertia sententia respondet primò Albertus ca. 3. quòd quies est passio corporis sicut motus, sed est priuatiua: quies enim est priuatio motus: cùm igitur priũatiuum per positiuum cognoscatur, non oportet dicere corpus quiescibile, sed positiuum, nempè corpus, seu ens mobile. Respondet secundò, quòd non est passio vniuersalis, nam quies non inest cuicunque corpori, cui inest motus: cæli enim mouentur, non tamen quiescunt. Quòd si dicas; etiam non omne corpus mouetur, nam terra non mouetur. Respondet, terrã non moueri quidem secundum locum, tamẽ mouetur secundum alios motus, nam alteratur, frigefit, calefit. Respondet tertiò Iandu. quòd etiam mobile est quiescibile, cùm priuatiuorum idem sit subiectum. Ad secundum aduerte, quòd mobile dicitur tripliciter, aut quod mouetur actu, aut quod aptitudine mouetur, sicut dicitur risibile, quod aptum est ridere, & vtroq; modo mobile est passio, nec sic in præsenti sumitur. Tertio mobile dicitur, quod intrinsecum habet principium motus, & sic sumitur in præsenti, nec est passio, sed passionum principium. Ex his omnibus opinio Sancti Thomæ, imò etiam aliorum, sunt satis manifestatæ. Superest, vt dicam, quid mihi videatur. Ego quidem reputo opinionem Sancti Thomæ valdè probabilem, & amplectendam, tamen mihi videtur probabilius, nõ ens mobile, sed ens naturale esse

Solutio rõnũ tertiæ opinionis.

Ad secundum. Nota.

Sententia ꝓpria Authoris.

subiec-

subiectum Physicæ, & præterquàm quod Simplicius & Auerroes videntur hoc dicere: ponunt enim, Philosophum considerare res naturales: rationes nostræ hæ sunt. Illud est subiectum, quod cùm passionibus non facit prædicationes ridiculas, & ferè identicas, sed tale est ens naturale, non autem ens mobile. Nam dices benè, ens naturale est mobile, & mouetur, sed quis dicet, ens mobile mouetur, seu ens mobile est mobile? Secundò, quia subiectum clarius debet exprimere radicem passionum: at ens naturale clarius radicem passionũ exprimit, nam natura est principium motus; ens aũt naturale, quod habet principium motus.

Prima Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Tertiò, quia est multiplex illud mobile, vt dictum est: modò enim pro passione: modò pro principio passionis sumitur: æquiuocatio autem obscuritatem importat. Quartò, quia nõ exprimit principium quietis, quod explicatur per ens naturale: non enim sufficit dicere, quòd satis sit exprimere passionem positiuam, nam eodẽ modo possit dici, quòd in definitione naturæ non oportebat dicere, natura est principium motus, & quietis, vt dixit Aristot. Propter hæc mihi talis sententia probabilior videtur, quamuis in re non sit discordia, cùm omnia significent idem, ob id apud Aristotelẽ modò ens mobile, modò corpus inuenitur esse id, circa quod Physica versatur. Atq; satis de quæstione hac.

4. Ratio.

De diuisione Philosophiæ naturalis. Cap. III.

CIRCA tertium de diuisione Philosophiæ naturalis, videtur mihi satis commoda illa, quam assignant Simplicius, & Themistius, nempè hæc, quæ in Philosophia naturali continentur, aut sunt de principijs, aut de his, quæ ex principijs componuntur: de principijs omnium rerum naturalium, & de communibus est liber Physicorum, de compositis sunt reliqui. Quę autem componuntur ex primis, aut sunt simplicia corpora ex alijs corporibus nõ constituta, aut sunt composita, & mixta. Si simplicia sunt, aut incorruptibilia, & sic sunt cæli, de quibus traditur in libris duobus prioribus de cælo: aut corruptibilia, vt elementa, & de his agitur in duobus posterioribus libris de cælo: de his enim omnibus primò traditur, tanquàm de simplicibus corporibus. De compositis verò, quia hoc omnibus est cõmune, nempè generatio, & corruptiõ; & non solùm his, sed etiam ipsis simplicibus elementis: ob id primò de generatione, & corruptione disseritur, postea de ipsis seorsum. Hæc autem composita quędam inanimata, quædam animata sunt: Primò de inanimatis agitur. Deinde de animatis: atque inter illa quædam sublimia sunt, quæ Metheora dicuntur, quæ supra nos fiunt, vt venti, pluuiæ, irides, halones, & similia, de quibus in libris Metheororum: quædam subtus in intrinsecis terræ partibus, vt metalla, lapides, de quibus in libro de mineralibus. Animata aũt, quia animam habent communiter, prius de anima agitur in libris tribus de anima, & de quibusdam ex anima ꝓcedentibus, videlicet de somno, vigilia, iuuentute, senectute, vita, morte, & simili lib. in libro, qui parua naturalia dicitur, tractantur. Post hæc de ipsis animatis: atque horum quædam animalia, quædam plantæ. De animalibus in libro de Historia, & in libris de partibus animalium, & generatione ipsorum latè disseritur. Tandem de plantis, atq; hæc est breuis summa librorum Arist. Nec intendimus modò determinare ordinem omnium horum, sat sit, quantum ad præsens institutum attinet, hos libros omnium esse libros.

Quarto. De procedendi modo.

CIRCA modum procedendi naturalem Auerroes dicit, esse maneriem disciplinæ, & viam demonstratiuam: per maneriem disciplinæ intelligit facilem, ac familiarem procedendi modum, qualis est inductio, exemplum, definitio, diuisio, syllogismus hypotheticus: per demonstrationem verò intelligit triplex demonstrationis genus, est enim demonstratio signi, demonstratio causæ, demonstratio simpliciter: Demõstratio signi est, quoties per signa, & effectus à posteriori rem demonstramus: demonstratio causę

est,

est, cùm procedit demonstratio per causam, sed effectus iam notus fuerat ante ipsam causam: vt si quis Ecclypsim priùs cognoscēs, causam inquireret, & per hāc causam probaret effectum: talis demonstratio solùm ostenderet causam, sed non probaret effectum esse, ob id dicitur demonstratio causæ: at verò cùm effectus non fuit ante causam cognitus, sed tunc primùm per ipsam causam cognoscitur, dicitur talis demonstratio simpliciter, quia effectum probat & causam ostendit, dicit ergò Auerroes, Philosophum hic omnibus demōstrationibus vti, tamē frequentius demonstrationi signi, & causæ, quia effectus Physici sunt notiores nobis suis causis. De ista demonstratione causę diximus latè. 1. Poste. Existimo enim etiā cùm effectus præcognoscitur ante causam: demōstrationem probare effectum esse, quia effectus ante causam cognoscitur particulariter, & non ità necessariò: at cùm per causam probatur, vniuersaliter cognoscitur, & necessariò: & ad hoc fit ille regressus, vt effectum imperfectè cognitum, perfectissimè cognoscamus: quāuis adhuc sit distinguēda duplex demōstratio: & quæ probat per causam effectū aliquo modo ante cognitū: & quæ probat effectū nullo modo ante cognitū, licèt omnis demonstratio sit effectum esse probans, si per causam procedit. Hæc de modo procedendi.

De Libris Physicorum Aristotelis, ac primò de eorum instituto, et subiecto eorum. Quæst. I.

VT igitur ad libros hosce, quos primos omnium interpretādos suscepimus, accedamus, tria ante ipsum textū breuiter perstringamus: primum institutum horum: alterum inscriptionem, tertium diuisionem. In instituto, & scopo horum librorum omnes interpretes conueniunt, nēpè hic tradi communia principia, & passiones entium naturalium: oportet enim communia priùs cognosci particularibus, hæc autem communia, secundum Simplicium, sunt materia, forma, reliquę causæ, motus, locus, tempus. Institutū & scopus.

Sed dices, quod erit obiectum horum librorum? dico, quòd vnusquisq; constituit pro obiecto horum librorum illud idem, quod ponit obiectum totius Physicæ: vnde secundum Albertum horum librorum obiectū est corpus mobile simpliciter: secundum Sanctum Thomam ens mobile: & nos consequenter dicemus ens naturale simpliciter. Dubitabitur, quo modo idem obiectum potest esse horum librorum, qui sunt pars Physicæ, & totius Physicæ. Hoc dubium mouit Albertus. 1. Priorum, in principio: illic enim dixit, syllogismū simpliciter esse obiectum illorum librorum: qui tamen syllogismus simpliciter pertinet ad totā Logicam: & respondet, syllogismū simpliciter duobus dici modis: vno modo simpliciter, id est, vniuersaliter, vt comprehēdit omnes suas species: & sic ad totam Logicam spectat: altero modo simpliciter, id est, solùm vt syllogismus est, & sub ratione cōmuni consideratus, & sic est obiectum illorum librorum. Consequenter nos possumus idem dicere, ens mobile, seu corpus mobile, aut ens naturale potest considerari vniuersaliter cum suis omnibus partibus: & sic totius est Physicæ obiectum: altero modo pręcisè sub illa ratione communi tantùm: & sic ad hos pertinet libros. Quamuis posset dici obiectum esse commune principium rei naturalis, non enim in omni parte Physicæ oportet dare aliquod obiectum compositū, nam in libris de anima obiectum est anima: in libro de somno, & vigilia, somnus, & vigilia: sic etiam in alijs: ita in his communia omnibus entibus naturalibus. Subiectū 1. librorū Physicorum. Dubium. Solutio. Altera solutio.

Secundo. De inscriptione & diuisione horum librorum. Quæst. II.

CIRCA inscriptionem, isti libri inscribuntur Græcè περὶ φυσικῆς ἀκροάσεως, id est, de naturali auscultatione: notandum est enim ex Themistio, & Cicerone, 5. de Finibus, & Aulo Gell. libr. 20. capi. 4. libros conscriptos ab Aristo. esse in duplici differentia, quidam erant conscripti stylo, & modo procedendi vulgari, & communi, & facili, vt l. mediocriter eruditi possent percipere, ac ob id, exoterici dicti, quasi pro omnibus etiam extrinsecis cōscri-

scripti. Alij erant libri profundiori stylo, & modo exactiori procedēdi compositi, nempè demonstratiuo: & hi dicebantur auscultatorij, quasi attentione, & studio indigentes, vt intelligerētur: & dicebantur Acroamatici, huiusmodi sunt libri Physicæ, & præsertim hi: ob id de naturali auscultatiōe dicuntur. Notat Simplicius, quamuis iste titulus possit vniuersaliter Physicæ cōpetere, tamen, quia communia omnium tractant, quæ reliqua virtute cōtinent, peculiariter his attribuitur, hoc etiam dicit Albertus. Solent etiam ab Aristotele hi libri de motu dici, vt patet 2. Posterio. cap. 12. & 1. Cæli. tex. 38. quia, vt in hoc textu notat Auerro. maxima parte horum tractatur de motu, nempè à tertio inclusiuè vsque ad vltimum librum.

De diuisione horum librorum Physices.

CIrca horum librorum diuisionem, Adractus, quē citant Simplicio, & Themistius in pręsenti: & ipse Simpli. & Andron. vt refert idem Simpli. in principio 5. Physicorum & Eundem. vt meminit idem Simpli. in principio. 6. Physico. Oēs hi in duas partes diuidunt hos libros: altera dicitur de principijs, & hæc continet quinq; libros priores: altera de motu, & hæc continet libros tres posteriores. In particulari autem, in primo libro de principijs intrinsecis agitur, puta materia, & forma: in secundo de extrinsecis, puta de agente, & fine: in tertio de motu, quia naturæ definitio fuit data per motum in libro secundo: & quia motus est de genere continuorum: tractatur etiā ibi de infinito: cū aūt quæ mouētur, sint in loco, & motus sit in tempore, agitur in quarto libro de loco, & tempore, & de vacuo, quod rationem loci videbatur habere. De speciebus verò motus, & de cōtrarietate ipsius traditur in quinto, & de quibusdam communibus rerum naturālium, vt esse simul, esse cōtiguum, consequenter, & alia. In sexto verò de partibus motus quantitatiuis disseritur: in septimo verò, & in octauo de principio extrinseco motus. Hæc ex dictis authoribus colligi possunt. Posses dubitare, quare tertius, quartus, & quintus liber dicuntur de principijs, cùm potius sint de passione corporū, quæ est motus. Existimo esse dicendum, quia in his agitur de motu, vt est pars definitionis principiorum, nempè ipsius naturæ: ob id totum inter libros de principijs computatur: in reliquis tribus agitur de motu secundum se. Dubitabis, nónne etiam in secundo libro tractatur de materia, & forma, cùm natura non sit aliud, quàm materia, & forma? quomodo ergò tractatur de efficiente, & fine? Dico præcipuè agi de efficienti & fine: nam natura, quę forma dicitur, habet rationē causæ efficientis, vt dicetur postęà. Porphyrius verò, vt refert Simplici, in principio. 5. Physi. tantùm quatuor priores libros dixit esse de principijs, reliquos verò quatuor de motu, quam sententiam recipit Philoponus in præsenti. Dubium primum. Dubium secundū. Altera diuisio.

At si licèt in hoc aliquid dicere, existimarem posse conuenientius dici, duos priores libros esse de principijs rerū naturalium: reliquos verò de motu, & de his, quæ motum sequuntur: & hoc videtur sentire Auerroes. 1. Cæli. com. 38. vt diximus. Accedamus igitur tandem ad textum: interpretabimur autem versionem antiquam, diuisionem textuum sequentes. Anthoris sentētia.

Quoniam cognoscere, ac scire. Tex. I.

Quæsit intentio, & scopus Aristotelis.

QVINQVE textibus primis cōtinetur procemium horum librorum, quamuis Simpli. existimet esse vniuersale pro tota Physica: in primo textu manifestatur intentio, quæ consistit in hac conclusione. Ante omnia oportet determinare principia scientiæ naturalis: hanc probat hoc syllogismo, vt benè dicit Philop. in omni Methodo, cuius sunt principia, causæ, & elementa, intelligere, & scire cōtingit ex perceptione ipsorum principiorum, causarum, & elementorum, sed naturalis scientiæ sunt principia, causæ, & elementa, ergo ex eorum perceptione contingit scire: aggrediendū ergo est ipsa tractare. Primi textus expō. i. Philoponi. Secunda Simplicij expō.

Nec mihi placet syllogismus Simplicij, non

Text. I.

Quoniam intelligere ac scire contingit circa omnes scientias quarum sunt principia causę & elementa ex horum cognitione (tunc n. putamus cognoscere unum quoq; cum causas primas cognouerimus & principia prima & usq; ad elementa) manifestum est quod et ea quę sunt circa principia scientię quę de natura est, primum determinare tentandum est.

non enim literę conſonat, ſic enim ipſe componit:omnia habentia cauſas, principia. l. elementa, ex ipſorum perceptione ſciuntur, ſed res naturales habent principia, cauſas, & elementa: ergo res naturales ex horum perceptione ſciũtur: prior videtur magis ad mentem Ariſtotelis.

Huius ſyllogiſmi maiorem ponit cum ſua probatione, quæ eſt per inductionem communem:omnes enim ſe arbitrantur ſcire, cùm principia prima, cauſas primas & vſq; ad elementa cognoſcunt: minorem ſubticet, quia, vt dicit Simplicius, tãquam per ſe notum accepit, res naturales habere principia. Hanc verò ſuppleuit Theophra. & probauit, quia omnia cõpoſita habent principia, res autem naturales compoſitæ ſunt, ſunt enim corpora.

Singulorũ verborum expoſitio.

Sed conſideremus verba Ariſt. inquit. Cognoſcere, ac ſcire, Alexã. dicit, eſſe ſynonima, ac pro eodem accipi. Auerroes verò, & Simplicius dicunt diuerſa ſignificare: cognoſcere enim eſt genus comprehendens quãcunq; cognitionem, ſiue per cauſam, ſiue ſine cauſa: ſiue neceſſarium, ſiue non neceſſarium. At ſcire cognitionẽ demonſtratiuam dicit, ponuntur autem iſta duo verba, vt vnum ſit velut appoſitio alterius, vt ſit ſenſus, contingit ſic cognoſcere, vt ſit ſcire. Sanctus Thomas per cognitionem intelligit eam, quæ per definitionem fit, per ſcire verò eam, quæ per demonſtratiionem: tam aut in definitione, quàm in demonſtratione cauſæ ſumuntur. Sed commodior videtur expoſitio Simplicij. Alterum verbũ eſt, Methodos, quamuis autem Methodus pro quocunq; habitu ſpeculatiuo, aut actiuo ſumatur, tamen hic, ſecundum Auerroem, pro arte quadam, & ratione ſumitur, ſecundum quam ea, quæ in ſcientia ſunt, traduntur: & in hac methodo oportet à cauſis incipere, vt dicit, quando eſt de re habente cauſas.

Quid intelligat Ariſtot. per principia, cãs & elementa.

Sequuntur modò illa verba: principia, cauſæ, elemẽta, in quibus innumeræ ſunt expoſitiones: primas adducamus. Alhara. omnia hæc ad principia cognitionis refert, vt per principia dignitates cõmunes, per cauſſas premiſſæ peculiares concluſionis, per elementa maior, & minor extremitas intelligantur: ex horum enim cognitione ſcientia fit rei.

Prima ſententia.

Reliquæ autem expoſitiones ſunt de principijs rei, quæ in hoc conueniunt, vt ſenſus ſit Ariſtotelis: oportet ſciẽtiam rei procedere ex eius cauſis materialib. formalibus, finalibus, aut efficientibus: licet autem iſte ſit ſenſus omnium, tamẽ quid per ſingula verba intelligere oporteat, non omnes eodem modo explicant. 2. ſnia.

Fuit igitur ſententia ſecunda Alexandri, vt refert Simplicius, per principia, efficientem cauſſam intelligi, per cauſſam formalem, & finalem: per elementa materialem. & hanc ſententiam recipit Sanctus Thomas. Tertia ſententia fuit Auerrois, & Alberti Magni, per principia, cauſam efficientem: per cauſſas finalem: per elementa materiam, & formam, quę rem componunt, eſſe intelligenda. 3. ſnia.

Quarta ſententia fuit Porphyrij, & Philoponi, quòd per principia, & cauſſas idẽ intelligitur, nempè finalem, & efficientẽ cauſſam. Per elementa verò materiam, & formam. Vltima ſententia eſt Simplicij, quæ mihi magis placet, vt per principia quid commune intelligatur ad cauſſas, & elementa: omnis enim cauſſa, & omne elementum principium eſt, non è contra: per cauſas verò extrinſecæ intelligũtur, nempè finis, & efficiens: per elementa verò, intrinſecę, materia, & forma, vt ſit ſenſus, oportet in ſcientia, principia cognoſcere: hæc autem, aut ſunt extrinſecę cauſæ efficiens, & finis. l. elementa, id eſt, intrinſecæ, materia, & forma. & profectò, quòd principium communiter ſumatur, patet ex concluſione, quam infert: oportet principia Phyſicę determinare: vbi clarum eſt, quòd ſaltem materiam, & formã intelligit, nam ab his incipit. Adhuc circa literam aduerte, quòd loquitur diſiunctiuè, vt vniuerſalior eſſet propoſitio, vt notat Philoponus, nam non omnes ſciẽtię omnes habent cauſas, quædam enim formam, quædam finem ſimul, quædam omnes habent, in ſingulis autem cognitio fit ex perceptione earum cauſarum, ſeu principiorum, quæ habent. 4. Sſnia. 5. Sſnia. Nota.

Quid intelligat Ariſt. p principia prima, cauſas primas, & c.

Circa probationem maioris occurrunt verba explicanda, principia prima, cauſas primas, vſq; ad elementa. Auerroes enim non in eadẽ ſignificatione accipit hæc verba, in qua accipiebantur in ipſa maiori, nam per principia prima intelligit cau-

ſas extrinſecas, efficientem, & finalem, remotas, & ſupremas: per cauſas primas intrinſecas materiam, & formam remotas etiam. Per elemẽta verò omnes quatuor cauſas proximas: vt ſit ſenſus, ſcire arbitramur, cùm à cauſis primis, & remotis vſque ad ipſas proximas peruenimus. Dices tu, quæ ſunt iſtæ cauſæ primę, & proximæ? Reſpondet, remotas eſſe, primam materiam, primam formam, primũ efficiens, primum, ſeu vltimum finẽ: per materiam primam intelligit ipſam materiam ſecundum ſe, ex qua ſunt factę omnes res naturales: materia verò proxima eſt cum his diſpoſitionibus induta, quæ ſunt peculiares ſingulis ſpeciebus: alia enim eſt materia lapidis, alia equi, proxima: nam remota eiuſdem rationis eſt. Per formam primam intelligit ſolam formam, quæ cum materia facit compoſitam ſubſtantiam in communi: per proximam formã verò eam, quæ facit hanc. l. illam ſubſtantiam, puta animal, plantam, mixtum: per agentem primum remotum, & vniuerſalem intelligit, qualis eſt primus motor: per propinquum verò intelligitur agens particulare: idem de fine: oportet ergo ab ipſis ſupremis vſque ad particularia principia deſcendere.

Confutatio expoſitionis Auerrois.

Hæc eſt expoſitio Auerrois, quæ mihi non placet, vt meritò refellitur ſic à D. Thoma, quia in tam breui contextu, & connexione verborum admittit tantam æquiuocationem. Quòd ſi ipſe noluit admittere illa duo verba, cognoſcere, & ſcire, eſſe ſynonima, quia in ſcientia non debẽt admitti vocabula talia: multò minus profectò admittenda erant æquiuoca. Alexãdri expoſitio

Alexander aliter intelligit: ſumit enim iſta pro principio cognitionis, vt primæ cauſę dicantur dignitates communes: prima principia, intermediæ propoſitiones: elementa verò proximæ premiſſę cõcluſioni: ſcientiæ enim per hæc procedunt.

Confutatio.

Hanc expoſitionem non recipit Simplicius propter æquiuocationem verborum. & merito: cũ enim in maiori accepta ſint principia rei, nõ oportuit in minori principia cognitionis mutare. Propterea dico cũ Simplicio, q̃ manet eadẽ ſignificatio vocabulorũ, ſed reſtricta, p illud, prima: prima enim principia dicuntur, quæcunq; cauſę cuiuſq; generis, ſed ſupremæ: & declarantur per primas cauſas, quæ ſignificant extrinſecas ſupremas & elementa primas, & ſupremas intrinſecas, vt ſit ſenſus: tunc ſcire exiſtimamus, cùm cauſas ſupremas, & immediatas nõ ſolùm intrinſecas, ſed etiam extrinſecas cognoſcimus. Hæc circa literam textus.

Tertia. Authoris expoſitio

An quilibet artifex demõſtret per quodlibet genus cauſæ.
Quæſt. III.

QVIA inter exponendum diximus, non omnẽ ſcientiã quodlibet genus cauſæ conſiderare, meritò dubitatur, an ita ſit, & primò videtur, quòd Metaphyſicus non conſideret efficientem cauſam: Metaphyſicus abſtrahit à motu, at efficiens cauſa importat motum, non ergo pertinet ad Metaphyſicũ: maior eſt certa: minor probatur ex definitione: efficiens enim eſt, vnde primò incipit motus. Rõnes in cõtrarium 1

Secundò videtur, quòd conſideret materiam, materia eſt pars quædam entis, vt notum eſt, ergo pertinet ad Metaphyſicum: præſertim cũ in 8. & 11. libro multa dicantur de materia. Tertiò res Mathematicæ habent omnes quatuor cauſas, ergo Mathematicus vtitur quolibet genere cauſæ: antecedens eſt notum, nam res Męthematicæ ſunt formæ ſaltem habentes materiam intelligibilem, & cùm non ſint à ſe, neceſſariò habebunt cauſam extrinſecam. Quartò, ſunt, multæ concluſiones Phyſicæ, quæ non probantur, niſi per vnum, aut alterum genus cauſæ, vt notum eſt: ergo Phyſicus non ſemper cõſiderat quatuor genera cauſarum. Hæc ſunt argumenta, quæ in hac parte difficiliora videntur. Circa hoc primum dicamus, quid ſenſerit Philoſophi antiquiores circa Metaphyſicã: Auerroes cenſet, ipſam ſolã vti fine, forma, & efficiẽti, ſed non materia: id ipſum Albertus. Alexander verò formam tantùm, & finem conſiderare aſſerit. Burleus dicit, duplicem eſſe Metaphyſicæ partem: alteram, quæ de intelligentijs tractat, & hæc materia non vtitur, benè tamen alijs tribus: alteram, quæ de cõmunibus alijs omnibus entibus, & hæc materiã conſiderat. 2 Opiniões circa Metaphyſicã 1 2 3 4

Hoc

Hoc aũt non recipit Paulus Venetus, sed quòd nullo modo materia vtatur.

Opiniões circa Mathematicam.

Circa Mathematicã verò Auerroes sola vti forma dicit, idem etiam Alexander. Hoc tamen reprehendit Simplicius: dicit enim etiam considerare materiam, nam in Musica numeri habent rationem materiæ, proportiones verò formæ.

1 2 3

Alij dicunt Mathematicam non vti causa vlla, sed procedere per quędã principia certissima, quæ nec causari, nec effectus verè dici possunt: vnde ipsius demõstrationes nec sunt, quia, nec, propter qd certissimæ tamen, & notissimæ sunt. Hoc dicit Hiphus: & videtur id concedere Paulus, licèt non omninò: id etiam dicit Buridanus in proœmio Methaphysi. & Procul. 1. elem. vbi dicit, demonstrationes Mathematicas procedere per signa quædam. Hæc sunt de opinionibus aliorum.

Primum fundamẽtum.

Pro huius autem determinatione sit primum fundamentum, tunc probamus per causam formalem, cùm medium demõstrationis est alicuius extremi forma, licèt accidat aliquando, quòd illa forma sit efficiens vnius extremi, v.g. probatur, viuentia à se moueri, quia animam habent, est quidem demonstratio per formã, quamuis anima sit effectiuum principium illius motus, est tamẽ viuentium forma: & hoc sæpè euenit, quoties per subiecti formam, & naturam demonstramus, quæ frequenter est causa effectiua proprietatum.

Nota.

Aduerte autem, quòd aliquando pro forma vtimur aliquibus rationibus intellectu distinctis, quæ dicuntur habere locum causarum formalium, licèt verè nõ sint causę, cùm sint idem realiter cum effectibus: dicuntur tamen causæ, quia dum intellectu separantur, sunt velut antecedẽtes alias rationes, sicut esse actum independentem in esse, est causa, quòd anima rationalis sit immortalis, quamuis secundùm rem hæc duo idem sint cum ipsa anima: & hoc demonstrationum genere demonstramus de Deo, & de simplicibus rebus aliqua, quo frequenter vtitur Metaphysicus, & ad genus causæ formalis reduci debet.

Secundũ fundamẽtum.

Sit secundum fundamentum, in quo oportet explicare duplicem materiam, nempe sensibilem, & intelligibilem, quid sit harum vtraq;. S. Tho. enim, quẽ multi sequuntur, per materiam sensibilem intelligit substantiam inductam qualitatibus elemẽtaribus, calore, frigiditate, humiditate, siccitate, & ex his compositis: per materiam verò intelligibilem, intelligit substantiam sola quantitate conceptã, quã Mathematicus speculatur: hoc cõmuniter dici solet. At verò quantùm ad materiam intelligibilem, aliter mihi videtur dicendum, quòd quantitas sola sit materia intelligibilis. Attende autem, quòd Mathematicus non habet pro obiecto quantitatem, sed figuras, & formas, quæ in quantitate fiunt: vt enim faber ferrarius, non de ferro, sed de forma, quę in ferro fit, agit: ita & Geometra, non de quantitate, sed de figura in ea facta.

Ex quo sit, quòd multò aliter Physicus de quantitate tractet, & Mathematicus: Physicus enim de illa agit, vt est accidens quoddam corporis sensibilis: at Geometra de ea agit, vt materia, in qua figurę ab ipso consideratæ insistunt: ob id quantitas dicitur materia Mathematici.

At quia non accipit Geometra. l. Mathematicus hãc materiam, sicut est in rebus: non enim sic lineæ, & puncti, & superficies sunt, sicut Mathematicus sumit; sed prius per imaginationem. l. intellectum illas separat, & sic abstrahit, ac in sic abstractis figuras considerat: dicitur materia intelligibilis, quamuis (vt mihi videtur probabile) crediderim, has quantitates, materiã dici intelligibilem. Hanc sentẽtiam de materia intelligibili docuit Albertus in cap. 1. Physicę, & est valdè notanda. Materia igitur Mathematica est quãtitas sic intellectu percepta, sicut materia Physica sunt accidentia sensibilia, in quibus res Physicæ sunt, vt à Physico considerantur.

Tertium fundamẽtum.

Sit tertium fundamentum: quemadmodum Physicus materiam suam considerans, probat per eam aliquas ꝓprietates ex ipsa proueniẽtes rebus, quarum est materia: ita Mathematicꝰ probat etiã ꝑ suã intelligibilẽ materiã aliqua, quę ab ipsa figuris insunt: & hoc profectò est certissimum: nã ꝙ figura sit in duas partes ęquales diuisibilis à Mathematico, probatur, & non nisi per quantitatem ipsam.

His

Prima cõclusio.

His suppositis, sit prior conclusio. Metaphysica non probat per efficientẽ causam; probat tamen per agentem: est enim differẽtia inter efficiens, & agens: nã efficiens dicitur id, quod motu agit, agẽs verò, quod sine motu, sed actione solũ immanenti: Physici est considerare causas efficientes, at Metaphysici agentes: vnde Metaphysicus considerat causam primã, vt disponentem, vt gubernãtem omnia, & vt ab ea omne deriuatur esse, sed non vt mouentem, & producentẽ cuncta motu cælorum: hoc enim Physici est: vnde S. Tho. in præsenti dicit, Metaphysicum considerare causas finales, formales, & agentes.

2. conclusio.

Secunda cõclusio. Mathematicus frequẽtius per formam procedit, id est, probando passiones, per ipsarum formas. l. subiectorum: præcipuè enim figuras cõsiderat, & per ipsas probat: aliquãdo etiam per materiam suam aliqua demonstrat, vt diximus.

Rũsio ad argumenta.

Respondeamus ad argumẽta, in quorũ solutione, quæ supersunt, explicabuntur. Ad primũ solutio patet ex dictis: admittimus enim non considerare efficientes causas, considerat tamen agentes.

Ad primum.

Ad secundum.

Ad secundum respõdet Albertus, materiam considerari à Metaphysico tanquã entis partem, nempè, vt potẽtia est, & secundũ aliquot attributa, sed non vt causa est, & per ipsam probet. At contra hoc est argumentum, nam ab Aristotele consideratur 12. Meta. cap. 4. vt omnium rerum prędicamẽtalium principium. Docet enim eadem esse entium principia, quorũ vnum est materia: ergò poterit demonstrare per ipsam, tanquam per principium, aliquid de ipso ente in decem prædicamenta diuiso: & ita mihi videtur, salua pace Alberti. Vnde dico, quòd Physicus probabit per materiam, vt motui subijcitur, sed non ita Metaphysicus, nisi in quantum est principium ipsius esse.

Ad tertium.

Ad tertium negari non potest, res Mathematicas habere quatuor cãs, sed non vt Mathematicæ sunt, quia Mathematicus considerat suas figuras in facto esse, & non secundũ quod fiunt, aut fieri possunt, ob id abstrahit ab efficiente, & fine, nam si productionem illarum non contemplatur, nec efficientem, nec finem opus erit speculari: hæ enim causæ ad productionem, & actionem rerum cõuenire solent: quòd si materiam considerat intelligibilem, hoc non vt alicuius mutationis principium est, sed vt in tali materia formæ illæ sustentantur.

Ad quartum.

Ad quartum respondetur, quòd Physicus à toto genere vtitur quatuor generibus causarum, quamuis non per quatuor has causas singulę cõclusiones Physicæ probentur: aliquando enim id fieri potest, sed non est opus, sat est quasdam per hanc, quasdam per illã causam Physicus probet.

An ad rei perfectam cognitionem opus sit omnes eius causas cognoscere. Quæst. IIII.

Rõnes in cõtrariũ.

VTILE est, hoc examinare, vt intelligamus propositionem textus scientiam esse per principia, causas, & elementa: & quod non sit opus ad scientiam perfectam omnes cognoscere causas: probatur primò: definitio explicat rem, at definitio conficitur sufficienter ex materia, & forma, vt dicitur. 8. Metaphy. cap. 3. ergò ad perfectam rei cognitionem, nõ erit opus, omnes causas cognoscere. 1

Secundò, demõstratio facit perfectã rei scientiã: at demõstratio per vnicũ genus causæ procedere potest, vt notũ est: non ergo omnes causæ cognoscendæ sunt. 2

Tertiò, si res nõ cognosceretur perfectè, nisi omnibus ipsius cognitis causis, sequeretur, quòd nulla scientia perfectè faceret cognoscere rem, quia non tradit quæliber scientia omnes sui subiecti causas, vsque ad vltimam. 3

Prima opinio. Nota.

Circa hanc quæstionem Paulus Venetus, quem communiter multi sequũtur, distinguit duplicem esse cognitionem, simplicem, & complexam. Simplicem, qua res simplici notitia. l. definitiua cognoscitur: complexam, qua res per propositionem cognoscitur: vtraque dupliciter dici potest perfecta simpliciter, & secundum genus: illa dicitur simplex cognitio simpliciter perfecta, qua res secundum eos omnes conceptus cognoscitur, qui de re formari possunt essentialiter, vt quòd est homo, quòd est animal,

C quòd

quòd corpus, quòd substantia, quòd constat materia, & forma, & similia: illa simplex dicitur secundum genus, qua res simplex secundum aliquem gradum cognoscitur, nempè, vt homo, aut vt animal: similiter complexa simpliciter perfecta est, cùm omnia prædicamus de re, quæ ei competunt: siue essentialia, siue accidentalia: secundum genus verò, cùm cognoscitur res secundum aliquod prædicatum, puta homo, quòd est risibilis, aut discursiuus.

1 Respondetur igitur primò: ad simplicē rei notitiā simpliciter perfectam oportet cognoscere omnes causas per se rei tā intrinsecas, quàm extrinsecas rei.

2 Dicit secundò: ad cognitionē simplicem perfectā secundū genus, sufficit cognoscere definitionem rei essentialem.

3 Dicit tertiò, ad cognitionem completam perfectam simpliciter, omnia ipsius prædicata essentialia, accidentalia, causas per se, per accidens, vltimas, propinquas, & partes oportet cognoscere.

4 Dicit quartò: ad complexam perfectā secundum genus, id est, ad aliquā vnam propositionem de re sufficit cognoscere omnes causas vnius generis, aut efficientes: aut alias quasuis à proxima vsque ad primam, & immediatā, sic enim est perfecta demonstratio.

2. Opinio. Hæc sententia, & opinio Pauli Veneti est communis, & vera: tamen nō videtur mihi adeò necessaria illa distinctio notitiæ perfectę in simpliciter, & secundū genus. nā absolutè cōcedenda est notitia rei perfecta, quæ in scientia quauis traditur: & res dicenda est perfectè cognosci, cùm omnia ea cognoscuntur, quæ de illa re in scientia, ad quam spectat, traduntur: perfectè enim cognoscitur equus, cùm omnia, quæ Physicus de ipso dicit, percepta sunt, quòd si de illa generali rei cognitione loquamur, vt loquitur Paulus, non dubium est rem cognosci perfectè, cùm omnia, quæ ad ipsam vtcunque spectant, cognoscuntur: & tunc non per vnam scientiam contingit rem vnam perfectè cognoscere, sed per varias: vt homo secundum naturæ partes, & passiones à Physico cognoscitur: secundum quòd ens, substantia, & ea, quæ ab his procedunt, à Metaphysico: secundum virtutes, & actus humanos, à Morali: secundum quantitatum dimensiones à Mathematico, ita, vt omnes scientiæ simul perfectam rei, & vniuersalem cognitionem faciant, non tamen quælibet per se, vt dicit Iandu. q. 3.

Vndè nihil differimus à Paulo, nisi in hoc, quod cognitio, quæ de aliqua re per vnam scientiam habetur, absque addito, vocetur perfecta.

Ad argumenta vna est respōsio, quòd illa probant scientiæ perfectionem, quæ est secundum singulas scientias, & modos sciendi, sed non vniuersalem hanc, de qua loquimur. Solutio argumentorum.

Dices, de qua loquebatur Aristoteles in sua maiori? Dico, de perfectiōe cuiuslibet scientiæ totalis, non huius. l. illius demonstrationis, sed totius habitus specifici: & in hoc habitu, prius ordine doctrinę proceditur à supremis causis illius scientiæ vsque ad proximas, qui modus est compositiuus. At in singulis scientiæ demonstrationibus à causis proximis vsq; ad supremas resoluendo procedimus: ob id. 8. Metaphy. cap. 4. de tali modo procedendi, dixit Aristoteles, quòd prius est danda causa proxima, & particularis. At in præsenti de ordine totius scientiæ à primis dicit esse incipiendum.

Innata autem est ex notioribus. Tex. II.

Primą expō S. Thomę, & Philoponi.

SAnctus Thomas hos quatuor sequētes textus de ordine procedendi circa principia interpretatur, quod idē dicit Philopo. quamuis varius, & incertus satis in hoc. Secundum igitur hos doctores sensus Aristotelis est, postquam dixit esse à principijs incipiendum, constituit, qualiter à principijs oportet incipere, ac dicit, ab vniuersalioribus, & confusis incipiendum esse principijs, vsque ad particularia.

Quod sic probat: à notioribus nobis est secundum naturalem viam incipiendum: at vniuersaliora sunt nobis notiora singularibus, id est, minus vniuersalibus, ergo ab his est incipiendum. 3

Minorem probat triplici exemplo: primùm à toto sensibili, totum enim integrale notius est sensui, quàm suæ partes: at vniuersaliora sunt sicut totum quod-

Tex. II.

Innata autem est ex notioribus nobis & manifestioribus via ad manifestiora natura & notiora. non. n. sunt eadem & nobis nota & simpliciter. quæ propter nutrit est ad hunc modum procedere ex immanifestioribus natura quidem. nobis autem manifestioribus ad manifestiora natura, & notiora. sunt autem primum nobis illucida ac manifesta confusa magis. postrius autem ex his nota sunt elementa & principia ipsi qui diuidunt ipsa. Quapropter ex vniuersalibus ad singularia oportet.

dam, quia multa, vt partes, continent: ergo sunt nobis notiora.

2 Secundò, à toto definibili: notius enim est nobis definitū homo, quàm suæ partes, animal, rationale: at vniuersaliora sunt, vt totum quoddam.

Dubium. Dices, quomodo homo, & definitum dicitur notius partibus, cùm partes sint vniuersaliores, nempè genera & differētiæ, quæ dicuntur notiora? Respōdetur, posse hæc dupliciter cōsiderari, & vt partes constituentes sunt, & sic minus notæ dicuntur. l. vt tota quædam vniuersalia sunt, & sic notiora sunt.

3 Tertium exemplum l. signum à pueris, quibus vniuersalia sunt notiora: primò enim vocant omnes viros patres, & omnes fœminas matres. ita exponunt S. Tho. & Philop.

Discrimē inter. D. Thomā, & Philoponum. Quamuis in vno differāt. S. Tho. enim per vniuersalia, & confusa, intelligit vniuersalia in prædicando, vt sunt genera: at Philop. id reijcit, dicens, ista esse obscura, & pueris (quorū exemplum Arist. ponit) ignota: sed per confusa, & vniuersalia intelligit Philo. indiuidua vaga, vt aliquod ens, aliquod corpus, aliquod viuens: hæc enim sunt notiora: differunt autem ab ipsis vniuersalibus, nā vniuersalia naturas quasdam cōes immediatè significāt, vt animal ipsum animal. At vaga ista ipsa singularia indiuidua significant, confusè tamen, & indistinctè, vt aliquis homo hunc. l. illum confusè significat: ita Sanctus Thomas, & Philop.

Secunda expō Simplicij, &c. At Simplicius, Themist. Theophrast. & Auerro. volunt, vt hic Aristoteles velit Methodū, & instrumentum indagādi principia assignare: nam cùm dixisset à principijs esse incipiendum, posset meritò dubitari (cū principia nō habeāt principia, per quæ probentur) quę Methodus erit indagandi principia? & hāc tradit in præsenti textu, nempè à signo, & à posteriori, qui modus est à notioribus nobis.

Sunt autem primùm nobis dilucida. Tex. III.

AT quia posset quis dicere, quæ sūt ista nobis notiora: respondet, esse cōfusa magis. Per confusa autem omnes hi intelligunt composita sensibilia, per quæ principia ostenduntur: nam ipse Aristo. per generationem, & mutationes sensibilium compositorum indagat statim materiam, & formam, & per effectus ipsorum causæ indagari solent: atque ista expositio mihi placet.

Literam considera, innata, id est, naturalis, nō arte, ac doctrina acquisita. Est enim modus cognoscendi noster, quem nullo magistro, habemus, à nobis notioribus ad nota natura procedere. Singulorum verborū expō. tex. 2. & 3.

Via, id est, modus, methodus, ac demonstratio, secundum quam ignota nobis quærimus.

Natura, non hic naturam sumit, sicut in præcedenti textu, cùm dixit scientiam de natura: illic enim pro re naturali sumpsit habenti in se principium motus, hic autem pro ipsa rei substantia, vt id dicatur notum natura, quod secundū se cognoscibile est, & notius natura, quod secundum se cognoscibilius est, quamuis nobis non sit ita notum: & hoc notum natura vocat etiam notum simpliciter: dicit enim, non esse eadem nota nobis, & nota natura, id est, simpliciter: hoc autē postea examinabitur.

Confusa. S. Tho. vt diximus, intelligit vniuersalia in prædicando. Philop. singularia vaga. Alexan. dignitates vniuersalissimas. Alij, vt refert Simplicius, quæstiones communes, vt in sequenti capite proponuntur: nēpè, an principia sint plura. l. vnum, & similia. Simplicius verò, & Themist. & reliqui, quos suprà diximus, composita sensibilia.

Qui diuidunt hæc, id est, diuidentibus cōfusa, & composita sunt nota ipsa principia: per diuisionem intellige resolutionem effectus in causam, & compositi in sua componentia: tali enim resolutione nota fiunt principia.

Quaproprer ex vniuersalibus ad singularia. Tex. IIII.

Prima expositio.

QVamuis in textibus duobus præcedentibus, omnes illi conuenerint, tamen in hoc quarto, & quinto variant: vult enim Simplicius, vt adhuc in his fiat sermo de via demonstrandi, & inferat, quòd ex vniuersalib. ad singularia sit procedēdum, quia illa sunt nobis notiora, vt ostendit triplici signo superius explicato.

Per vniuersalia autem intelligit, secũdum simplicium, idem, quod per confusa, nempè ipsa composita, quippè in compósito multa comprehendantur.

Per singularia verò ipsas causas, quia sicut singularia indiuidua à se habent esse, ita & causæ: atque videtur ista cõmoda expositio.

2.Expõ. At verò Themist. & Theophra. volũt, vt aliud fiat in his duobus textibus, nam cùm intentio sit proposita in primo, & modus demonstrandi in secundo, & tertio; nũc in quarto, & quinto proponitur ordo doctrinæ: cùm enim iã via indagandi principia sit posita, superest, vt tradatur, à quibus principijs sit incipiendum.

Et dicit, ab vniuersalibus ad singularia, id est, à principijs communibus vsq; ad proxima, vbi per vniuersalia principia cõmunia, per singularia proxima oportet intelligere. Quòd autem ab vniuersalibus sit incipiendum, probat, quia nobis sunt notiora.

Ac sic cõtinuari debet iste textus cum præcedenti: cùm enim illic viam doctrinæ, & demonstrandi à notioribus nobis esse docuisset, ac ob id à confusis. Dicit etiam in ordine doctrinæ ab vniuersalibus incipiendum, quia etiã hæc sunt notiora nobis, vbi aliud per vniuersalia, aliud per confusa intelligi vides. Atq; hęc expositio sine dubio est admodum conueniens, quamuis & reliquæ sint probabiles, & bonæ.

Posteà explicatur triplici signo, vniuersalia esse notiora nobis: primum est ex toto sensibili, quod suis partibus notius est: causæ autem vniuersales sunt vt totum quoddam, ac multa, vt partes, includunt, quæ sunt causæ inferiores, & ipsa proxima principia.

Patiuntur & hoc quidem.

Tex. V.

A Lijs duobus signis explicat, vniuersalia nobis notiora, quæ superius explicauimus.

Solùm est hic aduertendũ, pueros vocare omnes viros patres, potius phantasia, quàm vsu intellectus: non enim illud est vniuersale, sed vagũ singulare, quamuis Auerroes videatur dicere, hoc esse per intellectum, sed non ita est dicendũ.

An vniuersalia sint nobis notiora singularibus? Quæst. V.

De quibus agendũ.

NON minus difficilis, quàm cõmunis in hoc loco se nobis offert difficultas de primo cognito: explicandus erit primò quęstionis titulus, & punctum difficultatis ostendendum: posteà quid viri doctissimi senserint, proponemus: ac tandem quid in hoc sentiendum sit, vt probabilius visum fuerit, determinabimus.

Tituli quinis explicatio.

Aduerte igitur, quòd non hic quæritur, quod sit obiectum intellectus: hoc enim, secundum omnium sententiam, est ens, quod significat actum: vt enim visus in colorem, auditus in sonum, vt in propria obiecta ferũtur; ita intellectus in id, quod est, sed qũo est, cùm multi sint entium gradus, quidam communes, quidã minus communes: petitur, qui sint primò ab intellectu nostro cogniti, an communes, an minus communes.

Nota primo.

Nota secundo.

Aduerte pręterea: vniuersale sumi, aut pro vniuersali in causando, aut pro vniuersali in prædicando: vniuersale in causando est causa, quæ plures effectus differentes specie producit, concurrẽdo cum causis particularibus, vt Deus, intelligẽtiæ, & cæli: & talia sunt difficillima cognitu, nec de his est sermo. Vniuersale in prædicando est id, quod de multis prædicatur, vt species, genera.

Et adhuc ista dupliciter sumuntur, aut pro secunda intentione, quæ dicuntur vniuersalia Logica, nec sic de istis est sermo: aut pro prima intentione, nẽpè pro ipsa natura, quæ dicitur genus, aut species, vt, homo, animal, viuẽs, & de his est sermo, quæ vniuersalia dicuntur in re, Logica post rem, in causando verò ante rem, quomodo loquitur Philop. hic & Albertus. Dubium igitur est de vniuersali in re: an primò cognoscatur à nobis animal, quàm homo, & communius, quàm particularius.

Nota tertiò.

Aduerte præterea, notitiam esse duplicem; alteram quidem confusam: alterã distinctam: confusa dicitur cognitio totius, non cognitis ipsis partibus, vt qui hominem cognoscere per aliquod accidens, non per partes naturę ipsius, haberet cognitionem confusam. Distincta verò est

verò est cognitio totius per suas partes, vt qui hominem cognosceret per animal rationale, aut per rationalem animam, & corpus, distinctè cognosceret.

Confusa autem duplex est, secundum quod duplex est totum, est enim totum actuale, & totum potentiale: totum actuale est res respectu partium essentialium, materiæ, & formæ. l. generis, & differentiæ: totum potentiale est superius respectu inferiorum, quæ dicuntur partes potentiales, illæ verò actuales: est ergò confusa actualis, cùm totum aliquod nõ per suas essentiales partes cognoscitur, & huic correspondet sua distincta actualis, cùm totum per suas essentiæ partes cognoscitur: est etiam confusa potentialis, cùm vniuersale non per sua inferiora cognoscitur, cui respondet distincta potentialis, cùm vniuersale per sua inferiora cognoscitur.

Nota quartò.

Attende igitur, quòd non est quæstio, an ad distinctam actualẽ alicuius cognitionem, opus sit ab vniuersalioribus procedere, nam secundum omnes, cognosci non potest quidquam per definitionem, nisi pręcognoscendo vniuersaliora genera, & ita a supremo illius rei incipere oportet. Nec est quæstio, an ad cognitionẽ distinctam potentialem alicuius superioris, incipiẽdum sit à particularibus; nam secundum omnes, distinctè nõ cognoscitur superius potẽtiali notitia, nisi per inferiora. Nec est quæstio similiter, an distincta notitia sit post confusam, nã compertum est, primas omnium notitias in nobis fuisse confusas actuales, quib⁹ res per accidẽtia sua, & proprietates, incepimus cognoscere, & de his est quæstio. An confusa actualis vniuersalioris sit prior, quàm particularis, & singularis, id est, ꝓposita re singulari sensui, Petro nẽpè, sub qua ratiõe prius ab intellectu fuit cognitus, an quòd Petrus, quòd homo, quòd animal, & quòd viuens, à singulari incipiendo, vel contrà, prius quòd viuens, & quòd magis vniuersale: sumimus autem hic singulare, & pro indiuiduo, & ꝓ minus vniuersali.

Opiniones.

Prima opinio.

Sic quæstione proposita, quatuor inter Latinos inuenio præcipuas opiniones: prima est Burlei & Buridanæ hoc loco, quẽ sequitur Gregorius. 1. Sent. dist. 3. q. 3. ar. 2. & Duran. 2. Sen. dist. 3. q. 7. Hi asserunt primùm, quòd intellectus cognoscit esse singulare ipsum indiuiduũ, quod primò obijcitur sensui, vt primum sensatum sit primum cognitum.

1.Ratio.

Ratiões huius opinionis hæ sunt præcipuæ: prima est Durandi: id quod ab intellectu primò percipitur, debet antecedere actum intellectus: at vniuersale non est ante actum intellectus, ergò nõ est id, q̃ primò percipitur, erit ergo singulare.

2.Ratio.

Secunda ratio est Gregorij: vniuersale fit per abstractionem à singularib⁹, in quantum intellectus percipit similitudinem illorum, ergò intellectus primò cognoscit ipsa singularia.

3.Ratio.

Tertia ratio est Burlei. Nullus potest imponere nomina rebus, nisi cognoscat ipsas: at intellectus imponit nomina singularibus, vt patet, ergo cognoscit ipsa.

4. Ratio.

Quartò. Sensus non discurrit, at sunt discursus singulares, vt patet in syllogismis expositorijs, erit ergo id munus intellectus, ergo cognoscit singularia, & cùm sint, quæ primò occurrunt; erũt primò cognita.

5. Ratio.

Quintò. Ens est obiectum intellectus, ergo quò magis ens, magis percipietur ab intellectu; at singulare est magis ens, cũ includat vniuersalia, & amplius. 5. conditiones indiuiduantes, ergo magis est intellectum. Hæc pro hac opinione.

2.opinio.

Est secunda sententia, quæ adscribitur Scoto. 1. Sẽ. dist. 3. q. 2. Supponit, intellectum primò vniuersalia cognoscere, ac dicit, minus vniuersalia esse nobis notiora magis vniuersalibus: vnde primò species est cognita, posteà genus.

Prima ratio.

Huius sententiæ est primum argumẽtum discipulorum eius. Vniuersale est perceptum à similitudine reperta in singularibus: sed maior similitudo est inter indiuidua eiusdem speciei; ergo illorum vniuersale erit primò cognitum.

2. Ratio.

Secundò, Vniuersaliora pertinent ad posteriores scientias, vt ens ad Metaphysicam, ergo sunt ipsa vltimò cognita.

3.Ratio.

Tertiò. Causæ naturales non impeditæ producunt effectum perfectissimum, quem possunt. Sed phantasma singulare oblatũ intellectui, est causa naturalis ad producendum speciem, & cognitionem. ergo producet perfectissimam speciem, quam

quam poterit, nempè speciei ipsius, non autem generis primò.

3. opinio Tertia sententia est S. Thom. 1. p. q. 85. ar. 3. & cap. 1. opusc. de ente, & aliorum: hęc enim fundatur in duplici conclusione. Prior est. Ens est primo cognitum ab intellectu nostro.

Prima cõclusio. Vbi aduerte: ens dupliciter posse sumi: vno modo, vt commune decem prædicamentis significans immediatè ipsa decem rerum genera, & sic non sumitur in præsenti. Altero modo, vt significat immediatè quamcunq; rem, siue singularem, siue nõ, & adhuc dupliciter, aut trãscẽdenter, vt se extendit ad quamcunq; rem cuiusq; modi: aut vt se extẽdit ad res sensibiles, & sensibus subiectas & tale ens est obiectũ intellectus pro isto statu, quo sensibus est alligatus: & hoc vocatur à quibusdam ens cõcretum quidditati sensibili: & tale est, quod secundum S. Tho. primò occurrit intellectui nostro.

Nota.

Secunda conclusio Posterior conclusio. Quò vniuersaliora sunt, & propinquiora enti, sunt nobis notiora: vndè primò genus, vltimò species vltima cognoscitur.

1. Ratio. Ratio huius sentẽtię prima est: id, quod est in pura potẽtia nõ peruenit ad vltimũ actũ, nisi per actus intermedios, sicut materia prima nõ puenit ad formã perfectã speciei, nisi per intermedias. Embrio enim prius viuit vitam plantæ, postea vitam animalis, tandem vitam hominis, vt dicitur 2. de gene. anima. cap. 3. at intellectus in ratione cognitionis est in pura potentia, ergo non peruenit ad actum speciei cognoscendæ, qui est perfectissimus, nisi per actus superiorum generum: sunt ergò prius cognita vniuersaliora.

2. Ratio. Secundò. illud vniuersale prius cognoscitur ab intellectu, cuius singulare prius mouet sensum: at singulare vniuersalioris prius mouet sensum, vt hoc ens, quàm hoc corpus: & hoc corpus, quàm hoc animal prius videtur, vt patet in visis à lõge: ergò similiter erit in intellectu.

3. Ratio. Tertiò. Quæq; potentia primò percipit suum obiectum: at obiectum intellectus est ens, ergò primò erit ab intellectu cognitum. Hæc pro S. Thomæ.

4. opinio. Quarta sententia est quorundam Modernorum, qui non esse semper vnum ordinem dicunt. l. ab vniuersalioribus. l. à particularioribus, sed ab his, quorum accidentia magis sentiuntur: vndè aliquãdo vniuersaliora sunt priora, vt viuens animal, quàm equus: aliquando posteriora, nam vt dicitur. 7. Meta. ca. 8. Equus, & asinus habent vnũ cõmune genus præter animal, sed id est incognitum. Hæ sunt præcipuæ Latinorum sententiæ.

Auicennæ opinio. Inter Arabes verò, Auicenna. 1. Meta. ca. 6. ens & rem dicit esse primò impressa in anima; vndè colligitur, vniuersaliora esse primò cognita.

Aliquorũ Græcorũ opiniões. Inter Græcos non video hanc quæstionem agitatam: videntur tamen omnes dicere, vniuersalia cognosci p abstractionẽ ab inferioribus, vndè inferiora prius sunt cognita, vt patet apud Ammon. in præfatione Porphyrij, & Themist. 2. Poste. cap. 30. & 36. & Philop. in præsenti, & 1. Poste. cap. 83. at talis cognitio est distincta potentialis, de qua non est controuersia, quin ab inferioribus incipiat.

Primũ fũdamentũ. Sic igitur pro determinatione primò aduertẽdum, duplex est vniuersale, & incomplexum, quale est commune prædicatum, & complexum, qualis est vniuersalis propositio: & sicut illa duplex notitia confusa, & duplex distincta fuit superius data pro incomplexo: ita etiã potest dari pro complexo: tũc enim distinctè actualiter cognoscitur propositio, cùm per suam causam, cognoscitur: tunc confusè, cùm à posteriori. Similiter distinctè potẽtialiter cognoscitur, cùm per inductionem suorum inferiorũ cognoscitur: tũc cõfusè potentialiter, cùm sine inferioribus. At cùm incõplexa notitia sit in nobis prior, quàm complexa, ac de primo cognito absolutè sit sermo, de incomplexo vniuersali hic disputatur.

Secundũ fundamentũ. Aduertendum est secundò: quòd intellectus nostri duplex potest status cõsiderari: alter naturalis cùm priuatus est omni scientia, & primò per sensum incipit intelligere: alter est perfectus, cùm iã sibi scientiam, & cognitionem comparauit vniuersalium. Nos non loquimur de statu posteriori: quia cùm quis iam sciẽtias habet vniuersalium, potest pro arbitrio in singularibus genus. l. speciem primò aduertere: loquimur autem de primo statu, & quęritur, vtrum primò sit cognitum vniuersalis, an minus vniuersale, quod

quod alij dicunt sub his verbis, via originis, vtrum sit primò intellectum à nobis inter vniuersalia: & sic est determinanda præsens disputatio.

Tertiũ fũdamentũ. Aduertendum est tertiò, cùm intellectus non intelligat, nisi sensu ministrante phantasmata sensibilia, illud primò intellectum erit, cuius phãtasmata magis sensata sunt, id est, cuius accidentia sensus magis mouent. Sed difficultas est ad huc: quæ accidentia magis sensum moueant, generis, vt animalis accidẽtia, an speciei, id est, hominis: in hoc enim est tota controuersia: nam cùm accidentia illius vniuersalis nõ substant sensibus, erit minus notum sine dubio.

Vndè illa quarta sententia Modernorum nihil dicit contra Scotũ, nec cõtra S. Thom. qui nõ negãt, aliqua vniuersaliora, & aliqua particularioria esse minus nota, si a sensibus eorum accidentia distãt.

Prima cõclusio. Pro horum determinatione sit prima conclusio. Singulare sensibile sub ratione singularis sensibilis secundum Aristo. viam, nõ est primò intellectum: dico singulare sensibile, seu materiale, nã singulare nõ repugnat ab intellectu cognosci, si immateriale sit: at singulare materiale non est primò intelligibile. Dicitur sub ratione singularis sensibilis, quia potest quidem singulare sub aliqua vaga ratione comprehendi ab intellectu, vt quòd sit indiuiduum, quòd sit sub specie, quòd sit aliquis homo: at quod sub ea ratione, qua à sensu percipitur, sit primò intellectum, hoc dicimus esse contra Aristotelẽ expresse primo Phys. tex. 49. vbi singularia tantùm dat sensibus primo, vniuersalia intellectui: & 5. Meta. cap. 11 dicit vniuersalia priora secundũ intellectum, singularia priora secundum sensum: & 3. animæ tex 52. intellectum, & sensum separat, eò, quod vnus singulare, alter vniuersale percipiat.

Ratio autem contra Gregorium hæc est. Nullum purum materiale agit in immateriale: at singulare sensibile est purũ materiale, intellectus verò immaterialis, non ergò per se primò potest agere in intellectum, nec sui speciem imprimere.

Ad argumentum Nec opposita argumenta quicquam valent. Ad primum Durandi pro prima opinione respõdetur, quòd vniuersale sit per intellectum agentem, abstrahentem species vniuersaliũ à phãtasmatibus, quæ abstractę repręsentant intellectui possibili vniuersalia, ac ipse primò intelligit illa: non enim intellectus agens est, qui intelligit, sed possibilis, ante cuius actũ precedũt vniuersalia. Sed argumentũ Durãdi procedit ex hoc, quòd negat intellectũ agentem contra Arist. & quamuis hoc ei concederemus, ad huc nihil concludit argumentum, nam in ipsis phãtasmatibus sunt inclusæ naturæ vniuersales, sicut in Petro est homo, animal, & reliqua: & istæ primò mouerent intellectum possibilem, sicut albedo primò mouet visum, & non frigiditas, quæ est cum albedine in niue, quæ videtur.

primæ opinionis. Ad primũ

Ad secũdum. Ad secundum Gregorij dico, quòd vniuersale colligitur quidem ex ipsis singularibus, sed nõ intellectu cognitis, sed sensu, vt enim in inductione singularia sensu, vniuersalis propositio intellectu colligitur, ita in simplici cognitione vniuersalis: & hoc est expressum dictũ Themistij 2. Poste. cap. 35. & 36. & Philoponi in præsenti: vbi clarè dicunt, sensu occupato circa singularia, intellectum vniuersalia ex eis colligere: nec hoc est mirum, cùm enim sit vna anima, & vnum subiectum, quod cognoscit, potest quidem per vnam potentiam vnum, per aliam aliud, & per omnes aliqua simul cognoscere.

Ad tertiũ & quartũ. Et per hoc respondetur ad tertium & quartum argumentum, nam anima cognoscit singularia sensu, vniuersalia intellectu: & per vtramq; potentiam simul operatur, & coniungit vniuersalia singularibus ipsis.

Ad quintum. Ad vltimum dico, ens esse obiectum intellectus sed in vniuersali intelligi: vndè singularia sunt quidem entia, sed in singulari non sunt intelligibilia, quia deest eis conditio, nempè abstractio. Sicut color est quidem obiectum visus, at non videtur sic color, sed in suis indiuiduis, quia sentire est singularium: ita per oppositum in intellectu, qui respicit vniuersalia.

Secũda cõclusio. Secunda conclusio. Non fit vniuersale in anima, nisi ex collatione indiuiduorum inter se, percepta enim multorum conuenientia, & ipsorum differẽtia, colligit intellectus vniuersale.

Hæc

Hęc est expressa sententia Auerrois.12. Meta.com.4.vbi dicit, quòd intellectus ex consimilitudine multorum facit vnã intentionem,& id est vniuersale.

2 Et Aristoteles.1.Meta.cap.1. vbi dicit, vniuersale fit, cùm ex multis consimilibus vna communis ratio fiat: nam licet hic textus sit de vniuersali ipso complexo, eadem est ratio in vniuersali in complexo.

3 Idem etiam ex Themistio.2. Poste.ca. 35.& est sentẽtia aliorum ferè Grękorum. Ex quo patet, quod nullus potest habere vniuersalis notitiam confusam actualem per inuentionem, nisi habeat simul aliquam ipsius distinctam potentialẽ,nempè per ea indiuidua,ex quorum consimilitudine vniuersale abstractum est.

Tertia cõclusio. Tertia conclusio.Inter vniuersalia cõceptus specificus est primò cognitum ab intellectu nostro. Dico inter vniuersalia, quia forsan primò cognitum est via originis vagum singulare, vt dicit Philoponus: sed hoc nõ disputatur modò,sed inter vniuersalia. Per conceptum specificũ non intelligo conceptum speciei specialissimæ cum Scoto, sed cõceptũ quẽcunque abstractum ab indiuiduis immediatè,siue sit species,siue genus,vt concept⁹ viuentis abstractus ab his: & illis indiuiduis dicitur specificus. Similiter conceptus corporis,& aliorum superiorum.

1 Hæc conclusio est certissima: & probatur: vniuersale non fit nisi per abstractionem ab inferioribus via originis: sed prima omniũ inferiora sunt indiuidua, ergo prima abstractio fit ab illis,siue sint eiusdem speciei,siue diuersæ: & talis conceptus dicitur specificus.

2 Præterea conceptus genericus fit per abstractionem à speciebus:ergo præcedit specierum abstractio: ergo non potest illud esse primum vniuersale.

Nota. Caue ne decipiaris:non enim est idem conceptus specificus, & conceptus speciei,nã cõceptus specificus est, qui abstrahitur ab indiuiduis immediatè apprehẽsis, vt similib. & eiusdẽ rationis, nõ percepta differentia illorum,quamuis illud, quod abstrahitur, sit genus, & talẽ dicimus esse primò cognitum. At cùm hi cõceptus specifici,quidam sint vniuersaliores,quidam minus vniuersales, quidam specialissimi, vt quando indiuidua formantur sub ratione entis.l.corporis.l.viuentis,l.hominis: dubium adhuc est, qui specifici sint primò cogniti, an communiores,an minus cõmunes: nam in præcedenti conclusione non est discordia.

Quarta cõclusio. Quarta conclusio.In sensibilium perfecta applicatione primus conceptus est speciei specialissimæ:duplex est enim sensibilium applicatio sensibus; perfecta, & imperfecta:perfecta dicitur,cùm sic indiuidua sensibus admota sunt, vt omnia accidentia eorum sensibilia sentiri possint: imperfecta verò, cùm non omnia eorum accidentia sensibilia distingui valent,vt cùm latent, aut remota sunt;conclusio autem procedit de perfecta indiuiduorum applicatione.

1 Et probatur: vniuersale fit ex cõsimilitudine indiuiduorum percepta,ergo illud erit primum, cuius vehementior similitudo sensibus occurrit, talis aũt est inter indiuidua eiusdẽ speciei specialissimę,cùm perfectè applicata sunt,erit ergo primũ vniuersale speciei specialissimæ.

Secunda pars conclusionis. Addenda autem est altera pars cõclusionis: in imperfecta aũt applicatiõe primò occurrit conceptus specificus superior,& quò magis imperfecta,magis superior,quia indiuidua diuersarum specierũ minus tunc distinguuntur,& vnius apparent rationis,cuius signum est,cùm varia indiuidua remota sunt, vnius proximæ rationis apparent.

Duo ordines notãtu digni. Vnde duo ordines sunt notandi: ab applicatione enim perfectissima incipiẽdo, primum vniuersale est species: à minus perfecta primum est genus proximũ, quia iam illa indiuidua minus discernũtur,postea in minus perfecta, est superior conceptus, vsque ad supremum, quia semper minus, & minus indiuidua distinguuntur: omnes tamen hi conceptus specifici dicũtur, quia ab indiuiduis semper vniformibus apparentibus colliguntur.

Alter ordo est, ab imperfectissima incipiendo applicatione, & primus est specificus supremus. Hæc omnia intellige in conceptibus sensibilibus: nihil enim prohibet esse conceptus intermedios occultos, quia ipsorum accidentia latent sensus.

Vnde

Nota. Vnde infertur vnum notandum, quòd ordo horum conceptuum actualiũ confusorũ nõ sit sumendus, nec ex parte intellectus, nec ex parte rerũ,sed ex parte applicationis indiuiduorũ ad sensum.

Quinta cõclusio. Quinta conclusio. In plurimum sunt istæ imperfectæ applicationes, quæ occurrunt, ac minus discernuntur indiuidua inter se, via originis:ob id vniuersalia dicuntur notiora nobis, & conceptus specificus vniuersalissimus primus: & hanc existimo esse mentem Sancti Thomæ, quãuis enim in vno, aut altero sit pfecta applicatio, frequẽter in reliquis nõ euenit,ob id simpliciter illud asseri potest.

Sexta cõclusio. Sexta. Abstractis vniuersalibus semel ex vno singulari postea vniuersalia indifferenter abstrahimus, & abstracta alijs nondum sensatis facilè applicamus, & facilius vniuersaliora ipsa,vt experientia ipsa monstrat.

Septima cõclusio. Septima. Quantum ad abstractionem distinctam potentialem,nempè cùm vniuersaliora non ab indiuiduis, sed à suis immediatis inferioribus abstrahuntur. Vniuersaliora sunt posteriora nobis, & hoc semper via originis.

1 Est enim ordo necessarius hic, vt primùm species ab indiuiduis, quàm genus à speciebus,& genus superius ab inferioribus abstrahatur.

Nota. Vndè resolutione, dico, actualis notitia distincta ab vniuersalioribus ad minus vniuersalia est: potentialis distincta perfecta à minus vniuersalibus ad vniuersaliora: Actualis verò confusa,quę est per abstractionem immediatè ab indiuiduis, via originis, ordinem habet ex perfecta applicatione, vel imperfecta,licet frequẽtius specifici vniuersaliores occurrant. Has conclusiones admodum obserua, quas puto verissimas,& maximè ad mentem Aristotelis, & optimorum eius interpretum.

Ad argumentum tertiæ opinionis. Ad primũ Ad argumenta igitur Sancti Thomæ, & Scoti respondere oportet. Ad primum igitur S. Tho. dicendum, quòd ordo in notitijs confusis,nec ex parte rerum, nec ex parte intellectus est sumendus, sed ex parte applicationis variæ indiuiduorum ad sensum, eò, quòd potentia intellectus est immediata ad omnes formas secundum se,non sicut materia, & omnes illi conceptus specifici ab indiuiduis sumuntur immediatè, propterea inter se ordinẽ non habent. Secus fit in notitia distincta actuali,& perfecta potentiali, tunc enim est ordo necessarius inter ipsa vniuersalia:in hac enim à particularibus, in illa ab vniuersaliorib.incipiẽdum ordinatè.

Ad secundum. Ad secundum facilè respondetur, illas esse notitias in applicatione imperfecta, & nos id concedimus: Hæ verò, vt plurimum occurrunt,tamen negamus, id esse ex natura intellectus, nec est ordo talis necessarius.

Nota. Et nota,quòd qui ab eo,quod remotè videt, format ens, corpus, animal, est, quia iam ipse prehabuit talia vniuersalia nam si nullum præhaberet, ex vno indiuiduo nullum primum vniuersale via originis,vt dictum est superius,fit.

Ad tertiũ Ad tertium, est magna æquiuocatio in argumento:dupliciter enim possumus intelligere, quòd potentia feratur in suũ obiectum primò: vno modo tanquàm in id,sub cuius ratione fertur in quodcunque: quomodo sensus visus in colorem primò fertur, quia eatenus videt album, nigrum, & reliqua, quia colores sunt, & sic vnaquæq; potẽtia fertur in suum obiectum: & intellectus nihil intelligit, ꝙ non sit ens: altero modo intelligi potest, quod feratur in suum obiectum primò abstractum,& tanquàm id, quod cognoscitur,vt si visus videret colorem solùm, & hoc non est in vllo sensu, intellectus est,qui sic potest ferri in ens ipsum, tamẽ id non est necessarium, vt primò faciat, & de hoc procedit argumentum, & maior est falsa.

Ad argumenta secundæ opinionis. Ad primũ & tertiũ. Ad argumenta Scoti respondetur. Ad primum,& tertium eadem est solutio, illa enim procedunt in applicatione perfecta indiuiduorum,& sic conceditur, primam esse speciem vltimam, sed negatur, quod id sit primò cognitum necessariũ, nam frequentius non sunt tales applicationes:conceptus aũt specificus est necessariò primò cognitum,licèt in plurimum accidat superior.

Ad secundum. Ad secundum respondent Thomistæ. Metaphysicã dici vltimã ordine doctrinę,nõ ꝙ ens sit vltimò cognitũ,sed quòd de intelligẽtijs tractet, quæ sunt difficillimæ: sed hoc nõ euacuat difficultatem,

quia cũ maxima pars Metaphysicæ sit in ente cõmuni istis, & minima de intelligẽtijs: non est dicenda vltima doctrina.

2. Solutio. S. Tho. 1. Metaphysi. lect. respondet, ꝙ quamuis ista vniuersalia sint confusa cognitione simplici notiora, tamẽ quantũ ad eorũ proprietates, & causas, quas sciẽtiæ considerant. sunt difficillima.

3. Solutio. Possemus etiã dicere, quòd vniuersalia abstracta ista sunt difficilia, vt diximꝰ, quia præsupponunt priorum abstractiones. Hæc de quæstione præsenti sint satis: ad sextã quæstionem iam accedamus.

An eadem sint nota nobis, & natura.

Quæstio. VI.

Argumenta in contrarium. HAec quæstio est ad examinanda magis verba capitis huius: & st primum argumentum. Hic onfusa, & composita dicuntur

Primum argumẽtũ notiora, sed lib. 2. de parti. ca. 1. composita dicuntur notiora suis partib. natura: & 9. Meta. ca. 9. quibus locis dicitur, posteriora generatione sunt priora natura, ergo eadem sunt nota nobis, & natura. l. est contradictio locorum.

Secundũ argm. Secundò, in Mathematicis causę sunt notiores nobis, vt dicit Auer. at causę semper sunt notiores natura, ergo eadem sunt, & nobis, & natura nota.

Tertium argm. Tertiò. Hic dicitur, vniuersalia esse nobis notiora singularibus: at. 1. Poster. ca. 2. vniuersalia dicũtur notiora natura singularib. ergo eadẽ sunt illa duo: & ꝑterea videtur ista duo loca repugnare ad ĩuicẽ.

Quartum argm. Quartò. Dicit Arist. se velle à notioribus nobis procedere, & tamen incipit à causis, quæ sunt notiores natura: ergo illa duo eadem sunt. l. contradictio videtur admittenda.

Primum fundamẽtum. Sit primum fundamentum, pro huius determinatione. Inter alias acceptiones natura dupliciter sumitur: vno modo, ꝑ substantia, & essentia cuiusq; rei, quo pacto dicitur definitio explicare naturã rei: altero modo, natura pro substantia, quæ est principiũ motus, & mutationis, vsurpatur; & vtroq; modo dicitur notum, seu prius natura, & quod secundum suum esse notum, & prius est, & quod secundum generationẽ. & motum prius est.

Nota. Ex quo tripliciter inuenimus apud Arist. aliquid dici prius natura, & notius: vno modo, quod est prius genere, id est, ꝙ fit primò quantum ad motum executionis, quo pacto. 6. Topi. ca. 3. elementa dictionib. & partes toto, & genera, ac differentiæ speciebus natura priora dicuntur. Altero modo dicitur prius natura, quod in generatione prius intenditur, sicut per oppositum composita, & tota partibus, & componentib. priora dicuntur, quia illa præcipuè intenduntur, sunt enim generationis, & constitutionis finis: & sic loquitur. 2. parti. & 9. Meta. allegatis. Tertiò dicitur prius natura, & notum, quòd plus habet entitatis, & actꝰ, qui est ratio, per quam res sunt intelligibiles: & sic. 2. Meta. ca. 1. vocat entia immaterialia manifestissima natura, qa maximà entia sũt.

Secundũ fundamẽtum. Sit secundum fundamentum. Dupliciter possumus intellectionem nostram considerare: vno modo quantum ad substantiã ipsius intellectionis: altero modo, quantum ad modum. Si substantiã ipsius spectes, est vndiq; immaterialis, nam eius subiectum proximum, & principium est immateriale, nẽpè sola anima, in qua recipitur intellectio. Si etiam id, per quod intellectio fiat, consideretur, est etiã immaterialis. fiunt enim intellectiones per species immateriales abstractas à phãtasmatibus: vlterius si, obiectum respicias, immateriale est, cognoscimus enim vniuersalia, quæ immaterialia sunt. At si modũ intellectionis inspicias, materialis est, fit enim per abstractionem speciei à sensu: vndè per se intelligere non valet intellectus, nisi ea, quæ à sensibus, & per sensus percipit.

Hinc est, quod duplex solet constitui obiectũ intellectus: vnum secundũ substantiam intellectiõis, & hoc est ens simpliciter vt dicit omnia, quæ actum habent: alterum est secundũm modum; & hoc est ens sensibile, & materiale.

Atq; hinc fluxit, vt quædam dicuntur cognoscibilia secundum se, nempè, quæ plus entitatis habent, vt immaterialia; quædam nobis, quæ magis sensibus sunt manifesta, vt materialia. Rfidetur cõni. 1

Ex his colligimus sensum Aristotelis in hoc capite: vocat enim nota natura modo primo, id est, quæ sunt priora generatiõe, sicut sunt causę: vocat nota nobis sensibiliora, qualia sunt composita, & 2

effe-

effectus. Hoc autem in Physica, nam in Mathematica causæ sunt notiores nobis, & natura: non enim illa propositio vniuersaliter intelligenda est, non sunt nota nobis, & natura eadem; sed in Physica plerunq; verum habet.

3 Vnde sequitur, quòd non dicuntur hic notiora natura, quæ plurimum habent entitatis, vt vult. S. Tho. sed quæ priora sunt generatione, nam materia, & forma sic non essent priores natura cõposito.

Ad argumenta in oppositũ. Per hæc patet solutio ad argumenta.

Ad primũ Ad primum enim dicitur aliter in. 2. de parti. dici prius natura, quàm hic: Illic enim prius natura dicitur, quod in generatione intenditur, sicut compositum. Hic verò, quod prius est generatione, vt dicit Auerro. sicut principia.

Ad secundum. Ad secundum diximus, Iam non esse vniuersaliter illam propositionem intelligendã, sed in Physica, vt in plurimum.

Ad tertiũ 1 Ad tertium, non omnes eodem modo illa duo loca conciliant. S. Tho. enim hic & in Posterio. dicit illa verba Posteriorũ esse intelligenda de vniuersali in prædicando, & de singulari, id est, indiuiduo facta comparatione ad cognitionẽ nostrã, tam sensitiuam, quàm intellectiuam.

Et tunc est sensus, singularia dicuntur notiora nobis, nempè quia sensu percipiuntur: Vniuersalia verò natura, quia à sensu remota solo intellectu percipiũtur.

Aduerte in hoc loco, singulare accipitur pro minus vniuersali, & fit comparatio ad solum intellectum: vnde sensus est inter vniuersalia, vniuersaliora dicuntur nobis notiora.

2 Auerroes cum San. Thoma conuenit, quantum ad hunc locum: at de lib. Poste. dicit, per vniuersalia intelligi causas proprias & de omni, & per se, quæ vniuersales dicuntur: hæ aũt difficiles sunt nobis.

3 Philoponus verò per vniuersalia in lib. Poste. intelligit ipsa genẽra, & cõmunia, quæ sunt obscuriora, quo vniuersaliora. At hic ꝑ vniuersalia vaga singularia intelligit, vt diximus in ipsius expositione, quæ quidem sunt nobis notiora, quò vaga magis sunt.

4 At mihi cum Simplicio dicendum videtur, qui locum Posteriorũ de vniuersalibus, quãtum ad distinctam potentialem notitiam intelligit, hæc enim quo vniuersaliora, notiora natura, & minus nota nobis sunt particularioribus, quia plures præsupponunt abstractiones: at locum hunc intelligit de vniuersalioribus, quantum ad notitiam confusam, secundum quam immediatè à singularibus abstrahuntur: & vti latius diximus superiori quæstione, in plurimum notiora nobis sunt, quò vniuersaliora: & est expositio valdè notanda.

Ad quartum respondetur, quòd Arist. non dixit, se incepturum à causis, quia sunt notiores nobis, sed quia ordo doctrinę id postulabat. At in modo, & via indagandi ipsas causas, dixit, se à notioribus nobis processurum, nempè à composito: & inter ipsas causas ab vniuersalioribus incepturum, quia vniuersaliora sunt nobis notiora. Hæc circa proœmiũ istud sufficiant. Ad quartum.

CAPVT II.

QVIA Aristoteles in his sequentibus textibus vsq; ad 41. exclusiuè, nihil aliud, quã veterum opiniones extirpare contendit circa rerum naturaliũ principia, admodum vtile erit, in breuem quendam epilogum redactas eas omnes primùm proponere, vt facilius postea ꝑcedere possimus.

Omnes igitur Philosophi in hoc conuenerunt, nempè rerum naturalium esse principia, quot autem, & quæ ista essent, variè senserunt: diuisi enim sunt in tres partes: quidam vnum, quidam infinita, quidam plura, sed finita principia esse dixerunt. Opiniões antiquorũ de principijs rerũ naturaliũ ponentiũ vnũ principium.

Eorum, qui vnum posuerunt principium, Melissus vnum infinitum, & immobile principium esse dixit, quod autẽ hoc esset, non explicuit. Aduerte autem, quòd hic de principio materiali, & intrinseco sermo fit. Prima opinio.

Secunda sententia fuit Parmenidis, qui vnum, & immobile principium posuit, finitum tamen: & in hoc à Melisso differebat: at quod hoc esset, non etiam explicuit. 2. opinio.

Tertia fuit Thaletis, vt habetur. 1. Meta. hic enim aq uam omnium rerum principium dixit esse, forsan (vt dicit Aristoteles) 3. opinio.

les) quia humido videbat maximè viuentia consistere: & hanc sententiam secuti sunt reliqui sex sapientes Græci, vt dicit Cicero 4. li. Acad. q.

4. opinio. Quarta sententia fuit Diogenis, & Anaximenis, qui aërem omnium naturalium principium fecerunt.

5. opinio. Quinta Heracliti, qui fecit ignem.

6. opinio. Sexta Hesiodi, qui fecit terram omnium principium.

7. opinio. Septima, quorundam, qui mediũ inter aërem, & aquam, vt vaporem, principium posuerunt. Quam sententiam Philoponus, & Simplicius asseribunt Anaximandro, sed reuera, alia fuit huius sententia, vt dicemus: forsan est error in nomine. Hæ sunt sententiæ ponentium vnum principium rerum naturalium, licèt nõ eo ordine temporis fuerint Philosophi isti, quo sententiæ numeratæ sunt: fuit enim Thales primus, & alij posterius enarrati.

Opiniões eorũ, qui infinita principia posuerũt. Prima opinio. At eorum, qui infinita principia posuerunt; Anaxagoras dixit, rerum principia esse infinitas particulas indiuisibiles, ex quibus res naturales sunt compositæ, quas particulas vocabat athomos: particulas has diuidebat per omnes species, & singularum specierũ ponebat infinitas, vt infinitas carnis, ossis, ignis, & aliarum rerum: & non solùm specie has particulas differentes ponebat, sed etiam secundum accidentia contraria, vt quędam essent calidæ, quædam frigidæ.

Ex his athomis compositum quoddã confusum prius posuit, in quo omnes erant congregatę, quod vocabat chaos: & ab hoc mẽs, id est, Deus, secundũ ipsum, postea separauit, & distinxit rerũ species congregãdo athomos in varias partes.

Dicebat præterea, in singulis adhuc cõpositis contineri athomos infinitas omnium specierum, sed non apparere, nisi athomos vnius speciei, atq; hoc modo fieri generationes, nempè cùm occultę athomi apparent, & manifestæ occultantur.

Aduerte autem, quòd vocabat has particulas indiuisibiles, non quòd essent sicut puncta, sed quòd iam vltrà actuali diuisione diuidi non possent. Hæc sententia fuit Anaxagoræ.

2. opinio. Secũda fuit Anaximãdri, qui in hoc solũ differt ab Anaxagora: hic enim chaos ex athomis factum dicebat: at Anaximãder, ex chao factas athomos affirmabat.

3. opinio. Tertia sententia fuit Democriti: Hic enim ex athomis etiam infinitis cuncta componebat: at in his differebat à præcedentibus, asserebat enim has athomos esse eiusdẽ rationis, nec essentialiter differre, sed tantũ figuris, quia quædã enim triangulares, quædam quadrangulares, aliarumq; figurarum. Præterea habebãt varium situm, & ordinem inter se: atque ex his duobus proueniebant varia accidentia, & figuræ compositorum: ob id enim caput. l. corpora erãt rotunda, quia athomis rotũdis erant cõposita: obtusa verò, quia quadrangularib. similiter calida, frigida, & alterius cuiusq; ratiõis, ꝓpter variũ situm, & ordinẽ athomorum.

Opiniões eorũ Philosophorũ, q plura principia ponebant, sed finita. Prima opinio. Alij Philosophi finita, plura tamẽ principia ponebant. Parmenides ignem, & terram, principia posuit. Quòd si dicas nónne iste vnum principium posuit? Respondet Philop. fecisse duos libros, & vulgares, & accuratiores: in his vnum, dixit, esse principium, in illis verò duo illa. Alij dicunt, hæc duo principia posuisse secundum apparentiã, erant tamen vnum secundum existentiã, sed parum hoc refert.

2. opinio. Alij secundò, tria elementa posuerunt, excepta terra.

3. opinio. Alij tertiò, omnia quatuor: atq; hæc fuit sententia Empedoclis, & Hippocr.

4. opinio. Quartò, Plato dicebat, principia esse, magnum, paruum, & Idæam, per magnũ & paruum materiam intelligens.

5. opinio. Quintò, Pythagoras, par & impar rerum principia dixit; per par materiã, per impar formam forsan significans: materia enim est diuisibilis sicut par, forma indiuisibilis, vt impar.

Nota primò. Philosophi q posuerunt causam efficientem. Hæ sunt Philosophorum sententię circa rerũ principia, inter quos aduertẽ primò, aliquos ponere causam efficiẽtem, vt Anaxagoram, qui posuit mentẽ, id est, Deum separantẽ chaos: & Empedoclem, qui litẽ, & amicitiã, causas efficientes posuit: dixit enim elemẽta fuisse chaos cõponentia primũ: postea per litem esse separata, ac mundũ hunc constituisse: Et iterum per amicitiã reditura ad chaos, & per litẽ iterũ separanda: vndè mundum infinitiens corruptũ, & generatum, corrumpendum, & generandum dicebat.

Aduer-

Nota secundò. Philosophi nõ naturales, q abstulerũt motum. Aduerte secundò, quosdam ex his Philosophis dici non naturales: quosdam naturales: non naturales dicuntur, qui disputantes de rebus naturalibus motum auferunt à principijs, qui est passio Physica: sicut Parmenides, & Melissus principium immobile ponentes. Naturales verò dicuntur, qui motum non auferunt, vt reliqui prædicti.

Nota tertiò. Prędicti Philosophi nõ ponebãt generationẽ secundũ substãtiã sed secũdũ accidẽtia, vel secundũ apparentiã. Aduerte tertiò. Omnes hi nullam substantiæ generationem ponebant de nouo, sed omnes mutationes aut esse secũdum apparentiam, vt dicebat Anaxagoras: aut secundum accidentia, vt reliqui dicebant: nam ex varia dẽfatione, aut rarefactione, aut compositione elementorum erãt varia corpora, sed nõ erat substãtia de nouo: nõ enim isti poterãt intelligere, à quo talis posset substãtia ꝓduci.

Nota quartò. Aduerte quartò. Aliquos ex his ob id ipsum, mundum ab æterno posuisse, aliquos verò materiam ipsam, ex qua erat ipsemet mundus, vt patet ex dictis.

Aristotel. sentẽtia. Aristoteles verò multo aliter, quàm hi, processit, & quantum ad numerũ principiorum, & quantum ad ipsa principia: tria enim principia posuit, materiã, formam, priuationem: materia est quędam imperfecta substantia simplex, non composita ex duplici parte essentiali: hęc cum altera simplici substantia, quę dicitur forma, compositum naturale componit, sicut lignum, & figura cathedram faciunt.

1

2 Hæc materia secundum se nullam habet formam, cùm sit simplex. dico secundum se, nam semper est coniuncta cum forma, tamen de se non habet illam, nec est eius pars forma: quamuis autem non habeat de se formam, est tamen in potẽtia ad quamlibet formam, sicut lignum de se nullam habet rei artificiatæ formã, est tamen in potẽtia ad quamlibet talem formam: & ex hoc prouenit, vt ista materia dicatur habere priuationem formarũ, quia cùm non habeat illas, potest habere: hoc autem est esse priuatum: vnde materia, quæ est huius ligni, est in potẽtia ad formam quamlibet substãtialem.

3 Dices, ad quid est priuata ista materia? dico, vt sint generationes rerum: nõ enim ex hoc ligno fieret ignis, nisi materia eius esset priuata forma ignis: nam, vt ex aliqua materia fiat aliud, duo sunt necessaria: Alterum, quòd illa materia non sit illud, quia si esset, non fieret: quod enim est, nõ fit. Nec satis est non esse, sed quòd possit esse: atq; hæc duo habet ista materia: ob id dicitur priuata, priuatio enim hæc duo importat.

Ex quo fit, quòd generatio rei nõ est aliud, quàm eductio formæ ex potentia materiæ, vt ignis admotus ligno, ipsum disponit, donec expellat ab illa materia formam ligni, & inducat formam ignis, atq; sic fit generatio: non enim agens facit totã rem, aut corrumpit totam rem, materia enim non generatur, nec corrũpitur, secundum Aristotelem, sed ista fiũt secũdum formas: vndè, secundum ipsum tria sunt generationis rerum naturalium principia. 4

Hanc materiam finitam posuit, sed per mutuam generationem, & introductionem formarum in eadem parte materię, dicebat duraturas, & durasse generationes æterno tempore. Atq; breuiter hæc est sententia Arist. qui locutus est probabilissimè omnium: & ob id hoc communiter modò omnes docẽt, licèt in hoc sit deceptus, quòd mundum ęternum affirmârit, quod nostra fides damnat. 5

Necesse est autem. Tex. VI.

Disputatio Arist. cõtra prædictos Philosophos. Disputat Aristoteles contra Philosophos de rerum principijs in his textibus triginta quatuor: ac primùm contra eos, qui non naturaliter loquuntur: postea contra alios. Dicuntur autem non naturales, non quòd de rebus naturalibus non loquantur, imò de eis disserunt, sed quòd de principijs rerum naturalium loquentes non loquebãtur, vt Philosophi naturales, cùm auferrent motum, cuius principium est natura.

Diuisio, seu enumeratio necessaria circa principia. Vtitur igitur diuisione cõmuni circa principia, nec incipit probãdo principia esse, sed diuidendo: quia, vt dicit Simplicius, oẽs Philosophi in hoc cõuenerunt, principia rerũ naturaliũ esse. Facit igitur diuisionẽ cũ subdiuisione quinq; partiũ. Necesse est principia, aut esse vnum, aut plura: Si vnum, aut mobile, aut immobile. Hoc enim Parmenides, & Melissus ponunt: illud verò naturaliter loquentes. Si plura, aut finita, aut infinita: si finita, aut duo, aut tria, aut in aliquo alio numero de-

ro determinato: si infinita, aut differentia, figura, & forma accidentali, & etiam contraria, vt dixit Democritus: aut non sic differentia, contraria tamen, vt dixit Anaxagoras. Omnes hæ diuisionum partes non habent medium, sed aut vnam, aut alteram necesse est consistere, propterea dixit, necesse est.

Nota 1. Aduerte, quòd illa verba: aut contraria: Themistius, & Porphyrius volunt dicta esse propter Anaxagorã, vt priora ad Democritum, hæc verò ad Anaxagoram referantur. at quia etiam Democritus posuit contrarietatẽ situs, & ordinis, Philoponus, & Alexander ad ipsum Democritum retulerunt: & tũc opposita diuisionis pars est subintelligenda. At Simplicio attendens; etiã Anaxagorã posuisse contraria principia, ad vtrunq; retulit, vt sit sensus, aut sunt figura differẽtia aut nõ, vtroq; tamen modo contraria: & ita superius exposuimus, & videtur melior expositio.

Nota 2. Aduerte prætera, quòd Aristot. non assignauit omnia membra diuisiõis, omisit enim aliqua, nempè, si plura, aut immobilia, aut mobilia, hoc autem omisit, quia vt dicunt Simplicius, Auerroes, & S. Tho. nullus dixit esse principia plura immobilia; quicquid dicat Philoponus: omisit etiam vnum immobile infinitum, vt dixit Melissus: & finitum, vt dixit Parmenides: quod fecit breuitatis causa, vt notat Simplicius; non enim referebat omnia statim proponere.

Perfecta diuisio seu enumeratio. At si libet completam habere diuisionem hanc, ita erit componenda, vt cõponunt Simplicius, Alexãd. & Philoponus. Principia, aut sunt vnum: aut plura. si vnum, aut mobile, aut immobile: si vnum immobile. l. finitũ. vt dixit Parmenides. l. infinitum, vt Melissus. Si vnum mobile, aut finitum, vt Thales, aut infinitum, vt Diogenes, qui aerẽ infinitum posuit. Si plura, aut finita, aut infinita. Si plura finita, aut mobilia, aut immobilia. Si plura infinita, aut mobilia, aut immobilia.

Similiter autem quærunt.
Text. VII.

SANCTVS Thomas, & Auerroes hunc textum exponunt, vt velit Aristoteles ostendere apud hos Philosophos eandẽ esse quæstionem de ente, & de principio entis, vt idem sit quærere, an vnum sit ens, an plura: & an vnum sit principium, an plura: & hoc dixit, vt notat Simplici. propter Parmenidem, & Melissum, qui non dixerunt vnum esse principium, sed omnia esse vnum ens, & idem intelligebant, ac si dicerent, vnum est entium principium.

Dubium. Dices, quomodo apud hos, idem est dicere, an sit vnum ens, & an sit vnum principium? Respondent benè S. Tho. & Auerroes, quia isti principium hoc existimabant esse totam rei substantiam, non enim ex eorum sententia differebant cõposita, nisi accidentaliter: omnia enim erant aqua aut aer, aut athomi, aut elemẽta Sic l. aliter se habentia, vti diximus: & cùm non essent alia substantia, nisi principium, idem est vtrunq; petere, cũ ens, & principium sint idem.

Prima expositio S. Tho. Philoponus autem ita exponit, vt dicat Arist. confirmare suam diuisionẽ exemplo aliorũ Philosophorũ, qui de entib. disputantes statim principia quærunt: & sic quærunt per has diuisiones prædictas. Vtraque est conueniens expositio.

2. expositio Philo.

Itaq; si vnum est, atq; immobile.
Text. VIII.

PArmenidis, & Melissi opinionem ad Physicum nõ pertinere docet, quia negant in Physica principium, nẽpè dùm negant motum: & sicut Geometra non disputat contra negãtes ipsius principia; sed id est alterius scientiæ, cui secũdũ aliquid subalternatur: aut sciẽtia cõmunis. 5. Metaphysicę, & Dialectice, vt dicit Simpli. Sic etiam nec ille, qui de principijs loquitur, debet disputare cõtra hos quia negant principia ipsa. Nam in hoc, quòd dicunt, vnũ esse principium, negãt principium esse, quia si principium est, alicuius alterius entis. l. aliorum principiũ est. at isti non ponũt aliud ens prẽter principium, non ergo erit principium, cùm desit principiatum. Similiter negãt principiũ in hoc, q̃ dicũt esse immobile, quia tunc ex eo nihil fieri posset, q̃ repugnat principio: Ex eo enim omnia fieri debẽt.

Dubi.

Dubiũ 1. An Physicus probet sua principia. Solõ Simplicij. Dubitatur. An Physicus probet sua principia? Simplicius mouet hoc dubiũ, & respondet in generali de qualibet sciẽtia. Sunt enim duplicia principia, quædam per se fidem habentia, qualia sunt immediata p̃ se nota, vt dignitates: Quædam non per se nota, sed suppositiones, vt lineam esse longitudinem sine latitudine, per se fidem habet in Geometria: at quòd talis linea sit in corpore ipso, hoc non per se fidem habet, sed supponitur. Dicit ergò, quòd illa principia, quę per se fidem habent, non demonstrantur in alia scientia, nec in eadem: alia verò demonstrantur in subalternante. l. à Metaphysico. A Dialectico verò probabiliter ostenduntur: quamuis autem hoc ita sit, non deest aliquod instrumentum sciẽtiæ circa sua principia, licèt non sit demonstratio: hoc autem est inductio: hæc Simplicius.

Explicatio Authoris. Hoc tamen indiget declaratione, & limitatione: primò, nam dignitates, si immediatæ sunt, licet à Metaphysico non demonstrentur, tamen à Dialectico Topico ostenduntur probabiliter.

1 Dices, ad quid opus est hoc, nempè necessarium probabili ratione cõfirmare? Respondet Aegidius, quòd hæ dignitates non ostenduntur simpliciter, nisi isti. l. illi neganti eas: & ad hunc. l. illum cõuincendum sufficit probabile argumentum: nam ipsæ de se sunt necessariæ. Dialecticus ergò non solùm suppositiones, sed etiam dignitates probare tentat.

2 Præterea, secundò, sunt aliquæ dignitates, quæ mediatæ sunt, & causam habent, licet immediatę dicantur, quia sunt per se notæ, neq̃ à causa habent cognitionis certitudinem: vt motus est, in Physica dignitas est, habet tamen causam, sed non ita claram, nempè naturam: Omne totum est maius parte, causam habet & similes: has autem causas, cùm dignitates communes sint multis scientijs, Metaphysicus tradit.

3 Præterea, tertiò, sunt principia cognitionis, & hæc non probantur ab illamet scientia, & de his loquitur Aristoteles in præsenti. Sunt etiam principia rei, vt materia, & forma in Physica, & hæc probãtur esse in ipsa Physica, nam per mutationes à posteriori illa demonstrat Aristot.

Et per hoc patet responsio ad dubium: Philosophum non probare sua principia cognitionis, de quibus loquitur Aristoteles.

Simile itaque est considerare.
Tex. IX.

EVM, qui contra hos disputationem parat, cõparat ei, qui disputare vult aduersus opinionem sermonis gratia dictam: illam autem vocat opinionem sermonis gratia dictam, vt notant Simplicius, & Philoponus, quæ dicitur absq; vlla probatione, & ratione: tales autem sic opiniones proferentes non sunt audiendi, nec cum eis disputandum: & ponit exemplum opinionis sermonis gratia dictæ, nempè de Heraclito, hic enim maximè extraneas opiniones habuit: dicebat enim contradictoria simul vera: omnia esse in continuo motu. nõ esse sciẽtiam, & alia huiusmodi. Similiter ponit exemplum aliud, nempè ac si quis diceret, omnia entia esse vnum hominem. Vt igitur hi non sunt audiendi, sic nec Parmenides, & Melissus dicentes, omnia esse vnum immobile.

Aut soluere litigiosam.
Text. X.

NON solùm cum his disputare est simile, ac si cum his, qui sermonis gratia opinionem proferunt, disputaretur, sed etiam eorum rationes soluere, sunt enim contentiosæ vtriusq;, & Parmenidis, & Melissi rationes deficientes in forma, & in materia, vt infertur dicetur: magis tamen onerosa, id est, vana est Melissi ratio, eò quòd nihil habeat subtilitatis, & difficultatis: sed vno inconuenienti dato, multa sequuntur, id est, ex vno dato & concesso absurdo, multa alia sequuntur, eò enim, quòd vnum principium ponit, infinitum esse dicit, & si infinitum, immobile.

Nota verba. Hoc autem nihil difficile est. Simplicius exponit primò: non est difficile, ex vno absurdo, & impossibili aliud sequi. Exponit secundò: non est difficile ostendere, quo modo ex vno absurdo alterum sequatur. Philoponus exponit: non est difficile eorum soluere rationes.

No.

Nobis autem supponatur. Tex. XI.

CVM hos negâsse principia ex negatione motus dixisset, ostendit, non sic se processurum, sed supponendo motum esse, nempè omnia, aut aliqua entia naturaliter moueri, quod inductione ipsa colligitur.

Cur dixerit Arist. Aut omnia, aut q̃dã mouerí.

Dices, quare dixit, aut aliqua? D. Thõ. & Philoponus dicũt, id dictum esse propter formas, & animas, de quibus incertum est, an moueantur. Alexander, & D. Thom. etiam, propter polos, & partes cælorum proximas polis. & centrum terræ. Vel deniq; cum Simplicio dicendum, quia solum constituere volebat, motum esse, ad quod sufficit, quòd omnia, aut aliqua moueantur. Prẹterea, quia forma est ipsa natura, non constat ex natura.

Statim addit: simul autem: quæ verba sunt continuanda cum præcedentibus, quibus dixit, non esse disputandum cum his, qui negant principia: subiungit modò, quòd nec eorum rationes sunt soluẽdæ in illa scientia, nisi quando procedũt ex principijs illius scientiæ. Sunt enim contentiosæ rationes in duplici differentia, & quæ supponunt principia scientię, & quæ non supponũt principia scientię: priores soluendæ sunt in illa scientia, ied non posteriores.

Ponit exemplum de quadratura circuli, quam probare conati sunt Hippocrates Chius, & Antiphon. vterq; malè, sed prior sumebat principia Geometriæ, posterior non: propterea illius rationes soluendæ sunt à Geometra, sed non huius. Horum rationes pete à Simplicio, qui latè eas tradit: nobis modò sufficiat sensum percepisse.

Sed quoniam de natura quidem. Text. XII.

Quæstiões extraneæ in aliqua scientia duplices.

OStendit aliqua ex parte pertinere ad Philosophum cum his disputare, nempè quatenus de natura non naturales quæstiones faciunt. Sunt enim quæstiones extraneę in aliqua scientia duplices, vt dicitur 1. Post. cap. 9. quædam, quæ petunt ea, quæ sunt extra materiam illius scientiæ: vt si à Geometra petatur: an equus sit animal perfectum: quædam, quæ fiunt in materia illius scientiæ, sed falsò: vt si petas, quo modo diameter sit commensurabilis? quem tamen constat esse incommensurabilem. Priores quæstiones nullo pacto in illa scientia sunt discutiendæ: posteriores verò aliquo modo, ita & istorum dicta sunt aliquo modo examinanda, quia de natura, licèt non naturaliter loquuntur, tamen non omninò ista sunt in Physica differenda, sed in Philosophia. j. Metaphysica: vnde secundum Alexandrum, ista, quæ hic disputantur cõtra hos duos, Metaphysico habitu disputantur, vt patet, quia sit sermo de ente, de substantia, quæ Metaphysica sunt.

Principium autem maximè omnium. Tex. XIII.

EVM, qui alicuius opinionem euellere conatur, oportet non solùm ipsam opinionem redarguere, sed etiam argumentis, quibus innitebatur, respondere, ac ipsa diluere, vt notat Simplicius. Vtrumq; Aristoteles in parte hac facit, nam opinionem ipsam Parmenidis & Melissi impugnat, ac ipsorum euertit rationes: & quia ipsorum positio vocibus vtebatur multiplicibus, vno, nempè, & ente: Dicunt enim, omnia esse vnum ens: incipit à diuisione, quæ est principium maximè tali disputationi propriũ, & accommodatum, vt Philoponus aduertit, ac primò à diuisione entis exorditur, postea à diuisione vnius. Intentio Aristot.

Ens igitur multiplex est, decem prædicamenta compræhendens: qui igitur dicunt, esse omnia vnum ens, aut multa, simul intelligunt prædicamenta, nempè substantiam, quantitatem, qualitatem. Aut vnum ex his: si vnũ ex his, puta substantiam, peto, quæ sit illa substantia, an homo, an equus, an anima, an aliquid huiusmodi. Idem de qualitate, & quantitate, & de alijs prędicamentis, quorum non meminit Aristoteles, quia certissimũ erat, hos de illis non intellexisse suam opinionem. Facta diuisione, dicit, multum interesse, vno, aut altero modo dicere, quamuis sint impossibilia dictu.

Aduerte, quòd illa pars diuisionis quòd

Nota de vi argumenti Aristotelis. Prima expositio.

quòd ens multa cõtineat genera, nõ exprimitur ab Aristotele. Sed virtualiter ponitur, quam Græci sic explicant, ens vnũ nomine dicentes, vt sit diuisio: Omnia sunt vnum ens: aut igitur vnum nomine, ita, vt sub ente multa sint prædicamẽta: aut vnum re, puta aliquod genus ipsi? Hanc expositionem nostram videtur docere Porphyrius, & recipit Simpli.

2. Expõ.

Sed Alexander, & Philoponus, hæc omnia de distinctione vnius intelligunt. Dicunt enim esse hanc diuisionem: aut sunt omnia vnum ens nomine, aut vnũ re: si vnum re, aut vt substantia. l. qualitas, & quantitas, id est, vnũ genere: aut vt homo, equus, calidũ, id est, vnum specie: & posteà dicit, aut vnum numero.

Confutatio secundæ expositionis.

Sed hęc expositio est contra textum, vt legenti patebit, & procedit ex inaduertentia argumentandi, supposita opinione illorum.

Obiectiones cõtra vim argumenti Aristotelis. 1 2

Ob cuius declarationem dubitatur, nam videtur petere principium: hi enim dicebant, omnia esse vnum: & Aristoteles supponit ens esse multiplex, quod erat probandum.

Præterea etiã, admisso, quòd ens esset multiplex, videtur sophisma cõmittere. Cùm ita argumentetur, omnia sunt ens, ergo aut substãtia, aut quãtitas, aut aliud ex his, nam ens cõfusè supponit, sub quo non licèt descẽdere: est enim, perinde ac si dicas, omnis homo est risibilis, ergo aut hoc risibile, aut illud: ac propterea forsan Alexander, & Philoponus, non de ente, sed de vno diuisionem exponendam esse voluerunt: nec est omninò facilè hoc dissoluere, licet Expositores in eo sileant.

Nota primò.

Aduerte igitur, quòd omnes Philosophi antiqui principiũ rerum naturalium speculantes, aliquod ens actu, & omninò reale ponebant, puta aquam, aerem, athomos. l. aliquid aliud: nullus fuit ita insipiens, qui genera, & vniuersalia, quæ à singularibus abstrahuntur, principia poneret: vnde dicentes, vnum, aut plura esse principia, non de vnitate generum intelligebant, sed de vnitate alicuius entis actu existentis sermonem faciebant. Vnde meritò ab istis, qui vnum dicunt principium, petitur, quod illud sit ex his, quæ sunt, an aqua, an aer, an homo. Nec oportet de vnitate vniuersali, aut generica intelligere, sed de vnitate particulari entis existentis.

Explicatio Authoris de vi argumenti Aristo. quã partim tradunt Porphy. & Simpli.

Aduerte præterea, quòd isti Philosophi imaginabantur totum mundum, sicut vnum omninò animal, ita, vt omnia essent vnum ens determinatè, & reliqua entia ipsius essent partes, nõ essentia, sed apparentia distinctæ: vnde omnia vnum corpus sunt, quamuis Melissus dicat esse infinitum, & Parmenides finitum: vterque autem immobile. Ob id Aristoteles petit: Si omnia sunt vnum ens actu, quod hoc est? & quia isti possent dicere, est vniuersus mundus; probat, quòd non possit sic dici vnum ens. Nota secundò.

Ad primum igitur respondetur, quòd Aristoteles in diuisione non petit principium, sed solùm nominis significationẽ petit, quam omnes tenentur dare: Significat enim quantitatem, substantiam, & cætera. Hic enim erat communis omnium consensus. Ad primum.

Ad secũdum dico, quòd illud ens supponit determinatè ratione illius additi, vnũ, perinde enim est dicere, omnia esse vnum ens, ac aliquod determinatũ ens. Ad secundum.

Si enim erunt, & substantia. Tex. XIIII.

INcipit Aristoteles singulas diuisionis partes confutare, ac primò eam, qua quis posset dicere, omnia esse vnum ens, sub hoc tamen ente substantiã, quantitatem, qualitatemq; complecteretur: Tunc inquit Aristoteles, siue ista tria separata sint, siue coniuncta simul, iam nõ vnum ens, sed multa dicerentur: Sunt enim genera primò diuersa, quæ in nullo (præter nomen) conuenientiam habent realem, vt diximus in prædicamentis.

Et nota aliud esse substantiã, & quantitatem, ac qualitatẽ; esse separata, aliud esse diuersa. Separata dicerentur ista tria, si vnumquodq; per se extra aliud existeret: Coniuncta verò, cùm illa duo substãtiæ inhærerent. At verò diuersa esse est, quòd natura, & essentia singulorum non communicet in aliquo essentiali, ita, vt ipsorum definitiões. l. causæ. l. quæ loco definitionum dantur, descriptiones non sint idem, & huic diuersitati, & pluralitati non repugnat separatio. l. coniunctio; Quantumcunque enim sint coniuncta. Nota primò.

iuncta.l. separata, non sunt idem, sed diuersa, & plura.

Impugnat aliam partē, qua quis posset dicere, omnia esse vnum ens, id est, quantum, aut quale solùm. Docet, hoc fieri non posse, quia nullum accidens potest absque substantia separatum consistere, siue substantia sit, siue non sit: Hoc enim priuilegium est solius substantiæ, vt ipsa sit separabilis: reliqua enim in substantia sunt, vt in subiecto.

Nota secundò. Vbi aduerte cum Simplicio, quòd hic vocat, dici de substantia. Pro eo, quod est esse in substantia, seu ipsi inhærere. Nota præterea, quòd dicit, inconueniens esse sic dicere, nempè absque substantia accidentia consistere, & posteà corrigit verbum, vocando impossibile, nam inconueniens seu absurdum, quod Græcè ἄτοπον quasi non habens locum, nec consentaneum, dicitur quodcunq; falsum. At impossibile dicitur illud falsum, quod nec est, nec esse potest verum.

Nota tertio. Dices, quid est, quòd substātia dicitur separabilis, reliqua verò non sunt separabilia, cùm Porphyrius accidentia aliqua esse separabilia docuerit? quod si dicas, hic dici separabile, quod per se potest esse, accidentia verò separantur à substantia, sed per sui corruptionem. Tunc insurgit difficultas, nam vt accidens non est separabile ab aliqua substantia, ita nec substantia ab aliquo accidenti. Hoc dubium præcipuè est disputandum. 7. Metaphy. c. 1. At verò quia hic eadem verba proferūtur, breuiter sunt declaranda.

Dubium quomodo substātia separetur ab accidenti. Explicatur locus 7. Meta.

Prima expositio. Aliqui dicunt substantiam esse separabilem non aliud esse, quàm independēte ab accidenti: natura enim substantiæ absoluta est: Sed hoc non placet mihi, nam cùm non possit actu ab accidenti separari, sine dubio quantum ad hoc dependens est.

Expō Authoris. Ob id dico, hic substantiam sumi pro prima substantia, nempè pro composito indiuiduo substantiæ: & hoc dupliciter dici separabile ab accidenti: Vno modo, quia potest consistere absque accidentib. multis, quæ in eo sunt, sicut fuit absq; illis: vt Petrus potest esse separatus à calore, à frigiditate, ab albedine, & alijs huiusmodi, quæ in eo sunt, nullū tamē ipsi accidens potest absque eo consistere naturaliter. Vnde non est intelligendum, q̄ ab omni accidenti sit separabilis, sed vniuersaliter loquendo ab accidenti separatur: nullum tamen ipsius accidens ab eo separatum consistit.

Altero modo dicitur substantia prior, seu separabilis, quia in ratione substātiæ datur aliqua ab omni accidenti separata; puta Deus: tamen in accidentium generibus, nullum accidens extra substātiam consistens naturaliter datur: Dico naturaliter, propter ineffabile sacramentum altaris, vbi datur accidens absque substātię subiecto. Hanc declarationem separabilitatis nota.

Melissus aūt quod est infinitum esse dicit. Tex. XV.

CVm partes diuisionis aliquot confutauerit, ad opiniones horum deuenit, & dicit Melissum vnū quātū oia esse posuisse, nam dixit omnia esse vnum ens infinitum: Constat aūt, quòd infinitum nulli per se inest, nisi quantati, nā substantia, & qualitas nō dicuntur infinita, nisi secundum quantitatem per accidens: quod probatur ex eo, quòd definitio infiniti non est per substantiam, aut qualitatem, sed per quantitatem: quòd si iste ponit esse vnum quantum, cùm quantitas non sit absque substantia, necessariò ponit substantiam, & quātitatem: non ergo vnum ens, sed duo omnia sunt: quòd si substantiam tantùm constituat, non erit infinita, cùm desit quantitas.

Nota. Hic aduerte, quòd etiam hoc est intelligendum de Parmenide, qui posuit vnū finitum: nam sicut infinitum, ita & finitum quantitati insunt.

Solent in hoc loco Reales disputare: An quantitas realiter distinguatur à substātia, quia locus videtur illis fauere contra Nominales: sed profectò aliena est quæstio, & Metaphysico disputanda. Satis sit nobis modò saltem definitione, & essentia distingui, quod hic docet Aristo. non enim sunt scientiæ permiscendæ nimiū, præsertim cùm sint aliā multa Physica dubia examinanda.

An substantia secundum se sit diuisibilis?

Quæ-

Quæstio VII.

Explicatur sensus quæstionis. DIFFICVLTAS hæc est grauis, & satis vtilis. Explicandus est à nobis primò sensus quæstionis, vt moris est: primò substantiam non in communi hic sumimus, sed pro substantia sensibili, & corporea, quæ materia, & forma componitur. Nec hic de diuisibilitate in partes essentiales, aut in species, aut in accidētia loquimur, sed de diuisibilitate in partes eiusdē ratio nis cum toto, nēpè in partes extensionis, quæ dicuntur quantitatiuæ: & petimus, an substantia composita de se habeat diuisibilitatem hanc, & non à quantitate. Nec refert, quòd quantitas sit realiter distincta. l. non, nam saltèm est distincta essentialiter à substantia.

Occasio disputandi quæstionem. Et meritò hoc dubitamus: nam dicit Aristoteles contra Melissum, quòd si magnitudinem habet, quantum est. Posset ipse dicere, ens habere magnitudinem, & extensionem absque quantitate, propterea non extra rem quæstionem hanc examinamus.

Opinio quorundam. In hac quæstione est opinio quorundam asserentium, materiam de se habere partem, & non à quantitate, ac proinde ipsam substantiam compositam; quam videtur ex parte recipere Scotus. 2. sen. distin. 12. q. 2. & ratiōes, quæ pro hac sententia esse possunt, non sunt spernendæ, quarum prima est. Quod est causa antecedentis, est causa consequētis: sed quātitas est antecedens diuisibilitatis: hæc enim ex illa sequitur: ergo causa quantitatis erit causa diuisibilitatis, sed substantia est causa quantitatis, ergo est causa diuisibilitatis: non igitur à quantitate habet diuisibilitatem substantia, sed ipsa est illius causa secundum se.

1. Ratio.

2. Ratio. Secunda. Materia est in potentia ad quamlibet formam, ergo potest plures formas secundum se recipere: non simul in eadem parte, ergo in diuersis: ergo materia secundum se partes habet, quibus possit recipere plures formas.

3. Ratio. Tertia ratio est nostra. Sumo duo composita, nempè hominem, & leonē, & peto, an quælibet substantia ex istis sit prior natura omnibus suis accidentibus: si nō, iam substantia non est prior natura accidenti: si sic, ergo iam sunt duo composita ante quantitatē, & habebunt nō eandem materiam: ergo ante quantitatem est materia diuisibilis & diuisa.

4. Ratio. Quarta est contra verba Aristotelis, dicit enim, infinitū non esse, nisi in quantitate: videtur hoc falsum, nam Deus est infinitus, & Angeli finiti sunt, non tamē habent quantitatem, imò finitum, & infinitum primò insunt enti, non ipsi quātitati: ens enim finitum in decem prædicamenta diuisum est.

2. Opinio Alberti, Ianduni, &c. Aliorum est opinio: Materiā, nec substantiam corpoream nullo modo esse diuisibilem, seclusa quantitate, sed tantùm diuisibilitatem accipit ab ipsa quantitate, quæ est passio per se competens corporeæ substantiæ ratione materiæ. Hæc sententia est Alberti, tract. 2. cap. 4. & Iandu. q. 9.

1. Ratio. Et probat Albertus primò. Materia secūdum se, aut est diuisibilis, aut simplex: non composita, quia tunc aut ex forma, aut ex accidenti, quorum neutrum esse potest, nullam enim secundum se formā, nec accidens habet: quòd si simplex est, ergo est indiuisibilis: non igitur secundū se partes habet.

2. Ratio. Secundò. Si secundū se diuisibilis est, diuidatur, & sumamus illas duas partes, tunc aut differunt hæ accidentaliter, aut essentialiter: non accidentaliter, cū nullum secundum se accidens habeant: nec essentialiter, quia sunt eiusdem rationis, non ergo possunt differre: & ita non potest diuidi materia in partes.

3. Ratio. Tertiò, Logicæ, vbi inest passio, ibi est suum subiectum, sed diuisibile est passio quanti, vt patet. 5. Meta. cap. 13. ergo vbi diuisibilitas est, quantitas erit.

4. Ratio. Quartò. Passio definita per subiectū non se extendit extra subiectum, sed diuisio definitur per continuum, ergo non erit nisi in continuo: hoc autem quantum est.

Prima cōclusio. Pro huius determinatione sit prima conclusio. Impossibile est substantiam compositam, aut materiam esse extensam, ac in partem diuisibilem absq; quātitate: & in hoc mihi placet sententia Alberti: Probatur: sicut ab albedine paries est albus, ita à quantitate substantia extensa, & diuisibilis: sed impossibile est,

Prima ratio.

absque albedine parietem esse albũ, ergo & absq; quantitate substantiam esse extensam, est impossibile. Loquimur autem hic de continua quãtitate: probatur maior: nam quantitas est formalis ratio extensionis, & diuisibilitatis consequenter, sicut albedo albi, nec enim aliam rationem, & naturam possumus imaginari ipsius quantitatis, quàm hanc: & præterea probatur eiusdem rationibus Alberti Magni.

Secunda cõclusio.

Secunda conclusio. Nullum agens naturale inducit formam in materiam, nisi prius aliqua quantitate separata, & discreta ab altera parte materiæ, probatur: ita est necessaria quantitas in materia, sicut qualitas, cùm qualitas non insit, nisi per quantitatẽ: at forma educi non potest è materia, nisi certis qualitatibus disposita; ergo etiam necessaria est quantitas. Præterea, sicut forma accidentalis nõ potest extrahi, nec induci, nisi in subiecto quanto, quia ipsa est diuisibilis: ita formæ substantiales, quarum plurimæ sunt diuisibiles, inducentur in materia quantitate disposita.

Tertia cõclusio.

Tertia conclusio. Non repugnat duas partes materiæ manere diuisas absque actuali quantitate: nolo dicere, quòd materia diuidi possit absque quantitate, sed quòd postquàm diuisa est per quantitatem, possunt manere adhuc illæ partes distinctæ. Dico, non repugnare, nõ quòd naturaliter id fiat, sed quòd potest supra naturaliter fieri.

Probatur tertia cõclusio.

Explico, & probo, quia potest Deus semouere omnem quantitatem à Petro, & ab aliquo leone, tunc sine dubio posset conseruare illas duas materias absque quantitate continua illarum: & probo, quòd possit id facere, vt enim conseruat quantitatem sine vlla substãtia panis in sacramento, ita etiam posset, & panem absque quantitate conseruare, & multos panes, sicut multas quantitates: maior enim dependentia accidentis à substantia, quàm substantiæ ab accidenti: Potest illud: ergo hoc: verum est, quòd illæ substantiæ non essent extensæ, nec diuisibiles in partes, vt dictum est. Nec est contra nos argumentum Alberti Magni secundum: nam illæ materiæ differrent penes ordinem ad diuersas formas, quas habent. l. penes ordinem ad quãtitatem præcedentem.

Ad primũ primę sententiæ.

Ad primũ igitur prioris sententiæ respondetur, quòd substantia est causa mediata diuisibilitatis, quia eam non habet, nisi mediante quantitate, qua deficiente, substantia non est diuisibilis: illud autem locum habet, quando aliquid est causa vtriusque immediatè, & non dependenter vnius ab altero.

Ad secundum.

Ad secundum dico, quòd licèt materia sit in potentia ad omnes formas secundum se, non tamen recipit illas, nisi præcedentibus dispositionibus necessarijs, quarum vna est quantitas.

Ad tertiũ.

Ad tertium dico, quòd illę duæ substãtiæ possunt præintelligi absque quantitate actuali, & essent distinctę, sed in ordine ad quantitatem, quam habuerunt. l. possunt habere. l. per ipsas formas: sed hoc nihil contra nos, qui tantùm negamus materiam. l. substantiam posse diuidi in partes, nisi existente quantitate.

Ad quartum.

Ad quartum dico, duplicem assignari quantitatem, & virtutis, & molis. Virtutis, quę attenditur in perfectione substãtiæ rei. l. operationis ipsius, secundum quam dicimus, Deum infinitè perfectũ, & magnũ: & hæc in incorporeis etiam inuenitur, nec est de hac sermo, vt probat argumentum. Quantitas molis est, quæ attenditur secundum longitudinẽ, & cæteras dimensiones, & de hac est sermo in præsenti, nam isti Philosophi de his incorporeis non loquebantur. At finitum, & infinitum virtutis sequuntur quantitatem priorem: molis verò sequũtur posteriorem: sunt enim ipsius passiones, & de his procedit Aristoteles in suo argumento. Et hæc satis de quæstione.

Amplius quoniam & ipsum vnum. Tex. XVI.

Alind esse vnum contingit triplicitèr.

EX vnius distinctione probat dici nõ posse, omnia esse vnum, nam vnum triplex est: Aut vnum continuum, quo modo vnam lineam, vnum lignum, vnum corpus, quia continua sunt, dicimus: Aut vnum, quia indiuisibile, quomodo vnum punctum, vnum instans, quia indiuisibilia, dicimus: Aut vnum ratione, & definitione, quo pacto dicimus

mus synonima idem esse, & merum, & vnum: ensis, gladius. Impugnat, quòd nullo ex his modis dici possit, omnia esse vnum.

Dubium.

Dices, quare non ennumerat alios modos vnius, vt genere vnum, specie, per accidens, seu subiecto? Dico, quia isti Philosophi non loquebantur nisi de vnitate entis alicuius determinati, vt suprà diximus. & præterea quia aliæ vnitates manifestam habent pluralitatem entium.

Primam diuisionis partem reprobant, quia si omnia dicuntur vnum continuũ, iam plura entia dicenda sunt, cùm in infinitum continuum sit diuisibile, & multa comprehendat.

Si igitur continuum est. Text. XVII

REprobat primã diuisionis partem, vti diximus: quia si continuum est, plura potentia est. Prælerea, quia dubium est, an totum, & pars vnum, an plura sit: & quamuis hoc determinare non sit presentis loci, est enim Metaphysicum, tamen secundum esse dubium est, & difficultatem habet, an vnum sit, an plura, & quo modo vnum, & quo modo plura: & probat, quòd nõ sit vnum, nam si pars, & totum vnum sunt, eò quòd indiuisibilia, & non separata sunt, eadem ratione partes essent idem inter se, quia non separata sunt, quod tamen falsum est.

Dubium.

Dices, qua ratione hoc mouet dubiũ? dico, vt hos arguat, qui absolutè omnia proferebãt vnum, quia continuum, cùm sit difficile, & nõ determinatum, an pars, & totum plura sint, vt magis videtur: & aduerte, quòd hic est sermo de toto, & vna eius parte, non de omnibus.

At verò si velut indiuisibile. Text. XVIII.

IMpugnat, quòd dici non possit, vnum esse omnia, vt indiuisibile, quia tunc non esset ens finitum, nec infinitum, nam indiuisibile potius est terminus, & finis alicuius, quàm finitũ. l. infinitum: hæc enim quantitatem dicunt, quæ diuisibilis est.

At verò si omnia, quæ sunt. Text. XIX.

IMpugnat tertiam diuisionis partem, quòd omnia sint vnum definitione, nam tunc sequeretur primò, quòd contraria essent idem, vt dicebat Heraclitus, nempè bonum, & malum, & quia malum est non bonum: Sequitur secundò, duo contradictoria idem esse: Tertiò etiam duo disparata, vt homo, & equus: Quartò, si contradictoria sunt idem, erit idem disputare, an omnia sint ens, & an omnia sint nihil, seu non ens: Tandem duo diuersa erunt idem, nempè quantum, & quale. & reliqua primo diuersa. Non ergò omnia sunt vnum ens.

An totum distinguatur realiter à partibus. Quæstio VIII.



OCcasione textus decimiseptimi solent communiter disputare, an totum distinguatur à suis partibus, quod etiam, vt conueniamus cum cæteris, nos hoc loco disputabimus. Pro tituli ergò declaratione primò aduertendum est, totum esse multiplex: primùm vniuersale, hoc autem est quodcunq; superius respectu inferioris, vt genus respectu specierum, & species respectu indiuiduorum, nec de isto est quæstio, quia certum est huiusmodi vniuersalia sola ratione, & intellectu distingui ab inferioribus.

Declaratur titulus. Totũ multiplex. Vniuersale.

Alterum est totum potentiale, nempè subiectum respectu suarum potentiarum operatiuarum, vt anima respectu intellectus, voluntatis, & memoriæ: & quamuis sit dubium, an tales potentiæ distinguantur à subiecto, in præsenti tamen id non discutimus.

Potentiale.

Tertium totum est integrale, nempè quantum aliquod respectu partium integrantium, & quantitatiuarum, vt lignum respectu suarum particularum: & hoc est duplex, aut homogeneum, aut æterogeneum: Homogeneum est, quod constat ex partibus, quæ sunt eiusdem rationis cum toto, sicut lignum, cuius quælibet particula est lignum, & ignis, & aqua, & similia. Aeterogeneum est, cuius partes sunt diuersæ rationis inter se, &c

Integrale. Integrale duplex.

se, & à toto, sicut animal, cuius partes sunt manus, pedes, caput. De vtroq; igitur toto integrali est quæstio, an à suis partibus distinguatur.

Essentiale. Quartum totum est essentiale, nempè compositum respectu materiæ, & formæ, quod dicitur totum Physicum, & definitum respectu generis, & differetiæ, quod dicitur totum Metaphysicum: De hoc autem non est quæstio, quia genera, & differentiæ sunt idem re cum specie, de illo vero Physico est quæstio.

Per accidens. Quintum totum est per accidens, sicut subiectum cum accidenti, vt homo albus: & totum per aggregationem, vt cumulus: & de hoc non est quæstio, quia certum est non distingui: tantùm igitur est quæstio de toto Physico, & de toto integrali, tam homogeneo, quàm ætherogeneo.

Nota non queritur an totũ distinguatur à singulis partibus, sed ab omnib. simul. Aduertendum est præterea, quòd non est disputatio, an hoc totum à singulis partibus suis distinguatur, certum enim est, realiter distingui, vt homo, & anima, lignum, & vna pars: sed disputatio est de omnibus partibus simul sumptis: nec de quacunq; distinctione loquimur, sed reali, vt sit sensus, an totum sit aliqua entitas alia præter entitatem omnium partium, vt homo, an sit entitas quædam præter entitatem materiæ, seu corporis, & præter entitatem animæ idem petitur de alijs totis, de quibus diximus disputationem esse. Hæc de tituli declaratione.

Prima sentẽtia Scoti. Circa hanc difficultatem Scotus 3. Senten. dist.2.q.2. quem multi Thomistæ sequuntur existimantes esse sententiã Sancti Thomæ, nempè Capreolus.3.dist.2.& Herueus quodlib. 2. q.14. & alij dicunt, totum distingui realiter à suis partibus ad sensum superius expositum. Rationes potissimæ huius opinionis sunt hæ.

1.Ratio. Prima Scoti: Si totum hoc non distingueretur à suis partibus, sequeretur quòd nullum esset discrimen inter hoc totum, & totum per accidens: cõsequens est falsum, quia magna est vtriusq; differentia, ergò totum id, cuius est disputatio, quod vocetur totum per se, distinguitur à suis partibus: probatur sequela, quia ita vnum esset suæ partes simul sumptæ, sicut & alterum.

Confirmatur prima ratio. Confirmatur argũmẽtum: totum est terminus generationis, id est, id, quod generatur, non partes, vt dicitur. 7. Meta.c. 2. ergò distinguuntur.

Confirmatur secundò: nam partes sunt causa totius, ipsumq; componunt, non ergò idem esse possunt.

2. Ratio Secunda ratio est: Stat totum corrũpi nulla corrupta parte, similiter & generari: non ergo sunt idem: probatur antecedens in homine, moritur enim homo, manent tamen & anima, & corpus: generatur homo, non tamen anima, nec corpus.

3. Ratio. Tertia ratio. Totum existit, quia ipsum est, quod operatur, non partes, vt notum est, ergò distinguuntur.

4. Ratio. Quarta ratio est. Sequeretur, quòd partes essentiales essent partes integrales sic, homo est materia, & forma: similiter pes, manus, caput, & reliqua sunt homo: ergò hæ partes sunt materia, & forma.

Secunda sententia D.Thomæ. In oppositam partem est aliorũ opinio, nempè totum non distingui à suis partibus simul sumptis, quæ sententia est Sancti Thomæ, quicquid dicant alij, nam 4.contra Gentes.cap. 51. dicit humanitatem esse materiam, & formam simul cõiuncta, & 1.p.q.75. art. 4. dicit, hominem esse corpus, & animal simul, & prima secundæ q.13. artic. 1. & eadem est opinio Nominalium.

1.Ratio. Et hæc sententia probatur primò. Si totum est alia entitas distincta ab omnibus partibus.l.est diuisibilis l. indiuisibilis: non indiuisibilis, cùm tale totũ corporeum sit, ergò diuisibilis: Si autem diuisibilis, ergò in partes illas, nõ igitur est separata entitas, & distincta ab illis: Si enim esset entitas tertia præter partes omnes, quo modo in eas esset diuisibilis, cùm sint extra ipsam?

2. Ratio Secundò. Illa entitas. l. esset substantia, l. esset accidens; non accidens, quia homo, qui totum quoddam dicitur, substantia est: probo autem, quòd non sit substantia, nam si homo est entitas distincta ab omnibus partibus, ergò prius natura est partes simul esse, quam totũ. Demus igitur formã simul esse cum materia, erit iã materia in actu, & perfecta, & hoc est prius natura, quàm totum, ergò totum est accidens, & nõ substantia, nam quod

quod aduenit enti in actu, accidens est.

3.Ratio. Tertiò. Illa entitas per quid distinguitur ab omnibus partibus simul? non seipsa, quia est diuisibilis: nõ per vnam partem, nam talis pars includitur etiam in omnibus simul partibus, id est, homo per quid differt à materia, & forma simul? non seipso, nec per materiam.l. formam, quia materia.l. forma est in ipso aggregato ex materia, & forma: non igitur habet, per quid distinguatur. Hęc est opinio horum Philosophorum.

Græci cõueniũt cũ D.Thom. At inter Græcos inuenio Philoponũ, Themistium, Alexandrum, Simplicium, Eudemum, vnanimes in hoc loco, & cõuenientes cum D. Tho. asserentes totum distingui quidem à suis partibus singulis per se, sed esse idem cum omnibus simul sumptis: verum est, hos loqui expressè de toto integrali, tam homogeneo, quàm ętherogeneo, vt patet apud Philoponũ: at sine dubio idem videntur sentire de toto Physico, cùm oppositũ apud eos non legatur. Idem etiã Auerroes com.17.& Auicenna.3.Meta.cap.3.& 5.

Arabes cõueniũt cũ D.Thom. At si Aristotelem consideramus, videtur asserere, totum à partibus distingui, nam 5.Meta.ca.14.tex.19, dicit, sex nõ esse bis tria, sed semel sex. Et 7.Meta. tex. vltimo. dicit, syllabam ba, non esse B.&, A,& 8.Meta.ca.6.tex.15. totum, inquit, non est coaceruatio partium, sed aliquid præter partes. & 4.Physi.tex. 23. totum, inquit, esse in partibus, & partes in toto: quod quidem esse non posset, nisi distinguerẽtur. &. 2. Animæ in principio. & 7. Meta. cap. 3. triplicem substantiam distinguit, materiam, & formam, & compositum, vbi distinctionem indicat totius, & partium. Hæc de opinionibus.

Quid Aristot. in aliquot locis dũ hac questione cõstituerit

Prima cõclusio. Sit igitur prior conclusio pro resolutione. Totum nõ distinguitur à suis partibus simul sumptis.

Explicatur conclusio. Aduerte. Dupliciter dicuntur partes simul sumptæ, vno modo quoad omniũ collectionem tãtùm, vt nulla sit excepta: altero modo quoad vnionem quandam inter se præter illam collectionem, vt partes simul sumptæ dicuntur omnes partes talem vnionem inter se habentes. Conclusio procedit de partibus simul sumptis modo posteriori, & est notãda distinctio, nam argumenta proposita procedunt de partibus simul sumptis modo priori.

Sensus igitur est, homo non est anima nec corpus, nec anima, nec corpus aggregatiuè, sed anima, & corpus sic vnita inter se, vt altera alteram informet. Idem dico de alijs totis, & eorum partium vnionibus.

Probatur cõclusio. Probatur conclusio præter tria argumenta superius posita. Primò: si illa entitas est distincta ab entitatibus partium simul.l. facit cõpositionem cum illis.l. nõ: Si nõ, ergò homo non est vnus per se, sed plura, quia habet substantias non componentes in se: Si verò facit, ergò præter cõpositionem materiæ, & formæ est illa cõpositio, quam nullus imaginatur.

2. Secundò. Profectò est inintelligibile, quòd aliqua res tertia fiat ex duabus, nisi per mixtionẽ, & corruptionẽ illarũ duarum, sicut mixtum fit ex elementis corruptis, & colores medij ex extremis: at materia, & forma nõ miscentur, sed manent vnitæ: non ergò intelligi potest, quo modo tertia substantia ab omnibus simul iunctis, & vnitis distincta producatur.

2.Conclusio. Secunda conclusio. Quamuis idem prorsus, quod de toto prædicatur, de partibus sic simul sumptis prædicari possit, tamẽ non fiũt prædicationes ita propriæ, sicut cùm de toto prędicãtur propter modum significandi: verè enim dicitur, homo legit, & anima vnita corporì.l. anima simul, & corpus legunt, sed non propriè, quia homo per modum totius, hæc verò per modum partium significant.

Ad argumẽta Scoti. Ad argumẽta proponendum. Ad primum Scoti dicimus, esse magnum discrimen inter totum per se, & totum per accidens: totum enim per se, nõ solùm dicit coaceruationem partium, vt ipsum totum per accidens, sed dicit partes vnitas inter se.l. sicut actum, & potẽtiam.l. sicut continuum.

Ad cõfirmationes. Ad primam, & secundam confirmationem respondetur, quòd procedũt de partibus simul sumptis modo priori, vt explicuimus in priori conclusione, nõ autẽ de partibus simul sumptis modo posteriori, hæ enim sunt ipsum totũ, illæ verò non.

Ad secundum & tertiam. Ad secundum, & tertium eadem est responsio, procedunt enim de partibus non cum vnione sumptis.

Ad

Ad quartum.

Ad quartum respondetur, esse magnã fallaciam argumentari à partibus essentialibus ad integrales, quia homo respectu partium essentialium consideratur tantùm secundum suam substantiam, at respectu partium integralium sumitur homo cum quantitate: idem de alijs totis: & tunc est fallacia figuræ dictionis, mutantur enim prædicamenta.

Ad loca Aristot.

Ad loca omnia Aristotelis respondetur, solùm loqui de partibus absq; vnione cõsideratis: & hoc est, quod docere intendit, totum non esse tantùm ipsas partes, sed superaddere vnionem; & cõiunctionem certam ipsarum partium: propterea dicit, esse aliam substãtiam à partibus, quia totum est ipsæ partes simul vnitæ, non quòd sit noua substãtia ab istis sic sumptis, nam expressè docet. 2. Animæ, tex. 10. Sicut pupilla, & visus sunt oculus: ita corpus & anima, animal.

Explicatur locus Aristot. 5. Metaph.

Sed inter omnia ista loca Aristotelis peculiariter est notandus ille quinti Metaphysicæ, Sex non sunt bis tria, sed semel sex: est enim sensus multò alius, quàm aliqui existimant: hic enim intendit Aristoteles docere, quale nõ esse idem, quod quantum, vt esse album non est esse latũ: & quia in numeris duo hæc considerantur, nempè ipsorum quantitas, & hæc est ipsiusmet numeri, & ipsorum qualitas, scilicet figura, quòd alius sit triangularis, alius quadrangularis. l. alterius figuræ: ostendit quantitatem numerorum non consistere in ipsa figura, sed in vnitatum aggregatione: & hoc est, quod dicit, sex non sunt bis tria, id est, figura ipsa quadrangularis, sed semel sex, idest, sed ipsarum vnitatum aggregatio: Vndè ex hoc loco nihil ad quæstionem præsentem deducitur, si benè intelligitur. Hæc de quæstione.

Conturbantur autem & quæstiones. Tex. XX.

CVM aduersus illos Philosophos dicentes omnia esse vnum, argumẽtatus esset, probando sequi, quòd vnum ens esset contraria, & disparata, & quòd vnum esset multa, inquit etiam posteriores Philosophos conturbatos fuisse, & timere, ne admitterent vnum esse multa: nam si vnus homo dicitur esse albus, & Musicus, & calidus, iam videtur vnum esse multa entia, nam ille homo albus est, Musicus est, calidus est, sunt ergò plura entia, ob id hoc cauentes asserebãt, non esse ponendum illud verbum, Est, sed tantùm dicendum, homo albus, Musicus, calidus: & sic non multiplicatur ens: & huius placiti fuit Lycophron. Alij verò dicebant, non sic, sed verbaliter esse enunciandum, homo dealbatur, calefit, & reliqua: Sic enim non videtur vnum ens, esse plura entia. Huius opinionis credit Alexander fuisse Platonẽm, quem defendunt Philoponus, & Simplicius, docentes hoc non fuisse Platonis, sed parùm hoc refert, cuius fuerit, scire, dummodò sententia intelligatur. Crediderim tamen non esse Platonis.

Tãquam singulariter dicto vno. Tex. XXI.

HOrum turbationem, & euasionem irridet, dicens, eos turbatos esse, ac si vnum non esset multiplex, sicut ipsum ens: ita exponit Philoponus vt, Aut, sit velut, sicut, ac si diceret, est multiplex vnum, sicut ens, ob id non oportuit turbari, vt enim esse possunt diuersa entia definitione, idem tamen subiecto, vt esse album, & dulce, ratione diuersa sunt, sed subiecto idem, nempè in lacte: ita similiter possunt esse multa ratione, vnum subiecto, & hoc pacto vnum multa esse potest. Altero etiam modo sicut in continuo. l. in toto partes sunt diuersa entia in potentia, quatenus per diuisionem possunt esse separata, sunt tamen idem totum, ita sunt multa in potentia, vnum actu: hoc ergò pacto, vnum multa esse potest.

Plura entia dicitur posse esse vnũ subiecto.

Hi igitur dubitabant, & confitebantur, & inferebant tanquàm absurdum, vnum esse multa, cùm tamen verissimum sit, vnum multa esse, vt diximus: sed non eo modo, quo vnum est, multa est: Sic enim fieri non potest, vt aliquid non est vnum ratione, & multa ratione, vnum subiecto, & multa subiecto, vnum actu, & multa actu, vnum potentia, & multa potentia: fieri tamen potest, vt sit vnum sub-

subiecto multa ratione, vnum actu multa verò potentia.

Ex quo loco sumere poteris, aliqua distingui ratione, quę habent diuersas definitiones: alia verò non, quæ habent eandem definitionem: Similiter aliqua distingui subiecto, quæ varijs insunt subiectis: aliqua verò non, nempè, quæ eidem insunt. Concludit ex his tribus contra hos Philosophos, impossibile esse, omnia esse vnum ens.

CAPVT III.

Et ex quibus ostendunt soluere. Text. XXII.

HORVM opinione redarguta ad soluendas ipsorum rationes descendit, quas facilè solui dicit, cũ sint vitiosæ, & in materia, & in forma: in materia quidẽ, quia propositiones falsas assumunt: in forma verò, quia non obseruant rectã syllogizandi rationem, Melissi tamen onerosam magis dicit esse argumentationẽ, id est, vanam, & minus habentẽ difficultatis, sed ex vno falso dato multa absq; difficultate procedunt: horũ verborum superius triplicem dedimus sensum, nunc iste sufficiat.

Quod igitur paralogizet Melissus. Tex. XXIII.

Nota discursum Melissi.

A Ratione Melissi incipit, atque forma, & materia peccare docet. In cuius gratiam aduerte, Melissi discursum hunc esse: probat primò, Ens esse infinitum sic; Quod est factum, habet principium, ergo quòd non est factũ, non habet principium, sed ens non est factum, ergo non habet principium: ꝙ non habet principium, eadem ratione non habet finem, ergo ens non habet finem: tale verò, finem, & principium non habens est infinitum, ens ergo infinitum est. Quod autem ens factum nõ esset, probabat sic: Si esset factum, tunc l. ex aliquo, l ex nihilo: non ex nihilo, qa ex nihilo nihil fit, nec ex aliquo, iã enim hoc esset ens, & ita non fieret. quod enim est, non fit.

Vtebatur secundo discursu Melissus probans ens esse vnum: ens est infinitũ, ergo est vnum, nam si infinitum omnia continet, omnia occupat, & ex hoc tertio inferebat esse immobile, nam si infinitũ est, omnem implet locum, non habet, vnde, & quò moueatur: sic ratiocinatus est Melissus.

Quomodo refellat Arist. discursũ Melissi.

Aristoteles verò primum discursum reprehendit in hoc textu, tanquã forma, & materia vitiosum, illa enim prima pars peccat in forma, eò quòd procedit ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis, ac si quis diceret, est homo, ergo animal, ergo si non est homo, non est animal, ita ille dicebat est factum, ergo habet principium, non est factum, ergo nõ habet principium.

Dices, hoc aliquando licere, vt homo est risibilis, ergo non homo non est risibilis: Dico in conuertibilibus id licere solis, non in alijs: at habere principium, & esse factum, non conuertuntur, vt postea dicetur: peccat igitur in forma.

Quòd verò peccet in materia, propositiones falsas sumens ostendit: & textus quidem est obscurus, sensum tamẽ hunc esse credo.

Nota primò. Duplex principiũ.

Propter quod aduerte duplex esse principium (quantum ad præsentem disputationem facit) & rei, seu magnitudinis, & temporis. Principium temporis dicitur illud instãs, in quo primò aliquid habuit esse, siue tempus illi instanti proximum, vt dies Mercurij præcedens fuit principium ieiunij, & hoc præsens tempus est principium lectionis, nempè principium horæ. Principium verò rei est id, quod cum principio temporis incipit, vt cor est primum rei, quia primò tempore fit in animali, & pars primò producta principium est rei. Similiter in alteratione pars primò alterata, dealbata, aut calefacta, est principium albi, aut calidi.

Nota secundò.

Nota præterea, quòd hic Philosophus in illa propositione, Quod est factum, habet principium, non solùm loquebatur de principio temporis, sic enim nihil cõcluderet: nam quod non habet principium nec finem temporis, tantùm est infinitum in duratione, sed non in magnitudine, vt iste asserebat de ente, sed de vtroq;

vtroq; principio loquebatur: existimabatq;, si aliquid fit, non solũ habere principium temporis, sed etiam magnitudinis, quæ primùm facta sit, & hoc siue sit in generatione substantiæ, quæ dicitur generatio simplex: siue sit in generatione accidentis, q̃ dicitur alteratio, ac in hoc sensu proferebat illam propositionem.

Quam Aristot dicit, esse falsam: nõ enim quod fit, omne habet principium illud magnitudinis, nã aqua cõgelatur, lac coagulatur, aer illuminatur, & non prius vna pars magnitudinis, quàm altera, sed tota simul, licet in tempore fiat talis mutatio. Ex quo apparet falsitas illius propositionis, atq; hæ mutationes dicuntur momentaneæ, quia tota magnitudo simul, & non per partes mutetur, licèt successu temporis id fiat.

Aduerte sic literam esse legendam, inconueniens, & falsum est arbitrari, omnis & generationis non solum simplicis id est, substantialis, sed etiam alterationis esse principium rei, & non solum temporis, cùm fiant multę mutationes simul in aliqua tota magnitudine: ac si dicatut, potest esse in mutatiõe principiũ tẽporis, & non magnitudinis. Nota expositionẽ.

Deinde & propter quid est immobile. Tex. XXIIII.

SEcundum Melissi discursum prætermittens, tertium impugnat: inferebat enim, quia vnum est, immobile est, hoc tamen non valet: nam sicut in aqua, quę pars est vniuersi, accidit, quod sit vna, nihilominus mouetur in se etiam non mutando locum, per partium mutationem, qua vna cedit alteri, vt patet de aqua in vase inclusa, quæ moueri potest intra vas, & mare in suo mouetur alueo, & aer in sua sphæra; ita & vniuersum, licet vnum sit, in se moueri poterit. Prętereа, quia licèt non moueatur localiter, saltem erit mobile secũdum alterationem, cùm non solùm esse mobile contingat secundum locum, sed etiam secundum qualitates.

Ad secundum verò discursum rediens dicit, omnia posse quidem esse vnum ex quo, id est, vnum materia, & subiecto, vt Physici dicebant, vnũ subiectum omniũ ponentes, sed diuersitatem in ratione. At quòd vnum sint omnia ratione, impossibile est, essent opposita idem ratione.

Et ad Parmenidem autem. Text. XXV.

RAtione Melissi soluta, ad Parmenidem conuertitur: erat autem ratio Parmenidis ista, vt exponit Auerroes, & S. Thom. Quicquid est præter ens, est nõ ens; sed non ens est nihil, ergo quicquid est præter ens, est nihil: ẽs est vnũ, ergo, q̃ est præter vnum, est nihil. Iste erat discursus Parmenidis. Agit Aristot. cõtra Parmenidem.

At quia partim opinio huius erat cũ opinione Melissi cõmunis, nempè in hoc quòd ens esset vnum, & immobile: partim diuersa, & Parmenidi propria, nẽpè quòd ens esset finitum, ob id dicit Arist. eundẽ esse modum rationum, & disputationũ contra Parmenidẽ, & contra Melissum, & sunt enim alij proprij, qua parte propriã habet opinionẽ, ipsius tamen rationem dicit esse vitiosam in forma, & in materia, sicut rationem Melissi.

Quòd verò in materia peccet, ostẽdit, vtitur enim Parmenides ipso ente, ac si esset vniuocum, vnam significans naturã communem, cùm dicit, ens esse vnum, & tamen plura est, & multipliciter dicitur. Qui enim ens dicit, vt notat Philoponus solam vocem cõmunem dicit: est igitur illa propositio falsa, ens est vnum, si sumatur (vt iste putat) ipsum ens in cõmuni omnia complectens, esse vnum, hoc tamen falsum est: nam si ens pro singularibus particulariter sumatur, verum est, ens esse vnum, id est, singula, quæ entia sunt, vnum sunt, sed hoc non aufert pluralitatem: falsa igitur est materia, vt ipse eam sumit.

Quòd verò peccet in forma, ostendit instantia quadam. Demus, q̃ albũ sit ens, ita vt non sit ens, nisi album, tunc non valet, etiamsi, quod est præter album, sit nõ ens, quòd album sit vnum, est enim multa, alia enim ratio ipsius albi, alia ipsius, quod suscipit albedinem, est; non quòd sit aliquid præter album, id est, non quòd albedo sit separata à subiecto, sed quòd aliud sit esse vnius, & aliud alterius, licèt coniuncta sint: & hoc, inquit, non vidit Parmenides.

Vbi nota valdè, q̃ Parmenides existimabat

Qua ratione decipiatur Parmenides.

ea, quæ eodem sunt subiecto cõiuncta, esse idem, & quod esse diuersum, & multa erat, esse separata, & in hoc deceptus est, licet enim simul sint multa non ob id vnũ & idẽ secundũ se sunt, quapropter quãuis non esset nisi album, adhuc non vnum, sed multa dicenda sunt esse.

Dices, non esse bonã instantiam, nam album dicit formam cum subiecto. Dico esse optimam, & notandam, nã ita etiam ens significat accidẽs, & substantiam, quę re vera non sunt vnum: ob id maximè albo assimulatur, vt hoc enim multa dicit, ita ipsum ens. Hoc nota.

Necessè est igitur accipere ijs. Text. XXVI.

CVM in textu præcedenti ostendisset, ens vt absolutè, & cõmuniter sumitur, non vnũ, sed plura dicere, sicut album: dicit modò, quòd hi, qui vnum ens dicunt, necessariò ipsum vnum, & ens pro substantia, quæ verè est, & de qua ens propriè prædicatur, debẽt sumere, non autem pro vtroq;, substãtia nempè, & accidenti, sic enim plura sunt, nec pro solo accidenti, & hoc probat in hoc textu: si enim solùm accidens diceretur ens, cũ hoc per se non sit, debet in aliquo esse subiecto, hoc subiectum cùm non sit accidens, non erit ens ex suppositione, ergo erit aliquid, quod non sit: non igitur ens hoc vnum poterit esse accidens alij inexistens, nam nõ habebit rationem entis, nisi etiam subiectum sit, & tunc erunt iam multa entia contra suppositionem.

Si verò quod verè est. Tex. XXVII.

OStendit modò, quòd nec possit dici vnum ens esse ita, vt per ens sola substantia, quæ nulli accidit, intelligatur: & ita sunt verba ista legenda cum interrogatione sic, cur magis substantia dicetur ens, quàm non ens, si eas solam dicat substantiam? & probat, quòd sit dicenda non solùm ens, sed etiam non ens, ista substãtia sit alba, vt potest re vera esse tunc albũ nõ est, cùm nõ sit substãtia ratio albi, non autem accidit cuiq; esse, nisi sit verè, id est, substantia ex suppositione facta. Si igitur albũ nõ est, & substantia est alba, substãtia non est, & ita erit ens, & non ens: quod si album sit ens, profectò multa erunt entia, non vnum.

Quòd si aliquis dicat, non esse absurdum, quòd album sit non ens, puta non ens hoc, aut illud, sicut homo potest dici non ens hoc, puta leo, Respondet, non in hoc sensu album, & accidens dici nõ ens, quia substantia nõ sint, sed absolutè sunt non entia. Si enim sic essent non entia, particulariter essent entia, & ita non vnum, sed multa esset ens.

Neq; igitur magnitudinem. Tex. XXVIII.

PRobat secundò, quòd non possit dici vnum esse ens, si pro sola substantia accipiatur ens, nam sequeretur, quòd nullam haberet magnitudinẽ tale ens, aut esset plura. Si enim illud ens est totum aliquod, cùm ratio partium sit alia à ratione totius, tunc aut non haberet partes, aut iam plura essent, quæ sunt. Sed quòd illę partes sint etiam entia, probat Aristoteles, quamuis possemus dicere esse nouum argumentum procedẽs adhuc, si substantia sola esset, plura esse entia, quia partes sunt etiam substantia: & tunc priora verba de partibus magnitudinis erant, & ita exponit S. Thom.

Est igitur argumentum: Si homo est ens verè, id est, substantia, ipsius partes etiam erunt verè entia, id est, substantia, puta bipes, animal, & sic erunt iam plura entia. Quòd autem sint substantia, patet, si enim non sunt substantia, erunt accidẽtia, tunc autem erunt accidentia communia alijs ab homine, aut propria homini, vtrumq; aũt est impossibile, nam accidens cõmune, quod separabile dicitur, est, in cuius definitione nõ assumitur subiectum: proprium verò, in cuius definitione subiectum sumitur, vt in definitione simi nasus est. Ex hoc supposito Logico, probat in sequenti textu, illas partes nullo modo esse accidentia.

Amplius quæcunq; in definitiua ratione. Tex. XXIX

RATIO hæc est. Ea, quæ sunt de definitione, aut compositione alicuius, nõ definiuntur: intellige essentiali definitione per ipsum, vt genus,

& differentia non definiuntur per speciē: Si ergo partes hominis, animal, bipes, sunt accidentia, & homo non est in definitione ipsorum, ergo sunt accidentia communia, & non propria: tunc sic, si sunt accidētia cōmunia, ergo possunt separari ab homine, & alijs accidere, hoc autem impossibile est, nam homo posset esse non animal, & nō bipes: & præterea homo esset accidens alterius, cuius suæ partes accidentia sunt.

Sed quod verè aliquid est. Text. XXX.

HIC textus, quamuis ab Auerroe aliter exponatur, mihi tamen expositio Sancti Thomæ, & Philoponi placet, vt sit continuus cum præcedenti, & sit sensus, cùm dixisset, hominē esse accidens, si ipsius partes accidentia sunt, subiungit, hominem nulli esse accidens, & quia id non probat, dicit, sit, id est, supponatur, nullius esse accidens, vt interpretatur Philoponus: quod verò sequatur esse accidens, etiam alia suppositione cōfirmat, nempè de quo partes definitionis simul dicuntur, de eodem etiā definitum dici. Ex his concludit, quòd cū necessariò sequatur, ens non esse vnum, si partes habet, necesse dicere, ens esse indiuisibile, si sustinendum est esse vnū: & ita exponunt S. Tho. & Philoponus, licèt Alexander dicat, sensum hunc esse, substantiam ex indiuisibilibus esse, id est, partes substantiæ, vt hominis, non separari ab ipso homine, vt argumēto est ꝓbatum. Melior est prior expositio.

Dubium. An partes definitionis significent diuersas partes rei.

Est hic vnum dubium de his partibus definitionis, an sint partes rei, ita vt sint duæ res componentes definitum. Nec loquimur de definitione Physica, quæ datur per materiā & formā, in hac enim id certum est, sed de ea, quæ est per genus & differentiā, de hac enim loquitur in præsenti Aristoteles dico secundum Auicembron qui multiplicabat tot formas substantiales in vnica re, quot sunt prædicata substantialia, genera & differentię erāt partes veræ rei, quia singula singulas importabant formas. At cùm secundum rei veritatem, & Aristotelem non sit in vnica re, nisi vnica substantialis forma, aliter dicendum est.

Quid Auicembrō

Propterea aduerte, quòd genus & differentia compositæ substantię includunt totam substantiam, vt animal in homine non solam animam, aut corpus dicit, sed totum simul. Similiter rationale: at cū discrimine, nam genera dicunt substantiam rei, vt est principium operationum communiorum, & vniuersaliorum: at differentiæ eandem substantiam, vt est principium operationum particulariorum. Homo enim dicitur animal, vt habet sensum, rationale, vt discurrit. Ex quo sequitur, quòd genus non dicit materiam solam, sed habet se, vt materia: vt enim hæc est communis, & per formam contracta, ita & genus commune quid est, per differentiam contractum. Similiter differentia non dicit solā formam, sed habet formæ similitudinem, quia est determinans & particularis

Quæ vera sententia

Hinc patet quòd genus, & differentia sunt partes rei, sed non sicut materia, & forma, sed ad ipsarum similitudinem, quamuis non ista genera, & differentiæ realiter distinctæ.

Quidam autē rationibus vtrisq;. Text. XXXI.

CVMhucusque probauerit: Si omnia essent vnum ens, sumpto ente pro substantia, quòd sequeretur, ens esse non ens, & quod esset totum indiuisibile: dicit quosdam non habuisse hoc pro incōuenienti, sed concessisse ens esse nō ens, qualis fuit Plato, & cōcessisse magnitudinem esse indiuisibilem, quales fuerunt Zeno & Xenocrates, diuisibilitatem totius in partes negantes. Hos autē non repræhendit Aristoteles vsque in sextum librum: Platonem verò ex his, quæ dicet, impugnat.

Manifestū aūt est. Tex. XXXI.

QVamuis variè isti duo textus exponantur, existimo sensum hunc esse, vt Aristoteles velit ad rationē superius positam Parmenidis respondere, sic, quod quamuis demus, quicquid est præter ens esse non ens: & demus, duo contradictoria simul non esse: ad huc nō est verum, non ens esse nihil. Nam duplex est non ens: non ens absolutè, quod dicitur per negationem omnis entis, & tale nihil est: Aliud est non ens secundū quid,

quid, nempè per alicuius negationem, vt accidens est non ens, id est, non ens perfectum, quod est substantia: & hoc non ens non est nihil, sed ens, nec ista sunt contradictoria. Et quia iste Parmenides dicens esse vnum ens, intelligebat substantiam, ob id illa sua propositio est falsa, nō ens est nihil, nam accidens est nō ens, sed nō est nihil: quod si hoc voluit Plato cōcedens, ens esse non ens, benè dixit.

Impugnat etiam aliud, quòd si ens sumatur pro vno, nempè substantia, omnia erunt vnum: hoc dicit esse falsum, nam omnes intelligunt per ens, quod verè est, id est, substantiam, cum hoc tamen plura sunt, vt dictum est. Hæc sint circa opiniones horum.

Simplicius dicit, hos Philosophos asseruisse, hoc ens immobile esse Deum, quem Plato dicebat nō esse ens, nō quòd non esset, sed quòd perfectissimo modo esset, sicut dicimus albedinē nō esse albā quia albedo essentialiter dicit albedinē, albū verò per participationē, sed quicqd sit, credo hos non de Deo locutos fuisse, sed de mundo toto, vt superius diximus.

An sit vera hæc ꝓpositio: tātum vnū est ens.

Dubitatur de veritate huius, Tantùm vnum est ens. Respondetur, quòd si inspiciamus sensum, in quo hic sumitur, sic est proferenda, Ens est tantum vnū, & est de excluso extremo; & sic exponenda, ens est vnum, & non plura, in quo sensu ab Aristot. reijcitur. Potest aliter sumi, vt sit exclusiua, nempè tantùm vnum est ens, l. tantum est ens vnum, & est sensus, omne vnum est ens. l. omne ens est vnum, & sic est vera, nec est sic ad præsentem locū attinens. Et miror in re nihili, quam aliter multi intelligant, hanc propositionem non penetrantes sensum Aristotelis in præsenti.

CAPVT IIII.

Vt autem Physici dicunt. Tex. XXXII.

POSTQVAM contra non naturaliter loquentes disputauit, ad naturaliter loquētes cōuertitur, ac ipsorum sententias in duas diuidit partes. Quidam, inquit, vnum principium faciunt, nempè vnum ex tribus elemētis, puta ignem, aquam & aerem, aut medium corpus inter ignem, & aerē: terram nullus solam posuit præter Hesiodū, qui non cōputatur inter Philosophos, sed inter Poetas. Hi aūt hoc principium rerū ponentes dicebant, raritate, & densitate varias res fieri, densitatem aūt defectum, raritatem excessum vocant: quod idem dixit Plato, qui magnū, & paruum rerū principia esse dixit, quamuis non eodē modo: illi enim rarum, & densum dicebant esse formas rerum, materiā verò illud elementū: at Plato magnum, & paruum materiam, vnum verò, id est, ideam, formam dicebat: in hoc tamen vno conuenēre, quòd contrarietatem in principijs ponunt.

Alij verò Philosophi multa principia ponunt, quæ processerunt ex vno, in quo omnia continebantur confusa, quòd dicebant chaos, ob id vnum, & multa ponebant: atq; hi fuerunt Anaximander, Anaxagoras, & Empedocles, quamuis hic ab illis duobus differat in duobus Primò hic multoties hæc principia ad chaos redijsse, & reditura & iterum ex chao processisse, & processum affirmabat: & hæc est circulatio: vnde multoties mundus corrumpetur, & iterum fiet; Illi verò, semel mūdum ex illo chao processisse, nec amplius rediturum dicebant. Præterea illi infinitas particulas omnium rerum faciunt contrarias, & specie differentes; hic verò quatuor tantùm principia facit, nempè, quatuor ista elementa. Circa harum opinionū explicationem repete, quæ diximus superius in epilogo opinionum Philosophorum de principijs.

Videtur aūt Anaxagoras sic infinita. Tex. XXXIII.

DVO fundamenta Anaxagoræ, quibus ipse suam opinionem affirmabat, ponit. Alterum est; quia sibi persuasit illud principium commune, ex nihilo nihil fit, quod omnes naturales receperunt, ac ob id dicebant, nihil de nouo generari, sed generatiōes esse quasdam alterationes, puta densationem, aut rarefactionem vnius principij: ita Anaxagoras, & alij credebāt, propter eandem causam nihil fieri de nouo, ac ob id ge-

id generationes esse dicebant congregationes athomorum vnius speciei: & separationes ab alijs athomis: sic enim nihil fiebat de nouo, licèt appareret de nouo alio modo, quàm antea erat.

Amplius aût ex eo, quod fiunt. Text. XXXIIII.

ALterum fundamentum Anaxagoræ erat, quia videbat res transmutari inuicem, aqua enim in ignē conuertitur, caro in terram, & reliqua: tunc argumentabatur sic: Cùm ex aqua fit ignis. l. in aqua erat ignis. l. non: si nō, ergo ex nō igne fit ignis, & ita ex nihilo: si verò sic, ergò iam in illa aqua præcesserant particulæ ignis, ex quibus congregatis ignis factus est: antè enim propter paruitatem ipsarum sentiri non poterant. Ex quo asserebat, omnia esse in omnib. res tamen differentes apparere propter maiorem congregationem pluriū athomorum eiusdem rationis, non quòd res sincerè, ac purè ex vnica constent natura, Textus est clarissimus.

Si igitur infinitum. Tex. XXXV.

Prima rō cōtra Anaxagorā

INcipit multis hanc Anaxagoræ opinionem redarguere: ac primò ex ea sequeretur, compositum naturale non posse cognosci, nec ipsius esse scientiam, sic nullum infinitum, vt infinitum est, potest cognosci: at principia rei naturalis infinita sunt, ergo cognosci non possunt: Sed scientia rei non est, nisi ex principiorum cognitione, ergo rerum naturalium non est scientia. Maior explicatur: dicitur vt infinitum est, quia res infinita potest cognosci, sed non secundum id, quo infinita est, vt de linea infinita, si esset, posset cognosci, quod esset quantitas continua absq; latitudine, at verò eius longitudo non posset cognosci, quia infinita est. Similiter si in qualitate infinitum aliquid est, in ea ignotum est. Loquimur autem de cognitione rei, non nominis, nam infinitum cognoscitur esse id, quod fines non habet, cum igitur compositæ res infinitis constent principijs, secundum Anaxagoram, compositum cognosci non poterit, nec erit scientia rei naturalis.

Amplius autem si necesse est. Text. XXXVI.

SEcundum facit argumētum contra quoddam dictum Anaxagoræ: ponebat enim rerum particulas minimas adeò, vt diuidi non possent: argumētatur modò Aristoteles non cuiusque rei partes posse esse sub quacunque minori quantitate, & ita non erunt omnium rerum particulæ illæ indiuisibiles. Argumentum est huiusmodi: non quodcunq; totum potest indifferenter esse sub quacunque parua quantitate, ergo nec eius partes, nam totum à partibus dependet: antecedens patet, animal enim non potest esse sub quacunq; quantitate perfectum, ergo nec partes ipsius, ossa, caro, nerui, & reliquæ, sed certam sibi determinant quantitatem, sicut & ipsum totū & hoc maximè apparet in totis ætherogeneis, & eorum partibus. 2 Ratio.

Amplius si omnia insunt. Text. XXXVII.

TErtium argumentum est, in quo proponit quædam dicta Anaxagoræ, & vnum aliud suum, & conatur ex aliquibus illis principijs reducere ipsum ad falsitatem aliorum principiorum. 3. Ratio.

Primum dictum Anaxagoræ erat hoc, Omnia sunt in omnibus. Secundum, non fiunt res, sed ex illis principijs congregatis & ad vnum separatis fiunt. Tertium, vnumquodq; denominatur à pluribus illis principijs cōgregatis. Quartū, quodlibet fit ex quolibet, id est, ex quacunq; re fit quæcunq; res, cùm in omnibus omnium lateant principia. Vltimum principium est: omne finitum per ablationē finiti consumitur: intellige per ablationē continuam partiū æqualiū consumitur, nam per partiū medietates proportionales procedendo diuisio in infinitū tēdit.

Ex his probatur, quòd nō in vnoquoque sint omnia: sumo aliquam partem aquæ, ab hac separetur caro, & iterum separetur caro, & iterum clarū est, quòd semper minor pars carnis separabitur: cùm igitur caro non procedat in infinitum semper minor, vt dictum est proximè,

mè, peruenietur ad aliquam, qua minor extrahi non possit; tunc petitur. l. ab illa aqua adhuc separabilis est caro. l. non: si non: ergo habetur contra ipsum, non in omnibus esse omnia: Si sic, illæ, quæ separandæ sunt, erunt æquales, & sic consummabitur tota caro, quæ erat in aqua per quintum principium. l. erunt infinitæ partes æquales, & ita in magnitudine finita erunt partes finitæ æquales numero infinitæ, quod omni rationi repugnat, atque impossibile est.

Ad hæc aût si omne quidē corpus. Tex. XXXVIII.

4. Ratio. QVARTVM constituit argumētum contra idem: detur minima caro, quæ possit esse, cùm quodlibet fiat minus per remotionem alicuius partis: sequitur, quòd si ista sit minima & ab eo possit separari aliquid, quod fiet minor, & ita dabitur pars minor minima quod esse non potest.

5. Ratio. Quintum etiam facit argumentum. Si quodlibet est in quolibet, in qualibet parte erunt etiam infinita, & in his infinita, & ita erunt infinita infinities in infinitis distincta inter se, & actu existētia, quod quidem rationis metas prorsus egreditur: non ergo in omnibus sunt omnia.

Nunquam autem non segregatū iri. Tex. XXXIX.

QVoddam dictum Anaxagoræ laudat tanquam verum, sed non sciēter dictum, id est, ipse in alio sensu proferebat, qui verus non erat. dictū est hoc, non posse quodlibet separari à quolibet, quod quidem verum est de accidentibus, quæ à substantia nequeunt separari, cùm non possint esse, quin alterum sit, nempè subiectum. Similiter verum hoc est de partibus continui, quæ per diuisionem nequeunt finiri, cùm diuisibilitas in infinitum procedat, nec minima magnitudo dari possit.

Ex quo reprehendit principium efficiens, quod posuit Anaxagoras, quā mētem vocabat, dicebat enim istud principium omnia segregasse in athomos proprias ex illo chao, in quo omnia erāt cōfusa, dicit Aristot. hanc mentem stultam esse: quia intentabat facere, quod non poterat: non enim accidentia, & partes omnes continui separari possunt.

Nec mireris, quòd Aristoteles superius dixit esse minimam carnem, hic verò dicit nō esse minimam magnitudinē: nam hic loquitur de partibus solius quāti, quæ in infinitum procedunt, illic de toto naturali, & substantiali, cuius diuisio non procedit in infinitum: sed hoc posterius est examinandum. Nota.

Non rectè autem. Tex. XL.

MOdum generationis Anaxagoræ reprehendit, ipse enim per similia generationem ponebat, quia nempè congregantur partes similes vnius rationis, hoc reprehendit, nam aliquando non fit ex congregatione similiū, nā lutum fit quidem ex multis partibus luti, sed aliquando ex dissimilibus, puta ex aqua, & terra: Similiter domus ex lateribus, & lignis, ita & aer ex aqua: non ergo omnis generatio ex similibus fit. Hæc sunt, quæ Aristot. contra Philosophos de rerum principijs disputat.

An res naturales habeant certos limites quantitatis. Quæstio. IX.

DVIVS quæstionis, quæ maximè notanda est: duplex est, sensus, alter de re, nempè an res naturales suæ magnitudinis terminos habeant, vt non possint quoscunque excedere, similiter & terminos paruitatis. Alter sensus est de modo, nempè an hi termini intrinseci, an extrinseci sint, & de hoc in quæstione sequenti disputabitur: prior in præsenti est discutiēdus. Duplex sensus quæstionis.

Aduerte autem per res naturales hic intelligi composita substantialia, tam homogenea, & inanimata, quàm æthero-genea, & animata seu viuētia. Nō enim modò de accidentib. nec de actionib. nec de potentijs, sed de cōpositis substantialibus est sermo: esset enim limites extra modū excedere, & materias cōfundere. Primum fundamētum. Quō hic intelligatur nomine rerum naturaliū

De his autem substantijs quæstio tripliciter intelligi potest: primò de fācto esse, nempè an ita modo sit, quòd detur maximum, & minimum corpus. Secundo, de potentia supernaturali. Tertiò de potentia Triplex alius quæstiōis sensus.

potentia naturali, & quia non in his omnibus est inter Philosophos dissensio, ea, quæ certa, & sine controuersia sunt, primo constituamus.

Prima cõclusio.

Sit igitur prima conclusio. In facto esse datur modo maximum corpus, & minimum non solùm in genere, sed etiam in qualibet specie: & hoc est certum, nam vltimum, supremumq; cælum est modò maximum omnrũ, quæ in natura sunt, & ita etiam est minimum aliquod, licèt nobis forsan sit ignotum, erit fortasse minimus acarus. Similiter in qualibet specie datur, & maximum, & minimum illius speciei, siue affirmatiuè, id est, maximũ, l. minimum aliorum, siue negatiuè, id est, quo nullum aliud sit maius. l. minus, vtroque enim modo exponi possunt cõparatiua, & superlatiua.

2. cõclusio.

Secunda conclusio. Nullum corpus habet certũ limitem magnitudinis, aut paruitatis respectu Dei absolutæ potentiæ, sed quocunq; dato, potest maior. l. minus facere, prout ipsius omnipotenti libuerit voluntati. Hæc conclusio probatur, ex communi consensu: quicquid nõ implicat contradictionem, potest Deus facere, sed non implicat contradictionẽ, res sub maiori. l. minori esse quantitate, ergo id Deo non est denegandum.

3. cõclusio.

Tertia conclusio. Viuentia habẽt certos limites magnitudinis, & paruitatis de potẽtia naturali, ita, vt natura nõ possit sub quacunq; quantitate maiori. l. minori indifferenter viuẽtia producere, & cõseruare. Hæc cõclusio est Aristotelis in præsenti text. 36. vbi quia totum ipsum animal quantitatẽ habet determinatam, quam excedere non possit: probat etiam partes determinatas esse. & 2. Animę. tex. 41. omnium, inquit, natura cõstantium, id est, viuentium, certus est terminus augmẽti, & decrementi. & 7. Politicorum, cap. 4. ciuitates suos certos terminos habere docet, sicut animalia, & plantas. Prętera probatur. causa, & modo augmẽti viuẽtium est limitata, ergo & ipsum augmentum: antecedens declaratur: causa instrumentalis augmenti, & quantitatis viuentis est calor naturalis, qui consumit partes viuentis, & nutrimento nouo easdem reparat: at dum magis reparat, fit remissior, & debilior, ita, vt minus reparet, quàm deperdat: Si igitur hæc finita causa, & hoc modo auget, augmentum erit sine dubio finitum. Prętera, tertiò. In viuentibus sunt certa organa, & partes ætherogeneæ, quæ non sub quacunq; quãtitate possunt componi, ergo terminus, & limes determinatus est. Prętera, quartò: quia quod natura nũquam fecit hucusque, signum est, non posse facere, sed nunquam est compertum, homines maiores montibus, aut minores formicis, non ergo id natura potest facere, si enim posset, potentia frustra esset, nisi aliquando peruenirent ad actum.

4. conclusio.

Quarta conclusio. Non viuentia ex se, & ab extrinseco non habent certum limitem suę magnitudinis, ratione tamen extrinseca habẽt: explicatur in igne, ignis ex se non habet certam magnitudinem, imò vt dicitur. 2. Animæ. tex. 41. Si infinita combustibilia ei apponerentur, in infinitum crescere t, tamen quia locus suus naturalis est secundum naturam determinatus, & desunt combustibilia, habet certam magnitudinem: idem de alijs elementis, & de mixtis inanimatis.

Rõ notanda quatũ cõclusionis.

Ratio huius conclusionis est notanda ex discrimine augmenti viuentiũ, & non viuentium. Viuentia enim augentur ab intrinseco, puta calore naturali, cõuertente cibum in substantiam viuentis, ex qua actione ipse calor deficit, & debilior fit. Similiter ipsa viuentis forma subintrat in illud nutrimentum, non enim noua anima in nutrimento producitur, & postea viuẽti copulatur, hoc enim fit in igne, ob id non verè augetur, sed aĩa viuentis informat illam materiam nutrimẽti: at nõ viuentia per appositionem similiũ augentur ab extrinseco. puta aqua additione aquæ, & reliqua similiter: idem de igne. Ignis enim lignum ignẽ prius facit, postea sibi copulat: Ex hoc sumitur argumentum. Tota ratio augmenti nõ viuentium est ab extrinseco, ergo intrinsecè nõ terminãtur, sed extrinsecè ad sensum expositum.

Differentia positiõnis quæstionis ex posita de minimo

In his conclusionibus non est cõtrouersia inter Philosophos, at de paruitate horum non viuentium est difficultas, an detur minimum in homogeneis. Et attẽde, q̃ non est difficultas, an in homogeneis detur minima pars: certũ enim est, dari

Paruitatis non viuẽtium.

Explicatur sensus istius dubij.

dari non posse, quia cùm omne continuũ sit in infinitum diuisibile, non poterit signari pars quantitatis ita parua, quin minor signari possit, nempè eius medietas, & iterũ alia, & alia. Sed quæstio est de minimo per se existẽti, an dentur partes minores, & minores absque limite per se existẽtes: nec est etiam difficultas, an istæ possint resistere cõtrario corrũpenti, sed an hoc repugnet ab intrinseco ex parte ipsius rei, semoto quouis cõtrario, ita, vt secundum se nõ possit esse minor, & minor absque termino particula rei per se: & in hoc sensu disputatur de minimo naturali homogeneo, an detur, an non.

Prima sentẽtia Sco. de minimo nõ viuentium.

Scotus. 2. Sen. dist. 2. q. 9. putat, tale minimum non dari, sed quocunq; dato, potest ex se minus subsistere. Argumẽta huius sententiæ præcipua sunt.

1. Ratio.

Primùm. In istis non datur terminus magnitudinis, vt dictũ est, ergo nec paruitatis, æqua enim videtur ratio.

2. Ratio.

Secundò. Ex parte materiæ nõ datur talis terminus, quia est diuisibilis in infinitum: non enim est tam parua materia, quin minor esse possit: ergo nec in ipsis compositis erit iste terminus.

3. Ratio.

Tertiò. Forma horum inanimatorum est diuisibilis in infinitum, vt accidentia ipsa secundum quantitatem, ergo nõ datur terminus in composito.

4. Ratio.

Quartò. Illud tale minimum, si detur, est quantum, ergo est diuisibile: reducatur ergo ad actum diuisio, & tũc erit minus illo minimo.

5. Ratio.

Quinto. Agens agit successiuè, ergo prius producit minus, quàm maius, & nunquam dabitur minimum, quin aliud minus primò productum detur: non erg o est terminus in his. Hæc sunt argumẽta pro opinione Scoti.

Quinta conclusio cõtra Scotum.

Sit igitur circa hoc quinta conclusio. Probabilis est sententia Scoti, sed multò probabilior est opposita opinio communis, quod detur minimum etiam in homogeneis.

2. Ratio.

Probatur primò ex Aristo. qui tex. 38. dicit, quod si à minima carne aliquid esset separabile, daretur minus minimo, quod repugnat: vide quomodo minimũ admittat.

2. Ratio.

Præterea manifestè probatur. Omne ætherogeneum componitur ex homogeneis, sed per Scotum in homogeneis non datur terminus paruitatis, ergo nec in ætherogeneis dabitur, quod est cõtra ipsum Scotum, & contra Aristotelem, vt diximus in conclusione tertia: antecedẽs autem notum est, nã venæ, arteriæ, ossa, caro, è quibus partes ætherogeneæ componuntur, homogenea sunt.

3. Ratio.

Præterea, tertiò. Aristoteles. 1. Animę. tex. 24. inquit, actus actiuorum esse in patiente disposito, non enim recipitur forma, nisi in materia disposita, sed vna ex certis dispositionibus, & præcipua est quantitas: ergo sicut reliquæ sunt determinatæ, etiam & quantitas erit.

4. Ratio.

Præterea, quartò. Et est argumentum Auerrois. 8. Physi. com. 15. ad actionem agentis est necessaria certa quantitas, quã deficiente, actio non erit; potest enim securis esse tam parua, vt non scindat. Hinc sumitur argumentum: Res nõ potest esse in illa quantitate, in qua non potest operari, non enim est esse sine operatione, sed ad operationem est necessaria certa quantitas quoad paruitatem, ergo etiam ad ipsum esse.

Ad argumẽta Sco ti.

Ad argumenta igitur Scoti respondẽtur. Ad primum negatur consequentia: est enim dispar ratio paruitatis, & magnitudinis in homogeneis; nam magnitudo est ab extrinseco prorsus, nempè per appositionem partium. l. additionem: at verò paruitas est ab intrinseco, eò, quòd omnis forma secundum se quantitatem petit, in qua operari possit, hæc autẽ non est minor, & minor sine termino.

Ad secundum.

Ad secundum neganda est etiam consequentia, nam licet materia secundũ se sit diuisibilis in infinitum, tamen vt substat actioni agentis, & formæ introducẽdæ, necessario habet certam quantitatẽ, sicut & alias dispositiones.

Ad tertiũ

Ad tertium dicitur, quòd quamuis ipsa forma sit diuisibilis ita, vt partem extra partem habeat, & non sit tota in qualibet parte materiæ, tamen non est diuisibilis ita, vt quælibet pars, quantumcũque minor, per se possit existere.

Ad quartum.

Ad quartum dicitur, quod licet illud minimum, vt quantum, sit diuisibile, tamen actu diuidi non potest, quin partes corrumpantur, non propter magnitudinem, sed propter formam naturalẽ, quæ certam

tertam petit quantitatem: nec hoc est fi-
ctum: imò Scotus tenetur hoc ipsum fa-
teri de cælo, quod etiam si sit quantum,
actu diuidi nequit, propter ipsam cæli na-
turam, quæ diuidi nequit.

Ad quintum. Ad quintum respondetur, quòd quã-
uis agens successiuè agat, tamen cùm pas-
sum debeat esse intra sphæram actiuita-
tis illius agentis, necesse est, vt secundum
plures partes sit, & perfectè, & æqualiter
applicatum, & in eis simul aget, & nõ suc
cessiuè per partes minores, & minores: q̃
si solùm apponeretur particula materiæ
minor minima distans, ita, vt ignis non
posset eam sibi vnire, non induceretur ig-
nis forma propter ratiões prædictas. At-
que satis sint ista de priori quæstione.

*An terminus quantitatis rerum na-
turalium sit semper intrinsecus.*
Quæstio. X.

QVAESTIONE de re exami-
nata, superest de modo ipsi⁹ ter-
mini disputare. Ante omnia au-
tem sunt maximè modi isti in-
telligẽdi, vt facilius postea determinatio
procedat.

Duplex terminus circa magnitudinẽ, alter extrinsecus, alter intrinsecus. Circa magnitudinem aduerte, duos es
se modos limitum, & terminorum: alter
est intrinsecus, alter extrinsecus. Intrinse
cus est, cùm datur certa quantitas, quam
possit res attingere ita, vt maiorẽ nõ pos-
sit, & talis terminus dicitur maximum q̃
sic, & terminari per maximum quod sic,
non aliud est, quàm quòd res aliquã quã-
titatem possit attingere, vt maiorem nõ
possit. Extrinsecus est, cùm datur quanti-
tas, quam propter ipsius magnitudinem
res non posit attingere, tamẽ minorem
illa potest attingere: vt si dicas, decem
pondera non possum portare, quodlibet
minus possum, tunc decem pondera es-
sent minimum quod non, quia inter mul
ta pondera alia, quæ tu portare non po-
tes, illud est minimum: ita dicendum de
magnitudinibus, ad quas res per augmẽ
tum peruenium.

Duplex item termin⁹ paruitatis, alter intrinsec⁹, alter extrinsecus. Sunt etiã alij duo termini paruitatis,
& intrinsecus, & extrinsecus. Intrinse-
cus est, cũ datur aliqua parua quantitas,
sub qua res esse possit, tamẽ sub minori es
se non possit, & talis terminus dicitur mi
nimum quod sic, id est, sub hac quantita-
te res esse potest, sub minori esse non po-
test. Extrinsecus est, cũ datur parua quan-
titas, sub qua res esse non potest, tamen
sub maiori esse potest, & talis terminus
dicitur maximum quòd non, quia inter
quantitates, quas res non potest attinge-
re propter suam paruitatem, illa est ma-
xima, ob id dicitur maximum quòd non,
quia sub illa non, sub maiori verò quacũ-
que potest. Sunt ergo illi termini magni-
tudinis, maximum quòd sic, minimum
quòd non: isti verò paruitatis, minimum
quòd sic, maximum quod non: affirma-
tiui sunt intrinseci, negatiui extrin-
seci.

Sẽsus quæstionis. Ex his est modò sensus quæstionis no
tus: petim⁹ enim, supposito, quòd res na
turales terminẽtur quoad magnitudinẽ,
& paruitatem (vt dictum est in quæstiõe
præcedenti) quomodo terminantur in-
trinsecè, an extrinsecè?

Prima sẽtia Pauli Veneti. Paulus Venetus, quem multi docti se-
quuntur, existimat, terminos hos esse ex-
trinsecos, puta per minimum quod non,
& maximum quod non.

1. Ratio. Ipsius argumentum potissimũ est hoc.
Si enim magnitudo intrinsecè termina-
retur, sequeretur, quòd res desineret per
vltimum sui esse, quod est contra omnes
Philosophos, & probatur. Detur istud ma
ximum, & sit maximus homo, qui maior
esse non possit, tunc moriu vespæ infle-
tur; tunc. l. morietur. l. non: Si non, datur
maior maximo, si sic, tunc cùm iste per
inflationem moriatur, & inflatio sit mo-
tus, qui incipit per vltimum nõ esse, erit
tunc verum dicere, nunc non est inflatio,
& immediatè post hoc erit inflatio, sed
si est dicere, non est nunc inflatio, ergo e-
rit dicere, nunc est homo, & immediatè
post hoc erit inflatio, ergo immediatè
post hoc non erit homo, desinit ergo esse
per vltimũ esse, nempè nunc est, et imme
diatè post hoc non erit; quod quidem est
impossibile, vt postea est probandum.

2. Ratio. Secundum argumentum est eiusdem
rationis de minimo. Detur enim illud mi
nimum, tunc applicetur aliquod condẽ-
satiuũ, tunc destruetur per condensatio-
nem, sed condensatio, cùm sit motus, in-
cipiet per vltimum non esse, non est, sed
immediatè post hoc erit: vnde erit ve-
rum

rũ dicere de illo minimo, nunc est, & im-
mediatè post hoc non erit, quod est vlti-
mum esse.

3 Ratio. Tertium argumentum. Si detur maxi-
mus ignis saltem ratione loci, tunc appli
cetur ei stupa, si non comburit eam, pro-
fectò mirabile est, quòd tã magnus ignis
non comburat: si verò comburit, dabitur
maior maximo, quia per additionem il-
lius crescet maximus.

4. Ratio. Quartò. Detur minimũ. v. g. terrę, & cũ
sit corruptibile, diuidatur, tunc. l. partes
permanebũt sub specie terrę, & sic erit mi
nus minimo. l. corrumpentur: & tunc
non apparet, quod ex eis fieri possit, cùm
generatio alicuius sequatur corruptio-
nem. Hæc igitur sunt argumenta pro
hac sententia.

Primum fundamẽtum. Nota dupliciter nos posse agere de quantitate viuentium. Circa hoc distinguendum mihi vide-
tur. De quantitate enim viuentium dupli
citer loqui possumus: Vno modo de ea
quantitate, quæ à virtute naturali, & ca-
lore intrinseco augmenti factiuo proue-
nit, seu de ea, quæ ad introductionẽ for-
mæ necessaria est, q̃ dicitur quãtitas via
generationis: Altero modo de quantita-
te, q̃ aliquo accidẽti prouenit, qualis in-
flatio, tumor, contractio, & similia sunt.
In non viuentibus locum non habet ista
distinctio, quia magnitudo ab extrinse-
co, paruitas ab intrinseco prouenit.

Prima cõclusio. Quo supposito, sit prima conclusio:
Probabilis est sententia Pauli Veneti, nec
oppositum demonstratur, potestque opti
mè sustineri.

2. Conclusio. Secunda conclusio, quę mihi rationa-
bilis multò apparet, sit ista. Viuentia quo
ad quantitatem naturalem, quam virtu-
te caloris proprij attingunt, determinan
tur intrinsecè per maximum quod sic, &
minimum quod sic: at verò ratione quã-
titatis illius accidentalis extrinsece ter-
minantur.

Prima ratio ꝓ prima parte cõclusionis. Prior pars huius conclusionis videtur
sine dubio Aristotelis. 2. Animæ. tex. 41.
Omnium, inquit, natura constantium, id
est, viuentium certus est terminus aug-
menti, & decrementi, vbi per certum ter-
minum intrinsecum videtur intelligere.
Et confirmatur: causa instrumentalis pu-
ta calor naturalis ipsius augmenti, simi-
liter & forma sunt determinatæ intrin-
secè per maximum quod sic, ergo & ipsa
quantitas ab eis proueniens.

2. Ratio pro secũda parte conclusionis. Secũda conclusionis pars probatur ex
primo argumẽto Pauli Veneti, & etiam
ex secundo, qua parte ad viuentia perti-
net, illæ enim quantitates accidentales
extrinsecè terminantur.

Tertia cõclusiõ. Tertia conclusio. In non viuentibus
existimo, semper minimum esse intrinse-
cum, de maximo dictum est non dari ab
intrinseco, & probatur ex Aristotele tex.
38. dicit, à minima carne nihil posse sepa-
rari, vbi minimum datur etiam via sepa-
rationis: & probatur, quia si illud mini-
mum paulatim corrumperetur, vt aliqui
dicũt, in illo medio tempore daretur mi
nus minimo, & etiam minus maximo q̃
non. Fatendum ergo est, minimum illud
intrinsecũ esse, & simul totum corrũpi.

Ad argumenta. Ad argu-
mentum, non est contra nos, illa enim quan
titas est extrinseca viuenti, & secundũ il-
lam non datur maximum quod sic, sed
minimũ quod non, vnde ille homo non
moreretur propter solam illã inflationẽ,
cùm possit etiã sub illa conseruari quan-
titate. Aliqui verò cõcedentes, quòd mo-
reretur, dicunt, quòd nõ desineret per vl-
timum sui esse, nam illam inflationẽ pre-
cederet aliqua qualitas illius causatiua,
& huius daretur primum esse, vt sit verũ
dicere, nunc est talis qualitas, & tale pri-
mum esse huius esset vltimum non esse
inflationis, vt dicatur, nõ est inflatio, sed
immediatè post hoc erit: Dicunt modò,
quòd in illo primo esse illius qualitatis
non esset homo, & ita desineret per pri-
mum non esse, nunc non est, sed imme-
diatè ante hoc sunt. Ista responsio mani-
festè est nulla, nam cùm homo ille non
moriatur alia causa, nisi propter inflatio
nem, quandiu ista non fuerit, erit ille ho-
mo: at in illo primo esse illius qualitatis
non est inflatio, vt patet, ergo erit homo:
& hoc considera: ob id dico, quod non
moreretur ille homo iuxta nostram cõ-
clusionem.

Ad secundum. Ad secundum (si de minimo in nõ vi-
uentibus intelligatur) dico, quòd non est
illa condensatio sine præuijs qualitatib.
illius effectiuis, & primũ esse harum ante
condensationem est primum non esse mi
nimi illius, quia sicut cõdensationẽ pati
non potest, ita nec illam qualitatem con-

dēsationis causatiuam, vndè ab hac corrumpitur per primum non esse.

Ad tertiū Solutiōes aliorum.

Ad tertiū verior solutio.

Ad quartum.

Ad tertium dicūt aliqui, quòd si ignis esset iam maximus, ita, vt omnem suum locum occupauerit, si ei apponeretur stupa, non cōbureret eā, ne detur maius maximo. Alij dicunt, quòd combureret, sed quòd nō vniret eam sibi. Alij verò, quòd vniret eam sibi, sed alia parte, alia tanta particula ignis corrumperetur.

Mihi videtur dicendum, quòd si iam totus locus naturalis ignis est occupatus, quòd comburet illam stupam, vniendo sibi, tamen condensabitur parū, quātum sufficit pro illa parte ignis. Quòd si dicas, quid si ille ignis sit iam in tota condensatione, quam eius natura potest pati? Dico, quòd etiam comburet, sed extra se, non vniendo illam sibi, sed in aere, proximo. Quòd si dicas, quid si aer est in tota condensatione, vt iam maiorem nō possit pati? Dico propter vehemētem actionem ignis comburet illam stupam, & aliqua pars aeris condensabitur in aquam. Quòd si adhuc sis importunus, & dicas, Quid si iā aqua sit maxima, & omnia elementa sint in dispositione illa, quæ decresci non potest? Dico in isto casu imaginario, non comburet stupam illam totam defectu loci naturalis capacis illius.

Ad quartum respondetur cum Ianduno. q. 16. quòd diuidetur illud minimum, tamen partes corrumpentur in medium circūstans. Quòd si dicas, quomodo medium circunstans potest sub illis particulis esse? Dico, quòd non erit sub illis particulis per se existentibus, sed simul cum medio copulatis. Quòd si petas, diuidatur in vacuo? Dico, quòd si est forma in natura, quæ sub illis partibus conseruari possit, prouidente natura, in illis introducetur: quòd si non, non poterit naturaliter corrumpi tale minimum, supra naturaliter corrumpetur, sed tunc Deus illas particulas sub eadem forma minimi conseruabit, quia (vt diximus) respectu diuinæ potentiæ non datur maximū, nec minimum. Ista non sunt paruipendenda, quia quāuis ex suppositione procedant ficta, aperiunt tamen naturā rei. Atq; satis de quæstione. De accidentium verò, motuum, & potentiarum termino posteà dicendum est.

CAPVT V.

Melius autem est pauciora. Tex. XLI.

POSTQVAM nec vnū, nec infinita esse principia ostendit, infert, melius esse finita, & pauciora facere: plura tamen id, quod Empedocles facit, qui principia quatuor statuit.

Nota discursum quō Arist. venatur numerū principiorum.

At quia ipse Aristoteles principiorum numerum venari vult, principium quodam primò statuit, nempè principia esse contraria, nec hoc ponit tanquam corollarium commune opinionibus Philosophorum, vt volūt Simplicius, & Themistius, sed tanquam fundamentum intentum ad indagādum principiorum numerum, vt exponit D. Tho. licet illius probationem petat ex eo, quòd omnes ita sentiant, & huius rei grātia, refert opiniones veterum, & hoc fortè voluerunt Simplic. & Themist.

Nota triā necessariò requiri in omni motu, & mutatione.

In cuius declarationem aduerte, quòd in omni motu, & mutatione (secundum omnes etiam antiquos Philosophos) necessariò sunt tria: id cui? est motus, l. mutatio, id à quo, & id in quod mutatur. l. mouetur: vt est mot? à loco hoc in illud, sunt ista tria in eo, & quod mouetur, nēpè animal, & locus à quo, & locus in quē mouetur. Similiter cùm ex calido fit frigidum, & in quacunque mutatione. Inter hæc tria oportet, vt duo sint cōtraria, & opposita, nempè à quo, & id, quod, quę dicuntur termini, nam si non essent opposita, sed idem, non fieret ab vno in alterum motus, aut mutatio, ex quo fit, vt in omni mutatione, & motu semper sint principia, id est, termini duo contrarij.

Nota quō probat Arist. principia esse cōtraria.

Prima via.

Hoc igitur est, quod hic Aristoteles intendit probare, principia esse contraria, nempè generationis, mutationis, & motus rei principia oppositionem habere: et hanc propositionem probat duplici via: Prior est ex communi omnium Philosophorum consensu, quo quidē pacto principia in scientijs probari solent. Omnes igitur Philosophi, & qui vnū, & qui plura posuerunt principia, non solùm talibus principijs contenti fuerunt, sed etiā contrarietatem quandam in ipsis posuerunt, qua mediante fierent mutationes: vndè Parmenides calidum, & frigidum posuit nempè terram, & aquam. Alij, qui vnum posuerunt, aquam, aerem, aut aliud tale, densum, & rarū posuerunt contraria, vt ista esset mutatio à raro in densum, & à denso in rarum. Qui verò plura (vt Democritus, de quo superius diximus) etiam contrarietatem posuerunt. Democritus enim, solidum, & inane, quę vocabat ens, & non ens posuit, & sic ponebat generationem, & mutationem inter contraria: vocabat solidum, cùm athomi erāt coniunctæ, vt nihil relinquerent medium vacuum: Inane verò spatia media inter athomos, & sic generationem ponebat, vt ex vacuo, & inani fieret densum, hoc est, cōgregarentur athomi: ècontra verò in corruptione, propter hanc contrarietatem terminorum, & inter ipsas athomos ponebat contrarietatem, differebant enim: quædam erāt angulares, quædam sine angulo. Differebāt prętera positione: quędam sursum, quędam deorsum: antè, & retrò: Differebant etiam ordine, quædam priores, quædā erant posteriores: hæc autē cōtraria sunt.

Dubium.

Solutio.

Dubitatur, quomodo Parmenides duo principia posuit, cùm non nisi vnum superius posuerit. Respondet S. Tho. & cōmuniter omnes, quòd vnū posuit secundum intellectū, & rationē, hæc verò duo secundum apparentiā, & sensum. Philoponus dicit, Parmenidem, non tanquàm verum, posuisse duo, sed sequendo vulgus: at ex propria sentētia vnum posuit. Melior verò prior expositio.

Quod igitur contraria quodammodo. Tex. XLII.

INfert, omnes cōtraria principia quodammodo posuisse. Dicit, quodammodo cōtraria, quia, vt dicit Simplicius, ipsa non sunt verè contraria: sed ipsi existimabant cōtraria. l. quia contraria hic pro priuatiuis sumit, & hanc rationē recipit Auerroes. D. Tho. verò exponit quodammodo cōtraria, id est, modo quodam, quia non omnes eundem modum ponebant contrarietatis. Subiungit autem Aristo. quòd meritò ponebant principia contraria, & probat tali ratione. Principia sunt, quæ non fiunt ex alijs, nec ex alterius, sed ex ipsis omnia fiunt: sed prima contraria sunt huiusmodi, ergò prima contraria sunt principia, & per conuersionem principia sunt contraria. Minorem probat: quia si prima contraria sunt prima non fiunt ex alijs, aliàs prima non essent, si verò sunt contraria, ex alterutris, id est, ex se inuicem.

Nota qd significet præpositio ex.

Vbi nota, quòd ista dictio, Ex, dicit habitudinem principij essentialis, componentis, vt sit sensus, principia non fiunt ex alijs, nec ex se inuicem tanquā ex principio essentiali componenti, non enim vnum principium ex alio, nec vnum cōtrarium ex alio componitur essentialiter. At verò in tertio loco, Ex, dicit habitudinem partis componentis, & etiam habitudinem termini à quo, sicut dicimus, ex nocte fit dies, & qua parte dicit habitudinem partis compræhendit materiam, & formam, ex quibus res componitur, qua parte verò habitudinem termini dicit priuationem, & cōtrarium includit, ex quo, vt ex termino fit res, vt ex non igne fit ignis: sed hoc posterius examinabitur.

Nota.

Aduerte, quòd prima contraria vocat ea, quæ ex alijs non fiunt, sunt enim cōtraria, quæ ex alijs fiunt, vt qualitates secundæ ex primis, & contraria positiua ex priuatiuis: quædā, quæ nō ex alijs fiunt, vt priuatiua: & ista sunt principia.

Sed oportet hoc & in ratione considerare. Tex. XLIII.

RAtione quadā ab inductione sumpta, vt notat Auerroes, probat tertiam partem assignatam in definitione contrariorum principiorum, nēpè, quòd ex ipsis omnia fiant. Supponit autem tria: Primum, non quodlibet agit in quodlibet: Alterum, non quodlibet patitur à quolibet: Tertium, non quodlibet fit à quolibet. Hoc autem tertium explicat, reliqua enim duo in libris de generatione tractāda sunt, quòd actio. l. passio solū fit inter cōtraria. Quòd verò nihil fiat per se ex alio, nisi ex suo cōtrario, manifestat exemplis: album enim non fit ex Musico, sed ex non albo per se: quòd

quòd si acciderit, non album esse Musicũ, fiet etiam ex Musico; sed per accidẽs. Eodem modo, Musicum primò fit ex immusico: & ne quis deciperetur existimans, non album, non Musicum, & similia sumi indifferenter pro qualibet re, quæ habet negationem talium formarum, subdit, quod nõ ex quocunque non albo fit album, sed ex illo, quod est nigrum. l. medium: Similiter dẽ immusico, & de alijs.

Primum dubium quõ vnũ cõtrariũ fiat ex altero.

Dubitatur: quomodo vnum contrariũ hic ex alio fieri dicitur, cùm superius dixerit, contraria non fieri ex se inuicem? Respondet Simplicius, & Philoponus, q̃ illic dixerat, contraria non fieri ex se inuicem, vt ex partibus, hic verò dicit, fieri vt ex termino: vt enim dicimus, ex nocte fit dies, id est, post noctem, ita ex albo fit nigrum, id est, post album fit nigrum.

Solutio Simpli. & Philop.

Secundũ dubium. Cur ex cõtrario, vt ex termino, fiat alterũ, & ñ vt ex subiecto.

Dubitabis iterum, quare ex contrario vno, vt ex termino, fit alterum? Respondet. S. Tho. quia subiectum, quod debet recipere alterum cõtrarium debet esse in potentia proxima ad illud: & quia quando vnum aliud in contrarium inest illi, est in potentia proxima, quia eadẽ est potentia & subiectũ contrariorũ, ob id vnũ cõtrariorum fit ex altero, vt ex termino.

Solutio D. Thom.

Nota triplicẽ terminũ generationis.

Tu tamen hic aduerte cum Auerroe, quòd triplicẽ terminum possumus assignare in generatione, primus est per se primus, & hic est priuatio formæ producendæ, vt ignis fit ex non igne, quia id, quod ante omnia est necessarium in termino, est, vt non sit id, quo tenditur per generationem. l. mutationem, aliàs ista non essent: ista autem priuatio non solam dicit negationem formæ introducendæ, sed etiam potentiã, & propinquam ad talem formam, aliàs nõ esset primus terminus.

Primus terminus.

Secũdus terminus

Alter terminus est per se, sed non primus, & iste est ipsum contrarium. l. dispa ratum, in quo est talis priuatio, vt ex igne fit aqua, & iste termin⁹ est per se propter ratiõem Sancti Thomę: & etiam quia est necessaria actio alicuius agẽtis ex tali termino educentis formam, vnde debet agere in ipsum; non autem ageret, nisi esset dissimile sibi, & aliquo modo oppositum: ac ob id dixit Aristoteles non quodlibet agit in quodlibet, nec quodlibet patitur à quolibet.

Tertius terminus

Tertius terminus est per accidens, nempè id, quod cùm termino coniungitur, quod ad generationem nihil facit, vt ex Musico fit album, vt diximus superius.

Neque igitur corrumpitur in contingens. Text. XLIIII.

SICVT superius dixit, non quodlibet generari ex quolibet, sed ex contrario. l. medio. Habet enim rationem contrarij medium, ita etiam modò dicit esse in corruptione; vnumquodque enim non in quodlibet corrumpitur, sed in suum oppositum primò, vt album in non album. l. medium, similiter Musicum in non Musicum, nempè contrarium. l, medium, si quod habet.

Nota.

Attende, quòd non differt corruptio à generatione, nisi in hoc, quòd generatio incipit ab esse priuato, corruptio verò ab esse positiuo, & affirmato, vt generatio ignis est à non igne in ignem mutatio, corruptio verò ab igne in non ignem: terminus à quo vnius est, terminus ad quem alterius.

Similiter autem & in alijs. Tex. XLV.

HOC principium, quòd quodlibet non à quolibet generetur, nec in quodlibet primò corrumpatur, in omni mutatione veritatem habere probat, siue sit mutatio simplex, siue sit mutatio composita. Simplex dicitur, cùm aliquod extremum simplex fit, vt cùm fit album, cùm fit Musicum: Composita, cùm totum aliquod habens partes fit, siue partes habeat secundum compositionem, vt domus, siue secundum proportionem, vt consonantia, in his omnibus ex contrario, & in contrarium fit mutatio, vt ex immusico musicum fit, & musicum in immusicum corrumpitur. At hoc interest, quòd in compositis nõ semper habem⁹ nomina, quibus tales cõtrarios terminos explicem⁹: non enim dicitur, domus fit ex indomo, sicut cõsonantia ex inconsonantia; at re ipsa,

ipsa, talia contraria, ex quibus fiunt, & in quæ corrumpuntur, sunt.

Nota.

Vbi aduerte, cùm Aristoteles inter antiquos modò loquatur, exempla solùm mutationum accidentalium ponit, vt etiam inter Antiquos receptum fuisse confirmet hoc principium. Illi autem mutationes substantiales non cognouerunt, propterea eas prætermittit, sed veritatem in his etiam habet.

Differt autem nihil in consonantia. Tex. XLVI.

EXempla posuerat de toto secũdum quandam coniunctionem, & proportionem, hoc etiam modo veritatem habere in alijs docet, siue quæ in ordine consistunt, vt exercitus, siue quæ in compositione, vt statua, domus. In his omnibus semper quod fit compositum, seu totum ex suo fit primo contrario, quamuis talia tota non sint eiusdem rationis, sed alia in partium ordine, alia in partium compositione consistant.

Si ergo hoc verum est. Tex. XLVII.

EX his concludit tertiam illam particulam, quam probare intenderat, omnia fieri ex cõtrarijs: probat autem sic. Omnia, quæ fiunt, ex contrarijs, aut medijs fiunt: quæ verò ex contrarijs, & medijs fiunt, ex contrarijs fiunt, media enim contraria sunt: ergo omnia, quę fiunt, fiunt ex contrarijs. Igitur quę natura sunt, aut sunt ipsa contraria, aut ex contrarijs fiunt, vnde constat, principia esse contraria, quo autem modo ista sit propositio intelligẽda, in quæstione examinabitur.

Hucusque igitur ferè secuti sunt. Tex. XLVIII.

HOc ipsum Antiquos etiã attigisse docet, quamuis non rationibus persuasos, sed sola veritate compulsos: vt enim Sanctus Thomas dicit: Lapis sine cognitione naturaliter in centrum fertur, ita, & intellectus hominis aliquando in verum absque vlla ratione trahitur. Differunt tamen isti Antiqui. Quidam enim principia contraria priora ponunt. Quidam posteriora. Illi priora ponunt, qui notiora secundum intellectum faciunt, vt qui dicunt magnum, paruum, par, & impar. Illi verò posteriora, qui notiora secundum sensum, vt qui calidum, & frigidum, aut siccum, & humidum, principia faciunt: vnde differenter loquuntur de contrarijs.

Quare est eadem dicere. Tex. XLIX.

AT quamuis isti non idem dicant, aliquo modo idem videntur dicere. Dicunt quidem idem secundũ analogiam, & proportionem, quia omnes contraria principia sumunt ex eadẽ coordinatione, id est, inter se opposita, aut vtraque posteriora, vt calidum, frigidum: aut vtraque priora, vt par, impar: nullus enim confundit cõtrarium prius cum posteriori: sic autem idem dicere videntur, sed nõ dicunt idem: nam alius sumit contraria vniuersalia, & cõtinentia, vt magnum, paruum: alius particularia, & contenta, vt calidum, & frigidum, vnde euenit, vt alij melius, alij peius philosophẽtur. Illi melius philosophantur (vt notant Simplicius, & Philoponus) qui vniuersalia cõtraria faciunt: illi peius, qui particularia, & posteriora: nam principia communia, & prima esse debent.

Vltimò explicat Aristot. quę dicantur notiora secundum intellectum, illa nempè, quę vniuersalia sunt, vt magnum, paruum: illa verò notiora secundum sensum, quæ particularia, vt rarum, densum: sensus enim singularium, intellectus vniuersalium est. Non est hic locus disputãdi, an intellectus singularia cognoscat primò, non enim ex professo ab Aristotele id traditur modò, est enim id ad libros de anima pertinens.

An principia sint contraria. Quæstio XI.

CIRCA quæstionem hanc est primum argumentum: Principia rerum sunt substantiæ, sed substantiæ nihil est contrarium, Primum argũ.

contrarium, principia ergò non sunt contraria.

Secundò. Inter hæc principia tantùm est priuatè contrarietas,: sed priuatio nihil est, cùm sit negatio: ergò non conuenit ei esse principium.

Secundũ argumẽt.

Tertiò. Principia componunt rem: sed contraria non possunt componere rem: non enim res ex contrarijs componitur, non ergò sunt principia contraria.

Tertium argumẽt.

Quartò, cùm dicitur, ex contrarijs fieri rem, l. est tanquàm ex partibus, & hoc non, vt diximus in tertio argumento: nec tãquàm ex termino à quo, quia hoc non nisi priuationi inest, vt ex non igne fit ignis: non ergò ex contrarijs fiunt res.

Quartum argumẽt.

Circa hoc aduerte, quòd cùm Aristoteles dicit, principia esse contraria, nõ hoc vniuersaliter de omnibus principijs intelligere oportet, nam secundum Aristotelem materia, & forma non sunt contraria, & secundum Antiquos etiam principium materiale non erat contrariũ formalibus, vt aqua non erat contraria raritati, & densitati. Propositio igitur illa indefinita est, principia sunt contraria, id est, aliqua principia.

Primũ fũdamentũ. Quo intelligat Arist. principia esse contraria.

Aduerte secundò, cùm audis, principia non fieri ex alijs principijs, vt partibus, non intelligas, quòd non fiant ex alijs principijs Logicis, aut Metaphysicis, puta generibus, differentijs, & esse, essentia, & alijs: nec quòd non fiant ex partibus quantitatiuis, nam materia, & forma diuisibiles sunt, & partes habent secundũ quantitatem: sed intellige, quòd non habent alia principia Physica, ex quibus sint: non enim materia ex materia, nec forma ex forma, nec priuatio ex priuatione conficitur.

Secũdum fundamẽtum. Quõ intelligitur, principia non fieri ex alijs.

Aduerte tertiò, quòd circa illã definitionẽ principiorũ est duplex opinio: Cõmunis opinio est, quod illic omnia principia comprehendantur, & tunc illa duo priora, Ex, dicunt habitudinem partis cõponentis, vt sit sensus: Principia sunt quæ ex alijs non componuntur, nec ex se inuicem. At illud aliud, Ex, dicat habitudinem partis componentis, & habitudinem termini, vt sit sensus, sed ex ipsis omnia fiũt, nempè aut ex partibus, vt materia, & forma, aut ex termino, vt ex priuatione.

Tertiũ fũdamentũ. De diuersis sentẽtijs circa definitũ in definitiõe principiorum.

At verò Themist. hoc solùm de contrarijs principijs intelligi vult, & tunc illud vltimum, Ex, solam termini habitudinem dicet, & ratio huius est, quia Aristoteles nihil intendit modò de materia, sed solùm de principijs contrarijs.

At quamuis hoc verum sit, negari non debet, illam esse definitionem omnium principiorum cõmunem, præsertim cùm nullam aliam ab Aristotele alibi habeamus. Propterea dicendum est cum opinione communi, vt explicuimus. Oportet ad argumenta deuenire, ex quibus declaratio eorum, quæ dicta sunt, dependet.

Quid sentiat Autor de definito illius definitionis.

Ad primũ respondetur, quòd hic non loquimur de immediata contrarietate, hæc enim solùm est inter formas mutuò actiuas, & passiuas secundum se, quales sunt qualitates. Substantiæ verò, cùm non mutuò secundum se agant, nõ habent hanc contrarietatem. Non enim cum Alexandro, & alijs Græcis sentio, qui calorem, & reliquas qualitates formas substantiales elementorum ponũt: atq; ob id contrarietatem in substantijs ponunt. nos verò propriam contrarietatem, & immediatam à substantijs semouemus. Cùm autem Arist. hic contrarietatem ponit, priuationem oportet intelligere, & non puram oppositionem priuatiuam, vt dicemus in argumento secundo: sed habentem partem positionis, & affirmationis.

Ad primũ.

Nota cõtra Alex. & alios ꝑ esse contrarietatẽ immediatã inter substãtias.

Ad secundum aduerte, quòd illa priuatio, quam contrariam dicimus formæ producendæ non solùm dicit negationẽ illius formæ, sed importat potentiã quãdam, proximam in subiecto, in quo est illa priuatio: & præter hoc ponit aliquam formam positiuam, aut contrariam, aut oppositam aliquo modo formæ producendæ. Vndè cùm audis ex non igne fieri ignem, ex non albo album, per illas priuationes, negationes talium formarum intellige, cum potentia proxima in subiecto ad albedinem. l. ad formam ignis: & præter hæc oppositas formas, puta aquã, aut aerem. l. aliud oppositum igni, & nigrum. l. medium oppositum albo, vt supra declarauimus in textu. Vide igitur ad argumentum, quod non est tantùm negatio ipsa priuatio, quæ principium

Ad secundum. Nota quãlis sit priuatio quæ est vnũ ex contrarijs principijs.

pium dicitur.

Ad tertiũ Alia sunt principia rei in fieri, alia rei factæ.

Ad tertium admitto omnia principia componere, sed generationem & mutationem rei: at vero rem ipsam tantũ duo componunt, puta materia, & forma, priuatio verò non, vnde est intrinsecum generationis principium: & hoc sufficit, nõ autem ipsius rei.

Ad quartum.

Ad quartum dico, quòd inter illa duo principia contraria, vnum componit rẽ, puta forma, alterum verò contrariũ est terminus generationis rei, puta priuatio, vt bene dixit Burleus. Vnde cùm audis, res fieri ex contrarijs, intellige ex vno, vt ex termino, & ex altero, vt ex parte formali.

CAPVT VI.

Quòd igitur contraria oportet esse principia. Tex. L.

Discursus, quo colligit Arist. tria esse principia rerũ naturalium.

POSTQVAM principia esse contraria, probatum est, nunc ipsorũ numerum indagare cõtendit: atque vult constituere hanc propositionem. Principia sunt tantùm tria, in cuius gratiam (vt nihil improbatum relinquat) probat has: principia sunt plura vno: principia non sunt infinita: principia sunt plura duobus: principia non sunt plura tribus: Omnes autem ex illo principio deducit: principia sunt contraria.

Principia sunt plura vno.

Probat igitur primã propositionem, contraria sunt plura vno, principia sunt contraria: ergo sunt plura vno.

Principia non sunt infinita. 1. Ratio.

Probat secundam multipliciter. Primò, si principia essent infinita, compositi non esset scientia: quod falsum est, & probatur antecedens: nam compositum scitur ex principijs, hæc autem si infinita sunt, sciri non possunt, cùm infinitũ non sit scibile.

2. Ratio in vno genere vna contrarietas.

Secundò, in vno genere vna est contrarietas, sed substantia vnum est genus: ergo in ipsa vna est contrarietas: vnius autem contrarietatis non sunt, nisi duo extrema: non sunt ergo principia infinita.

Nota.

Attende per substantiam hic compositam substantiam sensibilẽ intelligi: per genus verò prædicamentum, in quo tales substantiæ continentur. In hoc autem vnica est prima contrarietas, nempè priuatio, & habitus, vt substantia non substantia reliquas sub se continens, scilicet homo non homo, ignis non ignis, & similes, nam ad hanc omnes reducuntur, atque eadem contrarietas est etiam in alijs prædicamentis, puta priuatiua.

Tertiò probat. Frustrà fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: Est enim natura maximè ordinata, nec abundat, nec deficit in necessarijs, sed sufficiunt ad omnes mutationes finita principia: non ergo opus est infinita facere. Patet minor, nam omnia, quę Anaxagoras per infinita principia facit, Empedocles facit etiam per quatuor: non ergo sine necessitate sunt multiplicanda.

1. Ratio. Frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora.

Quartò probat, & est sic intelligenda ratio. Si infinita sunt principia, cùm illa sint contraria, sine dubio omnia contraria essent principia: at constat, multa esse contraria, quæ principia non sunt: nõ ergo principia hæc contraria sunt infinita. Quòd verò sint contraria, quæ principia non sunt; patet: nam album, nigrum: dulce, amarum non sunt principia, cùm ex alijs contrarijs fiunt: at principia semper manere debent.

4. Ratio.

Dices, quid est, quòd principia cõtraria semper maneant? Dico cum Philopono, quòd in omni mutatione inueniantur, vnde illa contraria, quæ ex alijs fiũt, non semper manent, id est, non in omni mutatione sunt, nam in mutatione illa contrariorum, ex qua ipsa facta sunt, nõ inerant: & per hæc dat intelligere priuatiuam oppositionem, quæ est in omni mutatione: & ad quam aliæ contrarietates reducuntur: non igitur principia vnum, nec infinita sunt.

Dubium.

Solutio Philop.

Quòd igitur neque vnum. Tex. LI.

TErtiam propositionem probare aggreditur, nempè principia esse plura duobus, & facit primã rationẽ sumptam etiam ex contrarietate principiorum sic. Nullum contrarium alterum contrarium facit, non enim calor frigiditatem facit, nec lis amicitiam, nec raritas dẽsitatem; vt ergo aliquid fiat, vnum

Principia sunt plura duob. 1. Ratio valdè obseruanda.

tertium subiectum est constituendum, à quo mutuò se illa expellant contraria, & hoc adeò verum est, vt quidam Philosophi non solùm præter contraria vnicum subiectum posuerint, ex quo res fierent naturales, sed plura, imò & infinita: & hæc ratio est notanda, conuincit enim, præter contraria principia esse aliquod tertium constituendum, non enim aliter imaginari potest, quomodo ex vno contrario alterum fiat.

Ad hæc autem adhuc, & hoc aliquis. Tex. LII.

2. Ratio. SECVNDA ratione idem probat, & sunt hæ duæ maximè attendendę. Sic procedit: nulla contraria sunt cōponentia substantiā rei, at principia sunt componentia substantiam rei: ergo principia non sunt contraria: maior est certissima: minorē probat, & exprimit, maior enim tacita est: probat sic: si principia nō essent substātia rei, essēt de subiecto, hoc est, accidētia: sic autem posteriora essent, cùm subiectum sit prius, hoc autē repugnat principijs: non ergo sunt contraria.

3. Ratio. Tertia ratione idē probat sic: substantia non fit ex non substantijs: at contraria sunt non substantiæ, cùm substantiæ non insit contrarium: ergo principia, ex quibus fit substantia, non sunt cōtraria.

Nota vim in discursu Arist. Nota ingeniū Aristotelis: nā per hæc argumenta concludit, non posse fieri, vt omnia principia sint cōtraria, vt inde deducat, esse ponendum aliud principium tertium, quod non sit contrarium, puta materiam, ex qua cùm forma fiat, & cōponatur res, & nō posse similiter omnia principia esse non substantiam, sicut priuatio est nō substantia, vt ponatur aliud, quod sit substantia, puta materia, sicut etiam forma est substantia, & ex vtraque fit compositum.

Nota. Vndè illa est indefinita, principia sunt contraria, & etiam hæc, principia non sunt contraria, & vtraque vera est, quod non posset esse sine tertio principio: & hoc est, quod dicit in textu sequēti: quod si vtraque est vera, debet esse tertiū principium.

Quocirca si quis & priorem. Tex. LIII.

DIcit igitur, quòd si defensare volumus vtramque rationem, puta principia esse contraria, vt superius est probatum, & principia non esse contraria, vt modo probatum est: est necessarium tertium principiū subiectum facerę, id, quod antiqui faciunt, ponētes præter contrarietatē, aquam, aerē, aut aliud simile, licet isti nō rōne id psuaserit.

Et nota diligenter horum textuum expositionem: multi enim multa dicunt, & nescio, an mentem ipsam Aristo. attigerint.

Videtur autem medium magis. Tex. LIIII.

LAudat eos, qui potius corpus medium posuerunt principium, quàm elementum aliquod, nam hoc tale medium plus distat ab ipsis contrarijs vtrisque. Elementa enim habent qualitates inseparabiles, at id, quod principium est, debet ęquè se ad cōtraria habere: propterea melius corp⁹ mediū, quàm vllum elementum principiū fecerunt; propterea, qui posuerūt aerē, melius dixerunt, & post hos, qui posuerūt aquā, q̄ illi, qui ignem, nam illa duo minus sensibiliter cōtraria habent, & facilè patiuntur, & recipiunt contraria: vide igitur, quanti referat subiectum præter contraria ponere.

Sed omnes vnum hoc. Tex. LV.

OStendit, non fuisse Philosophos contentos cum hoc solo materiali principio, sed præterea etiam cōtrarietatem superaddūt, quidam rarum, & densum: quidam abundantiam, & defectum, nempè magis, & minus, seu magnum, & paruum, ponentes.

Addit aūt quòd ista opinio de magno, & paruo, & vno est antiqua, quamuis nō eodem modo à Platone proferatur: nam illi magnum, & paruum, p forma: ipsum verò vnum, puta aquam, aut quid simile pro materia cōstituebant: at Plato magnum, & paruum materiam, vnum verò puta idem, formam existimabat. Nota.

Tria igitur dicere elementa esse. Tex. LVI.

QVartam propositionem probat, nempè principia nō esse plura tribus. Principia non sunt plura tribus.

Rō. Arist. bus, duasque rationes facit. Prior est: Si sunt plura tribus, oportet aliam saltèm contrarietatem facere, cùm principia debeant esse contraria, tunc illa contrarietas, vel habebit idem subiectum cum altera, vel non: alterum non habebit, quia ad patiendum, sufficit vnum subiectum: si verò habebit idem, tunc quicquid generatur ex vna, generatur ex altera. l non: Si sic, superflua erit vna contrarietas: si non, neutra erit principium, cùm ex ea non generentur omnia: hæc est ratio integra Aristotelis.

Eadem rō Arist. aliter cōstruitur. Potest etiam aliter componi, & forsan melius sic. Si sunt principia plura tribus, aut ex eo, quòd multiplicatur subiectum, & hoc non, quia ad patiendum respectu vnius contrarietatis sufficit vnum subiectum: imò vnius contrarietatis non est nisi vnicum subiectum: aut ex eo, quòd multiplicantur contraria, ita, vt sint quatuor contraria prima, & tunc non, quia oportebit multiplicare subiecta, quod esse non potest. Nā demus aliud subiectum cum sua contrarietate, tunc peto, an sint sufficiētia generare ista tria per se, an nō, clarum est, esse, cùm ad actionē sufficiāt, duo contraria cum vno subiecto: ergo superflua est alia contrarietas, cùm ex vna possit esse generatio: & ratio ista est sic cōponenda, & est admodum notāda expositio. Laborant enim multi in ratione ista exponenda.

Primum dubiū, cur subiectū vocatur ab Ari. natura media. Dubitabis primò: quare subiectum vocet naturam mediam. Dico medium triplex esse, aut permixtionē extremorum, sicut rubrum, viride, dicuntur media inter album, & nigrum: quia ex mixtione albi, & nigri facta sunt. Est aliud medium per extremorum negationem, vt lapis est medium sani, & ægri: quia nec est sanus, nec est ęger. Aliud est medium per potentiam ad vtrumque extremum recipiendum, & sic in præsenti subiectum, & materia dicitur natura media, quia est in potentia receptiua vtriusque extremi. Nota triplex medium.

Secundū dubium. Dubitabis vlterius, qūo quælibet contrarietas habet suum subiectū? nonne calor, frigus, & alia cōtraria mixto insunt? Dico, quòd hic non loquimur de contrarietate particulari, puta hac. l. illa, sed in genere: nam clarum est, in vnico subiecto posse multas priuationes multarum formarum inesse, & varia contraria, puta calorem, albedinem, amaritudinem: sed loquimur de prima contrarietate, puta priuatiua, & generica, & talis contrarietas multiplicata multiplicat subiecta.

Posterior ratio Aristotelis est. Vnius generis non est nisi vnica prima contrarietas, intellige communem contrarietatem. possunt enim esse multæ particulares, quædam priores, quædam posteriores, vt qualitates secundæ, quæ ex primis componuntur: At substantia vnicum genus est: ergo ipsius est vnica contrarietas prima, & sic principia substantiæ, de quibus est sermo, non poterunt multiplicari ex parte contrarietatis, vt dictum est. Posterior rō Arist.

CAPVT VII.

Quòd igitur neque vnum sit. Tex. LVII.

CONCLVDIT, principia nec esse vnum, nec plura tribus. At quia nō satis probatū est, an vnū sit materiale prīcipium, dicit, adhuc, quæ dicta sunt, dubitationem habere: id autem tractare aggreditur, ac primùm in communi de subiecto mutatiōis loquitur, posteà particularius de subiecto substantiali dicet, sic enim est ordo maximè naturæ, id est, Physico accommodatus, vt à communibus ad particularia deueniat, quod etiam in procemio docuerat.

At vt intentū Aristotelis possis penetrare, quia hæc, quæ hoc in loco dicūtur, sunt fundamenta Philosophię ipsius, aduerte, quòd per mutationes accidentales indagat ea, quæ sunt in mutationib⁹ substantialibus. In mutatione autem accidētali inuenimus primò duo extrema, inter quę fit mutatio, vt cùm aliquid ex calido fit frigidum, est calor, & est frigiditas. Secundò inuenitur aliquod subiectum distinctum ab vtraque forma, puta corpus aliquod, in quo est calor, & frigiditas. Tertiò, istud subiectum permanet idem sub vtroque extremo, tamē vnum extremum recedit, alterum manet cum subiecto eodē, vt cùm ex calido fit frigidum, est aliquid, quod antè habebat calorem, & Nota primò. Explicatur vis discursus Aristote. de principijs quia est fādamentū totis Philosophiæ naturalis.

rem, & per mutationem recedit calor, & succedit frigiditas cum eodem tamẽ subiecto, & sic fit talis mutatio accidentalis: sic proportionaliter intelligas in mutatione substantiali, quæ fit secundum formas substãtiales, oportet dari vnicã substantiam, & subiectũ, in quo fiat talis mutatio, & ista erit sub illis vtriusq; formis, modò sub vna, posteà sub altera: tamen re eadẽ erit materia. v.g. cùm ex aqua fit ignis, quæ est mutatio substantialis, oportet dare aliquid vnum, quod sit sub vtroque extremo mutatiõis, hoc est materia, quæ modò est sub hac, modò eadem sub illa forma. In hoc tamen differt hæc materia à subiecto mutationis accidentalis, quòd hoc est aliqua substantia composita: at in mutatione substantiali subiectũ est substantia de se non habens formam, vt possit mutari secundum formas.

Nota secundò. Quam viã tenuit Aristo.

Attende autem diligenter, quòd modus procedendi Aristotelis iste est, probat enim, q̃ in mutatione qualibet id, quod mutatur, est compositum, id est, habet aliquid, quod amittat, aliquid, quod permaneat sub alio termino mutationis, vt cùm album fit nigrum, oportet dare aliquid in albo, quod recedat, puta albedinẽ, & aliquid, quod permaneat sub nigredine, & id est subiectum. Hoc igitur etiã dare oportet in mutatione substantiali; est namq; aliquid, quod recedit: aliquid, quod permanet, & hoc est subiectum, & materia, reliqua sunt formæ. Hoc est, q̃d Aristoteles docet: & multò latius à nobis hæc examinanda sunt. Ad literam interpretandam accedamus.

Dicimus enim fieri ex alio aliud. Tex. LVIII.

Dup'iciter loqui possumus in mutationibus.

DVplicem loquẽdi modũ assignat in mutationibus substantialibus, quibus dicit, aliud fieri ex alio, & in mutationib. accidentalibus, quibus ex altero fit alterũ. Nam, aliud, in substantia diuersitatem facit: alterum verò in accidenti. Exempla tamen in accidentali mutatione cõstituit, quia de substantiali nihil adhuc certũ est. Accidentali ergo mutatione aliquando dicitur fieri simplex, aliquando aliquid compositum. Simplex est, cùm id, quod fit, id est, primum extremum, seu subiectum verbi, & quod fit, id est, alterum extremum, seu prædicatum. Simplicia sunt, vt homo fit Musicus, seu immusicum fit musicum: Compositum verò est, cùm vtrunque extremum complexum quoddam est, vt homo immusicus fit homo musicus.

Et aduerte, quòd illud primum extremum dicitur, quod factum est, alterum verò, quod fit, tam in simplici, quàm in composito. Nota.

Simplex autem distinguitur, aut cùm extremum primum, puta quod factũ est, est ipsum subiectum, vt homo fit musicus: aut cùm est oppositum, vt immusicum fit musicum.

Hęc autem simplicia dupliciter differunt. Primò, quantum ad ipsam locutionem; nam per oppositũ dupliciter loquimur: aut in recto, dicendo, immusicum fit musicum. aut per obliquum, ex immusico fit musicũ: at per ipsum subiectum, quamuis aliquando in obliquo loquamur, dicendo: ex ęre fit statua. Id tamen non est semper in omnibus: non dicitur, ex homine fit musicus, sed homo fit musicus. In cõpositis verò, quãuis non meminerit Aristoteles, tamen vtroq; modo loquimur, nempè ex homine immusico factus est homo musicus, & similiter homo immusicus factus est homo musicus. Rationem horum inferius intelliges.

Eorum autem, quæ vt simplicia. Tex. LIX.

ALterum discrimen ponit inter illas mutationes quoad rem. Nam subiectum semper permanet cum forma, quæ aduenit, vt homo cum musico: at oppositum siue in simplici, siue in composito recedit, vnde immusicũ non manet cum musico. Et nota hic attentè textum, nam propterea dixit superius esse duos modos loquendi, & per oppositum, & per ipsum subiectũ, vt intelligas, in mutatione esse vtrumq;, & ipsum subiectum, & ipsum oppositum, quamuis in locutione per oppositum tantùm oppositum exprimatur, & in altera simplicĩ subiectum: in composita verò vtrunque. Et etiam discrimen assignauit, vt scires subiectum ab extremis distinctum, & sub vtroque permanere. Hæc multùm meditare.

Determi-

Determinatis autem his. Tex. LX.

EX his, quæ dicta sunt, concludit, in omni mutatione semper dari vnicum subiectum, quod mutatur, & permanet sub vtroq; extremo, etiam in illa mutatione, qua oppositum dicitur fieri, nempè immusicum fit musicum, nã immusicum subiectum dicit, non distinctum secundum numerum à se, tamẽ distinctum secundum rationem, & definitionem, quod est dicere, immusicum dicit subiectum cum forma, vel priuatione aliqua: ratione vnius permanet, ratione alterius recedit. Et nota, vt significaret subiectum hoc non esse separatum à formis ipsis, cùm modò cũ vna, modò cum altera sit, dicit, vnum esse numero cum ipsis formis, & extremis, definitione tamen non vnum. Dicit, vnum numero accidens cum subiecto, id est, vnum subiecto. Hoc idem accidere docet, cùm id, quod fit, est compositũ, vnum enim manet, alterum non, vt immusicus homo fit homo musicus.

Sed ex aliquo fieri aliquid. Tex. LXI.

DOcet, quamuis oppositum & subiectum vnum sint numero, tamẽ quantum ad locutionem est diferimen. Nam in opposito magis loquimur per obliquum dicentes, ex immusico fit musicum, quàm per rectum dicendo, immusicum fit musicum. At in subiecto è contra, magis per rectũ loquimur, quàm per obliquum dicẽdo, homo fit musicus, licet in aliquibus per obliquum, non autẽ per rectũ loquamur. Dicitur enim, ex ære fit statua, sed nõ ęs fit statua tamẽ in opposito quocũq; vtroq; modo loquimur. Similiter, etiã in opposito, in quo apparet distinctio oppositi, & subiecti. Vbi aduerte, opposito esse duo, & ipsum subiectũ, & ipsam oppositã formam, quę est terminus, à quo ratione subiecti fit locutio in recto, immusicum fit musicum: sensus est: id, quod est immusicum fit musicum: Ratione priuationis fit obliqua locutio, ex immusico fit musicum: Sensus est, à priuatione Musicæ peruenit aliquid ad musicam ipsam habendam.

Multipliciter autem cùm dicatur. Tex. LXII.

POstquam in mutatione in vniuersum subiectum aliquod permanens dari ostenderit, nunc ad particulares descendit mutationes, etiam subiecta particularia in eis inquirens. Distinguit autem duplicem mutationem, & accidẽtalem, qua fit aliquid hoc, id est, secũdum quid, vt fit album, musicum, calidum: & substantialem, qua fit aliquid simpliciter, vt fit homo, fit ignis, fit planta. Colligit, secundum diuersa, quæ fiunt, oportere, subiecta diuersa statuere: In accidentali enim ponimus primam substantiam, quia ipsa est, cui omnia insunt accidentia, & ipsa nulli inest, ob id ipsa est, quæ modò hanc, modò illam formam cuiuslibet prædicamenti accidentis recipit. Mutatio duplex accidẽtalis, & substãtialis, & diuersum vtriusque subiectũ.

At in substantiali, in qua ipsæ substantiæ transmutantur, & non secundum accidentia, oportet, aliud statuere subiectũ permanens in mutatione, quod esse non potest, nisi ipsas substantias, compositas dicamus ex forma, & materia, & materiam esse hoc subiectum, quæ secundum formas varias substantiæ transmutatur. At quòd in his mutationibus aliquod subiectum sit, patet: nam videmus has substantias semper ex aliquo præsupposito fieri, vt plantæ, & animalia ex semine, quod profectò argumento est materiam, & subiectum hoc sub tali præsupposito latere.

Fiunt autem, quæ fiunt. Tex. LXIII.

VNIVERSALI quadam inductione per artificialia (vt vult Alexander) ostendit, omnia fieri ex aliquo præsupposito, quamuis Philoponus ista ad naturalia applicet, sed non est opus, nam iam dixit de naturalibus, cùm dixit, ex semine fieri plantas, & animalia: & etiam in vltima parte inductionis ex his quinque de illis dicet: inquit igitur, quæ simpliciter, id est vniuersaliter, quę fiunt, aut fiunt transfiguratione, sicut quæ fiunt à singulis, aut fiunt accessione, & aug men-

augmentatione, sicut quę fiunt arte pingendi. Et hoc nota: aut fiunt subtractione, sicut quæ fiunt sculptura: aut compositione, sicut arte domificatoria, vel similiter facta: aut alteratione secundum materiam, sicut quæ fiunt arte coquendi, fundendi. l. quæ fiunt à Pharmacopolis: & sub hoc membro mutationes naturales inanimatorum cōcludi possunt: in his omnibus semper aliquod præsupponitur subiectum, ex quo fiant omnia ista.

Quare manifestum est. Text. LXIIII.

EX quibus concludit, semper quod fit, esse compositum, id est, habere aliquid, quod permanet sub forma aduenienti, & aliquid, quod recedat, puta formam oppositam, & priuationem. Describit igitur in supra positis id, quod permanet, puta æs, lapis, aurum, & id, quod recedit, puta infiguratio, informatio, inordinatio, nam ex infigurato fit figuratū, & ex informato formatum, & ex incomposito compositum, similiter in alijs. Vnde patet, in omnibus esse terminos, & mutationis subiectum.

Manifestum igitur est, quod siquidem sunt causæ. Text. LXV.

CVM materiā seu subiectum, & formam in mutatione esse probauerit, nunc, vt Simplicius dicit, & D. Tho. ea esse principia, & causas rerum naturalium probat, & facit hunc syllogismum. Ea, ex quibus vnumquodq; primò, & non secundum accidēs, sed secundum substantiam est, & factum est, sunt principia & causæ: at materia, & forma sunt ea, ex quibus primo, & non secundum accidens est factum, & est vnumquodq;: ergò materia, & formæ sunt principia, & causæ: maiorem, & conclusionem huius syllogismi ponit, minorem subticuit.

Nota quales sint causę cōponentes rem.

Aduerte, quòd dicitur, ex quibus primis: quia sunt aliqua, quæ rem componunt, sed non primò, cùm ipsa principia habeant, qualia sunt elementa, ex quibus mixtum componitur: at ipsa adhuc ex materia, & forma componuntur, ob id non dicuntur principia.

Nota.

Aduerte præterea, quòd dicitur, non secūdum accidens (vt notat Simplicius) propter priuationem: ex hac enim non componitur res, ob id non est principium componens, nisi per accidens: at verò est principium per se, & intrinsecum generationis, quamuis possemus dicere, quod illud secundum accidens sit ex parte rei factæ, vt sit sensus, vnumquodq; ex principijs fit secundum substantiam suam, & non secundum accidens aliquod. Quòd verò ex materia, & forma res intrinsecè componatur, probat exemplo totius accidentalis, nam homo albus ex albo, & homine quodāmodo componitur: quod manifestatur ex eo, quòd si definitionem hominis albi velis assignare, per definitionem hominis, & albi assignabis. Nota quòd dicitur, componi quodammodo, quia re vera non est compositum, nisi per accidens.

Manifestum igitur est, quòd quæ fiunt. Tex. LXVI.

IVXTA Simpliciū, & D. Tho. hæc prima verba sunt conclusio syllogismi præcedentis: vndè infert, quæ fiunt ex his esse, id est, ista esse principia eorū, quæ sunt res naturales. Materiam rursum distinguit dicēs, materiam esse vnum principium numero, sed duo ratione. Vnum quidem numero cum priuatione: quia ipsa priuatio est in materia, ratio verò est diuersa, nam aliud est esse auri, æris, & materię, aliud est esse priuationis. At cùm materiam vnum numero potius, quàm priuationem dixisset vnam, huius rationem reddit. Materia, inquit, magis est numerabilis, id est, magis accedit ad id, quod vnū est numero, puta primam substantiam, ipsius enim est pars: at priuatio, & contrarietas, quod idem est, accidens est, intellige rei factæ, vt diximus: forma autem non est, sicut materia, duo ratione. sed vnum est principium ratione. Per ista dat intelligere, quod materia est, quæ habet priuationem formæ: & quòd, nisi talem priuationem haberet, generationis non esset principium: quia (vt diximus) rem producendam necessariò ipsius priuatio præcedit.

Quo-

Quocirca est quidem vt duo. Text. LXVII.

INFERT ex dictis veritatem harum propositionum, principia sunt duo, & sunt tria: sunt contraria, & non sunt contraria, & non sunt plura contrarijs. Sic enim veritatem habent sunt duo numero: sunt tria ratione: sunt contraria forma cum priuatione, non sunt contraria materia, & forma: nec sunt plura contrarijs numero, quia priuatio vnum numero est cum materia.

Nota.

Aduerte, quòd dicit, esse duo numero, vt ita dicam, quia re vera vnum numero est totum compositum ex materia, & forma: at forma, & materia imperfectè duo numero dicuntur, quia duæ res sunt, licèt non separatæ, & per se existentes, sicut prima substantia.

Quot igitur principia sunt. Tex. LXVIII.

EPilogat, dictum esse iam, quot sunt principia generationis rerum naturalium, nempè & esse tria, & esse duo, & quomodo hoc intelligi debeat. Similiter dictum est, præter ipsa contraria, esse vnum tertium principium subiectum: & quòd duo contraria sufficiant ad mutationem, vno enim adueniente, altero recedente, sic fit mutatio.

Subiecta autem natura scibilis est. Tex. LXIX.

MOdum, quo materia cognoscatur, indicat dicens, materiam cognosci per proportionem ad materiam artificialem, vt enim lignum, & aurum, & quodlibet se habet ad formas artificiales, ita intelligimus se habere materiam ad ipsas substantias perfectas, vt enim illud subiectum est in potentia ad recipiendas illas formas, ita & hoc ad substantias. Discrimen est, quòd illud subiectum est ens perfectum, puta, composita substantia: materia verò est ens imperfectum, & substantia simplex: atq; talem materiam vnum dicit esse principium: alterum est forma, quam rationem dicit: tertium formæ contrarium, puta priuationem ipsam, quæ in materia est.

Hæc autem quomodo duo. Tex. LXX.

EPilogum generalem ponit eorum, quæ dicta sunt. Primò enim dictum est, principia esse contraria, postea dictum est, quòd præter contraria oportebat tertium subiectum facere. Vltimò dictum est, quomodo ista cōtraria se habeāt: alterum enim forma, alterum priuatio: & quomodo subiectum cum vtroq; se habet. Restabat difficultas, an forma, & materia sint substantia. Hoc enim nondum patet, sed id discutere non est huius loci, vel (secundūm Themistiū) quia est Metaphysici, vel secundum Sanc. Thom. & Auerroem, quia pertinet ad secundum Physicorum, vbi forma dicitur magis natura, quàm materia. Quòd autem principia sint tria, & quomodo, & quæ sint, etiam dictum est. At antequam vlterius, textum exponētes, procedamus, vtile erit de ista materia aliqua disserere: eius enim cognitio multùm Physico necessaria est.

Vtrum materia sit. Quæstio XII.

QVatuor de materia disputanda occurrunt: Primum, an sit: Alterum, quid sit: Tertium, qualis sit: Quartum, quibus nominibus apud Philosophos significetur. Ante omnia tamen explicanda se offert significatio nominis.

Quatuor de materia sunt tractāda.

Tituli explicatio.

Est autem materia multiplex, nec de omnibus est quæstio in præsenti. Est enim materia alterationis, id nempè, ex quo aliquid fit, non tamen permanenti in substantia sua, sicut cibus est sanguinis materia, non enim cibus manet, sed destruitur, & fit sanguis, & elementa sunt materia mixti: quia sui corruptione mixtum componunt.

De multiplici materia. Prima alteratiōis.

Alia est materia compositionis, sicut lapides, & ligna domus: & partes quantitatiuæ dicuntur materia respectu totius, & etiam partes quæcunq; respectu compositi materia dicuntur.

Secūda cōpositionis

Tertia est materia inhęsionis, qualis est substantia, cui omnia insunt accidentia.

Tertia inhęsionis.

Quarta est materia scientiæ, quæ dicitur subiectum. De his autem non loquimur in præsenti.

Quarta scientiæ.

Alia

Quinta materia, & est subiectũ transmutationis substãtialis.

Alia est materia mutationis substantialis subiectum, quę sub diuersis formis, modò sub vna, postea sub altera in mutatione inuenitur substantiali: & de hac petimus, An sit. Et respondetur ex omnium consensu talem materiam esse.

Sex viæ sunt ad inuestigãdã materiam esse.

Ad hoc autem inuestigandum, omissis his, quas Albertus lib. 1. Physi tract. 3. ca. 11. ex Auicembron. referi, sex viæ esse possunt. Prima est via transmutationis: est enim hoc fundamentum maximè obseruandum in Aristotele. In omni mutatione, quæ fit ab extremo in extremum, oportet dare medium subiectum distinctum ab vtroq; extremo. quod idem perseuerans modò sub vno, modò sub altero sit extremo: vt enim aliquid dicatur mutari, necessarium est, quòd idem aliter se habuerit, & aliter se modò habeat, aliter enim impossibile est, aliquid dici muratum. Oportet ergò idem manere sub vtroq; extremo mutationis, & hinc est, q̃ debet esse distinctum ab vtroq; extremo, non enim posset, modò sub vno, postea sub altero, illo recedente esse, nisi esset ab vtroq; distinctum. Verissimum igitur est fundamentum, quod traditur late. 11. & lib. Metaphy. cap. 11. & 8. lib. ca. 1. tex 4. aliàs sæpè.

Primà via trãsmutationis inter extrema accidẽtalia.

Cùm igitur duplex sit mutatio, & accidentalis, quæ fit secundum accidentia, & substantialis, quæ fit secundum substantias, oportet in his subiectum constãtiali, & stituere; in accidentali quidẽ est ipsa prima substantia, quæ cùm ab omni accidẽti distinguatur, & omniũ sit susceptiua, potest secundum varias accidentales formas transmutari: In mutatione verò substantiali hæc esse non potest, nam in tali mutatione ipsa prima substantia est, quæ cofrumpitur, & non accidens: oportet ergò, si subiectum debet dari, quòd ipsam substantiam ex duplici parte componamus, & ex forma, quæ recedat, & adueniat, & ex materia, quæ eadem perseueret sub hac & sub illa forma, & tunc mutatio talis erit, quòd ab illa materia recedit vna forma, & altera aduenit, & hoc est quod dicebatur tex. 64. quod fit esse compositũ: & hęc est via transmutationis indagãdi materiã, quę sicut substãtia prima nullam de se habet formam accidentalem, ita ista non habet substantialem.

Quõ sit subiectũ in trãsmutatiõe substantiales, & accidẽtali.

Ad hanc viam reducit quædam alia, qua substantiam ex materia, & forma cõpositam esse probamus. Nam, vt ait Aristoteles 1. de generatione. 78. Id, quod est omnino vnum nulla ratione est possibile (quod fuse prosequitur ibi Philoponus. Explicat etiam Diuus Thomas, disput. 3. cap. Algaz. in solutione dubii 18.) impossibile, inquam, est, actione, & passionem Physicã ab vno prouenire principio. Non enim eo, quo agimus, eo principio patimur. Cùm igitur in rebus, vt elementis, viuentibus, & alijs experiamur actionẽ, & passionem, agũt enim in alia, & patiũtur ab alijs, oportet, in his duas partes substantiæ assignare: alteram, secundum quam agant, & hęc est forma: alteram, secundum quam patiantur, & hæc est materia: vnde dicit Auerroes. 8. Metaphy. cõ. 12. & 4. Phy. com. 38. sicut transmutatio, inquit, fecit cognoscere materiam, ita actio formam.

Secunda via ex mutua transmutatiõe rerũ substãtialiũ.

Altera via indagandi materiam est ex mutua rerum transmutatione: Experimur enim vnam rem in aliam conuerti, vt ignis in aerem, aer in aquam. Hic impossibile est imaginari, quòd ipse ignis fiat aer, nec vna substantia altera: non ergo modus est alius, nisi quod recedit forma vnius, & succedit forma alterius in eadem materia. Cùm enim sint diuersa, nisi aliquid haberent commune, puta materiam, non posset talis inter ea esse transitus: vnde res simplicissimę, & spirituales, non ob aliud inuicem mutari nequeunt, nisi quia principium non habẽt, secundum quod communicent, & mutentur.

Tertia via ex augmentatione.

Tertia via est, ex eo, quòd in mutatione aliquid maius fieri experimur, vt ignis crescit, consumpto ligno, & animal, consumpto cibo, tunc. l. manet cibus, & lignum. l. non prorsus: ipsum non manere, notum est: nihil autem manere, impossibile apparet, cùm illud aliud fiat maius: oportet ergo aliquid ponere, quod non maneat, & id est forma, & aliquid, quod maneat, & id est materia.

4. Via quæ omnis generatio fiat ex aliquo.

Quarta via est ex eo, quòd experimur, omnem generationem ex aliquo fieri, & omnem corruptionem etiam in aliquid terminari, quod profectò non esset, nisi aliquid cõmune esset, quod est incorrupto, & manet in ipso genito, & id est materia.

5. Via ex gñatione, & corruptiõe qd debeat p̃uenire ab aliquo principio.

Quinta via est potius ad probandum materiæ vnitatem; corruptio, & generatio est vniuersalis effectus naturalibus cõpetens: ergo danda est aliqua causa vna communis, in quã referatur. non est forma: quia res per formas differunt: ergo erit materia.

6. Via ex eo, quod substãtiæ subsistãt.

Sexta: quia subsistere inest substantijs istis, non à formis, quæ in alio sunt: ergo ab aliquo subiecto nullo modo alteri inexistenti, & id est materia. Hæ sunt viæ certiores, & firmiores, quibus hanc esse materiam, constitutum est: Accedamus ergo ad explicandum, quid ipsa sit, quod proximè sequitur.

An materia sit substantia. Quæstio XIII.

IN hac quæstione ea, quæ præcipuas difficultates circa naturam materiæ tangunt, argumenta proponam, vt ipsorum solutione natura ipsius materię nota fiat.

Primũ argumentũ ex eo, qd materia prima sit pura potẽtia.

Pro parte igitur negatiua est primum argumentũ, quod est pura potentia, non est substantia: materia est pura potentia: ergo non est substantia. Maior est certa: quia substantia est actus, potentia verò est contra actum: Minor patet ex Aristotele. 1. Physic. tex. 78. & 1. Gene. tex. 11. & 12. lib. Meta. cap. 2. eam esse potentiam, docet.

Secundũ.

Secundò. Id, quod non est per se, non est substantia, sed materia non est per se, cùm absque forma esse non possit: ergo non est substantia.

Tertium.

Tertiò. Materia non habet esse à se, sed à forma: ergo non est substantia. Probatur antecedens ex primo Gene. text. 83. Materia, inquit, habet esse actu ab ipsa forma.

Quartum

Quartò. Materia nõ est quid, nec quãtum, nec quale, nec aliquod ex prædicamentis: ergo non est substantia: antecedens est Aristotelis. 7. Meta. cap. 3.

Quintum

Quintò. Materia non est vna, cùm nullius sit speciei, nec vllam habeat formã: ergo non ens, nec substantia.

Sextum.

Sextò. Materia non est bona: ergo nec substantia: antecedens patet, quia distat à summo bono, cùm sit vilissimum entium omnium. Hæc sunt argumenta, quæ partem magnam cognitionis materiæ explicant.

Primũ fũdamentũ. Materia ptinet ad Physicũ, & Metaphysicũ.

St primum fundamẽtum. Materia ad Physicum, & Metaphysicũ pertinet. Physicus eam considerat, vt est mutationis subiectum, & altera pars compositi naturalis: at Metaphysicus, vt est substantia quædam, vt vnum ex principijs entium, & secundum alia, quæ Metaphysico insunt: vnde aliter à Physico definitur, aliter à Metaphysico.

Materia aliter definitur à Physico, aliter à Metaphysico.

Nam à Physico per motum definitur sic, vt colligitur. 1. Physic. tex. 82. materia est primum subiectũ, ex quo fit aliquid, cùm insit, & non secundum accidens, id est, est id, ex quo, tanquã ex parte intrinseca per se componitur res naturalis. Dicitur, primum subiectum, ad excludendũ subiecta accidentium, quæ absolutè non sunt prima, cùm adhuc ex alio fiant. Dicitur, ex quo, vt ex parte, ad differentiam elementorum, quæ non manent in mixto, sed corrumpuntur, & solùm in virtute manent. Dicitur non secundum accidens, vt remoueamus modum, quo ex priuatione est res: est enim id per accidẽs, nempè ad generationem rei, sed non ad esse: Sic igitur à Physico consideratur, & definitur.

Explicatur definitio Physica.

Definitio Metaphysica materiæ per negationem entiũ perfectorũ.

A Metaphysico verò definitur per negationẽ entium perfectorum, nempè nõ est animal, nec viuens, nec elementũ, sed his imperfectius: solemus enim res negatione definire, aut propter ipsarum excellẽtiam, aut propter ipsarum imperfectionem. Sic autem definitur materia ab Aristotele. 7. Metaphysi. cap. 3. quod non est quid, nec quantum, &c. & de hac cognitione loquitur Augustinus. 12. cõfes. cap. 5. dicens, humana cogitatio materiã ignorando noscit, & noscendo ignorat. Nos verò in præsenti materiam consideramus, vt subiectum mutationis substantialis, & sic per similitudinem, & proportionem subiecti rerum artificialium cognosci potest, vt suprà textum exposuimus superius.

Secũdum fundamẽtum. Duplex discrimẽ

Sit secundum fundamentum, duplex esse discrimen obseruandum inter hanc materiam, & subiectum mutationis accidentalis. In accidẽtali enim subiectum est substãtia perfecta iam, & consummata, vn-

Inter subiectũ mutationis substãtialis, & accidentalis.

ta, vnde accidentia aduenientia non abſoluunt ipſum ſubiectum, cùm ſit abſolutum, & factum perfectè; ſed ornant, & diſponunt ad aliquid aliud, & hinc eſt, q̃ ſubiectum non accipit eſſe ab accidenti, imò accidentia à ſubiecto eſſe habent.

Materia eſt ens quoddã medium.

At materia iſta eſt quoddam ens imperfectum, & nondum factum integrè: per formam autem conſummatur, & abſoluitur, vndè fit, quòd forma aduenienes materiam ipſam perficiat, & compleat, & ipſi det eſſe. Eſt enim velut mediũ ens ipſa materia, fit integrum per formam. Glorioſus enim Deus, cùm rebus virtutes productiuas rerum daret, & res ex nihilo non poſſent ex nihilo aliquid facere, fecit hoc medium ens, quod res poſtea per formam conſummarent: ſicut magiſter, qui paruulo dimidium characterem literæ delineat, vt paruulus abſoluat, vnde agentia naturalia finiunt, non tamen totum ens producunt: Vt enim colligitur ex primo Phyſico. 76. agẽtia naturalia non producunt totum ens: quia non producunt in quantum ens, producerent enim ſeipſa. Vnde D. Thomas prima part. quæſtione 45. art. primo. ait productionem totius entis eſſe creationem, quæ ſolùm poteſt competere primo principio: & Auerroes. 8. Meta. commen. 15. & 16. & 12. Meta. commen. 18. agentia naturalia non faciunt pluralitatem entium, ſed perfectionem.

Attende tamen, quòd iſtam materiam non ſi Deus fecit, vt eſſet ſeparata à qualibet forma, imò eam varijs indutam formis creauit, reliquit hanc agentibus naturalibus facultatem, vt formas à materia expellerent, aliasque inducerent. Nõ enim eſt omninò materia ſicut dimidia litera, quæ non niſi vnica certa figura poteſt fieri: Materia enim varias formas, modò has, modò illas ſuſcipere poteſt.

Secundũ diſcrimẽ inter ſubiectũ trãſmutationis ſubſtãtialis, & accidentalis.

Ex his eſt alterum diſcrimẽ inter ſubiectũ iſta: nam ex ſubiecto accidentalis mutationis, & ipſa forma accidẽtis, non fit vnum, quia iam ſubiectum eſt factum ſolùm fit vnum per accidens, nempè quod ſimul ſunt: at ex materia iſta, & forma fit vnicum ens per ſe: quia ex eo, quod conſummatur, & completur, & ex ipſo complemento non fit, niſi vnum per ſe: & hoc docet Ariſtoteles, 8. Methaphy. capit. 6. text. 15. & 2. Animæ. capit. 1. text. 7. ob id inquit, ex forma & materia fieri vnum per ſe, quia vnum eſt potentia, alterum eſt actus. i. vnum perficitur, alterum perficit.

Tertiũ fũdamentũ. Substãtia ẽ duplex, perfecta, & imperfecta, quę & duplex eſt.

Sit tertium fundamentum. Substantia eſt duplex, quædam perfecta, & completa, & iſta eſt compoſitum ſubſtantiale: quædam imperfecta, quæ alteram componit, qualis eſt pars ſubſtantiæ. Adhuc iſta imperfecta eſt duplex: quædam determinans ad aliquam certam ſpeciem ita, vt ad aliam determinare non poſſit: & hæc dicitur formalis: quædam determinabilis, quæ ad varias ſpecies determinari poteſt, quæ dicitur pars materialis. Vt magis fiet modò manifeſtum. his ſuppoſitis ad quæſtionem reſpondetur.

Prima cõcluſio. Prima cõcluſio, Materia non eſt ſubſtantia perfecta, & compoſita ſecundum ſe. Probatur, quia ſi ſecundum ſe eſſet compoſita, non reciperet formam ſubſtantialem, hæc enim aduenit, vt perficiat materiam, & cum ea componat.

Secunda cõcluſio. Secunda. Materia non eſt imperfecta ſubſtantia determinans, Hæc etiam eſt nota, quia materia vna poteſt ad varias ſpecies trahi: illa verò ſubſtantia determinans ad vnicam ſpeciem contrahit: materia verò eſt ſicut cera, quæ modo hac, modo illa induitur forma.

Tertia cõcluſio. Tertia materia eſt ſubſtãtia imperfecta, & ſimplex ad varia compoſita, & varijs formis determinabilis: quod ſit ſubſtãtia, docet Ariſt. 2. Animę. c. 1. & 7. Meta. c. 3. & patet, quia componit, & eſt pars ſubſtantiæ. Quòd ſit imperfecta, patet, quia cõponit: Quòd ſit ſimplex, ꝓbatur, quia receptiua eſt formarũ. & eſt primũ ſubiectum: q̃ ſit determinabilis per varias formas, patet etiam, quia eſt ſubiectũ tranſmutationis, quæ inter plures fit formas: & ſic patet ſolutio quæſtionis, ſed argumenta ſigillatim ſunt examinanda.

Circa primum argumentum eſt difficultas de entitate materiæ, ſolet enim diſtingui actus, & eſſe triplex: Formalis, qui ab aliqua forma ſpeciei alicuius prouenit, vt eſſe aquam, eſſe ignem: Exiſtentiæ actus, ſecundum quem res exiſtere dicũtur: Et entitatiuus, quem alij actũ eſſentiæ vocant, ſecundum quem res dicuntur eſſe ſubſtantiam, aut accidens in communi.

Circa primum argumentũ difficultas, an materia prima habeat ꝓprią entitatẽ.

Triplex actus.

Prima opinio Gregorij.

Iuxta hanc diſtinctionẽ eſt triplex opinio: quædam Gregorij 2. Sent. diſt. 12. q. 2. opinantis, materiam ſecundum ſe non habere actum formalem, ſed à forma, habere tamen reliquos actus proprios.

Secunda opõ Scot.

Alia eſt opinio Scoti ibidem dicentis, materiam de ſe habere actum entitatiuũ: at actum exiſtentiæ, & formalem habere quidem, ſed à forma.

Tertia opin. Thomiſtarum

Tertia opinio eſt Thomiſtarũ aſſerentium, materiam de ſe nullum actum habere, ſed omnem accipere à forma de ſe enim eſt pura potentia ad actum quemcunq; At quia ſingulas opiniones diſcutere, & inutile & præter Phyſicum negotium eſſet, dicam, quæ mihi probabiliora, & veriora apparent.

Primũ fũdamentũ & ſententia Authoris.

Aduerte igitur, quòd actus eſt duplex, alter eſſe rei, vt eſſe hominem, aut eſſe albũ: alter operatio ipſius rei, ſiue ſit actio, ſiue paſſio: actus prior ab Ariſt. 2. Animę, ca. 1 dicitur actus primus: operatio actus ſecundus: nec oportet actum eſſentiæ, & exiſtentiæ diſtinguere, quia non diſtinguuntur realiter, & quia eſſentia non dicitur actu ens, niſi in ordine ad exiſtentiam: ob id non diſtinguitur ab Ariſtotele duplex actus, eſſe, & operari, licet non negemus eſſentiam, & exiſtentiam ratione diſtingui.

Actus primus, q̃ eſt eſſe adhuc duplex, ſubſtantialis & accidẽtalis,

Iterum actus primus, qui eſt eſſe, duplex eſt, & accidentalis, qui eſt ſecundum formam accidentalem: & ſubſtantialis, qui eſt ſecundum ſubſtantiam, vt eſſe album, eſſe hominem.

Actus primus ſubſtantialis duplex, perfectus, & imperfect.

Iterum ſubſtantialis duplex: quidam perfectus, qualis eſt actus compoſiti, vt homo, leo, ignis: quidam imperfectus, qualis eſt actus componentis aliud.

Prima cõcluſio. 1. Ratio.

His ſuppoſitis. Dico primò, quòd materia non eſt in potẽtia immediata actionis, & actus ipſius ſecundi, quod eſt dicere, materia ſecundum ſe nullius eſt actuitatis, nec agit, ſed patitur: hoc eſt Ariſtotelis. 2. gene. tex. 50. vbi id probat: & patet: agere prouenit à principio certo, & alicuius ſpeciei: at materia non eſt certæ ſpeciei principium, cùm ſit indeterminata ad omnes formas ſecundum ſe: non ergo agit, ſed patitur.

Secunda concluſio

Secundò. Materia non eſt ad actũ quẽcunq; ſubſtantialem in potentia, quod eſt dicere, materia habet actum aliquem ſecundũ ſe, & non eſt pura potentia: Hæc eſt profectò adeò certa, vt oppoſitum intelligi non poſſit: Probatur primò, quæ ſunt in potentia ad omnem actum, prorſus ſunt nihil, nec dicuntur in potentia eſſe, niſi quia agens poteſt ipſa facere: at materia ſecundum ſe eſt extra nihil: ergo ſecundum ſe habet actum. 1. Ratio.

Præterea potentia eſſe non poteſt per ſe, niſi ſit alicuius, quod ſit in potentia: ergo potentia præſupponit actum. 2. Ratio.

Præterea materia ſecundum ſe eſt ſubſtantia: ergo ſecundum ſe ens, & ſecundum ſe actus eſt. 3. Ratio.

Præterea materia ſecundum ſe eſt ſubiectum actionis agentis: ergo ſecundum ſe antecedit actionem agẽtis: ergo etiam antecedit formam, quæ non eſt, niſi per actionem agentis: igitur actus ſecundum ſe. 4. Ratio

Probatur teſtimonijs.

Dicit etiam Themiſt. digreſſ. 1. Phyſic. quòd materia ſecundum ſe etiam nullo ordine ad formam, actu eſt. & Alber. 1. Meta. tract. 2. cap. 4.

Tertia cõcluſio.

Dico tertiò. Materia eſt actus imperfectus in potẽtia ad quemlibet actum perfectum: id eſt, materia eſt ſubſtantia imperfecta in ſe, at ſi cõparatur ad actus perfectos, quæ ſunt compoſitorum, eſt pura potentia, ſicut lignum eſt ens in ſe, ſed in genere artificiali eſt pura potentia, quia nec eſt arca, nec ſedes, nec qd ſimile, ſed eſt in potentia iſta: ita materia eſt potentia ens perfectum, vndè non eſt ignis, nõ aqua, nõ leo; nec quid ſimile; ſed in potẽtia iſta omnia, & hoc eſt illud Ariſtotelis, materia non eſt quid, non eſt quantũ & c. vt diximus in argumẽto quarto; hoc tamen non impedit, quin materia actum aliquem in ſe habeat, & hæc doctrina eſt obſeruanda, per hæc ſolutum eſt argumẽtum primum: quod enim in tali potentia eſt, poteſt quidem eſſe ſubſtantia, quamuis imperfecta.

Ad ſecundum arg. principale.

Ad ſecundum argumentum diſtinguitur, duplex eſſe per ſe: Vno modo eſſe per ſe dicitur ſubſiſtere, & nullo modo in alio eſſe, qualiter prima ſubſtantia per ſe exiſtit: Altero modo non eſſe in alio, vt in ſubiecto, & ſic etiam forma per ſe eſt,

& materia, & hoc sufficit ad rationē substantiæ imperfectæ, licèt non possint materia. l. forma extra ipsum compositum per se existere.

Difficultas, an materia possit esse sine forma

Sed hic est vna difficultas, an per potentiam diuinam possit materia absque forma existere. Sanctus Tho. 1. par. q. 66. ar. 1. & quodlibeto. 3. ar. 1. existimat, id esse impossibile, quia implicat contradictionem: idem Durandus. 2. sen. dist. 12. q. 2. At Scotus, & Gregorius dicunt, id fieri posse supranaturaliter.

opiniões aliorum.

Sententia authoris.

Et mihi placet ista sententia, quia opinio S. Thomę fundatur in hoc, q̃ existimat, materiā nullum habere actum, nisi à forma. Nos verò opinamur, materiā secundum se actum habere imperfectum, non solùm essentiæ, sed etiam existentię, cùm existentia non distinguatur realiter ab ipsa essentia, & quamuis distinguueretur, adhuc haberet existentiam aliquam præter existentiam formæ; nam sicut essentia est distincta, ita habere debet existentiam distinctā: est enim actus essentię ipsa existentia: posset ergo Deꝰ sua potētia sub tali existentia materiā absque forma conseruare. Sed satis de hoc: sat sit, naturaliter id nullo modo esse posse: & per hæc patet solutio ad secundum.

Ad tertiū arg. principale.

Ad tertium dico, quòd sicut materia habet suam entitatem imperfectam, ita etiam habet suam existentiam imperfectam, tunc autem perfectè est, & existit, cùm coniuncta est formę: & hoc est, quod Aristoteles dicit illo loco de Generatione, ex quo patet, quòd materia & forma distinguuntur realiter, non sicut duo entia perfecta, & per se, ac separatim existētia; sed sicut duæ partes realiter existētes duæ, & quarum vna non est altera, licèt coniunctæ sint: coniunctio enim non facit identitatem, vt diximus superius.

Ad quartum. Ad quintum.

Ad quartum patet solutio in primo.

Ad quintum distinguitur duplex vnitas: Altera est transcendentalis, quæ consequitur omne ens: eo enim, quo aliquid est, quocunq; modo, si indiuisum est, dicitur vnum, & talis vnitas inest materiæ secundum se, quia vt diximus, est ens secundum se, licèt imperfectum: Altera vnitas est particularis, quæ cōsequitur ens perfectum, & tali vnitate non est materia vna, sicut nec est ens perfectum.

Nota de duplici vnitate trāscendētali & particulari.

Dubium an materia sit vna specie.

Dices, est ne materia vna specie, an non? Dico dupliciter esse vnum specie. Vno modo positiuè, & hoc est habere formā vnius speciei, & sic materia secūdum se non est vna, cùm non habeat formam. Altero modo negatiuè dicitur vnum specie, quia non habet formam differentem specie, & sic materia est vna specie, quia non habet formas secundum se differentes specie. Aduerte tamen, quòd materia non facit speciem, sed reducitur ad species cōpositorum, sicut partes, & forma.

Ad sextū.

Ad sextū Plori. existimabat, materiam esse malam, non quia haberet qualitatem malam, sed quia secundum se non haberet qualitatem bonam. Proculus, eam esse non bonam, dicebat. At breuiter est dicendum, materiam secundum se, sicut est ens imperfectum, ita esse bonum imperfectū: at vt est in potentia ad ens perfectum, ita esse in potentia bonum perfectum, actu verò non bonum.

Cur materia dicatur infimum ens & mediū inter ens & nihil.

Ex his patet, quare materia dicatur infimum ens, & medium inter nihil, & ens perfectum: vnde Augusti. lib. 12. confes. c. 5. Duo, inquit, fecit Deus, alterum prope se, quo ipse esset superior, & hoc est primus angelus, quē vocat cælum: alterum prope nihil, quo nihil esset inferius, & hoc est materia, quā terrā vocat. Intellige aūt esse infimam inter substantias, nam perfectior est accidentibꝰ, cùm sit substātia. Atque satis de quæstione hac.

An potentia sit de essentia materiæ. Quæstio XIIII.

Cum materia secundum se sit quædam simplex substātia expers cuiusq; formæ, tamen in potentia ad omnes formas, dubitare quis posset, an talis potentia sit accidens quoddā superadditum ipsi materiæ, an sit potius de essentia, & definitione ipsiꝰ. Circa quā difficultatē est duplex philosophorū opinio: altera est Themist. digress. vltima. 1. Physicorum, qui asserit, materiā in suo primo, & essentiali conceptu non includere potētiam, sed esse accidens quoddam ipsius: idē docet Auerroes com. 69. & Iandu. 1. Physi. q. 25. Rationes duas huius ponit Auerroes: altera est, si potētia est de essētia materię, sequi-

Prima sententia Themistij, & Auerr.

1. Ratio.

tur, quòd adueniēte forma, destrueretur materia, quod falsum est: & probatur sequela: cùm duo sunt idem essentialiter, vno destructo, destruitur alterum, sed potentia per formam destruitur, quæ est actus oppositus potentiæ, ergò etiam destruetur materia, si idem est.

2. Ratio.

Altera ratio est. Potentia est ad aliquid, materia est substantia, ergò non potest materia esse essentialiter potentia. Hæc est horum opinio.

2. opinio d. Thom.

Altera opinio est sancti Thomæ, hoc lib. 1. tex. 79. nempè materiam esse potentiam essentialiter, nec potentiam esse accidens ipsius, cuius ratio duplex est.

1. Ratio.

Altera, si potentia esset accidens materiæ, materia non immediatè vniretur formæ substantiali, sed per illud accidēs, quod est expresè contra Aristotelem. 2. Animæ. ca. 1. & lib. 8. Meta. cap. 6.

2. Ratio.

Altera: si potentia est accidens materiæ, cùm illa sit prius natura, quàm forma, sequitur, quòd materia cum accidēti præcederet natura formam, sed illa materia cum accidēti est ens per accidens, ergò per accidens ens præcedit id, quod est per se. Hæc est opinio sancti Thomæ.

Primū fūdamentū.

Pro determinatione horum sit primū fundamentum obseruandum. Potentia materiæ non solùm est receptiua, sed etiā passiua, & causatiua rei: volo dicere, quòd materia non sic recipit actum, sicut aquā vas, sed causa est generatiōis illius actus, vt materia: non solùm enim materia recipit formam aquæ, aut aeris, sed ipsa est talis, vt ex ea fiat aqua, fiat aer, non aliūde ab extrinseco forma ducta: ex quo fit, quòd non solùm ipsa sit subiectum mutationis, sed ipsius causa, & principium passiuum.

Potentia materiæ immediatè nō tendit in formā, sed in cōpositū.

Vndè sequitur vnum maximè notandum, quòd potentia ista materiæ immediatè, & primò nō tendit in formam, sed in ipsum compositum, quod fit: at quia hoc non est sine forma, inde etiam potētia materiæ est ad formam: volo dicere, quòd potentia materiæ est, vt sit aqua, vt sit ignis, vt sit leo primò, consequenter est in potentia ad formas, per quas ad illum actum peruenitur: & hoc docet Aristoteles tex. 69. sicut, inquit, ad lecticam lignum, ita materia ad hoc aliquid, & ens per se atq; substantiam. & tex. 84. 4. Physic. dicit, id fieri quod erat in potentia: nō fiunt autem primò & per se nisi composita, vt latè postea dicemus. Hæc ergò primò sunt in potentia materiæ.

Secundū fundamētum. Potentia materiæ immediatè non tēdit ad accidēs, sed ad substantiam.

Sit secundum fundamentum. Ista potentia materiæ primò tendit in substantiam, consequenter in accidentia, quod est dicere, hæc materia primò non est, nisi vt ex ea fiat aqua, leo, planta, & substantia: at cùm ista composita indigeant accidentibus ad suas operationes, & cōseruationes, inde materia consequenter, & immediatè tendit in ea: quod probatur. Quælibet potentia primò terminatur in actus sui generis, sed materiæ potētia est substātia, ergò primò terminatur in substantiam. Secundò: Omne imperfectum tendit primò in id, quod perficit, sed sola forma substantialis imperfectionem materiæ perficit, ergò primò materia tendit in ipsam. Tertio. Accidentia præsupponunt ens in actu, cui insint, sed non fit in actu nisi per formam substantialem: ergò prius natura materia formæ substantiali vnitur. Nolo tamen per hoc negare nonnulla accidētia inhærere immediatè materiæ, sed tamē iam per formam actuari.

Tertiū fūdamentū. Potentia dupliciter sumitur.

Sit tertium fundamentum. Potentia dupliciter sumitur: Vno modo pro quadam aptitudine ad agendum. l. recipiendum proxima, & hæc accidens est in prædicamento qualitatis. Altero modo potētia dicitur principium substantiale, vndè talis aptitudo fluit, sicut dicunt Logici, quòd rationalitas aliquando dicit aptitudinem, & sic est passio, aliquando dicit principium, à quo aptitudo fluit, & sic est substantia. Hæc autem distinctio clarior fiet in his, quæ sequuntur modò in determinatione quæstionis.

Prima cōclusio.

Sit prima conclusio. Si materiæ potētia sumatur pro aptitudine ad recipiendā formam. l. pro aptitudine passiua, secundum quam transmutari proximè potest talis potentia accidens est propriū ipsius, vt argumenta Auerrois probant.

Secūda cōclusio.

Sed nōdum quæstioni satisfactum est, propterea sit secunda cōclusio. Ipsa potētia pro principio, nēpè potētia illa, secūdum quam materia tendit in ipsum compositum, & in formā, non solùm vt receptiua, sed etiā vt materialiter causatiua, est de essentia materiæ, quod est dicere, mate-

materia ipsa est in se, & essentialiter talis, vt ad actum perfectum tendat, & formæ proportionetur recipiendæ, nã materia essentialiter non solùm est substantia nõ perfecta, sed imperfecta taliter, vt pfici possit: & hoc est esse materiã primã. Vnde potentia est de essentiali conceptu ipsius, cum absq; hac nec intelligi possit, nec integrè definiri: & forsan hoc voluit etiam Auerroes. nam li. de substantia orbis. c.1. potentiam de definitione materiæ esse asserit. Attẽde igitur essentiã materiæ esse actum immixtũ potentiæ, nec existimo posse oppositum dici.

Ad primũ Auerrois.

Ad primum igitur argumentum Auerrois dico, quòd adueniente forma, nõ destruitur potentia ista, sed priuatio, quæ erat coniuncta cum illa potentia, quod est dicere: illã proportio, & modus materiæ, quòd imperfectus sit, & perfici potẽs semper manet, quamuis antè erat cum priuatione formæ, nunc autem adueniente forma, nõ manet priuatio: ac ob id Themist. loco citato dicit, non esse appellandam materiam, sed subiectum illius formæ, nam materia dicere videtur priuationem: imò Aristoteles. 9. Meta. ca. 3. reprehendit Megarenses asserentes actum non esse cum potentia: dicebant enim. si curro, non possum currere, quod reprehendit, oppositumque docet.

Ad secundum.

Ad secundum dico, quod potentia, quantum ad suum principale significatum, non est relatiuum, importat tamen relationem quandam consequentem, sicut scientia principaliter non est relatio. Quòd si dicas, erit qualitas; dico, esse substantiam, nam potentia ad actum accidẽtalem est quidem accidens, sed ad actum substantialem, qualis ista est, substantia est: ex quo sequitur, quod sicut materia est vna, ita & potentia, quamuis secundũ respectus, quos importat, multiplex sit iuxta multiplicitatem formarum specificarum, ad quas tendere potest.

An aliquid sit in materia manens in mutatione. Quæst. XV.

POSTQVAM ea, quę ad quid sit materia, vtcunq; discussim⁹, superest, vt qualis sit, nũc explicemus præter ea, q̃ in argumentis præcedentium quæstionum diximus. Est autem sensus quæstionis propositæ, cùm dictum sit in mutatione materiam manere sub termino vtroque mutatiõis, est dubium, An aliquid cum materia etiam mãneat, & perseueret in omni mutatione. Nempe, an sit aliquid coæuum materiæ, quod semper sit cum ea manens in omni mutatione: & dico in omni mutatione, quia non disputo modò an aliquando accidens aliquod, quod erat in corrupto maneat in genito, hoc. n. discutietur in primo de generatione, vbi disputabitur an semper in corruptione fiat resolutio vsque ad materiam primam, sed loquor de omni mutatione.

Sensus quæstionis.

Circa quam difficultatem existũt quatuor sententię philosophorum.

Prima sententia Auerrois.

Prima est Auerro. hoc lib. com. 63. & li. de substantia orbis, cap. 1. & 4. quam sequitur Gregorius Ariminen. 2. sen. dist. 12. q. 2. ar. 1. Dicunt hi, materiam habere in se quantitatem longam, latam, & profundam, quę quidem quantitas est solius materiæ, ratione cuius varias recipit formas ad varia composita cõstituenda, quę quantitas, quia varijs formis adaptatur, dicitur interminata, non enim in se terminum certum habet, nisi forma accedẽte, hæc enim est, quæ ipsam tantam, & tãtam facit: quia verò semper manet cum materia, nec destruitur destructa forma, dicitur coæua materiæ.

1. Ratio.

Præcipuum fundamẽtum huius opinionis est hoc. Materia nõ recipit formã aliquam, nisi sit separata ab alijs partibus materiæ: sed hæc separatio in partes non est nisi per quantitatem: ergo anteaduentũ formæ præcedit in materia quantitas.

2. Ratio.

Præterea: si quantitas nõ esset coæua materiæ, sequeretur, quod quantitas fieret ex non quantitate, & dimensio ex nõ dimensione, quod videtur falsum. Hæc est opinio Auerrois de dimensionibus interminatis in materia existentibus, & ipsi coexistentibus.

Secũda opinio Auicennæ.

Altera opinio est Auicẽnæ lib. 1. sufficien. ca. 2. inquit. Materiam habere quãdam formã substantialẽ, ratiõe cuius est corpus quoddam indeterminatum, & ex hoc corpore postea fiunt determinata cõposita per particulares formas, vt ignis, aqua, leo, lapis & c. hæc forma nõ est pro-

ducta ab aliquo agente particulari, sicut nec materia, nec in corruptione destruitur, sed est incorruptibilis, & ingenerabilis, cum ipsa materia, quam (quia ab ea materia habet esse tantùm corpus) vocat formam corporeitatis.

Ratio Auicennæ.

Fundamentum Auicennæ fuit, quia ante formas particulares debet quantitas præcedere in materia, vt in partes varias ipsam separet ad introductionem variarum formarũ, vt etiã dixit Auerroes: sed ista quãtitas secundum Auicennam non potest esse in sola materia, cũ sit potentia, ergo habet aliquam formam, qua sit actu, vt possit quantitatẽ recipere, & posteà formas particulares. Hęc Auicẽna.

Tertia opinio Scoti.

Tertia sententia fuit Scoti, 4. sen. dist. 11. q. 2. ar. 2. admittit eandem formã corporietatis, sed differt ab Auicenna in tribus: primo, quòd tantùm in viuentibus ponit eam: secundo, quòd eam produci dicit ex mixtione elementorum; & corrumpi, cùm viuens dissoluitur in elemẽta per corruptionem.

Ratio Scoti.

Fundamẽtum Scoti est, cùm plura esse possunt ab vnica prouenire forma, non sunt multiplicandæ formæ, cùm verò ab vnica non possunt prouenire, tunc sunt multiplicandæ in eadem re; sed in viuentibus esse corpus, & esse animatum non possunt prouenire ab eadem forma, ergo opus est, duas formas constituere, alterã, à qua sit corpus, alteram, à qua sit, animatum: minorem probat, quia esse corporeum est esse extensum, at anima est indiuisibilis, ergo ab ea non potest prouenire esse corporeum, ponenda ergo est alia forma. Hæc Scotus.

Quarta opinio D. Tho.

Quarta sententia est sancti Thomæ. q. de anima, ar. 9. & 1. parte. q. 76. ar. 6. nihil præcedere docet in materia contra Auerroem.

Fundamẽtũ d. Tho.

Fundamentum huius sententiæ est: quia materia substantialis immediatè vnitur formæ substantiali, vt dictũ est, nõ ergo per quantitatẽ. Hæ sunt opiniones philosophorum cum præcipuis ipsorum fundamentis.

Prima cõclusio cõtra Auicennam.

Pro cuius difficultatis determinatiõe quamuis omnes sint opiniones probabiles, sit tamen prima conclusio. Nõ est ponenda forma corporietatis, nec secundũ Aristotelem, nec secundũ rationẽ. Quod non sit talis forma secundum Aristotelẽ, certissimum est, nam in hoc vehementer reprehendit Antiquos, quòd ponebant aliquod corpus actu, puta aquã, ignem, aerem, aut medium pro principio, docẽs, id, quod subiectum est mutationis, non esse compositum: isti verò non differunt ab his antiquis, nisi quòd illi aquam, aut aerem, isti corpus aliud ponunt.

Probatur secundũ Aristotelem.

Ratione autem probatur ex D. Thoma in aureo illo opusc. de pluralitate formarum, & ex Auerroe com. 69. primo: si subiectum generationis est compositum aliquod substantiale, sequitur, quòd generatio non esset aliud, quàm alteratio, quæ est secundum qualitates. Et probatur: nam in nullo alio videtur generatio ab alteratione, & mutatione accidentali differre, nisi quòd subiectum alterationis est compositum in actu; quòd si isti dicãt, discrimẽ esse, quòd in alteratione est subiectum cõpositum perfectum, puta, homo, leo, aqua, in generatione verò est imperfectum: hoc nihil valet, nã solùm probat, esse diuersam alterationem, sed non probat, quòd non sit alteratio, postquam subiectum est compositum actu: & cõfirmatur. Nam antiqui ob id dicebant, nõ esse veras generationes, sed alterationes, quia ponebant subiectum actu: & hoc Aristoteles contra illos infert. Quòd si dicas, illos ponere entia determinata, puta ignem, aut aquam: dico, nihil esse, nã etiam alij ponebant ens medium, quod nõ esset elementum determinatum: & hoc argumentum aduerte.

Secunda ratio.

Secundò ex ijsdem. Nihil recipit, nisi quod est in potentia, ergo subiectũ, quod debet formam substantialem recipere, debet esse in potentia ad formam: si enim vllam haberet, iam esset consummatum ens, nec forma adueniens esset substãtialis, sed accidentalis.

Tertia ratio.

Præterea tertiò. Si ista forma substantialis esset in materia, altera adueniente, corrũperetur, quia duę simul essenõ possunt, vt alibi probandum est. Multis profectò, & fortissimis argumẽtis posset ista redargui sententia, sed ista sufficiant, cùm manifestè constet esse contra Aristotelem.

Secunda conclusio contra Auerroem.

Secunda conclusio. Nulla quantitas præcedit in materia ante formã semper perseuc-

perseuerans cum ipsa. Hanc latè probauimus in præcedente quæstione, dum ostendimus, materiæ potentiam esse immediatè ad actum substantialem.

Tertia cõclusio ,p D. Thom. Ex his sequitur tertia conclusio. Nihil esse in generatione, & corruptione idem semper perseuerans nisi sola materia, ac ob id dicitur subiectum primum, ex quo fit aliquid, & vltimum, in quod omnia resoluuntur: quia nihil sit in mutationibus perpetuum, nisi sola materia. Et vltimò hæc confirmantur, ostendendo fundamenta positarum opinionum esse infirma satis, & nullius difficultatis: ob id ad singula respondetur.

Ad primũ argumẽtũ Auerrois. Nota primò. Ad fundamentum Auerrois primum, quod præcipuum est, aduerte, omnem generationem pręsupponere aliquod compositum, ex quo res generanda per transmutationem fit, cùm materia nuda non subijciatur actioni agentis, quod debet generare.

Nota secundò. Aduerte etiam, quantitatem pręcedẽtis compositi separare materiam illam ab alijs omnibus, & durare, donec ab agente forma generanda introducatur, quia aduenientę, destruitur illa altera forma cum sua quantitate, & accidentibus, & succedit noua quantitas cum isto nouo composito, ita vt huius primum esse sit alterius primum non esse. Quòd si petas, à quo corrupta sit altera quantitas. Dico, ab ipso corrumpente præcedens compositum: nam accidentia ad corruptionem compositi subiecti destruuntur.

Dubium. Quòd si dicas, à quo noua quantitas producitur; Dico, ab eodem agente, qui de potentia subiecti educit quantitatem in actu. Sicut enim calor, & albedo, & reliqua accidentia educuntur de potentia subiecti, in quo non erant, ita & quantitas.

Solutio.

Ad secundum. Nota. Per quod soluitur secundum fundamentum Auerrois; & nota, quòd suprà diximus, priuationem non solùm dicere carentiam venturæ formę, sed etiam formam aliam in materia, vt agens possit in illam agere: & etiam vt illa materia sit distincta ab alijs, vt distincta introducatur forma: & hanc doctrinam attentè considera.

Ad fundamentum Auicẽnę. Per hoc etiam patet destructio fundamenti Auicẽnę. Non enim opus est, hanc formam corporietatis ponere ante quãtitatem, sed formas particulares compositorũ, quæ ab agentibus transmutantur.

Ad argumentum Scoti. Ad Scotum dico, quòd fundamentum ipsius est omnium debilissimum. Nam non omnis anima est indiuisibilis, cùm animæ plantarum, & imperfectorum animalium sint diuisibiles: imò secundum sententiam multorum Philosophorum, sola anima hominis sit indiuisibilis: oportebat ergo solùm in homine hãc formam corporietatis ponere.

Et præterea etiam si id admittatur, nihil valet: quia etiam si anima secundum substantiam sit indiuisibilis, at secundum operationes suas est diuisibilis, cùm non eadem parte omnia operetur: ob id sicut reliquæ formæ propter suum esse quantitatem in materia inducunt, ità animæ propter suas operationes. Patet igitur cum Sancto Thoma esse dicendum, & cũ opinione communi, solam materiam esse perseuerantem, & perpetuam omnibus mutationibus substantialibus. Hæc de quæstione 15.

An materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis. Quæst. XVI.

Rationes in oppositum. 1. Ratio. SENSVS quęstionis clarus est: argumentum autem est probans, non esse ingenerabilẽ, nec incorruptibilem. Motus quilibet denominat suum subiectum per se, sed subiectum generationis, & corruptionis est ipsa materia: ergo ab eis denominabitur, diceturq; generari, & corrumpi.

Secunda. Secundò; Si materia esset incorruptibilis, esset nobilior forma, & toto composito, quæ corruptibilia sunt, quod tamen falsum est. Et sequela patet nam incorruptibile præstantius est corruptibili.

Primũ fũdamentũ. In generatiõe sunt duo, subiectũ, & terminus ad quem. Secũdũ fũdamentũ. Duplicitet considerat generatio

Circa hoc aduerte maximè in generatione, seu corruptione esse duo, & subiectum ipsum, ex quo fit aliquid, &, id est, materia: & terminus ad quem, & hic est ipsum compositum, quod generatur, aut corrumpitur, puta homo, leo, aut aliud quoduis.

Aduerte autẽ, quòd est vna, & eadem operatio, per quam ex subiecto fit aliqd compositum, tamen differt, eam considerare ex parte ipsius subiecti, & ex parte ipsius termini: ex parte enim subiecti dici-

dicitur mutatio: quia mutatio est alicui transitus ex vno in aliud: & sic subiectũ, & materia dicitur mutari: quia ab vna forma in aliam transit: At ex parte termini est productio: quia productio dicit acquisitionẽ ipsius esse in se, & hoc acquirit compositum: vnde homo producitur, sed non mutatur per generationem: materia verò mutatur, sed non producitur, quamuis eadem re sit operatio.

Tertium fundamẽtum. Hinc etiam aduerte, quod talis operatio aliquando significatur respectu termini: aliquando respectu subiecti, & tunc illa verba non de vtroq; prædicabuntur; sic accidit in præsenti: hoc enim nomen, generatio, & generari, dicunt illam operatiõem, vt est productio quædam; ob id de materia non prædicãtur, sed de termino: at mutari, fieri aliquid, dicunt eam ratiõe subiecti; ob id de materia dicimus esse mutabilem, & quod materia sit ignis, fit aqua, &cæt. In accidentibus sunt propria verba, quæ significant operationem ex parte subiecti, vt alterari, augeri, quæ de subiectis prædicantur: vnde cùm aliquid generari. l. corrumpi dicitur, intelligitur non de subiecto, sed de composito, & de eo, quod per generationem acquirit esse. l. per corruptiõem ipsum perdit. Hoc nota.

Prima cõclusio. Sit prima conclusio. Materia non est generabilis, nec corruptibilis per se, id est, generatione suum esse non accipit, nec in corruptione perdit. Probatur primò ratione Aristot. tex. 82. in omni generatione oportet subiectum antecedens dare: si ergo materia est generabilis, oportet, aliud subiectum constituere: vnde non esset subiectum primum.

Prima rõ.

Secunda. Præterea, quia adhuc quærẽdum esset de illo alio subiecto, an fieret, & tunc ex alio fieret, aut esset deueniẽdum ad vnũ, quod nõ fieret, aut esset processus in infinitum, qui nullo modo est admittendus.

Tertia. Possumus etiam tertiò probare. Cùm ex aqua fit aer, aut tota aqua perit ita, vt nihil in aere maneat, ex quo ipse fiat, aut aliquid manet. Si aliquid manet, habemus intentum, non corrumpi materiam. Si verò tota aqua corrumpitur, ex nihilo fit aer, & in nihil redigitur aqua, quæ naturaliter esse non possunt.

Quarta. Quartò. Omne agens præsupponit aliquod subiectũ, in quod agat semper, & ex quo faciat aliquid, hoc aũt non põt esse contrariũ purum. Nam si tota aqua esset contraria igni, aqua non posset calorem vllum recipere in se: ergo aliquid est in aqua non contrariũ igni, ex quo faciat aliquid, puta alterum ignẽ, quod nõ corrũpetur ab igne, cùm non sit contrarium.

Quinta. Quinto. Quia quod generatur, aut corrũpitur est ens actu. Materia est potentia: non ergo generatur, aut corrumpitur.

Sexta. Deniq; ex analogia rerum artificiatarum, ex quarũ destructione l. cõstructione, nec destruitur, nec fit ipsarũ materia: ergo idem est intelligendum in subiecto naturalium.

Secunda conclusio. Secũda cõclusio. Materia est generabilis, & corruptibilis per accidẽs. Est quidẽ corruptibilis per accidẽs: quia amittit priuationem, q̃ est ipsius accidẽs cum ea cõiunctum. Est generabilis ꝑ accidens, quia acquirit in se formam, quam non habebat: sed forma non est ipsamet materia. Nota autem, quòd non amittit oẽm priuationem materia, sed illius formæ, quã acquirit. Est enim impossibile, ꝙ omnem priuationẽ amittat eò, quòd sit in potentia ad omnes formas, & simul plures habere non possit, vnde fit, vt quandiu sub vna est, aliarum habeat priuationem.

Ex his conclusionibus sequitur, quod tanta est modò materia, quanta à principio mundi, & vsq; ad finem erit: quia ipsa, nec generatur, nec corrumpitur, hæc enim secundum formas fiunt: Vndè materia, quæ modo est sub vna forma, potest sub multis pręfuisse formis; & sub multis successiuè erit. imò q̃ nunc est facta vna, põt in plures partes diuidi, & sub singulis singulas recipere formas, & è cõtra diuisę partes in vnam coniungi, vt notum est.

Ad primũ. Ad argumenta igitur respondetur: & ad primum patet solutio ex fundamento præsupposito: motus denominat subiectum: ea tamen ratione, qua illius subiectum est: At generatio potius dicit illũ motum, seu mutationem ex parte termini, ob id terminus dicitur generari: Materia verò denoẽatur secundum nomen exprimens illum motum ratione subiecti, puta materia mutatur.

Ad secundum. Ad secundum respõdetur: Tripliciter aliquid esse incorruptibile. Vno modo, ꝙ

extra materiam, & motum est, vt Angeli.

Prima solutio. Altero modo, quod nõ extra materiam, sed extra priuationem, & potentiã trãsmutandi, vt cæli, quorum materia nõ est in potentia ad alias formas. Tertio modo: quod est subiectum primum trãsmutationis, vt materia prima. Quæ sunt primo, & secundo modo incorruptibilia, sunt perfectiora, sed non, quæ tertio modo. Sic respondent aliqui.

Secunda solutio. Sed mihi videtur sic dicendum: quòd incorruptibile est perfectius corruptibili, quando vtrumque est in eodem genere prædicamentali, & ens simpliciter. Cũ verò alterum ens simpliciter, alterum secundũ quid, præstat id, quod est ens simpliciter (quãuis corruptibile) enti secundũ quid, licèt incorruptibili. Materia aũt est valdè diminutũ ens, & imperfectum, compositum verò perfectum: ob id compositum est perfectius simpliciter, quamuis secundum quid: puta, quoad durationem, materia possit perfectior dici, sed non simpliciter.

An materia appetat formam. Quæstio XVII.

IST A quæstio mouetur propter Aristo. qui materiam appetere formam docet, quod nõ admittit Auicenna, dicens, se

Sentẽtia Auicẽnæ. nescire, in quo sensu sit ista propositio Aristo. vera, nam si materia dicitur appetere formam, Vel est, quia nuda est omni forma, & hoc non, cùm semper cum forma sit, Vel quia habet tẽdiũ illius formę, quam habet, & hoc non, quia æqualiter se habet ad oẽm formam. Vel quia non est contenta illa forma, sed plures veller, & hoc non, quia simul plures recipere nõ potest. Vel quia habet aliquẽ motum circa formã, sicut lapis mouetur ad cẽtrum: & hoc nõ, quia nullum motum ex se habet materia. Vel quia in ea est aliquod principium intrinsecum impellens eam ad formam, & hoc non, quia ipsa est simplex substantia nuda omni adiecto: Nullo igitur modo appetit formam.

Sentẽtia Alberti. Albertus tract 3. cap. 17. dicit, materiã appetere formam, esse dirigi à causa vniuersali primą in singulas formas, vnde talis appetitus non est in materia, sed in dirigente, & mouente ipsam in formas.

At verò circa hoc aduerte, appetitum non esse aliud, quàm inclinationẽ quandam in bonum aliquod conueniens ipsi rei. Iste autem appetitus est triplex, intellectiuus, sensitiuus, naturalis. Intellectiuus est inclinatio rei in bonum, quod iudicat suo intellectu esse bonum, & hic appetitus est in rationali creatura. Sẽsitiuus est inclinatio rei in bonũ, quod ipsa res iudicat bonum per sensum, qui appetitus et, iam inest bruris, & vterq; dicitur cognoscitiuus eò, quòd inclinatio sit in bonum cognitum, & existimatum ab ipsa re esse bonum. Naturalis est inclinatio rei in bonum suum, quod tamen ipsa non cognoscit, qui appetitus inest inanimatis, etiã, & insensibilibus, vt lapis appetit cẽtrum. Hic autem appetitus non est aliud, quàm propensio, & conuenientia quædam ipsius rei ad tale bonum. Dixi autem, quòd talis res non cognoscit esse bonum. Nã Deus gloriosus, qui vnamquãq; rem ordinauit in suos fines, & propensionẽ dedit singulis in sibi conuenientia, ipse cognouit talia, in quæ res absque cognitione tendunt, esse illis conuenientia.

Primũ fũdamentũ. Quid sit, & quotuplex appetitus.

Iuxta hoc dico primo: Materia nõ appetit formam appetitu intellectiuo, nec sensitiuo: hoc autem est notum: quia materia nullo modo cognoscit, nec sensu, nec intellectu.

Prima cõclusio.

Dico secundò, quòd materia appetit formam naturali appetitu. In primis, quòd appetat, patet, quia habet inclinationem in singulas formas, vt in id, quo perficitur: ergo appetit, nec ista inclinatio aliud est, quàm quòd materia sic sit proportionata singulis formis, vt quãuis sub vna sit, sub alijs æqualiter esse possit: tamẽ dicitur appetitus, quatenus cùm proportionem hanc ad eas habeat, illis tamen est priuata, vnde appetitus hic, priè carentiam dicit, & priuationem, sed formaliter illam proportionem ad formam. Vnde patet error Auicennæ, non enim sumpsit hunc modum, quo materia dicitur appetere.

Secundo cõclusio.

Ex his sequitur, quòd appetitus materiæ est æqualis ad singulas formas, non magis ad perfectas, quàm ad imperfectas, sed sicut priuatio est æqualis, ita & potentia, & appetitus.

Appetitus materiæ ẽ æqualis ad omnes formas.

Quæ

Quæ sint nomina materiæ. Quæstio XVIII.

NOMINA materiæ in duplici differentia sunt, quædam propria, quædam metaphorica. Propria Auicenna. 1. lib. suffi. cap. 2. assignat sex, quæ etiam recipit Albertus tract 3. cap. 12. Dicitur enim hyle, subiectum, materia, massa, origo, elemẽtum. Hyle dicitur, quatenus est in potentia ad formas cum ipsarum priuatione: subiectum verò respectu formę, quam habet, quam distinctionem receperunt ex Themist. 1. Physi. digress. de materia. Notat autem Auicẽna, quòd hoc subiectum est primum ad differẽtiam subiectorum accidentium, quæ sunt composita, & posteriora. Dicitur materia, vt ex ea oẽs res naturales sunt confectæ: & ob eandẽ rationem secũdum Auicennã dicitur massa, quamuis secundum Albertum dicta sit massa, quatenus in diuersas portiones diuisa varia composita faciat. Dicitur origo, quatenus est principiũ generationis rerum. Dicitur elementum, quatenus ex ea omnia primò componuntur, & in eam vltimò resoluuntur. Attende, nõ esse aliud, omnia in materiam resolui vltimò, q̃ quod ex corruptiõe nihil sit superstes ipsius rei, nisi sola materia, cætera corrumpuntur. Hæc sunt propria noĩa.

Sex nomina materiæ primę secundũ Auicennam.

Nota primò. An sint diuersa nomina hyle, & materia.

Sed est circa ista primò notandum, quòd nõ oportet, hyle, & materiam duo nomina reputare, ita, vt diuersa significent, cùm prorsus alterum sit Græcum idem significans, quod apud nos materia. Id igitur, quod tribuitur hyle, tribuatur materiæ: & quod materiæ dedimus, detur etiam massæ.

Nota secundò. Materia duplex: prima, & secunda.

Vlterius est notandum, duplicem esse materiam, & primam, & secundam. Materia prima non aliud est, quàm ista substantia, de qua diximus, nude, & secundũ se considerata. Secunda verò est eadẽ dispositionibus, & qualitatibus indutà: vnde non differunt istæ substantiæ, ac si sint duæ substantiæ, sed sicut eadem nuda, & eadem cum qualitatibus. Si prima considereturet, est eiusdem rationis in omnibus rebus naturalibus: si verò secunda, non est eadem, sed varia, secundum quod variæ formæ varias habẽt in materia dispositiones: & de talibus dixit Aristoteles quarto libro de cælo, ca. 5. non esse vnam omnium materiam.

Circa nomina metaphorica Albertus assignat quatuor. Dicitur enim materia, sylua, mater, fœmina, turpe. Sylua, ppter confusionem, vt enim multa artificiata continentur, in potentia, & confusè in sylua, sic formæ in materia: hæc autem confusio est indeterminatio, & indifferentia materię ad formas. Dicitur mater, quia, ex ea procedunt formæ. Dicitur fœmina, quia recipiens ab agẽte formam producit compositam. Dicitur turpe, quia caret secundũ se forma, quæ est pulchritudo, potestq; per talem formam fieri pulchra.

Quatuor nomina metaphorica materię primę, secũdum Albertũ.

Circa hæc nomina aduerte, quòd quãuis ita verum sit, tamen iuxta Aristotelem materia non dicitur mater formarum, sed eorum, quæ fiunt, nempè compositorum. Hæc satis de materia. Ad textum Aristotelis redeamus.

Nota.

CAPVT VIII.

Quot igitur, & quæ sunt principia. Tex. LXXI.

EX his, q̃ dicta sunt de materia, Aristoteles vult soluere ratiões Philosophorum, quæ processerũt ex huius materiæ ignorantia. Ob inexperientiam enim, id est, ob paucam in Dialectica exercitationem, qua nescierũt per se, & per accidens distinguere, à veritate longè remoti sunt. Dubium igitur ipsorum proponit. Si fit aliquid. l. fit ex ente. l. ex non ente: ex ente fieri non potest, quia iam esset ens, antequam factum esset: nec ex non ente, quia non ens nihil est, ex nihilo autem nihil fit, semper enim aliquid est pręsupponendum. Vnde ex hoc negauerunt generationes, & rerũ corruptiones.

Et sic itaq;, quòd consequenter accidit. Tex. LXXII.

NOn solùm illo errore contenti sunt, nam consequenter dixerunt nõ esse, nisi ens vnũ, & nõ multa.

Multitudo enim generationem, & factionem præcedentem importat: & vt dicit Philoponus, si multa essent, vnum non esset aliud, & ita esset non ens, vnde esset non ens, & ex tali generatio esse posset.

Nos autem dicimus, quòd ex eo, quod est. Tex. LXXIII.

VOlens Aristoteles errorem antiquorum aperire ex indistinctione ipsorum, conatur illorum propositiones distinguendas esse probare, nempè ex ente fit ens, seu ex non ente fit ens: ob cuius gratiã dicit eas esse aliquo modo similes alijs, quæ tamen sunt distinguendæ. Dicit igitur, nihil differre, quantum ad modum loquendi, inter has propositiones ex ente fit aliquid, ex non ente fit aliquid. Non ens agit, aut patitur, seu ens agit & patitur Et inter has ex medico fit aliquid, seu ex non medico fit aliquid. Medicus agit, aut patitur, denique nihil differt in locutione per ens, aut per alium quemuis terminum loqui.

Quare cum hoc dupliciter dicatur. Tex. LXXIIII.

SImilitudine inter illas propositiones posita, vnam illarum distinguit. Dicit igitur de medico dupliciter enunciamus, aut per accidens, aut per se: Per accidens, cùm illa enunciamus, quæ ipsi ipsum, sed non vt medicus est, sed vt aliquid aliud coniunctum habet: vt si dicas, medicus ædificat, medicus fit albus: hęc enim non illi, vt medico, sed vt ædificatori, & nigro insunt. Per se verò insunt, quæ illi, vt tali insunt, vt medicus medetur, medicus fit non medicus. Cùm autẽ ea, quæ ei, vt tali insunt, enunciamus; sine dubio maximè propriè enunciamus. Ita similiter fit in ente; & non ente: enunciamus enim per se, & per accidens, licet maximè propriè cum per se, vt ea, quæ enti, vt ens est, & nõ enti, vt non ens est, insunt Sed non ob id non sunt tales propositiones multiplices: possumus enim enunciare per accidens: atque in hoc erraverunt, inquit, Philosophi, quòd non diuiserunt, sed contenti fuerunt cum sensu per se. Hic considera breuitatem Aristotelis: noluit enim propositiones enarrare, in quibus de non medico aliquid dicitur per se, vt non medicus fit medicus: aliquid per accidẽs, vt non medicus fit musicus. Similiter de nõ ente tantùm dixit, non autem de ente, quia in textu sequenti dicturus erat id latius, ne esset eiusdem repetitio.

Nos autem & ipsi dicimus. Tex. LXXV.

DIstinctionem modò applicat, dicitq; primò, ex non ente nihil fieri simpliciter, id est, per se, fieri tamen ex non ente aliquid per accidẽs, fieri aliquid per se ex non ente est, quod non ens, vt non ens faciat aliquid, & hoc fieri non potest: fieri verò ex non ente per accidens est, quod non ens faciat aliquid, sed non, vt non ens est, sed secũdum aliam rationem, & hoc fieri potest, & istud est materia, quæ est non ens per accidens ratione priuationis, non est per se non ens: & ex tali materia fit res, vnde ex non ente fit ens, sed per accidens. Nã materia est non ens ratione priuationis, hæc tamen est per se nõ ens, nec ex ea fit per se res. Et aduerte, quòd cùm dicit, ex nõ ente fieri per accidens, intellige, vt ex parte componẽte, de hoc enim est sermo, nempè de principio, ex quo intrinsecę res factæ sunt. At quia Antiqui non cognoscebant hanc materiam, quę esset per accidens non ens, sed omne non ens arbitrabantur esse per se non ens, & nihil, ob id dicit, adhuc est mirabile, & nondum patet, quomodo ex non ente per accidẽs fiat aliquid. Nõ enim ipsi tale principiũ cognoscebant, quod per accidens esset non ens.

Similiter autem, nec ex eo. Tex. LXXVI.

POstquàm vnam propositionem distinxit, nempè ex nõ ẽte fit aliquid, ac docuit, veram esse, si sensum per accidẽs faciat, nempè ex aliquo, quod sit non ens, licet non vt non ens est, aliquid fieri posse.

Quomodo ex ente, & ex non ente fiat aliquid

Alteram modò distinguit propositionem, nempè ex ente fit aliquid, dicitque ex ente per se, nõ fieri aliquid. i. quatenus ens, sed per accidens, id est, ex illo, q̃ est ens fit aliquid, sed non vt ens est: ita similiter dicẽdum est, de hac fit ens: est enim p̃ se sumpta falsa, nõ enim fit ens, vt ens, quia oportebat ante illud nullũ esse ens, aliàs non fieret, sed per accidens est vera, puta fit aliquid, scilicet ignis, aqua, leo, quæ quidem sunt ens, sed non fiunt in quantum ens.

Nota. In cuius declarationem aduerte, quod semper illius, quod fit, eius negatio præcedit, vt fiat: vnde si ens, vt ens, fieret, oportebat, nullum præcedere ens, & ita ex nihilo fieret, quod esse non potest. At cũ non fiat ens, vt ens, sed hoc. l. illud ens, satis est, quod præcedat aliquod non ens, puta nõ ens illud, quod debet fieri, licet hoc nõ ens sit aliud ens: & hoc est, quod Aristoteles intendit docere: quod vt fiat hoc ens (vt re vera fit) non oportet, ex nihilo fieri, sed ex aliquo ente, quod non sit illud, quod debet fieri.

Quòd si dicas, si fit hoc ens, puta lapis, & hoc ens est ens: ergo fit ens. Respondet Aristoteles id probare, quòd fit per accidens, quatenus hoc ens, quod per se fit, est ens. Hoc etiam intellige ex parte subiecti, ex aliquo fit aliquid, non ex eo, q̃ illud, ex quo fit, sit ens, quamuis illud sit ens: sed ex eo, quod est in potentia, id, quod debet fieri: ac propterea per accidẽs fit ex ente.

Nota. Hæc autem omnia veritatem habent ponendo materiam, vt ab Aristotele ponitur, quam non cognoscentes Antiqui has propositiones non distinxerunt. Tu aduerte hanc expositionem.

Post hęc; exemplo ostendit Aristoteles, quomodo ex ente aliquid per accidẽs fieri dicatur: fiat animal quoddam ex quodam animali, vt canis ex equo, seu vermes ex cane, tunc animal non solùm fit ex quodam animali, sed etiam ex animali, sed per accidens: quia quoddam illud animal est animal, per se enim animal nõ fit ex animali: quia iam animal est, sed ex non animali.

Et si aliquid sit. Tex. LXXVII.

CONcludit id, quod est, nec fieri per se ex ente, nec ex non ente, imò nõ fieri ex ente, nec non ente: quia tales propositiones, vt dictum est, faciunt sensum per se. At quia posses dicere, quomodo nec ex ente, nec ex non ente fiunt, & fiunt ex aliquo? videtur iam medium inter contradictoria dari. Respondet, nõ esse contradictoria: cùm enim dicimus, non ens, non negamus omne ens, sed aliquod, puta non est, quod debet produci. Similiter cùm dicimus ens, aliquod ens dicimus, potestque esse, quòd fiat ex aliquo, quod secundum se non sit ens aliquod, nec sit non ens aliquod, & id est materia, quæ non secundum se est non ens producendum, sed ratione priuationis, nec secundum se est id ens, puta aqua, aut ignis, aut aliud, ex quo illud fit, sed est in potentia vtrunque,

Vnus igitur modus. Tex. LXXVIII.

HVnc modum prædictum soluendi esse docet; alterum tamen ponit, nempè per distinctionem entis in ens actu, & ens potentia, vt dicamus. id quod est actu, fieri ex eo, quod est potentia, & ex eo, quod nõ est actu. Vnde fit ex ente, & ex non ente: hæc enim omnia verificantur ponendo hanc materiam huius naturæ, vt diximus, quam nõ aduertentes Antiqui dubitârunt, sed per eius cognitionem ipsorum, soluuntur dubitationes.

CAPVT IX.

Tangentes igitur. Tex. LXXIX.

INcõsiderationis priuationis modo antiquos repræhendit quosdam, qui cùm materiam attigissent, tamen insufficienter dixerunt nõ separantes, & distinguentes priuationem. Inter hos fuit Plato, qui materiam à priuatione non separauit, ac inde concessit per se aliquid fieri ex non ente, ad mittens argumentum Parmenidis: Quidquid est præter ens, esse nõ ens. Ductus aũt est Plato ad idẽ existimandũ, priuationẽ esse cũ materia, quia numero, & subiecto cõpererat esse vnũ, ac inde esse vnũ potẽtia, id est, ratione, collegit, q̃ quidẽ falsũ est. Nõ enim, q̃ numero vnũ sunt,

sunt, ratione statim vnum sunt. Probat autem priuationem, & materiam differre. Primò, materia est non ens, secundum accidens tamẽ: at priuatio est non ens per se non ergo priuatio est materia.

Nota primò quomodo priuatio sit p se nõ ens.

Aduerte, quòd aliud est per se non ens esse priuationẽ, aliud simpliciter nõ ens. Simpliciter non ens, est nihil, hoc autem non est priuatio: At per se non ens est id, quod intrinsecè claudit aliquod non ens, & talis est priuatio: dicit enim negationem, sed cum aptitudine: alterum non ens, alterum ens.

Nota secundo

Vndè nota differentias quatuor secũdum se non ens, hoc est priuatio, per accidens non ens, hoc est materia, quæ non claudit intrinsecè priuationẽ. Simpliciter non ens, & hoc est nihil: non ens simpliciter, & hoc est ens imperfectum.

Secundò probat, priuationem non esse materiam. Materia est propè substantia, non autem priuatio: non ergo priuatio est materia Per substantiam intelligit perfectam substantiam, qualis est prima. Dicitur autem materia propè substãtia, quia est pars intrinseca huius primæ, & perfectæ substantiæ.

Quidam autem quod non est. Tex. LXXX.

Respõdet obiectiõi.

QVantum existimo, obiectioni respondet: Posset quidam dicere, nónne Plato materiam magnum, & paruum dixit: ergo distinxit illam in duo, sicut ipse Aristoteles? Respondet, non sic Platonem tria principia posuisse, nam per magnum, & paruum, siue singula per se, siue vtraque simul. idem principium significauit, puta materiam, sunt enim duo nomina eiusdem principij, priuationem verò neglexit, quam Aristoteles principium facit.

Et subdit rationem, quare Plato priuationem despexit inter principia computare: quia materia est permanens in re & est mater eorum, quæ fiunt: at priuatio intellectum intendenti, & imaginem, id est, ipsam contemplanti, videbitur potius ad maleficium, id est, corruptionem rei facere. Ob id enim corrumpitur res: quia materia est priuata alijs formis. Nõ ergo priuatio debet inter principia computari, cùm principia potius faciant ad esse ipsius rei, quàm ad non esse, ad generationem, & non ad corruptionem.

Existente enim quodam diuino. Tex. LXXXI.

Quæ tria principia secũdum Aristot. & qualia.

SVam opinionem cõstituit, tria principia distinguens. Primum est diuinum quid, & appetibile, & hoc est forma, non Deus, vt vult Themist. Forma autem dicitur diuina: quia est quædam participatio, & similitudo esse diuini, iuxta illud, 1. de Cæl. cap 9. ab illo supremo principio omnibus alijs exactius, alijs offuscatius esse, viuereq; dependet.

Alterum principium est huic oppositum, puta priuatio. Tertium est ipsa materia appetens formam hanc. Istis verò, qui priuationem à materia non separãt, accidit dicere, quòd priuatio appetat formam, cùm sit idem cum materia. Et ita idem appetit sui ipsius corruptionem per se, quod esse non potest. Vnum enim cõtrarium per se non appetit alterum, nec forma se ipsam appetit, quia careret sui, cùm nihil appetat, nisi id, quod non habet. Relinquitur, quòd materia appetat formam, sicut turpe appetit esse pulchrũ. At ne quis existimaret, materiã esse turpem, addit, id esse per accidens, puta ratione priuationis. Et nota intentũ Aristotelis: vult enim ostendere, cùm forma sit quid appetibile, ponendum esse appetitum, hic non erit in priuatione, erit in materia: & non secundum se, sed ratione priuationis. Oportet ergò priuationem non negligere, aliàs forma non erit quid appetibile, cùm sit diuinum, quod falsum est.

Corrumpitur autem, & fit. Tex. LXXXII.

MAteriæ singularẽ proprietatẽ vltimo loco tradit Aristoteles, nẽpè esse per se incorruptibilẽ, per accidens verò corruptibilem: explicat autem vtrunq; : Est quidem per accidens corruptibilis, quia amittit priuationem formæ, quam acquirit, quæ priuatio erat accidẽs ipsius materiæ: sed substãtia eius, & potentia semper manet, ob id incorruptibilis est per se. Hoc aũt probat, si enim materia esset corruptibilis, tũc fieret: cũ autem in omni mutatione oporteat aliquod præsupponere subiectum: ergo ante productionem materiæ deberet præcedere aliquod subiectum, sequitur iam, quod esset, antequam esset, nã illud subiectum esset materia prima. Nam materia est primum subiectum, ex quo inexistente fit aliquid per se, hæc enim est ipsius definitio. Vlterius si corrumpitur, in aliquod vltimum resoluitur: ergo esset corrupta, antequam corrumperetur, illud enim vltimum materia est, ac si clarius diceret, cùm in omni generatione semper aliquid sit præexistens subiectum, & in corruptione aliquid permanẽs, non poterit materia generari, nec corrumpi, illud enim subiectum permanẽs, & antecedens esset materia, non autem id, quod fit, aut corrumpitur.

De principio autem secundum formam. Tex. LXXXIII.

POstquam sufficienter de materia dictum est dicit de forma, nempè prima, an vna sit, an plures, quot & quę sint, non esse Physicum tractare, sed Metaphysicum. De formis verò generabilibus Physici est disserere, & in sequentibus disseretur. Nunc satis est, quot sint principia, & quæ determinasse. Prosequamur vlterius, aliud, inquit, sumentes principium: intellige cum Auerroe, aliud principium scientiæ, nam hucusq; principia plura esse ostendit, in secundo libro ab alio orditur principio, quæ fiunt, aut natura, aut alia causa fieri.

Nota quo modo cõpositũ cõponatur ex materia, & forma.

Hæc aduerte, quod compositum naturale, ex materia, & forma constat, tamen non est eiusdem modi vna, & altera pars. Nam materia est eiusdem rationis in omnibus naturalibus, ita vt detur vna numero materia secundum se omnium eorum, non tamen datur vna forma prima, sed plures secundum rerum compositarum pluralitatem. Quòd si datur aliqua forma communis, illa est abstracta, & separata à rebus, nec est pars ipsarum rerũ, sicut Idea, secundum Platonem, aut gloriosus Deus: vndè Physicus talem formam non considerat, sicut materiam: est enim separata à sensu: Metaphysicus est, qui illam considerat cum diligentia, id est, quantum ad quid sit, nam quantum ad an sit, hoc est Physicum, vt notat hic Auerroes contra Auicennam, & nos alibi ostendemus.

Qũo Physicus agat de forma.

Hinc est, quòd Physicus non agit separatim de forma, sicut de materia, sed de singulis speciebus formarum sigillatim: hæ enim Physicæ sunt.

Dubij solutio.

Dices, quare sicut fuit vna materia nõ fuit vna forma? Dico, non esset tunc generatio, nec corruptio. Quòd si dicas, potentia materiæ est communis, debuit ergo terminari in formam aliquam communem. Aduerte, quòd hoc fuit vnum motiuum Auicennæ ad ponendam formam corporietatis, & sine dubio, nescio, an benè perpendit naturam potẽtiæ materiæ, nam potentia ista non est determinata ad vnum, sed indifferens, vt enim potentia ad contraria recipienda. Et potentia generis ad differentias non est ad vnum quid, ita nec potentia materiæ, sed semper manet apta ad recipiendam formam: & sic est conuenientissimum principium ad mutationes naturales.

An aliquid formæ præfuerit in materia. Quæst. XIX.

Sensus q̃stionis.

SEnsus huius quęstionis est, cùm constet, cõpositum materia cõfici, & forma, ac materia sit ingenerabilis, formæ verò de nouo producantur: dubium est, an aliqua entitas præfuerit in materia, ex qua talis fuerit facta forma, aliàs. n. videtur ea ex nihilo facta, materia enim non est pars formæ.

1. Sẽtentia

Circa hanc quæstionem multæ extiterunt sententiæ. Prima fuit illorum Philosophorum ante Aristotelem, qui nõ intelligentes, ex quo possent de nouo tales produci formæ, prorsus de medio abstulerunt generationes substantię de nouo. docentes, generationes esse quasdam alterationes, aut quasdam athomorũ præcedentium congregationes, vt latè dictum est.

2. Sẽtentia

Altera sententia fuit quorundam, quos refert Duran. 2. sen. d. 18. qui dicebant, in materia præcedere quasdam entitates, ex quibus sunt factę postea formæ, vt singulę sint pro singulis formis, quas entitates: vo-

Tertia sententia. vocabant possibilitates formarum.

Tertia sententia fuit aliorum, qui dicebant, partes formarum præcedere in materia, sed remissas valdè, postea generatione intendi: & ita quælibet forma præcedit in materia subesse remisso, & debili.

Quarta Alberti. Quarta sententia fuit Alberti tract.3.c. 3. & cap. 15. qui dicit formas omnes secũdum esse, & existere produci, tamen in materia secundum essentiam præcedere, ita vt materia sit, vt quidem habitus formas omnes secundum essentiam prehabens. Non quòd sint plures, sed vnum sunt, nempè ipsa materia. Rationes horum omnium hæ sunt.

Prima ratio quòd aliqd for mæ pfuit in materia. Prima, & omnium fortissima est. Cùm forma, ignis, v.g. producitur. l. aliquid illius formæ præfuit in materia. l. nõ: si præfuit, habetur intentum: Si non, ergò ex nihilo est facta, quod non est concessum agentibus naturalibus.

Secunda. Secundò: omne simile appetit suum simile: Si ergò materia appetit formam, aliquid habet, in quo ei similetur, & hoc non est, nisi aliquid formæ.

Tertia. Tertiò: Si nihil formæ præcedit in materia: ergò non est discrimen inter has formas, & animam rationalem. Nam anima hoc habet, quòd nihil ipsius precedat in materiã: quòd autem sit discrimẽ huius, & illarum, notum est: hæc enim non educitur de potentia materiæ, illæ verò sic.

Quarta. Quartò: Priuatio est principium naturale per se generationis: ergo aliquid dicit præter generationem: hoc nõ est forma, cuius est priuatio: nec ipsa materia: ista enim sunt principia per se: ergò aliquid aliud, & hoc est principium formæ. Hæc sunt argumenta communia omni opinioni prædictæ ex tribus vltimis, & sunt præcipua eorum.

Prima cõclusio. Vt autem hanc difficultatem à principijs aperiamus, sit prima conclusio. Præter materiam oportet aliquã aliam partem substantialem ponere, qua sit compositum, & ea est forma: probatur.

1. Ratio. Primò compositum substantiale est quoddam perfectum, & completum in substantia, hoc non fit per materiam: est enim imperfecta, & in potentia, vt dictũ est: ergò aliud oportet ponere, quo perficiatur. Vlterius: Nullum imperfectum in aliquo genere perficitur in illo genere, nisi per aliquid illius generis. Sed materia est imperfecta substantia, & efficitur perfecta in composito substantia: ergò per aliquid substantiæ: ergò præter materiã, est alia substantia in composito, & hęc est forma.

2. Ratio. Secundò, Omne agens, tam intellectuale, quàm naturale propriam in effectu facit similitudinem: ergò in producto est propria similitudo agentis: hæc nõ est materia, quia materia vnius rationis est in omnibus, ergo aliquid aliud est, quo peculiariter agenti assimiletur, & id est forma. Maior explicatur: vocamus agens intellectuale, quod agit secundum artem: naturale, quod secundum naturam suam agit, vtrumque quidem simile producit, sed cum discrimine: Nam naturale agit simile in natura, vt ignis ignẽ, leo leonem: intellectuale verò agit simile in arte, seu in imagine, quam secũdum artem sibi format in mente, vt agat.

3. Ratio. Tertiò, In omni motu, & mutatione non solùm est subiectum, sed terminus, in quem talis motus, & mutatio terminetur. Sed materia est subiectum mutationis substantialis: ergo præter eam, oportet ponere aliam substantiam, vt terminum, & hæc est forma. Multis posset probari conclusio hæc, sed sufficiant ista. Vide Sanctum Thomam, q.1. de formis, articul.2.

Secunda conclusio. Nota formæ definitionẽ. Forma est actus simplex formalis, vnum per se cum materia componens, principium propriarum operationum rei. Hęc conclusio est velut definitio explicans ipsius formæ naturã, ob id singulæ partes sunt explicandę. Forma dicitur actus, quia dat esse materiæ perfectum, & determinatum in specie certa: Nam actus materiæ est imperfectus, & communis, ac potentialis, forma determinat, & perficit ad certam speciem: ob id actus determinatè dicitur, quia nihil habet potentiæ, vt ab altero actu possit determinari Physicè: Dicitur simplex, ad excludendum actum, qui est totum compositum, qui simplex nõ est, cùm in duas substantias partiales diuidatur: at forma est simplex, & incomposita substãtia, vt diximus de materia, quod probat S. Tho-

Tho. q.3. de formis. ar.1. At quãuis forma sit simplex, non tamen est simplex in vltimo gradu simplicitatis, qa oportebat, quòd nõ solùm non esset composita, sed nec cum alio componeret: & in hoc anima est minus simplex, quàm Angelus. Vide Sanctum Thomam. quæst.3. de formis, articu. primo, & Albertum tract.3. c. 13. Dicitur formalis, vt intelligas, quomodo forma det esse materiæ: nempè se ipsa informando, & vniendo sibi materiam, sicut albedo se ipsa facit parietẽ album: & hoc ad discrimen causæ efficientis, quæ dat esse, puta ignis facit lignum ignem, sed non dando se ipsum, sed aliquid aliud extra se producendo. Dicitur, vnum cum materia per se faciens, ad excludendas formas accidentales, hæ enim actus sunt simplices, & formales, sed cũ eo, cuius actus sunt, non faciunt vnum per se, sed per accidens: non enim complent accidentia subiectum, at forma cõplet materiam: est enim materia dimidium ens, vt diximus, ac ob id dicitur facere vnum per se cum materia. Dicitur principium operationum propriarum, quæ actio formæ tribuitur, & ea omnia, quæ insunt omnibus rebus naturalibus, sed quibusdam hæc, quibusdam illa. Ex his poteris naturam formæ contemplari.

Tertia cõclusio. Tertia conclusio. Nihil formæ præcedit in materia ante ipsius introductionem. Hæc est contra illas tres sententias, quæ sunt profectò intelligibiles: & probatur conclusio.

Prima ratio. Primo. Illud formæ, quod in materia ponitur. l. est idem numero cũ forma. l. non: si est idẽ cum forma producenda, iam forma producenda non de nouo fit. Si verò non est eadem. l. ipsa conuertitur in formam, & hoc est naturaliter impossibile, quòd vna substantia in aliã conuertatur prorsus ita, vt vna fiat altera: si verò nõ sic, sed ex ea fiat altera, tunc oportet, aliud superaddere, ex quo simul cum illo præcedẽte fiat forma: petam igitur ex quo factum est illud additum, esset enim ex nihilo, vnde eadem redit difficultas.

Secunda ratio. Secundò: id quod in materia ponitur, l. est idem cum ipsa. l. non: si est idem, iam non dicit quiquam contra nos, nec difficultatem fugientes soluunt: si verò nõ est idem cum materia, iam compositum facient, aut per se, aut per accidens ante formam, quorum neutrum est verum. Multa possunt argumenta proponi contra has sententias, sed cùm ex ipsismet earum constet improbabilitas, & falsitas, pręterimittantur.

Quarta cõclusio. Solũ compositũ per se generatur, vel corrumpitur. Quarta conclusio. Id, quod primò, & per se corrumpitur, generatur, producitur, est cõpositum ipsum, ita quòd actio non terminatur primò, nisi in compositum, fit enim leo, aut ignis, aut aliud simile, non autem forma, aut materia: & hæc conclusio est maximè tenenda, ex cuius veritate pendent multæ graues physicæ determinationes, quam docet Aristoteles hoc textu. 84. & probauerat per textus aliquot antecedẽtes: & est notandum caput octauum, lib.7. Meta. vbi per multa verba eam docet.

Prima ratio. Et probatur. Id primò fit, quod primò erat in potentia materię: Facere enim est, id quod erat in potentia, ad actum reducere, vt dicitur 4. Physi. tex.84. sed in potentia materiæ (vti diximus superius) est primo ipsum compositum, & ad hoc est ordinata talis potẽtia: ergo id primò fit, ac producitur. Præterea, id primò fit, cuius est esse, cùm productio sit via ad esse, sed compositi est esse, cùm ipsius sit operari: ergo ipsum primò fit.

Quinta cõclusio. Formæ p se non producũtur, sed comproducũtur. Ex hac autem sequitur, quinta conclusio. Forma non producitur per se, sed cõproducitur ad productionem compositi, quod est dicere, actio in ipsum compositum terminatur primò, & consequenter, ac velut per accidens in ipsam formam. Hæc est singularis doctrina Sancti Tho. 1.par. q.90. arti.2. Ex quo patet, quid sit formas educi de potentia materiæ, non enim est aliud, quàm eadem actione consequenter fieri, & habere esse, qua fit cõpositum, quod educitur de potentia materiæ.

Nota discrimẽ inter alias formas, & animã rationalẽ. Ex hoc colliges discrimen animæ rationalis, & aliarum omnium formarum: Hæ enim omnes eadem actione habent esse, qua compositum fit. At anima rationalis à solo Deo creatur, & habet esse, agens verò naturale vniendo eam materię facit compositum, ob id que anima rationalis non educitur de potentia materiæ. Aristoteles. 2. de gene. Animalium

cap.3. dici, animam de foris aduenire: Vnde fit, quòd destructo etiam composito, ipsa non destruatur, reliquæ verò sic: ita enim se habent in generatione, & corruptione.

Ad argu. Per hæc possumus ad argumenta respōdere, in quorum solutione magis difficultas declarabitur Ad primum, quod erat omnium potissimum, negādum est prorsus cum Aristotele fieri formas, aut produci, sed composita fiunt, non ex nihilo, sed ex materia: formæ vero consequenter fiunt, & compio ducuntur: vnde non est ipsarum creatio, quia creatio est actio, qua aliquid primò fit, formæ verò non primò fiunt: hæc autem est vis concessa agentibus naturalibus, vt compositum producerēt, ac simul mediante formas attingerent, quod nō est creare, nec aliam philosophiam habemus ab Aristotele, & est optima, & notanda.

Ad primum.

Ad secundum negamus, simile appetere semper simile sibi in forma: appetimus enim cibos, & alia, quæ nobis non sunt similia, sed conuenientia: ita materia formam appetit, sicut imperfectum perfectum.

Ad secundum.

Ad tertiū Ad tertium diximus iam discrimen inter formas reliquas, & animam rationalem.

Ad quartum. Ad quartum dico, quòd priuatio dicit potētiam in materia cum negatione formæ, & hoc sufficit, vt sit principium generationis, vt dicemus inferius.

Nota quō differat generatio à creatione. Ex hac determinatione vnum sequitur, nempè differre generationem à creatione: generatio enim est ex aliquo præsupposito, vnde non facit totū ens, quod generatur, sed materiam perficit: at verò creatio est, productio ipsius rei totius: creare ergo equum est totā equi substantiam de nouo facere: generare verò est ex præsupposita materia, & ex parte illum facere, ac ob id creare est de nihilo. 1. post nihil facere aliquid, & Sanctus Thomas 1. par. q 45. ar. 1. dicit creatio est productio totius entis.

Dubium, an agens naturale possit creare. Dubitabis, an agens naturale possit creare? Dico, quòd non, quia omnis actio naturalis præsupponit aliquod subiectū, & partem, ex qua fiat res, at creatio nihil præsupponit. Aliam rationem adhibet Sanctus Thomas. 1. par. quæst. 45. articu. 5. quia est opus virtute infinita ad creandum, cùm sit distantia infinita inter ens, & nihil, virtus autem infinita non potest esse in agente naturali.

Sententia Scoti. Scotus 4. d 1. quæst. prima, reprehendit hanc rationem, dicens, quòd ens non distat à nihil in infinitum, nisi secundum esse ipsius entis: vnde tantum formica ab ipso nihil distat, quantum est ipsum esse formicæ, quod est finitum.

Nota vnde sit efficiāda virtus agētis. At quicquid sit de hoc aduerte, quòd virtus non solùm est pensanda ex effectu, qui fit, sed ex remotiori potentia materiæ, ex qua educitur, vnde maior virtus, & actiuitas est necessaria ad faciendū ignē ex ferro, quàm ex stupa: cùm ergo non sit vlla potētia remota ab actu tantū, quantum est nihil, sine dubio colligitur, virtutem infinitam esse necessariam ad creandum, aut saltem tantam, quanta naturaliter nō est concessa vlli agenti naturali. Et hæc sufficiant de quæstione præsenti.

An materia sit causa corruptionis an forma. Quæstio XX.

QVM iam duplicem hanc partem in composito constituerimus, & quid sit vtraque explicatum sit, dubitare quis posset, cùm talia composita corruptibilia sint, vnde eis corruptio aduenit, non enim patet, an à forma, an à materia id sit, & procedat.

Prima sententia Auicennæ. Auicenna. 1. suæ Physicæ, cap. 3. opinatur à contrario prouenire corruptionem, ob idque res corruptibilis est: quia contrarium habet.

Secūda sententia Auerrois. Auerroes lib. de substantia orbis contrarium, & materiam causas corruptionis ponit: eò quòd Arist. 7. Meta. text. 22. & 29. materiam, inquit, esse, secundum quam res potest esse, & non esse.

Tertia, aliorū sententia. Alij à forma corruptionem prouenire dicunt, nam Aristoteles hoc primo libro text. 68. dicit, formam sui absentia. l. præsentia facere mutationem.

Quarta sententia Authoris. Dico ad hoc, quòd aliud est loqui de principijs corruptionis, aliud loqui de principio, vnde ista passio proueniat cōposito, nempè corruptibilitas. Si de principijs loquamur, sunt ista, materia, forma, priuatio & causa efficiens: hęc enim in muta-

in mutatione qualibet necessaria sunt. Si verò de principio, vnde corruptibilitas prouenit, sit sermo, id est materia priuationi annexa. i. capax formæ, & ipsius priuationis: vnde Aristoteles tex. 80. dicit, priuationem ad corruptionem, & maleficium facere, & idem ibi explicat Simpl. Themist. D. Thom. & Philopo. Materia ergo est causa, & principium in composito quantitatis, & dimensionis: est etiam causa alterationum secundum cōtrarias qualitates, est etiā causa corruptionum rerum. At forma est causa, quòd res sit sub certa specie; est causa actionum rei: sola enim forma est actiuū principium: est causa eorum, quæ peculiaria sunt, & non in omnibus naturalibus inueniuntur, quales sunt proprietates, passionesq; rerum propriæ. Est causa enim figurarū naturalium: figuræ enim rerum naturalium maximè specificant, & substantiales formas comitantur ipsasque indicant.

An priuatio sit principium naturale. Quæstio XXI.

MVLTA in præcedentibus diximus de priuatione, & in expositione textus, & in quæstionibus præcedentibus: vt autem melius intelligantur, sit primum argumentum.

Primum argu. Non ens non est principium rei naturalis, at priuatio est non ens, cùm sit negatio quædam; & id Aristoteles fatetur, non ergo est principium.

Secundū argum. Secundò. Materia est prorsus idem re, & ratione cum priuatione: non ergo oppus est, ipsam distinctum principium facere à materia: probo antecedens: materia, & priuatio sunt idem numero, vt dicit Aristoteles, ergo idem specie, ergo idē definitione, ac per consequens ratione: hæ enim consequentiæ videntur bonæ ex ipsa logica, quæ enim sunt idem numero. l. diuersa solo numero, specie, & ratione eadem sunt: maior enim vnitas includit minorem, vt patet.

Tertium argu. Tertiò. Si priuatio esset aliquid pręter materiam, sequitur, quòd oporteret multiplicare tot priuationes, quot sunt formæ, quod videtur extra rationem.

Primū fūdamentū Circa hęc aduerte primò, quòd priuatio, vt anteà dictum est, differt à negatione pura: Hæc enim dicit absentiam alicuius, nihil positiui ponens, vt non homo solam hominis negationem dicit: At priuatio dicit, non solùm negationē formę, sed in aliquo subiecto, vt nō homo priuatiuè est aliquid, quod non est homo: ob id 4. Meta. tex. 6. priuatio dicitur negatio intra genus, nec solū priuatio ponit subiectum, sed aptitudinem in subiecto ad illam formam, cuius est priuatio, vt negatio formæ in subiecto apto ad illam sit priuatio, & talis priuatio est in materia prima.

Quomodo differant priuatio, & negatio.

At ista non sufficit ad generationem, sed vlterius priuatio dicit aptitudinem, & potentiam propinquam ad illam formam: vnde non homo non dicitur lignum: quia est potentia remota, sed embrio, qui est in proxima dispositione, vt fiat homo: idem de quocunq; alio dicendum est, talis priuatio est, quæ dicitur principium.

Secundū fundamētum. Aduerte secundò: quòd si puram essentiam generationis consideremus, & mutationis: priuatio non dicit formam aliquam præcedentem in subiecto, sed quod nondum sit id, quod debet fieri: ponit enim subiectum cum aptitudine: at quia naturaliter tale subiectum non est sine opposita aliqua forma, nec agens aliter posset transmutare, & agere in subiectum, t, quòd priuatio ponit fioppositā aliquam formam in materia: vnde non ignis est aqua, aut quoduis aliud, quod in ignem transmutatur.

Quid dicat formaliter priuatio.

Tertium fundamētum. Aduerte tertiò. Principia rei compositæ non esse, nisi duo per se, formā, & subiectum: generationis verò, & productionis est etiam priuatio principium; quod est dicere, vt ex subiecto fiat aliquid, oportet, quòd subiectum nondum sit id, quod debet fieri. aptum tamen, vt fiat, hoc aūt est habere priuationem.

Alia sunt principia gūatiōis, alia rei gūatæ.

His suppositis, sit prima cōclusio. Materia, & priuatio non sunt idem ratione. Hanc multis probat Aristoteles. Primò: quia priuatio secundū se est non ens, puta claudit negationem, non autem materia. Secundò: quia priuatio non est pars substantiæ, materia verò fic. Tertio: Priuatio non appetit formam, materia verò appetit. Quartò, materia pseuerat in cō-

Prima cōclusio.
Prima rō.
Secunda.
Tertia.
Quarta.

posito, priuatio recedit: non ergo sunt idem ratione. Alia argumenta Aristoteles ponit, quæ prætermittimus, quia facilia sunt in textu, & res est nota.

Secunda conclusio Prima rō.

Secunda conclusio. Priuatio est principium intrinsecum productionis naturalis, non tamen ipsius compositi, id est, priuatio, nec est subiectum, nec forma, sed terminus à quo generationis.

Tertia cōclusio.

Tertia conclusio. Ex priuatione hac sequitur appetitus materiæ ad formam, quod est dicere, propterea materia dicitur appetere formam, quòd cùm sit apta, ad eam, nondum habet, ipsi tamē, vt suæ perfectioni proportionabilis est, adaptari potest.

Ad primum.

Per hæc ad argumenta respondetur. Ad primum dicitur, quòd priuatio non est omninò non ens, non enim est pura negatio, sed quid reale ponit, & hoc sufficit, vt sit generationis principium, quāuis non rei.

Ad secundum. Nota dupliciter aliquid dici idē numero.

Ad secūdum possumus vno modo dicere secundum doctrinam Scoti: Dupliciter dici aliquid vnum numero, intrinsecè, aut extrinsecè, id est vnum numero intrinsecè, quod est vltimus actus iam amplius in plures partibilis, qualia sunt indiuidua cuiuslibet speciei. Extrinsecè verò, quæ vnum subiectum habēt, & tali vnitate extrinseca omnia accidentia vni subiecti vnum sunt numero, non tamen intrinsecè. Per hæc respondetur, quę sunt vnum intrinsecè numero, sunt vnum specie, sed nō quæ sunt vnum extrinsecè. Sic autem dicuntur materia, & priuatio vnum, ob id non sunt idem ratione.

Secunda solutio. Nota de vnitate numerica accidentium.

Possumus etiam dicere, quòd accidentia non habent aliam vnitatem numericam, quam à subiecto, ob id, quæ in sunt vni subiecto, vnum numero dicuntur. In accidentibus autem non valet illud, quæ sunt vnum numero, sunt vnum specie.

Ad quartum.

Ad quartum dico, quòd materia secūdum se vnam habet priuationem, quæ si respectu ipsius comparetur, vna est: at ad formas relata, plures dicitur.

Nota, quomodo in materia vna sit, vel multiplex priuatio.

Sed aliter respondeo, & est notanda solutio, quòd dupliciter loqui possumus de priuatione, aut de ea, quæ est in materia prima, quæ dicit potentiā primam ad quamlibet formā, & hæc vna est ex parte ipsius, vt modò dicebam: aut loqui possumus de ea, quę est in materia proxima ad quamlibet formam, quæ est termin propinquus generationis, & hæc multiplex est, sicut multiplex est materia proxima, & multiplex forma introducenda.

Cùm autem dicitur: priuatio est principium, intellige in genere, siue sit hæc, siue illa: sicut etiam cùm dicitur, forma est principium, non de vna forma, sed vniuersaliter de qualibet forma intelligitur: & ita argumentum manet solutum. Nec reputamus incōueniens, multas admittere priuationes, sed non in vna materia, sed in singulis proximis materijs singulas proximas priuationes. Ipsius verò materiæ secundum se, vna est priuatio secundum se. Atque hæc pro præsenti sufficiant dicta de priuatione, quæ erat tertium principium.

FINIS PRIMI LIBRI PHYSICORVM.

IN LIBRVM SECVNDVM.

DE PHYSICO AVDITV.

De intentione, ac diuisione huius libri.

Aliorum sententię.

DVBIVM statim se primò offert de intentione libri huius: non enim omnes in ea conueniunt. Auerroes enim, & S. Thomas hic principia scientię trādi docet, nempè incomplexa, subiectum, passionem, & medium, & est congrua expositio. Simplicius verò dicit, hic tradi principia propria substantialis mutationis, nam in primo de vniuersali mutatione tam substantiæ, quàm accidentis dictum est: sed hæc non placet, nam quæ dicta sunt de accidentibus in primo, gratia exemplorum, & declarationis dicta sunt. Philoponus non malè dicit hic agi de forma, nam in primo abundanter de materia, parum de forma dictum est, sed in hoc amplius de forma, parum de materia dicitur.

Sententia Authoris.

Sed mihi videtur posse dici, quòd in primo libro de principijs generationis rerum naturalium dictum est: Hic verò de principijs motuum, qui consequuntur res naturales, & postea in tertio de ipso motu: & credo hoc esse magis ad mētem Aristotelis.

Diuisio libri.

Diuiditur ergo iste liber in tres partes. In prima de natura est sermo, quę est principium motus: In secunda, quomodo Physicus à Mathematico differat, quia videntur de re naturali vterque disserere: In tertia de causis est sermo, vt quæ causa sit natura, intelligatur. Atque hæc circa libri intentionem.

CAPVT I.

Eorum quæ sunt. Text. I.

Methodus Arist. in inuenienda, q d sit natura.

OPTIMA methodo, quid natura sit, indagat, vt enim 1. de Anima, cap. 2. inuestigaturus quid esset anima, animata inanimatis comparauit, ac in quo differrent, percepit, nempè quòd animata à se mouentur, & cognoscunt, indeque colligit animam esse principium quoddam motus, & cognitionis: ita & modò natura quid sit ostensurus, id, in quo naturalia à non naturalibus discrepent, quærit, per id enim constabit definitio naturæ. Ante omnia verò distinctionem ponit eorum, inter quæ est comparatio facienda. Eorū, inquit, quæ sunt, quædam sunt natura, id est, constant natura: quædam ob alias sunt causas, id est, quædam sunt naturalia, quædam non naturalia. Quæ autem naturalia sint, exēplis explicat, nempè animalia, ipsorum partes, plantæ, elementa quatuor, & alia huiusmodi, puta mixta, inanimata ex elementis composita.

Dubium primum.

Sed quid per alias causas intelligit? Respondet Themist. & alij, artem, electionem, fortunam, quædam enim arte, quędam electione, vt actus morales, quędam fortuna, & casu fiunt, vt monstra, & alia huiusmodi, & hæc non naturalia dicuntur. At quamuis ita sit secundum veritatem, existimo tamen Aristotelem hic de artificiatis agere, hæc enim maximam habent cum naturalibus proportionem, & solùm est sermo de compositis, non de actionibus, aut accidentibus, sed sensus est, compositæ res, quæ in rebus competiuntur, quædam arte, quædam à natura sunt facta.

Nec modò monstra à naturalibus separantur, modò enim communiter loquimur, vt omnes sentiunt, ex hac enim com-

communi opinione, id quod intendit, nempè definitionem naturæ vult indagare.

2. Dubiũ. Sentẽtia Alexãdri.

Dubitabis, quare dicit animalia, & ipsorum partes esse naturalia entia? Themist. Alexã. & Philop. respondent, quia in hoc differunt partes naturalium à partibus artificiatorum, quòd partes naturalium sunt etiam à natura, vt manus, pes, caput, & reliqua: At partes artificiatorũ non sunt ab arte: nam partes domus, ligna, lapides, à natura, non ab arte sunt.

Sententia Simplicij.

Simplicius hoc non recipit, dicit enim quòd partes etiam ab arte sunt, vt cubicula, muri, tecta, & in statua etiam partes ab arte sunt: nam lapides & aurum, & lignum materia est, non pars: Materia autem, nec in naturalibus est naturale qd, sed est natura, & mihi hoc placet, præsertim, quia hoc modo non partes animalium solùm, sed etiam elementorum, & mixtorum oportebat dicere esse naturalia entia.

Sententia Authoris.

Ob id dico (quantum existimo) ob id Aristotelem distinguere partes viuentiũ, quia non sunt eiusdem rationis cum ipso toto, non enim caput est animal, aut manus: propterea erat ratio dubitandi, an essent naturalia entia. In elementis verò, & mixtis, cùm partes sint eiusdem rationis cum toto, sicut totum constat esse ens naturale, ita & partes. Vndè id intellige etiam de partibus plantarum, sicut de animalibus, quamuis non sint tam diuersæ à toto, sicut partes animalium: ob id in his explicat Aristoteles, & attende, quòd est sermo de partibus integrantibus, non de materia, & forma, hæc enim non sunt naturalia, sed naturæ.

Omnia autem, quæ dicta sunt.

CONstitutis naturalibus, modò differentiam eorum à non naturalibus ponit: Est autem hæc differentia, quòd naturalia in se habent aliquod principiũ sui motus, vel quietis, id est, eò, quò naturalia sunt, aliquo motu mouẽtur, cuius in se principium habent, vt lapis mouetur deorsum, ignis sursum, animalia progrediuntur, reliquaq; naturalia, vt talia, aliquem participant motum. Artificialia verò, vt talia sunt, non mouentur, vt cathedra ratione figuræ artis nullum motum participat. Distinguit autem Aristoteles motus hosce: est enim motus localis, qui fit secundum locum: est augmenti, & decrementi, qui fit secũdum quantitatem: est alterationis, qui est secundum qualitates, atq; his mouentur res naturales.

Dubium.

Quæ autem quibus moueantur motibus, non facilè est explicare, propter diuersitatem opinionum. Simplicius existimat, hos tres motus esse tribuendos elementis solis, vt omnia dicantur moueri secundum locum, ignis secũdum augmẽtum, aqua secundum alterationem quia densatur, & condensatur: & hoc asserit Simplicius, quia existimat animam non esse naturam, quæ est in viuentibus, ob id motus viuentium, vt talia sunt, non sunt naturales.

Sed pace Simplicij, hoc est fingere ad libitum. Etiam fundamentum est falsum, anima enim natura est actiua, vt dicemus postea. Adde quòd esset suijpsi cõtrarius, nam expresè 8. Physic. text. 27. animalia probat à seipsis secundum naturam moueri, quæ in se motus præsentes habeant.

Ob id dico primò cum Themist. & Alexan. quòd non sic est sumenda ista motuum diuisio, vt quibus vnus inest motus, non insit alius, imò quibusdam possunt omnes inesse, sed distinctio est diuersorum motuum, quorum vnus non est alius. Vndè secundum Auerroem dico secundò, quòd secundum locum mouẽtur animalia, elementa, mixta, cæli, licet non omnia eodem modo, vt posterius dicemus. Secundum augmentum mouentur sola viuentia, reliquorum enim non est augmentum proprium. Secundum alterationem omnia mouentur præter cęlos, quamuis non eodem modo: vnde patet, quædam esse, quæ non mouentur omnibus motibus, quædam verò sic: Nam animalia omnibus mouentur: cæli tantùm secundum locum: elementa verò, & mixta inanimata secundum locum, & alterationem.

Lectus autem, & indumentum.

Text. II.

Cum

CVM naturalia, vt naturalia, aliquo moueri motu docuisset, nunc artificialia, vt talia sunt, nullo modo moueri docet, vt lectus à forma artis nõ habet in se, nec motum secũdum locum, nec alterari, nec augeri, sed totus motus est ab extrinseco. Quòd si dicas, nónne lectus est grauis, vt lapis, & deorsum descẽderet, nisi impediretur? Similiter calefit, & alteratur? Respondet Aristoteles id nõ esse, vt ab arte est, sed vt naturale quid participat, puta, quia ex ligno, quia ex ferro, aut ex aliquo alio est, quæ quidem naturalia sunt.

Tanquam natura sit

Tex. III.

EX proposita differentia inter naturalia, & non naturalia colligit egregie, quid sit natura. Cùm enim naturalia in hoc à reliquis differant, quòd motus in se principium habent, erit igitur natura principium, & causa motus, & quietis eius, in quo est primum per se, & non secundum accidens.

Nota primò.

Duplex Principiũ motus intrinsecũ, & extrinsecum.

In cuius declarationem aduerte, quòd motus duplex esse potest principium, alterum intrinsecum, alterum extrinsecum. Extrinsecum est illud principium, quod non est in eodem subiecto cum illo motu, vt ignis est extrinsecum principium calefactionis aquæ: quia ille motus calefactionis est in aqua, at ignis non est in aqua. Intrinsecum principium est, quod est in illo subiecto, in quo est ipse motus, vt cùm lapis deorsum fertur, est principium quoddam in lapide, quo fertur, idque est intrinsecum: quia est in illo, in quo est ipse motus. Attende ergo, quòd natura est principium motus intrinsecum, id est, est principium, vt moueatur illa res, in qua ipsum est, ac ob id dicitur, est principium motus eius, in quo est.

Nota secundò. Principiã intrinsecũ motus duplex principale, & instrumẽtale.

Aduerte vlterius, quòd adhuc istud principium est duplex, instrumentale, & principale, vt in motu lapidis instrumentale est grauitas: in reliquis sunt quędam virtutes, & accidentia ipsorũ. Principale verò in lapide est forma ipsius substãtialis, in reliqs verò; aut forma aut materia.

Attende, quòd natura non est principium instrumentale, sed principale & substantiale: ideò dicitur in illa definitione, primum, est enim illa particula coniungenda cum principio, vt sit sensus, est principium primum, & non cum sequenti, vt putauit Auerroes.

Nota tertiò. Principiũ motus in aliquo duplex. I. per se, vel per accidens.

Aduerte præterea, quòd principium alicuius motus in aliquo potest esse duplex, aut per se, aut per accidens. Per se est (loquimur autem de intrinseco) cùm illi rei competit moueri, quia tale principiũ habet, vt forma lapidis est principiũ intrinsecum per se, quia lapis ob illam formam mouetur: per accidens est, cùm res non habet moueri, vt tale principium habet, sicut Medicus sanat se, tunc Medicina est principium motus intrinsecum: quia sanatio est in ipso Medico, sed est per accidens: quia vt Medicus non habet sanari, sed vt infirmus: & signum, quòd sit per accidens, est, quia aliquando recipitur sanatio, & sanatur is, qui non est Medicus, quod quidem ostendit, Medicinam per se non efficere motum intrinsecum.

Attende ergo, quòd natura debet esse principium intrinsecum per se, ac propterea ponitur illa pars definitionis per se, & non secundum accidens, ad excludendas aliquas formas artificiales, quæ per accidens sunt principia motus intrinseci: quamuis aliæ sint, quæ nec per se, nec per accidens sint motus principium intrinsecè, vt ars domificandi, & similes, quæ nullo modo possunt in se operari. Atq; hæc sufficiant pro explicatione definitionis, est enim postea magis examinanda in quæstionibus.

Naturam autem habent.

Tex. IIII.

CVM quid sit natura, docuisset, quæ dicantur habere naturam, seu entia naturalia, explicat, dicitq; substantias tale principium habentes esse entia naturalia, nihilque, nisi substantiam dici habens naturam, quod quidem probat. Natura aut est subiectum, puta materia, aut in subiecto, puta forma, sed nihil habet materiam, & formam per se, nisi composita substantia: ergo ea sola est habens naturam.

Ad-

Nota qd forma sit in subiecto.

Aduerte, quòd forma dicitur esse in subiecto, non sicut accidens, & materia dicitur subiectum, non sicut accidentium subiectum: quæ omnia latè in primo libro explicata fuerunt.

Secundum autem naturam. Tex. V.

CVM quid natura, quid habens naturam explicuisset, declarat modò, quid sit ens secundum naturam & dicit, ens secundum naturam dici, tam compositum, & habens naturam, quàm passiones, & proprietates, quæ à natura procedunt, vt ferri sursum, ferri deorsum, sunt secundum naturam ignis, & terræ, quæ quidem proprietates non dicuntur, nec natura, nec habentes naturam. Ex quo habes, naturam esse ipsum motus principium, habens naturã ipsum compositum substantiale, ens secundum naturam, & tale compositum, & proprietates naturam consequentes.

Quid igitur est natura. Tex. VI.

EXplicato iam, quid sit natura, quid habens naturam, quid ens secundũ naturam, posset quis dicere, quomodo ostensum est, quid sit natura, nõdum discusso, an sit natura? Respondet huic dicens, quòd est per se notum, naturam esse, constat autem ex 1. Poste. cap. 8. de per se notis non esse opus tractare, aut interrogare, an sint: dubitare enim de per se notis, an sint, est signum hominis, qui non potest distinguere per se nota à non per se notis, & talibus hominibus accidit id, quod accidit cæco disputanti de coloribus: hic enim potest quidem syllogizare, & disputare, sed non habebit scientiam rei, nisi solùm scientiam nominum, quia nõ distinguit, & cognoscit id, quod per se notum est: ita similiter isti, qui per se nota non cognoscunt, ostendunt se non habere potentiam cognoscẽdi per se nota, ideoq; scientiam solam nominum habebunt, non rei. Hoc est, quod dicit textus, quod contingat hoc pati, id est, quòd istis eueniat eò, quòd per se nota ignorent, manifestum est nempè quòd quantumcunq; disputent, sicut cæcus de coloribus, quos non vidit, solam vocum cognitionem habent, non rerum ipsarũ: & nota hanc expositionem, quia nescio, an à multis locus sit intellectus.

Videtur autem nonnullis natura. Tex. VII.

PLacet in hoc loco expositio Sancti Thomæ, & Auerrois, qui docent Aristotelem velle materiam probare esse naturam ex Antiquorum etiam opinione: Hi enim id, quod secundum se est informe permanens in generatione, & corruptione vocabant materiam, vt in artificiatis lignum, æs, aurum, & similia sunt materia: hæc enim, reliquis destructis formis, permanent, & inducebantur hoc argumento. Id, quod est substantia cuiusq;, est natura: sed materia est substantia: ergo ea est natura, q̃ esset substãtia, ostendebant: quia id, quod permanet, & patitur semper, nec corrumpitur, est substantia, talis est materia, quod Antiphon hoc signo ostendebat. Sumatur statua lignea talis, vt possit lignum putre fieri, & germinare, & condatur sub terra, tunc producitur lignum, non statua: ergo lignum erat substantia, non forma statuæ, atque id est natura.

Si autem & horum aliquid. Tex. VIII

OStendit etiam materiam esse naturam in rebus naturalibus, sicut in artificiatis, ob eandem rationem: vt enim lignum, aurum, q̃s permanet sub diuersis formis artificialibus, ita est etiam materia permanens in istis, ex qua facta sunt, puta aqua, aer, aut quid simile, quæ materia dicetur etiam natura horum, sicut illa erat natura artificiatorum.

Quocirca sanè hi quidem. Tex. XIX.

COncludit, Antiquos omnes materiam posuisse naturam, sed non omnes eodẽ modo: quilibet enim ponebat naturã illam substãtiam, quam existimabat esse principium: vndè qui aquam esse principium putauit, illam esse naturam dicebat: Similiter qui aerem, aut ignem, aut horum medium, aut omnia simul, deniq; pro diuersitate principiorum erat diuersitas in assignanda hac natura: omnes tamen conuenere, materiam esse naturam, & substantiam: formas autem esse accidentia, & dispositiones quasdam huius substantiæ, quorum opiniones in libro primo satis sunt enarratæ, & dispositæ.

Et horum quidem quodlibet. Tex. X.

DEclarat, qualiter isti huiusmodi principia ponebant. Dicebant enim, ista principia esse perpetua, nec corrumpi inter se, reliqua verò corrumpi, & generari, vt Empedocles dicebat, semper manere ignem, aquam, & reliqua duo: cætera omnia, nempè mixtiones varias, quæ erant formæ, destrui infinities. Concludit ex omnibus, materiam dici naturam.

Nota.

Vbi aduerte, quòd non probat opinionem Antiquorum in positione materiæ, cùm multò aliter (vt visum est) sentiat de materia, sed in hoc, quòd materiam naturam esse fatebantur, quamuis, quæ vera esset materia, non intelligerent. Postea subiungit contra Antiquos, formam esse etiam naturam. At ne videretur æquiuocatio de forma accidentali, quæ figura dicitur (hæc enim non est natura) addit, quæ secundum rationem dicitur, id est, à qua sumitur definitio, hæc est substantialis, & natura dicitur.

Vt enim ars dicitur. Tex. XI.

Tribus rationibus probatur formã esse naturã.

TRibus rationibus ostendit, formam dici naturam, quarum prima est. Vt se habet ars ad artificiale, ita natura ad naturale: sed artificiale dicitur à forma artis: ergo & naturale etiam à forma. Et aduerte, quòd per artem intelligit ipsam formam ab arte fictam. Minorem ostendit: lectus, & vnũquodq; artificiale non dicitur tale per hoc, quod est in potentia, & nõdum habet formam, sed per ipsam actu formam. Probat etiam cõclusionem: quia caro, ossa, & reliqua nondũ dicuntur suam habere naturam, quousq; habeant formam, per quam vnumquodque definitur: ergo forma est natura.

Quare alio modo. Tex. XII.

COncludit ex præcedenti ratione, formam esse etiam naturam eorũ, quæ habent principium motus. At ne quis existimaret se de forma abstracta loqui, dicit, se sermonem facere de formis particularibus, quæ sunt in ipsa materia, nec ab ea separatæ consistunt, nisi tãtùm ratione, & intellectu. Intermittit autem vnum verbũ, nempè compositum ipsum, cuius est forma, non naturam, sed secundum naturam dici (vt superius est dictũ) non solùm autem formam naturam esse contendit, sed etiam magis naturam, quàm materiam, quia vnumquodq; magis est, cùm est actu, quàm cùm est potentia, sed per formam fit ens naturale in actu, per materiam in potentia: ergo magis natura forma, quàm materia.

Amplius fit ex homine homo. Tex. XIII.

SEcunda ratione, materiam esse naturam probat. Figura statuæ, ob id non dicebatur natura, quia ex statua nõ fiebat statua, sed ex ipsius ligno lignũ, at ex homine homo procedit, & ex leone leo: ergo horum formæ erunt naturæ ob eandem rationem, qua lignum, cùm in his similitudo in forma seruetur, & permaneat.

Amplius autem natura dicta, vt generatio. Tex. XIIII.

TErtia ratio est. Generatio dicitur via ad formam: sed generatio dicitur natura: ergo forma, ad quam tẽdit, dicetur natura. A termino enim ad quem fit denominatio, vt dealbatio motus est ad albedinem, denigratio ad nigredinem. Dices, non videtur denominatio esse à termino ad quem, nam medicatio dicitur, non quòd sit ad Medicinam, sed potius quòd procedat à Medicina. Respõdet, non sic dici medicationem, sicut generationem, nã medicatio significatur p modũ actionis, & est motus à quodam in

quiddam: at generatio est per modũ passionis, & mutationis, & est motus ex aliqua materia in aliquam formã. Cùm igitur nõ denominetur à materia, dicetur à forma, vt dealbatio, & denigratio. Quòd aũt generatio sit motus ex aliquo in aliquid, patet per ipsum concretum: nasci enim, seu generari, est ex aliqua materia in aliquam mutari formam.

Nota primò.

Hic aduerte primò, quòd hoc argumentum magis habet robur Græcè, nam loco generatiõis habetur φύσιν, quod etiam significat naturam, & est perinde, ac si nos diceremus, nationem, quæ est motus in formam: ergo forma natura est.

Nota secundò. Quõ differat gñatio viuentiũ à gñatiõe non viuẽtium.

Aduerte præterea, quòd nõ quecunq; generatio dicitur φύσιν, sed viuentium generatio. Differt enim multùm generatio viuentium à generatione nõ viuentium. Generant enim viuentia prębendo virtutem productiuam, & etiam materiam, ex qua effectus fiant: & etiam aliquod incrementum ministrant, vt animalia dãt semen, in quo est virtus productiua, etiam materia: & posteà per aliquod tempus fœtum per se alunt. Animalia enim viuipara fœtum intra se alunt: ouipara verò in ouo luteam partem ministrant loco cibi pullo, dum est intra corticem, ex parte autem alba pullus fit, vt refert Aristo. 1. Histo. cap. 5. & lib. 3. de Genera. animalium. cap. 1. vnde talis viuentium generatio dicitur φύσιν, & generari, hoc est, nasci. At nõ viuentia non ministrant se materiam, nec augmentum, sed in extrinseca materia generant, ipsam disponentes. Per hæc patet sensus Aristotelis, qui ex viuentium generatione, quæ dicitur natura, ipsorum formas naturas dici contendit, & per has omnes etiam reliquas aliorum entium naturalium formas.

Forma itaque natura est.

Tex. XV.

FOrmam naturam esse concludit. At cùm priuatio, vt exponit Albertus, sit aliquo modo pricipium generationis, & aliquo modo forma, etiã eam aliquo modo esse naturam docet. Vnde per priuationem terminum à quo mutationis intelligit, vt in primo libro, quid velit Philoponus, & alij. Vt autem superius diximus, priuatio ponit aliquã formam in materia, vt nõ ignis est aqua, aut quid simile. In accidẽtibus est forma opposita, aut media, vt nõ album est nigrum, aut medium: An autem in mutatione substantiali hoc ita sit, φ priuatio importet formam, contrarium posterius docet esse examinandum, nempè in libris de generatione, & corruptione.

Ex quibus colligimus, quid sit natura, & quòd natura est duplex, materia, & forma: & quòd forma est magis natura, quã materia: & quòd priuatio quodam modo dici possit natura: & quid dicatur habens naturam: quid ens à natura, seu secundum naturam.

An definitio naturæ sit bona.

Quæstio I.

Argumenta in oppositum.

VT magis ea, quæ in textu dicta breuiter sunt, elucidentur, oportet ea argumẽtis, & quæstionibus discutere. Igitur aduersus definitionem naturę est primũ argumentũ. Absolutũ non debet per respectiuũ definiri, vt notũ est: at natura, cùm sit substantia, est quid absolutum: principium verò, & causã quid respectiuũ: non ergo debuit per ea definiri. Primum argũ.

Secundò, principium & causa videntur idem, vel saltem est vnum superiꝰ altero: ergo in definitione tanti momenti non debuit, quid superfluum poni. Secundũ.

Tertiò. Alicui inest natura, quod tamen non quiescit, vt cælo, quod cùm sit ens naturale, nunquam quiescit, & similiter è contra terra est ens naturale, quæ tamen nunquam mouetur: non igitur natura est principium motus, & quietis simul. Tertium.

Quartò. Materia est natura, tamen nõ videtur esse principium motus, cùm sit subiectum: hoc autem non dicitur principium, nec causa diminuta: ergo videtur definitio, &c. Quartũ.

Quintò. Natura est æquiuocum quid, vt patet. 5. Meta. cap. 4. non ergo debuit definiri. Quintum.

Sextò. Vnũ non est principiũ primum contrariorum; motus, & quies contraria sunt, vt notum est: nõ ergo natura potest motus, & quietis esse principiũ. Sextum.

Septimò. Ars cantandi, saltãdi, & aliæ similes Septimũ.

similes non sunt naturæ, & tamen sunt principia motus intrinseca de per se, non sicut Medicina, quæ sanat alios, hæ verò motum efficiunt in his, in quibus sunt: quisq; enim per artẽ, quam in se habet, cantat, & saltat. Hęc sunt argumẽta, quorũ solutione declaratur naturę definitio.

Primum fundamẽtum. Definitio naturę secundum Platonẽ.

Sit primum fundamentum. Natura aliter à Philosophis alijs, quàm ab Aristotele definita est. Plato enim, vnde recepit Philoponus, sic definit: Natura est vita, seu vis quedam per corpora diffusa, ipsorum gubernatrix, & rectrix: imaginabatur enim esse quandã substantiam à Deo procedentem, quæ in hæc inferiora diuidebatur, vt singulis singulæ responderẽt partes maiores, vel minores, prout magis, vel minus Deo accedebant, atq; has partes in singulis naturas vocabant, ab ijsque motus, & reliqua proueniebant. Hanc substantiam, vt à Deo procedit, vnam asserebant: vt verò corporibus erat communicata, plures. Quod luminis exemplo explicabant, quod, vt à sole procedit, vnum est, vt vero inferioribus communicatur, plura.

Definitio naturę secundũ Pythagorã, & Herm. Trim.

Vnde Pythagoras, & Hermes Trimegistus sic definiebant naturam: Natura est vis, & forma absoluta, egrediẽs à causa prima, quæ postquã egressa est, diffusa est per corpora naturalia, & in singulis est principium motus, & status. Aristoteles verò longè aliter philosophans nihil ponit in corporibus substantiale, prẽter materiã, & formam, quæ sunt principia motus, atque talem substantiam à Deo procedentem rebus communicatã præter substantiam reijcit merito, isti enim præterquã quòd ipsorum opinio est falsa, dicunt tamen, & non probant.

Secundũ fundamẽtum. Nota acceptiões naturæ.

Sit secundum fundamentum. Natura, vt tradit Aristoteles. 5. Meta. c. 4 quinque modis dicitur. Primo, pro ipsa generatione, & productione viuentiũ, vt in textu expositum fuit. Secundo, pro materia prima, ex qua facta sunt entia naturalia. Tertiò, pro materia proxima cuiusq; generis, vel speciei entium, vt aurum dicitur natura vasorum aureorum, & ligna natura scamnorum ligneorum, & aqua natura argenti, terra natura plumbi, hæc enim sunt materia ipsorum proxima. Quartò, pro forma, quæ in vnoquoq; est principium motus. Quintò, pro substantia cuiusque rei, & essentia, quomodo dicimus etiam naturam in spiritualibus. Vnde Boetius. lib. de duabus naturis, dixit, persona est rationalis naturæ indiuidua substantia. In præsenti autem, vt modò definitur, tantùm pro materia, & forma sumitur.

Tertium fundamẽtum. Explicatio definitionis naturæ.

Sit tertium fundamentum. Definitio naturæ, vt ex textu colligitur, est sic intelligenda: Natura est principium, & causa, ad denotandam naturæ multiplicitatem quæ materiam, & formam cõprehendit, motus, & quietis eius, in quo est, ad excludenda principia extrinseca motuum, quæ non dicuntur propter illos motus naturæ. Non enim quia ignis est principium motus aquæ natura dicitur, sed qa motum in se facit, puta à forma habet sursum ascendere.

Dicitur, primũ, ad excludenda instrumentalia principia motuum, qualia sunt accidentia, & potentiæ, quæ sunt in compositis, quibus formæ, aut materia operantur.

Dicitur, per se, & non secundum accidens, ad excludendas aliquot formas artificiales, quę faciunt motũ in his, in quibus sunt, sed per accidens, vt dictum est de Medicina, quę formæ non sunt naturæ. Ex his constat, bonam esse definitionem naturæ: at vt notior fiat, oportebit argumentis respõdere, quorum solutiones exactè eam declarabunt.

Ad primum. Ad primum respondet Albertus secundo Physic. tract. 1. cap. 3. & Sanctus Thomas in præsenti, quòd in his, quæ absoluta quidem sunt, tamen aliquem secũ ordinẽ important, non est absurdum, quod etiam aliquid, quod talem ordinem explicet, ponatur, dum definiuntur: sic est natura. nam materia, & forma considerantur dupliciter: aut vt ad esse pertinẽt, substantiamque compositi faciunt: & sic materia, & forma, vel substantiæ dicuntur: aut vt motus ipsius compositi causæ sunt, & sic natura dicuntur, ob id per motum, & ordinem ad ipsum definiuntur, nec ideo natura relatio est, sed aliquid relationis importat. Vnde frustrã Philoponus aliam definitionem assignare contendit, vt diximus in primo fundamento.

Ad secũdum.

Ad secundum dico etiam cum Sancto Thoma, & Alberto, quòd principium, & causa non dicunt ibi idem, nec vnum est superius altero, sed ponuntur duo ad explicandum naturam nõ vno modo dici. Vnde Burleus, & Auicenna dicunt, quòd principium dicit formam, causa verò dicitur propter materiam, quamuis Sanctus Thomas dicat, quòd principium dicit ordinem, causa verò influxum, & operationem, & vtrumque dici optimè potest: vndè patet, non esse quicquam superfluum.

Ad tertiũ Quomodo natura sit principiũ mot, & quietis

Ad tertium respondent Porphyrius, & Philoponus, quòd illud, Et, æquiualet in illo loco, Vel, vt sit sensus, est principiũ motus. l. quietis, Sanct. Tho. verò, & Auerroes dicunt, non esse opus hoc dicere, sed quòd sensum faciat copulatum, & sit sensus: natura est principium motus, & quietis, in quibus est motus, & quies: & quietis solius, in quibus solùm est quies: & motus solius, in quibus solùm est motus, vt sit suppositio accommoda, nempè motus, & quies à natura proueniunt, non ab alto. Vtraque expositio quantum ad rem coincidit, & vera est. Non enim dicendum est cum Alexandro, quòd hic solùm definiantur, quæ simul mouentur, & quiescunt. An verò cęli quiescant, & an verò sint entia naturalia, postea examinabitur.

Ad quartum.

Ad quartum dicitur, quòd materia non est subiectum motus, sed compositum. Hoc enim est, quod alteratur, augetur, & secundum locum mouetur: & etiam si esset subiectum, adhuc causa, & principium dici posset, nempè causa materialis, & principium materiale: Nam causa, & principium etiam de materia dicuntur.

Ad quintum.

Ad quintum. Aliqui rectè volunt, naturam esse vniuocum materiæ, & formę, sicut genus, non enim in omnibus acceptionibus hic sumitur, quę enarrantur in quinto Meta, & est magis probabilis opinio, quamuis dici non admodum improbabiliter possit cum Alberto, & Auerroe, esse analogum: possunt autem analoga definiri, vt dicitur 6. Topicorum, & 4. Meta. cap. 2. de hoc autem in logica dictum est.

Ad sextũ.

Ad sextum aduerte, quòd duplex est quies: Altera naturalis, quam attingit natura per motum, vt est illa, qua quæque res in suo naturali loco quiescit, vt lapis in centro, ignis in sua sphæra. Similiter cum res naturalis per augmẽtum in proprio termino suæ magnitudinis quiescit. Altera violenta, vt cum extra locum proprium corpora detinentur. Natura est principium quietis naturalis, nec inconuenit, vt dicit Albertus, quòd vnum sit contrariorum principium, cùm vnum ordinatur in aliud, vt in finem: sic autem se habet natura: motus enim est causa, vt quietem consequatur in his, quæ quiescere apta sunt.

Ad septimum.

Ad septimum respondet Auerroes, quòd illa ars est causa actionis, sed non alicuius rei actæ. Sed mihi non satis facit ista solutio: ob id dico, quòd in motu est ipsa res, quæ est motus, & est modus, & qualitas motus, quod sit sic. vel aliter dico, quòd ipsius motus saltandi. l. cantandi non est principium ars, sed natura: modum verò præstat illa ars, ideò non est natura, non enim est motus principium. Ex his patet naturæ definitio.

An omnia entia naturalia, dicantur naturalia à principio intrinseco actiuo motus.

Quæstio. II.

Explicatur sensus qõnis

EXponendus est quæstionis sensus, antequam quicquam determinemus. Aduerte, quòd motus alicuius rei duplex est principium: & actiuum, quod illius est efficiens causa: & passiuum, quod illum recipit. Petimus igitur, an quælibet res naturalis, quæ mouetur, habeat in se vtrũque principium, ita vt se moueat, & moueatur à se secundum locum, aut qualitatem, aut quantitatem. Nec hic vocamus ens naturale, vt distinguitur contra supranaturale, sed omne id, quod in se cui motus principium habet: vnde Adamus, licet supranaturaliter esset factus, erat ens naturale: quia motus sui in se habebat principium. Nec similiter hic disputamus de cælo, de hoc enim erit quæstio peculiaris, sed de elementis, & mixtis, tã animatis, quàm inanimatis.

Prima expositio Auerrois.

Circa quam duplex est opinio opposita.

ta. Altera est Auerrois. 3. cæli, commẽ. 28. quam recipit Iandu. 8. Physi. q. 12. & Gregor. 2. sen. d. 6. q. 1. ar. 3 & alij multi, quæ consistit in duplici diuisione, & conclusione. Prior diuisio est. Aliquid dupliciter est in potentia ad motum aliquem, aut in potentia essentiali, aut in potẽtia accidentali. Id dicitur in potentia essentiali, quod non solùm est in potentia ad motum, sed & in potentia ad formã, vndè fluit motus: vt Rusticus est in potentia ad philosophandum essentiali: quia ad actum, & habitum est in potentia: & id, quod non habet calorem, est in potentia hac ad calefaciendum, quæ potentia dicitur remota. Potentia accidẽtalis est, quæ habet formam, nondum tamen ad operandum venit, vt calidum actu est in potentia hac ad calefaciendum, quæ potentia dicitur propinqua, ita similiter graue, aut leue dicitur in potẽtia accidentali ad motum, cum iam est graue, aut leue, sed nondum mouetur: dicitur in potentia essentiali, cum nondum est graue, aut leue.

Prima distinctio se cundũ expositionẽ Auer.

Secunda distinctio & opinione Auer.

Posterior distinctio est. Mouens est duplex: coniunctus, & per se, vt manus tactu mouens baculum: separatus, vt proijciẽs ex se lapidẽ. Quibus suppositis, ponitur.

Prima cõclu. sens. Auer.

Prima conclusio ipsius. Inanimata, imò nullum ens naturale reducitur actiuè ex potentia essentiali ad motum, quòd est dicere, Nihil habet in se suæ generationis actiuum principium: & clarius, Nihil se ipsum generat.

Secunda cõclusio. Auer.

Secunda cõclusio. Inanimata habẽt in se actiuũ principiũ per se coniunctũ, quo se ex accidẽtali potentia ad actũ reducũt. 1. lapis in se habet actiuũ principiũ, quo se mouet deorsum, & sic de alijs, & tale principium est ipsa forma inanimati, mediante aliquo accidenti, puta grauitate, aut leuitate: vnde patet, quòd motus inanimatorum prouenit à principio actiuo per se intrinseco.

Quòd si dicas, in quo different à viuẽtibus? Dicunt aliqui horum, quòd viuentia non solũ habent sui motus actiuum principiũ, sed etiam initiatiuũ, eò quòd à se mouentur, & incipiunt à se moueri: at inanimata non incipiunt à se moueri, vt patet de lapide, & de alijs, sed incepto motu ab aliquo extrinseco, puta generãte. l. remouente prohibens, continuant actiuè suum motum per formam, & virtutem formam comitantem.

Primum argu. pro Auer.

Hæc est opinio horum: & probatur. Primò: eũ lapis monetur deorsum. l. mouetur à suo loco naturali. l. à medio. l. à generante, l. à se. Non à loco, quia locus non propriè mouet. Non à medio, quia medium est indifferens pro motu sursum ignis, & pro motu deorsum aquæ, Non à generante: quia potest esse, quod sit corruptus, dum lapis mouetur, est enim generans causa particularis, quæ fecit lapidem. Ergo mouetur à se.

Secundũ.

Secundò. Aqua calida, remoto calefaciente, infrigidat se, ac reducit se ad frigiditatem antiquam. Ergo mouet, & alterat se.

Tertium.

Tertiò. Si inanimata solùm haberent principium passiuum motus, sequeretur, q̃ motus eorum essent violenti, quod falsum est. Et patet. Nam motus lapidis sursum est violentus, & tamen habet principiũ passiuum. Nam ratione materię nõ repugnat motus ille lapidi: non ergo sufficit principium passiuũ, vt motus sit naturalis.

Secunda sententia. D. Thom.

Opposita est opinio S. Thom. hic, & 8. Physi. tex, 32. & 3. p. q. 32. art. 4. qui asserit, inanimata non moueri actiuè à se, sed ab extrinseco, puta à generante. l. remouente prohibens, ita vt omnia sint principia passiua, quæ in ipsis sunt inanimatis.

Prima rõ. D. Thm.

Et probatur expresse ex Arist. 8. Physi. tex. 32. grauia, inquit, & leuia non habent principium agendi, sed patiendi, & ratio est ipsius Arist. si haberent enim actiuum principium, & passiuum sui motus, tunc l. forma esset actiuum principium, & materia passiuum. l. aliqua pars composita inanimati esset actiua, & moueus, & altera pars mota: neutrum potest esse. Primũ enim, quia forma non mouet per se, nec materia per se mouetur. Nec secundum dici potest, quia cùm inanimata sint homogenea, & ipsorum partes sint eiusdẽ rationis, non videtur, quare vna debeat mouere, altera moueri.

Nota.

Hic aduerte, quòd vim huius rationis non soluit, quod sit actiuum principium continuatiuum: nam absolutè impossibile est imaginari, quod forma moueat per se, nec aliqua pars eiusdem rationis aliã:

In

In viuentibus, cùm sint ætherogenea, potest assignari pars composita, puta cor, quæ moueat reliquas, sed non in homogeneis.

2. Ratio. Altera ratio est ex tex. 28. eiusdē libri octaui, dicit, quòd de istis inanimatis quæstio est, quid est id extrinsecum, à quo moueantur: est enim manifestum, quòd non à se: hoc enim est officium vitæ, & viuentium proprium. Quid clarius? Sit ergo ratio, viuere est à se moueri: inanimata non viuūt, ergo non à se mouetur. Quod n. isti dicunt, quòd nō initium motus habent, hoc nil est, nam solùm erit, vt dicātur aliter viuere, sed non quod non sint viuentia. Hæc igitur est sententia S. Tho. opposita Auerrois in secunda conclusione, in prima enim nulla est controuersia.

Prima cōclusio. Pro huius determinatione sit prima conclusio. Viuentia habent in se intrinsecum essentiale principium motus non solùm passiuum, sed etiam actiuū, ita vt à se moueantur, & se moueāt. De hac nulla est controuersia, sed tamen est declaranda.

Nota. Aduerte, cùm duplex sit principium primum motus, & actiuum, & passiuum: aliquando ista sunt disiuncta, vt principium actiuum sit extra motum, & motus solùm sit, vbi est principium passiuum, vt calefactio aquæ. Nō enim actiuū principium est in aqua, sed passiuum tantum: aliquando simul sunt coniuncta, vt vbi est motus, ibi sit ipsius actiuum, & passiuum principium, vt cùm animal progreditur. Et ista principia aliquando cōiunguntur ad omnes motus, sicut in animalibus. Hæc enim se mouent secūdum locum, se augent secundum quantitatē, se alterant secundum qualitatem in nutritione, aliquando coniunguntur ad duos motus, vt in plantis, quæ se augent, & se alterant, dum se nutriunt.

Nota qd sit viuere. Aduerte autem, quòd viuere non aliud est, quàm quoddam se mouere, & vita quidem motus sui: & omnia, quæ se aliquo motu per se, & à principio essentiali, puta forma, mouent, viuunt. Hinc fit, quòd ea, quæ apparent mouere se, licet non se verè moueant, dicimus viua analogicè, vt aquas viuas, argentum viuum, ignem viuacem: talis motus, qui est à seipso per se, dicitur comprehensiuus ab Auerroe 12. Metaph. comment. 39. Vide igitur, quomodo vita consistat in hoc, quòd aliquid habeat essentiale principium, puta formam, actiuum alicuius motus in se.

Secūda cōclu. p D. Tho. cōtra Auerro. Secunda conclusio. Nec forma, nec materia inanimatorum est principium actiuum motus illorum, sed tantùm passiuum, & in hoc tales formæ differunt à formis viuentium: hæ enim sunt actiua principia motuum ipsorum viuentium: vndè cùm lapis deorsum fertur, ignis sursum, nec à forma, nec à materia actiuè mouentur. Hanc persuadeo rationibus superius positis pro ratione Sancti Thomæ, præsertim cùm argumenta oppositæ opinionis prorsus sint nullius momenti.

Tertia cōclusio. Tertia conclusio. Grauitas & leuitas, similes virtutes sunt instrumenta actiua, quibus inanimata mouentur naturaliter secundum locum: vt enim imperus impressus sagittæ à proijciente ipsam actiuè fert violenter sursum, ita grauitas, & leuitas sunt virtutes naturales impressæ à generantibus, quibus naturaliter feruntur non violenter grauia, & leuia, ac ob id talium motus generantibus tribuitur: hæ enim virtutes sunt velut virtus semen actiuè mouens, & alterans.

Ratio. Hanc mihi persuadeo, quia intelligere non possum quomodo lapis deorsum feratur, nullo mouente extrinseco principio manente, nisi aliqd sit in lapide. quod actiuè moueat. hoc nō erit forma ipsius, vt probatū est, erit ergo grauitas: Et quòd sola grauitas sufficiat, patet in animalibus, quæ etiam deorsum descendunt, sicut lapis, cuius motus anima non potest esse actiuum principium, nisi sola grauitas. Per hæc autem possumus argumentis respondere.

Ad primū Ad primum concēditur, motum inanimatorum non esse à medio, nec esse à loco, sed à generante, qui impressit hanc virtutem actiuam instrumentalem ipsis, vt extra locum naturalem posita, sublato impedimento, mouerentur, quamuis ipsa generantia aliquando non sint tunc.

Ad secundum Ad secundum est multiplex opinio de reductione aquæ calidæ ad frigiditatem.

Prima

Nota de reductiōe aquę calidę in pristinū frig. Prima est Auerrois 2. Animæ, com. 115. dicens esse vapores quosdam aquæ coniunctos, atque horum ratione ipsam calefieri: sublato autem calefaciente, aquam infrigidare hos vapores, & sic reduci ad frigiditatem, nō quòd eadem aqua seipsam ad frigiditatem reducat.

Nota cōtra Auerroem. Ista opinio sine dubio est falsa, potest enim aqua in seipsa calorem recipere, & talis reduci ad frigiditatem, remoto calefaciente.

Secunda sententia Auicen. Secunda sententia est Auicennæ lib. 1. sufficiē. cap. 5. dicit illam reductionem fieri à forma substantiali aquæ, quæ reducit se actiuè ad suam naturalem dispositionem, quoties est extra eam: sed hæc non placet, quia forma substantialis non potest agere, nisi per accidentia media. Non ergo poterit se reducere in frigiditatem per se.

3. sētētia Pauli Veneti. Tertia sentētia est Pauli Veneti, qui dicit, aquam per accidens se infrigidare, nam cum est calefacta, est rarefacta: ablato calefaciente, intendit se condensare, ac inde se infrigidat consequenter: Hoc non placet, nam infrigidatio est causa condensationis, priusq; est infrigidare, quàm condensare: non ergo aqua per accidens infrigidat condensando.

4. Sētētia Aegidij. Quarta sententia est Aegidij, qui dicit, aquam per accidens se infrigidare hoc modo, quia per se corrumpit calorem, ac inde consequitur frigiditas. Sed nec hoc placet, nam natura nunquam per se intendit corruptionem, nec corrumpit, nisi generando aliquid: non ergo aqua per se corrumpit calorem, nisi per se generādo frigiditatem.

5. Sētentia Forliuiēs. Quinta sententia est Iacobi Forliuiensis, qui dicit aquæ partes non esse æqualiter calidas, sed quasdam minus, quasdā magis, & ideo sunt inæqualiter frigidæ: partes ergo magis frigidæ infrigidant minus frigidas. Hoc non plenè satisfacit, nam illæ partes magis frigidæ non poterunt infrigidare vltra gradum suum, & cùm ipsæ sint remissæ, non poterunt penitus infrigidare, & reducere alias in suā frigiditatem naturalem. Et præterea nil vetat tum has, tum illas partes calefieri, & totam etiam æqualiter calefieri.

6. Sētētia aliorum Sexta sententia est quorundam, qui asserunt aquam per frigiditatem quandam virtualem reducere se ad suam frigiditatem actualem, quam dicunt posse corrūpi totum in aqua. Hoc videtur falsum, nō solùm, quia duas frigiditates ponit in aqua, sed etiam, quia actualem frigiditatem totam deperdi posse, manente aqua, docet: quod non est philosophicum. Nā in illa aqua, aut est calor in summo, aut non. Si est in summo, ergo est ibi forma ignis, summus enim calor non est nisi cum forma ignis, sicut quælibet vltima dispositio cum sua propria forma substātiali: Si verò non est in summo, ergo quātum deest caloris, inerit frigiditatis, cùm contrarium non sit remissum, nisi ex admistione contrarij. Præterea quælibet forma nō potest conseruari, sine vlla sua naturali dispositione: sed frigiditas, & humiditas sunt naturales dispositiones aquæ: Ergo sine his prorsus non potest consistere.

7. Sētētia Burlei. Septima sententia est Burlei, qui dicit ab aere circunstante aquam infrigidari, & quia à nobis ista est defendenda sentētia, oportet eam declarare, & corroborare.

Primū fūdamentū p sentētia Authoris. Aduerte igitur, quòd maior. l. minor actiuitas alicuius qualitatis non arguit intentionem ipsius maiorem. l. minorē: Potest enim esse, quòd vna qualitas magis agat in vno subiecto, quā altera eiusdem rationis in altero: & quæ minus agit, sit intentior, si illa sit in materia densiori, vt flamma minus comburit, quàm ferrum candens, & tamen calor flammæ est intensior, cùm sit illic forma ignis, nō autem in ferro candenti. Hoc dixerim, vt intelligas, non propterea, quòd aqua vehementer calefaciat, esse calorem illius intensissimum. Potest enim calor nō admodum intēsus id facere, propter materiæ densitatem.

Secūdum fūdamētū. Aduerte vlteriùs, quod aer circūstans duplici ex parte infrigidat, & p frigiditatē, quæ aliqua ei nō deest, & per motū, quo semper mouetur: motus enim aeris infrigidat, vt patet in flatu ipso: vndè in hac infrigidatione nō debes attēdere solùm frigiditatē aeris, sed motum ipsius, quæ duo faciūt causam magnā infrigidationis.

Tertiū fūdamentū. Aduerte etiam, quòd calor aquæ, deficiente calefaciente, est multum debilis, & citò corruptibilis propter duo, & quia ei hu-

humidum ipsius aquę resistit, & quia deest conseruans.

Prima cõclusio. Quibus suppositis. Dico primò, mihi videri impossibile, quod frigiditas, & forma aquæ se intendant, nec per se, nec per accidens: & loquor in eadem parte aquę. Vna enim potest infrigidare alteram, sed non vltra frigiditatis gradum, quem habet; at quod eadem se intendat, mihi videtur improbabile, imò de motu locali id non concessit Aristote. animalibus, sed assignauit vnam partem mouentem, puea cor: & alteram motã, puta reliquas partes. Et ratio est, quia productio alicuius est ex potẽtia, ab eo, quod est in actu: sed talis frigiditas actu non est v.g. vt octo, quæ est summa dispositio aquæ, non ergo faciet se, vt octo.

Secunda conclu. Dico secundò. Quòd illa infrigidatio ab extrinseco prouenit, puta ab aere circunstante, vt diximus exponendo vltimã sententiam, & in hoc credo esse nonnihil deceptionis. Quia illi solùm in aqua id ponunt, cum idem prorsus sit in ferro calido, in ligno, & in alijs, quæ infrigidantur separata ab igne, quorum formis nõ est hoc tribuendum, cum non sint actiuæ frigiditatis.

Dubium, quid si aqua poneretur in vacuo. Quòd si dicas, quid si aqua poneretur in vacuo, vbi non esset aer, nec aliud circunstans? Dico, quòd calor corrumperetur tandem, quia consumeretur humidum. l. vinceretur ab eo, sine quo nõ consistit, non tamẽ noua frigiditas induceretur ex defectu generantis eam. Quod dico de aere circunstante, dico de terra: hæc enim calorem extinguit sua frigiditate: & per hæc patet solutio ad argumẽtum secundum.

Alber.

Ad tertiũ principale. Ad tertium. Dico motus illos non esse violẽtos: est enim alia ratio in eis, & in motu sagittæ sursum proiectæ. Hic enim motus est contra formam grauis, & contra inclinationem eius: at in illis non solùm materia est principium, sed etiam ipsorum formæ habent naturalem inclinationem, vndè sunt naturales à forma; & à materia: & propterea est virtus naturalis horum actiua, vt dictum est.

Nota. Dices, hocmodo calefactio ipsius aquæ erit motus violentus, cum sit contra formam aquæ, & ipsius virtutem, sicut proiectio sagittæ. Dico, esse diuersam rationem: nam calefactio & est motus ipsius aquæ, & dispositio ad generationem ipsius ignis, quæ naturalis est, vnde quauis vt motus quidam aquæ est, sit aliquo modo violenta, tamen simpliciter est naturalis, quia disponit ad generationẽ substantiæ, quæ naturalis est, quod non fit in proiectione illa.

Ex his sequitur quæstionis determinatio. Non omnia esse naturalia à principio actiuo, sed viuentia ab vtroque, reliqua verò à passiuo, tam materia, quã forma, & quod non semper forma est actiuum principium motus, vt patet in inanimatis omnibus.

An motus cæli sit naturalis.
Quæstio. III.

Sententia Auicenne Scot. & Rõ prima

Vius quæstionis sensus manifestus est: petimus enim an sicut lapidi motus deorsum naturalis est, sit etiam cælo circularis suus motus naturalis. Circa hoc Auicenna lib. 9. suæ Methaphysicæ, cap. 2. quem sequitur Scotus 2. sen. d. 2. q. 6. in fine, dicit cæli motum non esse naturalem, nec violentum, sed præter naturalem: nec esse à natura dicendus est, quod etiam docet Albertus 2. Physi. tract. 1. cap. 3.

Huius opinionis ratio prima est Alberti. Motus naturalis non est infinitus, est enim natura finita: sed cæli motus est infinitus: non ergo est naturalis.

Ratio secunda. Secunda ratio est Auicennæ. Motus naturalis est ad cõsequendum suam perfectionem in rebus, sed cæli nihil sibi per motum parant, non ergo ipsorum motus est naturalis.

Tertia ratio. Tertiò. si motus cæli esset naturalis, sequitur, quod duo motus contrarij naturales inessent cælo, puta cum ab oriente pars inferna ad occidens conuertitur, & ab occidente iterum in orientem; sunt enim termini contrarij.

Quarta ratio. Quartò si cæli motus esset naturalis, esset à natura, sed in eo non est natura, cũ non sit quies: ergo non est naturalis, hæc est horum sententia.

Secũda sententia Philop. Simpli. & D. Thom. Opposita verò est Philop. & Simpl. & S. Thom. 1. p. q. 70. ar. 3. Ad quartum, qui docent, motum cæli esse naturalem, & est expressa Arist. sententia 1. cæli. text. 13.

&

& sequentib., vbi dicit, sicut deorsum moueri est naturale terræ, ita cælo circulariter moueri.

Prima cõclusio. At pro huius declaratione sit prima conclu. Motus cæli (si pro orbe sumatur cælum) nõ est à principio actiuo. Vbi aduerte apud Auer. aliquando cælum sumi pro aggregato ex ipso orbe, & intelligentia mouẽte ipsum, aliquando pro ipso tãtũ orbe. Dico aggregatũ, quia intelligẽtia non est vnita cælo, sicut forma, sed sicut nauta naui assistit ei: & ob id vnũ per se non facit, & sic aliquando dicitur cælum viuere, 2. cæli, c. 12. & mouere se, sed istæ sunt locutiones impropriæ, sicut nauis mouet se, quia à nauta, qui in ea est, mouetur. Propriè cælum pro orbe sumitur, & sic dicit conclusio, quòd non mouetur à principio actiuo, quod patet: nam si actiuè se moueret, esset viuens, vt dictũ est: hoc autem esse non potest, cum nullam viuentium operationem habeat, nõ enim sentit, nec se auget, nec motu animaliũ mouetur, cũ nulla habeat organa.

Explicatur cõclu.

Secunda conclu. Secunda conclu. Motus cæli orbis est à principio passiuo tantùm. Hoc intellige non solùm, quod materia cæli sit principium passiuum, sed etiam forma, ita vt ille motus passiue proueniat ab vtroque principio.

Quod si quis diceret cælum non habere nisi solam materiam. Dico, quod à tota substantia cæli, siue simplex sit, siue composita tota illa, prouenit motus, vt à principio passiuo.

Tertia cõclusio. 1. Ratio. Tertia conclu. Motus cæli est naturalis, & à principio passiuo, vt diximus. Probatur primò, cælum est ens naturale: ergo ipsius motus est naturalis: si enim naturale est, naturam habet: si naturam, & motus est naturalis, non est autem alius motus præter hunc, de quo est disputatio, ergo est naturalis. Probo primũ antecedens ex 7. Metaphysi. c. 2. vbi inter entia naturalia cæli ponũtur: & 12. Meta. c. 2. duas naturales ponit substantias, alteram corruptibilem, alteram sempiternam, & hæc est cælum. Probatur præterea ratione antecedens: de cælo tractare, aut est Physici, aut Astrologi, vt patet; vterque autem artifex naturale cõsiderat.

2. Ratio. Secundò probatur: cæli figura est naturalis illi: sed hæc est naturaliter apta ad motum, puta rotunda: ergo & ipsius substantia tendit ad motum: accidentia enim sensibilia manuducunt nos ad substantiã cognoscendam,

3. Ratio. Præterea tertiò. Actio propria cuique rei, qua eius perfectio consistit, ei est naturalis, sicut homini intelligere: sed motus cæli est actio ipsius propria & perfectio, 2. cæli, cap. 12. ergo est ei naturalis.

Per hæc ad argumenta respondetur.

Ad primũ Ad primum dicitur primò, quod falsum est infinitum motum durationem intelligendo non prouenire à principio naturali, cum notum sit, materiam esse primum naturale, & secundum se esse principium generationum infinitarum. Dico secundò, quòd etiam si principium actiuum motus infiniti non sit naturale, at principium passiuum potest esse, & tale est cælum.

Ad secundum. Ad secundum dicitur, quòd non est opus, quod motus sit ad consequẽdam aliam perfectionem, cum ipse motus est talis perfectio: huiusmodi est cælum, & hoc patet in viuentibus, quorum perfectio in vita consistit, quæ motus quidam est.

Ad tertiũ Ad tertium dico, quod ille motus cæli vnicus est, nec contrarium habet, ob id non oportet ipsum separare, ac si essent duo.

Ad quartum, Dubiũ de qete cæli opinio Auer. Ad quartum de quiete cæli est varia opinio. Auer. 12. Meta. commen. 41. & li. de substantia orbis cap. 2. existimat, cælum habere principium, vt possit quiescere, & probat ex Aristot. 9. Meta. tex. 17. non est, inquit, timendum quòd cęlum quiescat, timor autem est de eo, quod esse potest: cælum igitur potest quiescere, sed non quiescet.

Nota contra Auer. Ista sententia est falsa, nam frustra esset potentia illa, quæ nunquam ad actum esset reducenda, & præterea, quia in sempiternis non est posse esse, sed esse: nec Arist. ibi aliud dicit, quàm quod non sit vlla timoris ratio, cum non possit cælum quiescere.

Qũo aliq defendũt Auer. reijcitur defensio. Nec valet id, quod aliqui dicunt pro Auerroe, quod à motu vnius, dici cælum quiescit altera die, quamuis enim ista dici soleat quies, tamen Auerroes non de hac loquitur, ista enim ponitur in actu, sed de quiete, quæ est cessatio motus, &

N hanc

hanc cælo inesse posse est falsum, vt benè dicit Themist. hoc secundo capite, & S. Tho. q. 5. de potentia, art. 5. qui in hoc cælos ab elementis differre docet, quòd illi à motu naturali non possunt quiescere, hæc verò sic. Vnde in die iudicij erit miraculum, cælos non moueri, sicut ignem non calefacere.

Expositio Philop.

Philop. dicit, cælum habere quietem, nempe, quia est in sua perfectione, quæ est motus, & vltimus status cuiusq; quies dicitur.

Opinio Simpl.

Simplicius verò dicit, cælos quiescere, nempe secundum axem, & centrum: quia nec ad dextram, nec ad sinistrã declinant, quomodo orbis, & machina mũdi quiescit: & hoc etiam dicit Aristoteles 8. Phy. tex. 76. mouetur, inquit, & quiescit omne scilicet cælum.

Nota duplicẽ q etẽ

Aduerte tamẽ ex Philop. in principio in explicatiõe definitionis Naturæ, quòd quies est duplex, altera est immobilitas quædam, & fixa statio, & sic possumus dicere, cælum quiescere: Altero modò pro priuatione motus, cum aptitudine ad illum, & sic non est quies illa cæli immobilitas, cum non possit ad latera moueri, & talis quies est propria, & sumitur in definitione naturæ, quidquid velit Philop. talisque non est in cælo: vndè ad argumentum dicitur, non semper naturam esse principium quietis, & motus simul. Quo aũt pacto illa naturæ definitio esset intelligenda, diximus iam satis superius.

Dubiũ de motuquo fiunt artificiata, vt dolatio lignũ, an sit naturalis.

Vnum est dubium de motu, quo fiunt artificiata, an sit naturalis, vt dolatio ligni, & similes. Communiter dicitur, esse motus artificiales, nec naturales, nec violentos, sicut ipsæ formæ. Mihi cum distinctione videtur esse respondendum; nam hi motus possunt aliquando secundum substantiam suam considerari, & sic aliqui naturales sunt, vt sectiones, diuisiones: habent enim aliquid violenti. Si verò, vt ab arte sunt, & ad formam artis tendunt, considerentur, sic nec sunt naturales, nec violenti, sed proprium nomen habent, nempè motus artis, nec potẽtia ad eos dicitur passiua naturalis, sed ineptitudo. l. aptitudo, vt patet in prædicamento qualitatis. Hæc satis de quæstione. An motus cæli, sit naturalis.

CAPVT II.

Quoniam autem determinatum est Tex. XVI.

DISCRIMEN Physici à Metaphysico ponit, cum vterq; videatur de re naturali tractare. Proponit igitur duas quæstiões. Altera est, An Mathematicꝰ à Physico differat, & per Mathematicũ, vt notat Simpl. Geometrã intelligit. Ponit argumentum ad probandum, quòd non differant; artifices de eisdem rebus considerãtes non videntur differre. Sed Geometra, & Physicus de eadem re dissserunt: non ergo videntur differre. Probat minorem, nam vterq; agit de corporibus, de lineis, de superficieb., & punctis.

Amplius autem si Astrologia. Tex. XVII.

ALtera quæstio est, An Astrologia, quę non est purè Mathematica, sit distincta à Physica, & videtur eodem argumento, q̃ non sit distincta, cum de eisdem tractẽt, puta de cælo, de astris. Reijcit autem quandã solutionẽ, quam quis posset adhibere, nempè quòd Physicus tractet de substantia cæli, & solis, & aliorum, non de accidentibus, sed Astrologus. Hoc dicit esse inconueniens, cum scientia tractans rei substantiam, ipsius etiam consideret accidentia. Et præterea Physici tractantes de cælo, & astris, ipsorum etiam accidentia tractant. Quòd sit sphæricus sol, aut cælum. l. non, & sic de alijs huiusmodi accidentibus.

De his igitur negociatur. Tex. XVIII.

SOluit dubium propositum primum, dicitque, Physicum quidem, & Geometram tractare de eisdem rebus, sed non eisdem rationibus: Physicus enim solida superficies, & similia cõsiderat, sed vt sunt fines corporis naturalis, ac in eis sunt: at Mathematicus ipsa secundum se considerat, non vt terminos corporis naturalis Vnde Physicus ista de corpore naturali ostendit, Geometra de his secundũ se ipsa dicit.

Nota quòd de eisdem bus agere possit diuersæ scientiæ.

Vnde

Vnde sequitur aliud discrimen, quòd Physicus hæc nõ abstrahit à motu, & materia sensibili: Geometra verò abstrahit ea non quidem re, sed intellectu, & nihil refert. 1. & hoc fieri potest. Abstrahentiũ enim non est mendacium: ac si dicat non ob id, quod abstrahat intellectus quæ abstracta non sunt re, mẽtitur, & falsum dicit: est enim illa abstractio simplex consideratio rei, quæ nihil habet falsitatis. De hac abstractione multa diximus in logica, nec opus est repetere.

Nota abstrahẽtiũ nõ est mẽdacium.

Themist. & alij volunt, quòd in primo discrimine etiã differat Astrologia à Physica, & illud sit pro Geometria, & pro Astrologia, hæc enim considerat figuram astrorum secũdum se, & motum ipsorũ, vt quantũ quoddã est: at Physicus ea tractat, vt corporis sunt naturalis passiones, vnde motũ, vt à natura est, vt sempiternꝰ est, vt causa aliorũ est, deniq; motum ille secũdũ qualitatẽ, Mathematicꝰ secundũ quantitatẽ cõsiderat, vt notat Themist.

Latent autem qui hoc faciunt. Tex. XIX.

REprehendit Platonem ex hoc vltimo discrimine. Plato enim ponebat ideas separatas rerum naturalium, quod reprehendit, dicens esse ignorantiam, & probat. Nam cum Mathematicæ res, quæ magis sunt abstractæ, quàm Physicæ, non sint separatæ re, sed intellectu à materia sensibili, non oportuit formas Physicas realiter separare, vt Plato putat. Quòd autem res Physicę minus abstractæ sint Mathematicis, probat ex definitione eorum, quæ in Physica, & quæ in Mathematica sunt, & ex passionibus ipsarum rerum: res enim Mathematicæ, vt figura, numerus, & ipsorum passiones par, impar, curuum, rectum, absq; motu, & materia sensibili definiũtur: sed nõ res Physicæ, puta caro, os, neruus, hęc enim absque materia definiri nequeunt.

Vtitur autem quodam exemplo ad explicandum quomodo se habeant Physicus, & Mathematicus in definiendo. Physicum enim est sicut simum, res autem Mathematica, vt curuum: curuum, & simum obliquitatem dicunt, sed differenter, simum enim obliquitatem in materia determinata, & sensibili, puta naso: curuum autem obliquitatem in commũni, ita res Physicæ materiam habent sensibilem, & determinatam, & per hanc definiuntur, non autem Mathematicæ. Hoc autem in quæstione examinabitur inferius.

Demonstrant autem. Tex. XX.

VT omnes ferè exponunt, Aristoteles hic probat secundò Physicam esse contractiorem Mathematica pura, exemplo illarum Mathematicarũ, quæ medię sunt, partim Mathematicæ: partim Physicę, nempè Perspectiua, Musica, Astrologia: hę enim differunt à pura Mathematica, quòd tractãt eandem quidem rem, verbi g. lineam: sed Physicæ, a puta in materia sensibili; at Mathematic tractat lineam Physicam, nempè corporis Physici, sed abstrahendo, vt non sit aliud discrimen inter purè Mathematicũ, & perspectiuum, ac similes, quàm quòd ille extra materiam, hi in materia idem considerent: & vis argumenti consistit in hoc: cum Perspectiua, & reliquę quæ idem cum Mathematico tractant, quod abstrahi potest à materia, non abstrahãt: ergo & Physicus, qui considerat formas; quæ abstrahi non possunt, non abstrahet; ita exponit Themist. & est expositio cõmunis. At si licet præter communem expositionem aliquid dicere, existimarem hunc locum aliter posse exponi, quod Arist. velit soluere secundam quæstionem propositam de Astrologo, quę etiam poterat esse de Perspectiuo, & Musico, cùm de sensibilibus tractent: & intendit dicere, quòd Physicus tractet non de rebus Mathematicis, nisi vt fines, & proprietates sunt corporũ naturaliũ, secundum se verò minimè, & in hocà purè Mathematico differt. Perspectiuus verò, & similes de rebus Mathematicis, sed non abstractè, sed in materia, & in hoc differunt à Physico. Explico clarè. De linea Physicus considerat, vt est longitudo corporis naturalis. Geometra de linea secundum se. Perspectiuus de linea secundum se, & non vt est longitudo corporis naturalis, sed vt est in materia aliqua sensibili. Vlterius, figurã cõsiderat Physicus, vt terminum corporum naturalium. Geome-

Nota.

tra secundum se. Astrologus figuram secundum se, sed nō omnem, sed eam, quæ est cæli, & multum refert, aliquid in materia considerare, & aliquid considerare, vt inest alteri.

Cùm autem natura duplex sit. Tex. XXI.

INfert ex dictis, Physicum non solùm formam, sed etiam materiam in definitione sumere; nam res Physicę sunt sicut simitas, at hæc & per formā, & per materiam definitur: ita & res Physicę nō sunt sine materia, ac non sunt secundū materiā, id est, nō definiuntur sola materia, vt exponit Philop. Alber. & S. Thom. quamuis Simpl. exponat, non sunt secūdùm materiam, id est, non ratione materiæ, sed ratione formę pręcipuè considerantur. Themist. & Auerr. non sunt secūdùm materiam, id est, de eorum essentia non est materia, quamuis essentia non sit sine materia: sed verior, & melior est expositio prior, vt diximus, secundum Philoponum, & Albertum.

Etenim iam, & de hoc dupliciter dubitabit quis.

NAtura in duas diuisa, dubium proponit item duplici via, & modo. Et attende, quòd non sunt duo dubia, vt volunt Expositores, sed idem dupliciter propositum: & ita sumenda est illa particula, dupliciter, quæ locum fecit obscurissimum. Dubitatur igitur, cùm duæ sint naturæ, an Physici sit materiam solam, an formam solam considerare, an vtrumq; nempè ex vtraque compositum quòd si hoc detur, nempe quòd compositum consideret, etiam vtramque considerabit naturam.

Dubium.

Dices, nónne dixit in principio textus, quod Physicus materiam, & formam cōsiderat? cur modò dubitat? Respondet Simpl. ob id dubitare, vt demōstret, quòd tantum dixerat.

Ratio.

Vtrum igitur eiusdem. Tex. XXII.

IDem dubium altera via proponit, an vnius sit scientiæ considerare materiam, & formam simul, an verò vnius sit formam, alterius materiam cognoscere. Circa quod dubium dicit, quòd si antiquos inspiciamus, non est difficile: hi enim materiam solam cognouerunt, parū autem de forma, vt patet de Empedocle, & Democrito, qui multa principia aliquo modo forma differentia posuerunt, reliqui materiam tantùm. Probat autem triplici ratione quòd Physici sit, non solùm formam, sed etiam materiam cognoscere. Prima ratio est sumpta ab analogia artis, & naturæ. Ars imitatur naturā, vt notum est: ergo ita se habebit. Physica circa considerationem naturæ, sicut artes circa considerationem artificiatorū: sed artes non solùm formam, sed etiā materiam vsque ad certum tamen limitem considerant: ergo & Physica formam etiam, & materiam considerabit. Minorem probat. Medicus enim non solam formam sanitatis considerat, sed etiam materiam, puta phlegma, bilem, & reliqua in quibus est sanitas. Nec considerat materiam omninò, puta remotam: non enim cōsiderat hominē, vt corpus, vt substantiam, sed vt ex contrarijs humoribus constitutum. Similiter domificatoria ars considerat formam domus, & materiam sed non remotam, puta terram, ex qua fiunt lateres, & arbores, sed lateres, ligna, & calcem solùm, & vnaquæq; deniq; ars materiam ad certum limitem cognoscit.

Probatur triplicitet Physicum cōsiderare formā & materiam. Primo.

Insuper eiusdem est. Tex. XXIII.

SEcundam facit rationem ad idem probandum. Eiusdem est artis, & scientiæ finem, & ea quæ ad finem sunt media considerare: sed forma est finis: materia verò est ad finem: ergo eiusdem scientiæ erit formam, & materiam cognoscere. Maior est nota, minor probatur, quòd forma sit finis, & per finem intelligi causam finalē, quæ dicitur finis, cuius gratia.

Nam finis aliquando extremum, & limitem significat, aliquando causam finalem, & ad hanc significandam dicitur, finis, cuius gratia.

Probat autem sic. Terminus alicuius motus non interrupti, sed continuati est vltimum & finis, cuius causa, illius motus, sed generationis continuę forma est ter-

terminus: ergo ea est vltimum, & cuius causa.

Nota ad eām finalem duo sunt necessaria.

Vbi aduerte, ad causam finalem duo esse necessaria: Vnum, quòd sit vltimum & extremum operatiōis: Alterum, quod sit gratia cuius illa operatio fit, ac ob id dicitur finis bonum, & optimum: quia reliqua ordinentur in ipsum. Primum non sufficit, nempè quòd sit extremum. Si enim ego modo irem in Diui Petri, vt indulgentiam consequerer, & media via occurreret aliquid impediens, quo minus absoluerem: illud esset terminus, & extremum meæ viæ, sed non causa finalis; propterea est opus vt sit gratia cuius est via, & operatio. Propterea benè dixit Aristoteles, id, quod est extremum motus continui, non impediti aliunde, id verò non solùm vltimum est, sed etiam finalis causa: Vnde reprehendit Poetam, qui de morte alicuius loquens dixit, habet finem, cuius causa factus est: errauit, nam mors est quidem terminus vitæ, sed non finalis causa, cùm non sit optimum, id est, cùm non concesserit natura vitam, vt moriantur. non enim omne vltimum finis est, cuius causa: & sic debet locus intelligi, vt volunt Græci, quamuis S. Tho. longè aliter exponat, referens illud verbum, vult, ad Poetam, & non debet referri, sed est sensus affirmatiuus: ac si dicat, ita est, non omne vltimum esse finem. Hunc Poetam Philoponus dicit esse Euripidem.

Quoniam & faciunt artes. Tex. XXIIII.

HIs duobus textibus probat materiam ordinari, vt medium ad formam: & quia locus est obscurus valdè: primò sensum aperiam.

Nota artes mechanicas in triplici differētia.

Aduerte primò: Artes mechanicas esse in triplici differentia: Quædam versantur circa materiam, & harum quædam faciunt materiam ipsam: vt ars, quæ facit lateres, regulas, calcem, ex quibus domus est faciēda: Quædā non faciunt materiam, sed factam disponunt, vt ars dolā di, & leuigandi ligna, scindendi lapides. Quædam artes sunt in altero gradu, quæ in materiam talem formā introducunt, vt ars quæ ex leuigatis iam, & dolatis lignis triremem facit, & ex lateribus præparatis domum erigit, & tales artes Architectonicæ dicuntur, quasi imperantes primis. Quædam sunt in tertio gradu, quæ forma iam introducta vtuntur, vt Nautica, quæ triremi vtitur, Equestris, Militaris, & alię. Quę sunt in primo, & secundo gradu, sunt factiuæ, tertia non dicitur factiua.

Nota secundò. Causa artiū q̄ in vsu cōsistit.

Aduerte secundò, q̄ si velis scire causam harū artium, quæ in vsu consistunt, ea est, quia homo est finis harū rerū, quæ arte fiūt: sunt enim ipsius gratia, propter ea est ista ars, secūdum quam artificiatorum vsum tenet.

Nota tertio. Quæ artes quib. imperant.

Aduerte tertiò, quòd sic se habent istę artes; tertiæ præsunt secundis, imperat enim nauta illi, qui triremem facit, vt talem & talem faciat, prout ipse vsui videt fore accommodatam. Secundæ imperāt primis; qui enim triremē facit, imperat his, qui circa materiam versantur, vt sic, vel sic pręparent, prout ipse fore aptam suę formę intelligit: vnde vsualis est Architectonica, & inter factiuas ea, quę formam inducit, quia hæ imperant.

Ex his apparet clarè, quomodo materia ordinetur in formam, cùm hę, quæ circa materiam versantur artes, ab eo qui formam inducit, regātur: & hoc est, quod Aristoteles voluit monstrare exemplo harum artium materiam ordinari in formam: & admodum obserua hanc declarationem.

Textus expō.

Nunc ad textum accedamus, quamuis non sint hæc ita in litera ordinata. Proponit igitur in hoc textu diuisionem artium considerantium materiam, & vsualium. Sunt artes considerantes materiā simpliciter, id est, quæ faciunt materiam, & quę considerant materiam operi accommodam, id est, disponunt, & præparant materiam, & sunt etiam artes quę vtuntur; & reddit harum rationem, nempè quia nos sumus finis quodammodo omnium. At quia duplex est finis, alter cuius, hic autem est id, propter quod operamur, vt Deus est finis cuius nostrorum laborum: & amicus est finis cuius alius se illius amore in negotijs occupat, Est etiam fiins, quo, nempè quo illum finem consequimur, qui semper est operatio nostra, vt finis quo supernaturalis est visio ipsius Dei; finis quo illius, qui ad ami-

amicum tēdit, est videre, colloqui cum ipso. Homo igitur finis est cuius harum rerum. At quia de hoc vtroque fine nō est modò locus tractandi, dicit se in Philosophia, puta morali hoc dixisse.

Duæ igitur sunt. Tex. XXV.

DIstinguit duas esse dominatrices materiæ, nempe vsualem, & quæ formam facit, & has cognoscentes vocant, id est, non faciētes materiam: vsualis enim nihil facit, formalis operatur, sed nōn materiam: ob id cognoscēs, & speculans aliquo modo est, & in hoc differt ab effectrice, nēpè materiali, quæ tantum operatiua est; quo fit, vt illæ duæ Architectonicæ sint, & imperent, sed vnus artifex imperat materiæ, qui nempe formam considerat: dicit enim ex quo ligno, & quali fiat triremis; alter imperat formali, dicendo ex quibus motibus, & quos ad vsus illa sit

Ex his omnibus concludit, quòd in artificiatis materia propter opus & formam fit, in naturalibus autem materia propter formam est; non dicitur, fit, quia nos non facimus materiā in naturalib⁹. Atq; hæc est probatio minoris præcedentis syllogismi, nempè formam esse finem materiæ, intellige esse finē partialē; compositum enim, & totum est finis, & terminus totius generationis, & materię.

Amplius eorum, quę ad aliquid. Tex. XXVI.

3. Ratio. TErtiam rationem proponit: Materia, & forma sunt correlatiua: sed eadem est scientia correlatiuorum: ergo Physici est non solam formam considerare, sed etiam materiam. Nec existimes materiam, & formam esse correlatiua secundum substantiam, & essentiam suam, sed quòd habēt quendam ordinē, & relationem annexam, sicut scientia, & scibile vt dictum est in Logica.

Nota verba Aristotelis: materia, inqt, est ad formā, & alia materia ad aliam formam: Per materiam intelligit materiam primam indifferentē ad quamcunq; formam substantialem, & per formam intelligit formas confusè, & indistinctè, nempè in communi: Per materiam verò aliā intelligit materiā, secūdam, nempè cùm dispositionibus, & accidentibus necessarijs ad formas quaslibet in particulari quas vocat formam aliam: vt sit sensus, materia secundum se ad formam secundùm se refertur, at hæc materia ad hanc formam; quelibet enim forma habet suas certas dispositiones in materia distinctas ab alijs aliarum formarum; & non solùm in specie, sed etiam in indiuiduo, vt alia est materia secunda hominis, alia equi, & alia huius, alia illius hominis; alia hui⁹, alia illi⁹ equi, quod docet Aristoteles de animabus contra Pythagoram, 1. Animę, tex. 54.

Quousq; ergo Physicū oportet cognoscere formam.

LOcum hunc benè exponit Simpli. Mouet dubium Arist. quousq; Physicus consideret formam. Respondetq; sicut Medicus neruum, & Faber æs considerat, non absolutè, sed vt sunt suæ formæ accommodata, ita Physicus formas, vt ad generationem sunt: hæ autem sunt, quę sunt in materia, licet ratiōe sint separabiles: per has enim formas generationes fiunt, vt Sol, & homo generant hominem, Sol, & equus equum: De formis autem separatis, quid sint, Metaphysici est speculari.

Dices, quomodo formas Physicas vocat ratione separabiles à materia, cùm oppositum docuerit superius? Aliqui dicūt quòd debet legi, quòd sunt inseparabiles. Hoc tamen est contra literam Græcam, quæ modò habetur. Sanctus Thomas id de anima rationali intelligit, quæ est suprema forma naturalis, vltra quam Physicus non ascendit, & hac ratione est separabilis: quia secundum se non indiget organo corporeo ad suam operationem. Id ipsū dicit Auerroes, & est bona respōsio, quamuis posset dici, quòd sunt separabiles à materia ratione, id est, differunt ratione, & definitione, sed non subiecto, cùm non sint extra materiam, quomodo priuatio, & materia dicuntur duo ratione, sed vnum numero. hoc autē non impedit, quin forma definiatur per materiā. Dubium quōmę Physicæ sint separabiles à materia ratione.

Aduerte vlterius, quòd sol est causa vniuersalis concurrens cum omnibus particularibus ad generationes, vt dicemus inferius. Nota.

An

An Physica à Mathematicis distinguantur. Quæst. IIII.

TITVLVS quæstionis clarus est, nempè ea quæ Physicus cōsiderat, & quæ Mathematicus, sint distincta, an eadem: & similiter an Physica scientia à Mathematica diuersa sit. Notat autem Auer. in præsenti, com. 16. quòd assignare differentiam in communi, & in particulari sciētiarum Logicum est, quamuis sit vsitatum differentiam particularem in proprijs scientijs tradere: & huius rationem possumus dare, ex 2. de anima, 146. Nam ad ponendam differentiam inter duo, requiritur, vt cognoscatur, quid sit vtrumq; non est autem vnius sciētiæ particularis quid altera sit cognoscere, ob id ad communem aliquam, quæ in communi, quid scientia sit, consideret, id pertinet. Ea autem est Logica vniuersalis, quamuis id non faciat, nisi aliquo modo adiuta sciētijs particularibus, quibus ipsarum obiecta cognoscit. Tractare igitur modò oportet in particulari de differentia harum scientiarum. Nec omnia quæ hic dici poterant proponemus, quia multa diximus in Posterioribus. Nota quis assignet differētiā scientiarū inter se.

Argumēta in oppositum. Primum. Sit igitur primum argumentum circa quæstionem. Methematici tractant de sensibilibus, sicut Physica: ergo non est discrimen. Antecedens patet, quia omnia quæ Mathematici tractāt, sunt in corpore, & in corpore sensibili.

Secundū. Secundò. Astrologia est Mathematica, & tractat de substantia sensibili, vt Physica: ergo non est scientia distincta, nec res cōsiderata ab Astrologia est extra genus Physicum: Antecedens est expresè Arist. 12. Meta. tex. 44.

Tertium. Præterea, tertiò. res Physicæ sunt substantiæ, & accidentia sunt sensibilia, sed substantia potest abstrahi ab accidentibus: ergo res Physicæ abstrahi possunt à sensibilibus: non ergo different à Mathematicis.

Quartum. Præterea, quartò ex Arist. Perspectiua, Musica, Astrologia sunt Mathematicę: non ergo dicendæ sunt esse magis Physicæ, & adhuc dicit, quòd Perspectiua agit de linea, vt Physica est: ergo prorsus Perspectiua est Physica, cùm conueniat in obiecto formali.

Pro huius determinatione sit prima cōclusio. Sciētia Physica, & Mathematica licet cōueniant in re cōsiderata, nunquā tamen in subiecto cōueniunt. Hæc cōclusio est declaranda: ob id aduerte primò: non quicquid est de consideratione alicuius sciētiæ, esse subiectū illius scientiæ. Sunt enim tria in scientia, & passiones demōstrandæ, & causę per quas demonstrandę sunt, & ea de quibus demonstrandæ sunt: & hæc tantum dicuntur subiecta, siue sit vnum in communi, quod est primum in scientia, siue multa particularia, quę illius sunt species. Tria igitur cùm sint de consideratione scientiæ, vnum illorum subiectum est, vnde res considerata in scientia per subiectū habent se, vt superius, & inferius, Omne enim subiectum est res considerata in scientia, non ècontra. Prima est cōclusio. Primò notandum. Nō omnis res cōsiderata in sentētia est eius subiectū

Aduerte secundo, quòd Physicus habet pro subiecto substantiam, non quamcunq; : Mathematicus verò pro subiecto accidens, non quodcunq; Explico. Physica est quædam scientia, quæ substantiæ passiones, & causas speculatur, sed non cuiuscunq; substantiæ, sed illius quę motus principium habet, ac mutationibus, & accidētibus sensibilib. est subiecta: vnde pro subiectis habet substantias sensibiles, & naturales. Mathematicus verò passiones speculatur, non vllius substantiæ, sed de accidenti ostendendo, non autem de quocunq; accidenti. Nota secundò. Quod sit Physicū subiectū, & Mathematici.

Est enim duplex accidens, quoddam secūdum se mutationi expositum, id est, quod non est, nisi ex mutatione aliqua procedens, vel mutationis alicuius est causa, vt sunt primæ qualitates, & ex his compositæ, vt colores, sapores, odores, & huiusmodi ad Physicum pertinent, nec de his scientia vlla, præter Physicam est, cùm non nisi mutatione, & motu consistant, nec aliter quàm per mutationem, vel ad mutationem sint. Quædam sunt alia accidentia, quæ licet cum mutatione sit, tamen ex se à mutatione non dependent, nec mutationis causa sunt, quales sunt quantitates, & ea quæ quantitatem sequuntur: Hæ enim non sunt mutationum causa, nec ex se ex mutatione proueniunt, cùm in cælo sint quantitates,

tes, & figuræ non ex mutatione factæ, similiter dimensiones, proportiones, & similia non ad mutationem pertinentia, nec tãquam ipsius effectus, nec tanquam ipsius causæ. Et talium est scientia Mathematica: agit enim de quantitatibus, de figuris, & proportionibus, & proprietatibus ipsarum, quæ ab ipsa absque motu proueniunt.

Tertium fundamẽtum. Mathematicæ sũt in duplici differentia.

Aduerte tertiò, quod Mathematicæ sunt in duplici differentia. Quædam quæ huiusmodi accidentia in vniuersali cognoscunt, vt quæ agit de figura in communi, & qualibet specie, non determinando ad materiam, sic quæ agit de numero in communi abstrahendo, à quolibet subiecto, & hæ dicuntur purè Mathematicæ.

Quædã aliæ agunt de huiusmodi accidentibus in particulari, vt de figura cæli, de motu ipsius, tanquam de quodam quanto, de numero sonoro, de linea visuali, & tales vocantur Mathematicæ mediæ.

Qũo earũ subiectũ differat à Physico.

Vbi attende maximè cum Auer. comment. 18. quòd hæ non tractant de substantia subiecta istis accidentibus, nec de ipsis, vt alteri insunt, sed de ipsis secundũ se, alia demonstrãdo de eisdem; & in hoc differunt à Physica omnes hæ; Physicus enim talia accidentia de substantijs ostẽdit, vt ipsis cõpetunt: At Mathematicus de istis accidentib. aliud ostendit: vt Physicus de corpore ostendit quantitatem, figuram, motum, Mathematici de his secundum alia ostendunt: vnde dixit Lincon. benè, quòd id, quod Physicus habet pro prædicato, & passione, id habet Mathematicꝰ pro subiecto, cũ tale est, ꝙ absque mutatione possit intelligi, quamuis Physicus, vt in subiecto mutabile illud est, considerat: & hoc est, quod diximus in conclusione prima, nempè quòd conueniunt Physicus, & Mathematicus in re considerata, sed non in subiecto, nã quod vnius est subiectum, alterius est passio: & hoc est, quod alij dicunt, Physicũ, & Mathematicum differre in modo cõsiderandi. Et hæc sufficiant pro declaratione primæ conclusionis: & sunt memoriæ mandanda: & magis in solutione argumentorum ista nota fient.

Secunda cõclusio.

Secunda cõclusio. Physicus, & Mathematicus differunt in modo definiendi.

Primum fundamẽtum. Diuersus modꝰ definiendi Physici, & Mathematici.

Aduerte, duo esse, quæ in scientijs præcipuè definiuntur, & subiecta, & passiones, in quib. definiẽdis est discrimẽ inter Physicum, & Mathematicum. Physicus quidẽ definit per materiã sensibilem, id est, per materiam motui, & mutationi, & qualitãtibꝰ sensibilibus subiectã, at cum magno discrimine, nam passiones definit per materiam, non tanquã partem rei definitæ, sed tanquã subiectum, vel tanquã causam, vt qui dicit, serenitas est ventorum quies, trãquillitas est maris, quies per materiam, quæ subiectum est, definit: Qui verò dicit, tonitruus est sonus percussionis exhalatiõis cum nube, materiã dicit, sed causãm; At cũ subiecta definit, materiam, vt partẽ substantiæ dicit; nam substantiæ naturales includunt materiã, vt partẽ sui: & sic definitur homo ꝙ os, carnem, &c. quæ ipsius partes sunt.

Ad explicandum hunc diuersum modum includendi materiam, quem docet Aristoteles. 7. Meta. ca. 10. tex. 34. sunt duo exẽpla, alterum est simum, per hoc enim intelligitur modus definiendi passiones, simitas enim nasum dicit, vt subiectum & causãm: alterum est statua, & domus, & cætera artificialia, hæc enim materiam, vt partem sui dicunt, pars enim statuę est æs, & figura, vt ibi docet Aristoteles, sicut materia est pars hominis: vnde in 8. Meta. cap. 1. laudatur Archytas, qui in definitione horum vtebatur materia: Similiter in definitione naturalium: hic est modus definiendi Physicus.

Mathematicus verò passiones suas, & subiecta definit, sed non vtitur materia sensibili, vtitur tamen sua materia, puta quantitate; vt enim est materia sensibilis, & forma compositum naturale faciẽtes, ita figuræ illæ, & quãtitates faciunt triangulos, quadrangulos, & reliqua mathematica; vnde Mathematicꝰ passiones per subiecta sua, vt per materiam definit: vt definiendo par, impar, & reliqua: Similiter subiecta per quãtitatem definit, vt figuras per lineas, & hoc docet Aristoteles. 7. Metaph. cap. 11. tex. 38. vbi reprehendit Platonem, qui omninò ista sine vlla materia definire contendebat, & docet habere suam materiam, sicut homo habet os, & cætera, licèt non sit sensibilis: & sic patet proposita, conclusio.

Tertia cõclusio. Diuersus modꝰ demonstrandi Physicæ & Mathematicæ.

Tertia conclusio; Physicus, & Mathematicus differunt in modo demonstrandi. Explicatur hoc. Physicus frequẽter vtitur demonstratione effectus & signi, qa ipsius causæ frequẽtius sunt occultę, nec per se sensibiles: effectus verò sensibiles sunt, vt mors, corruptio, generatio, motus, & similia ad sensum patent, ipsorum causæ à sensibus sunt remotæ. At Mathematicus frequentius à prioribus procedit, cùm causæ notiores sint effectibus: à sensu enim abstrahit, & in intellectu notius est, quod prius est. Nec intelligas ꝓpter hoc, quòd Physicus per causas non demõnstret: demonstrat enim, vt dicemus inferius in hoc libro.

Quarta cõclusio. Diuersa certitudo Physici, & Metaphysici.

Quarta cõclusio. Physicus, & Mathematicus differunt in certitudine. Explicatur. Effectus Physici non semper in vniuersum eueniunt, sed fit defectus aliquando: vt non semper in senectute canities contingit, non semper viri habent barbam, non semper homo habet duos oculos: & hoc ex eo, quòd materia, ex qua huiusmodi res constant, indifferens est, & multorum receptiua, ob id impeditur aliquãdo multis distracta: vnde. 2. Meta. tex. 16. tradens huius nõ exactæ certitudinis rationem, dicit, natura materiam habet. Non tamen ob id putãdũ est, non esse scientiã horum: est enim, vt diximus in Posterioribus: sunt enim gradus in certitudine scientiarum.

At res Mathematicæ, cùm ab hac materia separẽt, simpliciter necessarię sunt, semper enim triangulus habet tres angulos, & reliquæ passiones subiectis insunt. His igitur sic expositis possumus ad argumenta respondere.

Ad primum.

Ad primum: admittimus Mathematicas de sensibilibus tractare, sed quæ secundum se sensibilia, & mobilia nõ sunt, vnde aliquæ ipsarum abstrahunt.

Nota. Quid sit abstractio, & quotuplex.

Vt aũt intelligas quid sit ista abstractio, aduerte non esse aliud abstractionẽ, quàm separationem vnius ab altero sibi coniuncto. Hæc abstractio duplex est; altera realis, altera rationis, seu cognitionis. Realis est, cùm re ipsa vnũ ab alio separatur, vt cùm anima per mortem à corpore separatur, & manus à manu cõiuncta separatur. Rationis est, cùm id non fit, nisi tantùm cognitione, & consideratione; vt cùm vnum intelligo, non intellectis alijs illi coniunctis, nempe intelligo animal non intellectis speciebus; talis est abstractio rationis.

Ista adhuc est duplex, quædã simplex, quę ab Alberto definitiua dicitur: quędã composita. Simplex est, cùm vnum simplici cognitione cognosco, non intellecto alio sibi coniuncto: Cõposita est, cùm intellectus enunciando vnum ab alio diuidit, vt cùm hominem non esse leonem concipimus. In hac abstractione semper inest verum, vel falsum: at in simplici nõ est veritas, nec falsitas.

Simplex rursum triplex est; vniuersalis, cùm superiora non intellectis inferioribus consideramus; Subiecti, cum subiectũ absque consideratione accidentium cognoscimus; Formalis, cùm accidens ab accidente, aut rem à re abstrahimus, vt cùm dulcedinem ab albedine lactis abstraho, & formam à materia, & similes formæ abstrahuntur ab alijs.

Omnes hæ simplices abstractiones nõ sunt aliud, quàm simplices considerationes rerum, non consideratis alijs, quę cũ eis erãt, in quibus omnibus nulla est falsitas, aut veritas.

Abstractio mathematica vna est ex his, puta formalis, cùm accidentia, puta figuras, & quantitates à sensibilibus accidentibus separamus, id est, illa intelligimus, sensibilibus non intellectis, quod absque falsitate fit.

Ad secundum respondetur, quòd Astrologia non tractat de aliqua substantia, vt subiecto, id est, nec quid sit substãtia aliqua, nec qualis sit illa ostendit, sed agit de substantia, tanquam determinatione subiecti; ipsius enim subiectum est figura, & motus huius corporis, nempè cæli, & de his demonstrat, non de cælo, id est, de substãtia ipsa, hoc enim est Physicum, & illud est, quod Arist. in Metaph. voluit circa Astrologiam. Ad secundum.

Ad tertium respondetur, quòd substãtiæ naturales in sua essentia, & substantia non habent motũ, & mutationem, & accidentia, sed ipsa est extra accidentia, in eo, quòd non sunt ipsarum essentiæ, & naturæ, tamen ipsæ substantię intrinsecè, & essentialiter habẽt esse tales, vt habeãt princi- Ad tertium.

principium motus, & mutationis; vnde mutationis principium in ipsis essentialiter est. & hinc est, quod à sensibili materia non abstrahant: homo enim, & animal, de se principium habent motus, nõ sic res mathematicæ.

Ad quartum. Ad quartum S. Tho. hic, & Paulus volunt, illas medias esse magis Physicas, quàm mathematicas, quamuis S. Thom. super Boet. de Trinit. 9. de diuisione scientiarum, artic. 3. ad tertium, cẽseat esse magis mathematicas. Quicquid sit, illę sunt magis mathematicæ, cùm in subiecto, quod est forma scientiæ, cum purè mathematicis conueniant: nec Aristoteles oppositum dicit, has enim non dicit esse magis Physicas, quã mathematicas, sed quòd inter mathematicas hæ propius accedunt ad physicam.

Ad quintum. Ad aliud respondetur, cùm dicitur, vt Physica, illic denotatur cõditio, vt cùm dicimus, ignis vt approximatus comburit, sed non notatur ratio formalis, ac si diceretur, ignis, vt calidus comburit. Hęc de quæstione.

An Physicus consideret materiam primam. Quæstio V.

Sẽsus quę stionis. VM duplex sit materia, & prima, ac remota, quę eiusdem rationis est in omnibus rebus naturalibus corruptibilibus: & secunda, ac propinqua, quæ varia est pro formarum varietate, quælibet enim forma suas certas dispositiones petit in materia: petimus, an Physicus materias hasce proximas tantùm cõsideret, an etiam primam, & remotam. Hoc dubium mouet Auerr. Com. 22. vbi citat Auicen. dicentem, Physicum non considerare materiam primam, sed tantùm proximas; illa enim ad Metaphysicum pertinet.

Opinio Auicen.

Fundamẽtum eius. Et ratio Auicen. est, quòd ita se habet Physicus, sicut quilibet alius artifex, sed nullus artifex considerat, nisi materiam proximam, & particularẽ vnius generis formæ, vt notum est, nec ergo Physicus nisi proximam considerabit materiam.

Secunda ratio. Secundò, si Physicus materiam proximam consideraret, posset, illam esse demonstrare, sed hoc nõ potest, cùm sit primum principium sui subiecti, nec ipsius in Physica causa sit: ergo non pertinet ad ipsum.

Tertia ratio. Tertiò possumus contra rationem Aristotelis argumentari, & probare, quòd nec materiam consideret Physicus: nã si materiam consideraret, esset, quia materia ad formã refertur, vt ipse dicit, sed materia & forma non sunt correlatiua, cùm sint substantię; imò materia nõ refertur, nisi ad materiatum, seu id, cuius est materia, hoc autem compositum est.

Sententia communis circa quęstionẽ Prima rõ. Circa hoc Auer. ibidem tenet, materiam primam pertinere ad Physicum, & cõmunis est opinio, quamuis Græci non id exprimant; existimo, quia id erat certũ satis, & ratio huius potest esse. Primò artifex considerat materiam communem omnibus formis suæ artis, sed Physicus considerat omnes formas naturales: ergo considerabit materiam communem illis: hæc non est nisi prima.

Secunda ratio. Præterea. Physicus considerat generationes, & mutationes substantiales in communi: ergo considerabit ipsarũ causam, & subiectum. hoc autem est prima materia.

Tertia ratio. Præterea materia prima est subiectum mutationum, sed sub tali ratione non est Metaphysici, qui motus non considerat: ergo erit Physici.

Nota secundũ Alber. quid de hoc sẽserit Auicen. cõtra Auerroẽ. Alber. tract. 1. ca. 11. arguit Auerroem tanquam imponentem hoc Auicennę, & dicit, quòd materia dupliciter potest cõsiderari: Vno modo, vt refertur ad ipsum ens, est enim potentia quædã, quæ est altera entis pars, cui respõdet actus, ex quibus duobus perficitur ens, & sic nõ dicit priuationẽ, & est conceptus materiæ primus, & sub tali cõsideratione materia dicitur primò prima: Altero modo potest considerari, vt est subiectum mutationũ, & sic dicit secum priuationẽ, & sub hoc conceptu, qui posterior est, dicitur secundò prima. Modò vult, quòd primus conceptus ad Metaphysicũ, secundus ad Physicum spectet, & hanc fuisse intentionem Auicennæ. Doctrina quidẽ hæc vera est, parùm refert, quòd fuerit illa mens Auicennæ, vel non.

Ad primũ. Ad primum argumentum respondetur, q̃ est dispar ratio, vt dicit Auerroes, inter Physicũ, & alios artifices: alij enim considerant aliquas formas artificiatorum,

rum, non omnes: ob id non habent considerare materiam omnium artificiatorum communem; at Physicus considerat omnes formas naturales, ob id considerabit materiam illis omnibus communem, & hæc est prima.

Ad secundum. Ad secundũ respondet Auer. q̃ Physicus non demõstrat à priori materiã esse, sed à posteriori, per ipsas mutationes, vt dictum est, & sic materiam considerat.

Ad tertiũ. Ad tertium, aduerte, quòd materia est in potentia, & ad compositum, & ad formam. Ad cõpositum quidem est in potẽtia passiua primò, quia ex materia cõpositum primò fit, & secundariò ad formã, quæ simul producitur cum composito: ad formam autem est in potentia receptiua, vnde ad vtrunq; referri potest varijs rationibus, & modis.

Nec existimes, quod materia & forma prorsus relatiua sint: sunt enim absoluta simpliciter, vt dicunt S. Tho. & Alber. secum tamen ferunt aliquam relationem, & respectum.

Nominales dicunt materiam essentialiter non esse relationem, sed denominatiuè.

Burlæus dicit materiam esse aliquid, id est, substantiam, in se tamen habere ad aliquid i. respectum, seu esse ad aliquid in secundo modo dicendi per se. Omnes autem hæ locutiones ad idem tendunt.

An ars imitetur naturam. Quæstio VI.

Sensus qõnis triplex. QVAESTIO hęc solùm ad declarationem est proposita, non quòd sit cõtrouersia inter Philosophos. Hæc propositio, Ars imitatur naturam, triplicem sensum facit: Primus est, effectus artis, seu artificialia sunt similia naturalibus. Alter est, agens secundum artem assimilatur agenti naturali. Tertius est, forma artis est similis formæ naturali: & omnes tres sensus veri sunt. Tamen vt manifesti fiant, est primum argumentum. Artificialia nõ habent in se motus principium, vt talia sunt: naturalia verò habent: non ergo sunt similia.

Argumẽtũ in oppositum. Primum argũ.

Secundũ argũ. Secundo: agens naturale non est liberum, sed necessariò agit; ignis enim non potest non comburere, si combustibile sit appositum: ergo agens secundum artem est liberũ, agit enim quando vult, & quousque vult: non ergo similantur.

Tertium argũ. Tertiò. Forma naturalis est substãtia, vt diximus, at formæ artium, & artes ipsæ accidentia sunt: non ergo similitudo vlla est.

Prima cõclusio. In huius declarationem sit prima cõclusio. Res artificiales similantur naturalibus in forma, in materia per se, & in toto ipso composito.

Primũ fũdamentũ. Aduerte primò. accidentia sensibilia ferè omnia natura multis communia fecit, vtpotè albedinem, nigredinem, calorem, frigiditatem, magnitudinem, sapores, & reliqua; Hęc enim animatis, & inanimatis absque discrimine insunt. Vnum tamen inter hæc reseruauit natura proprium singulis speciebus, & id figura, ac forma exterior est, quam diuersam diuersæ entium species, imò aliquando speciesum indiuidua sortiuntur.

Et hoc optimo consilio factum est: nã cùm homo, qui huius mundi rex est, & in cuius gratiam hæc facta sunt, à sensu dependeat in sua intellectione, ac sensibus substantias non percipiant, nisi per accidentia, profecto deciperetur semper nec posset rerum formas, ac substantias distinguere, nisi accidentia aliqua sensibilia essent, quibus tales formæ substantiales designarentur, & tales sunt rerum figuræ, & formæ exteriores, quas cum visus discernat, maximè ad cognitionẽ visus prodest, vt dicitur. 1. Meta. cap. 1.

Hæ igitur figuræ sequuntur formas substantiales. Vide S. Thom. 7. Physico. Lectione. 5. adeoque sunt illis coniunctę, & illarũ comites, vt multi existimarint, ipsas esse rerum substãtias, vt refertur. 3. cæli, ca. 4. & hoc volebant dicere illi, qui asserebãt lineas, & superficies esse rerum substantias, vt dixit Pythagoras 1. Meta. cap. 7. tex. 24. Et id dubitatur. 3. Meta. c. 5. & 7. Meta. c. 2. At re vera non sunt formæ substantiales, sed ipsarum indicia. Hinc est, quod perfecta similitudo duarum rerum maximè attendatur in figura, adeò, vt eiusdem speciei videantur, quæ figuram participant eandem, & eodẽ nomine nominentur: vnde propter hoc pictum hominem vocamus hominem, & imagines eisdẽ nominibus, quib⁹ ea, quo-

rum imagines sunt, nominamus, vt notum est.

Secundũ fundamẽtum.

Aduerte secũdò, quòd artes circa has figuras versantur: conãtur enim effectus in figuris cum naturalibus similare. Est tamen duplex ars: quædam, quæ versatur circa actiones, vt ars cantandi, saltãdi, nauigandi: & aliæ quædam, quæ versantur circa res factas, vt domificandi, pingendi, faciẽdi statuas, & aliæ: & in his est præcipua similitudo, de qua loquimur, adeò, vt ars, quæ pingit leonem, videatur quodammodo leonẽ facere propter illã figuram, quæ comes est formæ substantialis, & non solùm propter figuram, sed etiã propter modũ ipsius materiæ, ex qua fiunt res hæ: materia enim in naturalibus patitur aliquã mutationẽ, vt ex ea fiat aliqd, vt ex aqua fit aer, mutata tamẽ aqua, ita etiã ex ligno fit statua, aliquo tamen modo ligno mutato, nempè dolato, & scisso, & passo aliquã dispositionem, vt illam recipiat formam.

Nota primò, duplicẽ artem,

Nota secundò.

Ex quo fit, quòd sicut non dicitur homo est terra, sed terrenus, quia ex terra mutationẽ passa homo est factus, ita non dicitur statua est aurum, sed aurea, domꝰ est lapis, sed lapidea, vt dicitur 2. Gene. c. 1. & 7. Physic. c. 3. & hanc rationem huius dat Arist. 7. Meta. cap. 7. tex. 26.

Tertium fundamẽtum.

Aduerte tertiò, quòd statua, & ista artificiata non sunt, sicut reliqua nomina accidentalia, album, calidum, curuũ: hęc enim dicunt corpus, non vt partem, sed vt subiectum, at ista ipsam materiam habent pro parte, vnde sicut caro, & anima faciunt hominem, vt duæ partes, ita aurum, & figura statuam in genere artificiali: vnde benè dixit Paulus Venetus, ꝙ huiusmodi nomina nõ dicunt formam, vt alia connotatiua, sed totũ ipsum compositum: & hoc docet. 7. Meta. ca. 10. tex. 34. Ac in hoc maximè simulantur naturalibus. Ex his omnib. patet sensus, & veritas conclusionis primæ, nempè, ꝙ artificialia simulantur naturalibus in formis exterioribus, & in materijs aliquo modo, & etiam in ipsis totis compositis, ad sensum prædictum in fundamentis.

Secunda conclusio

Secunda conclusio. Artifex imitatur agens naturale in modo operandi. Ista similitudo consistit in duobus: primò, sicut agens naturale effectum producit assimilando eum sibi in forma, secundum quã producit, ignis enim ignẽ, leo leonẽ, homo hominẽ producit, ita artifices tales effectus producunt, vt similes sint idolis, & imaginibus, quas sibi in mẽte fingunt, & secundum quas operantur.

Secundò, sicut agens naturale operatur materiam disponendo, & ab imperfectis incipit, sic & artifex ipse, & ex hoc sequitur, quòd artis forma assimilatur formæ naturali aliquo modo, ꝓducit enim res quælibet sibi similem, licet in arte nõ sit similis specie effectus factus arti, & idolo secundum quod fit.

Tertia cõclusio.

Tertia cõclusio. Ars aliquando imitatur effectus naturales præexistentes, aliquando eos, qui debebant præexistere.

Nota duplex genus artis.

Aduerte duplicem artem. Est quędam simia naturæ, quæ ea, quæ natura facit, imitari suo modo conatur, vt ars, quæ pingit, quę facit statuas, & similes, & hęc imitatur naturę effectus præexistẽtes. Altera est, quæ supplet ea, in quibus natura deficit, vt ars faciendi domos, vestes, & similia necessaria vitæ, & hæc non imitatur effectus præcedentes naturæ, sed qui deberent præcedere, id est, tales facere conatur, quales faceret natura, si eos faceret.

Ad argumenta.

Ex his omnibus colligitur; illam propositionem, ars imitatur naturã, esse verã in illo triplici sensu, qui propositus est.

Differunt tamen in his, quæ argumẽta probant: hæc enim verè concludũt artem, & naturam in illis esse dissimiles, tamen, quia in alijs est similitudo, vt diximus: propositio est vera: non enim ad Illius veritatem opus est, vt in omnibus imitatio sit. Ad textum redeamus.

CAPVT III.

Determinatis autem his.

Tex. XXVII.

Nota quã ob cãm Arist. instituerit tractationem de causis.

HAEC est tertia pars libri huiꝰ, in qua de causis agit. Philo. cõtinuat hũc sermonẽ, vt postquam Aristoteles de concausis egit, puta de materia, & forma,

forma, velit nunc de causis agere, puta de efficiente, & fine. Simpl. verò non de efficiente, sed de solo fine intentionem esse docet: at quia de fine volebat disserere, causam in communi distinguit. At re vera non video cur hic de efficienti, saltem proximo, non agatur, & de omnibus causis in communi, vt in processu patebit.

Ob id aduerte, quòd ratio tractandi modò de causis duplex est. Altera, quam ipse Aristoteles in præsenti textu proponit, nempè, vt cùm Physicus scrutetur causas generationum, & mutationum naturalium, sciamus, quot, & quæ sint istæ causæ in genere, quas Physicus inquirit, ob id Mathematicus non habet causas sic distinguere. Non enim nisi vnam, aut alteram, & non propriè causam aliquando speculatur. Altera est, quia dictum erat in definitione naturæ, eam esse causam: oportebat ergo scire, quæ esset causa: est enim formalis, & materialis, & efficiens, & finalis, vt dicemus: ac propter id de causis modò fit sermo. Et hæc est materia huius secundi libri.

Nota ad quos pertineat agere de causis, & sub qua ratione.

Aduerte tamen, quòd de causis agere, & ad Logicum, & ad Physicum, & ad Metaphysicum pertinet, varijs tamen rationibus. Logicus enim, vt patet 2. Poster. causam diuidit. & explicat, licet non prio habitu, vt ad perfectam pertinet demonstrationem. Physicus verò causas, vt ad mutationes pertinent, & ad naturales effectus, tractat. Metaphysicus autem, vt ad esse attinent, vt dicit Auer. 2. Metaph. com. 6. Similiter, quia esse causam est vna pars entis excedẽs res naturales, cùm extra naturalia etiam causæ sint, vndè absolutè demonstrare, quot sint causę, est Metaphysici: quot verò mutationũ causæ, Physici: quot potissimæ demonstrationis media, logici. Textum igitur exponamus.

Quot, & quæ sint causæ, tractandum proponit, cuius rationem subdit, quæ talis esse potest in forma: Artificem scientificum eorum, quæ tractat, quot, & quæ sint causę, docere oportet: Physicus est artifex scientificus naturalium mutationum: ergo ipsum Physicum causas omnes docere oportet, ac distinguere. Maiorem illam virtualiter intellectam probat; quia non contingit scire, quousque causam primam, id est, propriam, & immediatam percipiamus: nec reducere quæque poterimus ad talem causam, nisi quid, quæque causa sit sciamus, præsertim in Physica, quæ non vnam, aut alteram, sed omnes quęrit causarũ modos.

Vno igitur modo causa dicitur.

Tex. XXVIII.

Nota primò definitionẽ causæ materialis.

INcipit varias causas assignare. Est, inquit, vno modo causa id, ex quo, cùm insit, aliquid fit. Per hanc descriptionem notat causam materialem, hęc enim est, ex qua dicitur aliquid fieri, vt ex ære statua, ex argento phiala. Nec sufficit, vt ex aliquo fiat aliquid, ad hoc, quòd sit materia, sed quòd permaneat in eo, quod ex ipso fit, nam ex priuatione fit aliquid, vt ex nocte dies, & ex non albo album, sed non vt ex materia, sed vt ex termino: quia non permanet, ob id dicitur, ex quo cùm insit.

Nota secundò.

Et aduerte, quòd hic non dicitur, primò, & non secundum accidens, vt definita est materia superius in lib. primo, text. 82. quia illic definita est materia prima per se, hic autem tam prima, quàm secũda, tam naturalis, quàm accidentalis, per se, & per accidens, vt inferius declarabitur. ob id illa duo prætermissa sunt.

Nota tertiò.

Aduerte vlterius, cùm aliquid dicitur causa, quæcunq; illi conueniunt, etiam dicuntur causa, vt si æs est causa statuæ, & æs est corpus, & substantia, etiam ista dicuntur causa statuę, & hoc non solùm in causa materiali, sed in omni alia: & ob id dicitur, horum genera: quo autem modo ista causæ sint, posterius ipse Aristoteles explicabit.

Alio autem modo forma, & exemplar.

Quid forma.

ALium modum causæ ponit, nempè formam, & exemplar, quæ est ratio, quòd quid erat esse, id est, vnde sumitur definitio rei, dicitur enim forma, vt dat esse: dicitur exemplar, quatenus agens producit effectum sibi similem in forma: dicitur ratio definitionis, quia præcipua pars definitionis, & naturæ rei forma est.

Fo-

Ponit exemplum, vt forma, diapason, est proportio dupla. & numerus & partes definitionis. Nam sicut in materia aliquid dicebatur causa materialis, & etiam ipsius genera, ita in forma: nam diapason, quod est consonantia perfectissima, habet pro forma proxima proportionem duplam, & numerum, qui superior est, & deniq; partem definitionis, vt proportionem, nam dupla proportio est. Exemplum est musicum parum ad nos attinens, dummodo res intelligatur, ac si dicas. forma hominis est animal rationale, & animal, & rationale, & horum genera: definitio enim qdditatiua, & ipsius partes locum habent formæ respectu suppositi.

Amplius vnde principium mutationis primum.

Text. XXIX.

Quid efficiens.

TErtium modum causæ ponit, nempè id, vnde est principium motus, aut quietis primum. Hoc denotat causam efficientem. ipsa enim est, quæ primo incipit operari à qua procedit motus, & quietis principium primum.

Ponit exemplum: consultor est causa eorum, quæ consilio fiunt, & pater filij faciens facti, & mutans mutati. Philop. & alij hęc duo referũt, vt sint superiora assignatarum causarum, sicut supra dixerat, horum genera: nam faciens est superius patre, & mutans superius consultore.

Sanctus Thomas melius hoc interpretatur de diuersis causis efficientibus, & licèt ipse assignet eas, tamen non videntur textui conformes.

Ob id sic dicamus, per consultorem, intellexit causas morales: per partem, causas naturales substantiæ productiuas: per faciens causas artificiales: per mutans, causas naturales alterantes: est etiam in his semper repetendum. Horum genera.

Pręterea, vt finis hic autem est id.

Quid finis.

VLtimum modum causæ ponit, id, cuius gratia aliquid fit, per quod intelligitur causa finalis, vt deambulationis finis sanitas: deambulatur enim propter sanitatem. Ostendit autem finem esse causam, quia dubium poterat esse, cùm nondum sit, vt cùm sumitur potio propter sanitatem, quæ nondum est: & dicit, quod tunc existimamur reddidisse causam, cùm finem expressimus: est ergo finis cuius gratia fit aliquid causa.

Declarat autem quorum sit finis, causa, dicens eorum omnium esse causam, quæ sunt inter primum efficiens, & ipsum finem, vt à Medico, qui est efficiẽs primus, vsq; ad sanitatem, media sunt potiones, purgationes, euacuationes, dietæ, instrumenta scindẽdi venam, & alia huiusmodi, quorum aliqua sunt operationes, vt scissio venæ, purgatio, euacuatio, alia organa, & instrumenta, quibus tales operationes exercentur, & horum omnium sanitas est finis: & idem dicendum in alijs: finis enim est causa omnium mediorum, quæ sunt ad finem.

Causæ igitur ferè tot modis.

Text. XXX.

Tria quæ insunt causis.

TRia, quæ causis his insunt ponit. Primum est: eiusdem effectus plures esse possunt causæ per se, non tamen vnius generis, sed diuersorum, vt statuæ vnius quatuor sunt causæ, materia, æs, forma ipsa, figura, efficiens statuarius, finis id, propter quod statua fit: idem euenit in rebus naturalibus. Primum.

Secundum, quædam possunt sibi inuicem esse causæ, sed non in eodem genere causæ, vt sanitas est finis deambulationis, & deambulatio est efficiens sanitatis. Idem intellige de materia, & forma, vt dicit Auer. nam forma est causa materiæ, vt ipsam perficit, materia etiam est causa formæ, vt ipsam sustentat, & recipit. Secundũ.

Tertium. Eadem potest esse causa contrariorum per se, sed vnius positiua, alterius priuatiua, sicut nauta sua præsentia est causa conseruationis nauis, absentia autem submersionis. Tertium.

Hoc exemplum intellige non in vniuersum, sed tunc dicitur causa submersionis, quando, si ipse esset præsens, nõ submergeretur nauis: tunc conseruationis, cùm, nisi esset præsens, non conseruaretur: Nota primo.

potest enim aliquando esse causa per accidens horum. Intellige etiam, quod est causa suo genere, non tamen totalis, nam etiam venti, & aquæ sunt pariter causa illorum effectuum.

Nota secundo.

Potest aliud exemplum huius assignari: nempè Sol, qui sua præsentia in nostro hemisphærio facit diem, sua absentia noctem, & vtrumque per se facit.

Omnes autem nunc dictę causę.

Tex. XXXI.

Nota. Oẽs causę reducũtur ad quatuor genera.

HVcusq; causarum varia posuit exempla, & alia etiam occurrunt præter illa, propter quæ forsan aliquis existimasset, plura esse causarum genera. Hoc remouet Aristoteles docẽs, ad quatuor causarum genera prædictas omnes causas reduci, præsertim cùm hucusque nondum declarauerit Aristoteles, quot sint causę, sed tãtum eas enumerauerit, vt dicit Auer. Ad materialem causam reducit omnia ista, elementa syllabarum respectu, materiam factibilium, ignem, & reliqua elementa mixtorum corporum, partes totius, præmissas conclusionis: in quibus triplicem indicat materiam, vt notant Themist. & Alexand.

Materia alterationis cõpositionis, & vtriusq; simul.

Est enim materia alterationis, materia compositionis, & alterationis simul: materia alterationis est id, ex quo corrupto, aut alterato fit aliquid, vt ex pane sanguis: compositionis est ea materia, quæ componit aliquid, nulla in ea mutatione existente, vt literæ sunt materiæ compositionis syllabæ: Compositionis, & alterationis simul est, cùm multa componunt aliquid, sed corrupta, aut alterata, vt elementa faciunt mixtum, & acetum, ac mel componunt oximel. Has materias indicant ista exempla.

Materia cõpositionis varia.

Per elementa, & partes syllabarum, & totius intelligitur materia compositionis, quia non est vnius rationis compositio in compositis, aliqua enim solũ aggregatione componuntur, vt cumulus, alia colligatione, vt manipulus, alia conglutinatione, alia ordinatione, & omnia intelliguntur sub materia compositionis, ob id duobus exemplis explicantur. Vide 8. Meta. cap. 1. per materiam factibilium intelligitur materia alterationis, & per præmissas conclusionis, per elementa verò materia compositionis, & alterationis simul.

Dubium primum. Solutio. Tria sunt materię alterationis genera.

Dubitabis, quæ materia sit illa prima l. secunda substantialis, de qua locuti sumus? Themist. vult esse alterationis solùm respectu formæ, & bene dicit. Sed aduerte esse tres materias alterationis: Prima est, quæ per alterationem aliquam in se facit aliquid, & talis est materia ista prima, nam non generatur quicquam ex ea, nisi amittat priuationem, & etiam alia ab ea expellatur forma: partim enim dicebatur corruptibilis. Alia est, ex qua fit aliquid, sed per corruptionem sui, vt ex pane fit sanguis, tamen forma panis destructa. Tertia est, ex qua fit aliquid, facta prius in ea aliqua mutatione, vt ex ęre fit statua, æs autem prius mutationem, nẽpè partium aliquam subtractionem. l. decisionem suscipit: omnes igitur hæ materiæ alterationis dicuntur, sed non eodem modo.

Dubiũ. 2. Solutio.

Vlterius dubitabis, quomodo dicitur materia id quod corrumpitur, vt patet de pane, & elementis: non enim permanẽt. Dico, quòd manet quidem, nõ tamen secundum se tota, sed secundum sui partem, puta materiam, & secundũ virtutes, ac proprietates aliquot, vt in mixto manent materiæ elementorum, & virtutes ipsorum, puta qualitates: & hoc sat est, vt materia dici possint.

Dubiũ 3. Solutio.

Vlterius dubitabis, quomodo hic partes dicãtur materia, cùm superius tex. 28. dictæ sunt forma. Auer. vult illud de partibus definitionis esse intelligendũ, quæ forma sunt, hoc verò de partibus integrãtibus. S. Tho. autẽ melius, etiã de partibus definitionis vult hoc intelligi, & distinguit benè partes definitionis, si enim ad ipsum definitũ cõparentur, formæ locum habẽt: si verò ad ipsam definitionẽ, cuius partes sunt, rationem habent materiæ, & tota definitio est, vt forma.

Dubiũ 4. Solutio.

Sed tunc quæres quomodo definitio, quæ datur per materiam, & formam, possit hoc habere: non enim partes definitionis erunt definiti forma, sed vna tãtùm. Respondet S. Tho. quòd materia, & forma in communi, vt sunt de natura hominis, & compositi, habẽt rationem formæ respe-

respectu ipsius suppositi, quamuis vna respectu alterius partis sit materia, vndè humanitatem dicimus formam hominis, & tamen humanitas dicit materiam, & formam. Sed hoc postea magis declarabitur.

Dubiũ. 5. Vlterius dubitabis, quomodo præmissæ dicantur materia conclusionis. Respondet S. Thom. quia extremitates præmissarum componunt conclusionẽ. Melius respondet Simpl. quòd si totum syllogismum consideremus, tunc præmissæ sunt, vt materia conclusio, vt forma: quia conclusio determinat, & perficit syllogismum. Hoc etiam recipit Auer. dicens, præmissas esse, vt potentiam, conclusionem, vt actum.

Harum autem aliæ quidem sunt.

A Lex. & Philop. ista verba legenda esse censent à principio textus, vt cùm dixisset, quatuor esse modos causarum: sequatur, harũ quædam sunt, vt subiectum, & materia: At Simpli. non recipit hoc, & magis ad literã dicit, quòd in exemplis propositis non solùm materia, sed etiam forma continebatur, vt puta syllaba, & elementa, totum, partes, præmissæ, conclusio: ob id dicit, horum enumeratorum quædam esse materiam, vt omnes partes respectu totius, quædam esse quod quid, id est, formam.

Nota, forma triplex, Alterationis, & Cõpositionis & vtriusque simul. Et nota, quòd formam triplici nomine explicat: dicit enim totum compositionem, speciem, vt notet tres modos formarum correspondentes tribus materijs, vt notant Themist. & Alexã. & Auer. Est enim forma alterationis, quæ est forma respectu alterius partis materiæ, & hæc dicitur species. Est forma compositionis respondens materiæ compositionis, vt forma domus est talis compositio, similiter forma cumuli, forma manipuli, talis colligatio, & hæ formæ dicuntur compositio. Est forma compositionis, & alterationis, vt forma oximelis, forma mixtorum, quæ 8. Meta. dicitur ab Aristotele mixtio, & hæc dicitur totum, quamuis totum sit vocabulum commune includens etiam compositionem, huic tamen modo appropriatur.

Semen autem, & Medicus.

CONstituit modò causam efficientem, ad quam reducit ea omnia, vndè incipit motus, vt semen, Medicus, consultor, & ipsum faciens omnia. Vbi nota, per semen intelligi causas instrumentales, per faciens omnia, intelligi efficientes principales. Plato enim separabat nouũ genus causę instrumẽtalis: Aristoteles verò ad efficientẽ causam reducit, & instrumẽtalem, & principalem, sicut causam exemplarem etiam reducit ad ipsam formalem: vndè in numero causarum quantum ad rem cum Platone conuenit.

Alię autem, vt finis, & bonum aliorum.

QVartum genus causæ ponit, nempè finem, cuius gratia aliquid fit, & est bonum aliorum, quæ ad ipsum ordinantur, quia id, quod mouet ad operandum, & est finis, semper habet rationem boni, quamuis non semper veri, sed aliquando apparentis, præsertim in animalibus, & homine, quæ mouentur ad operandum semper propter bonum, sed illud bonum non semper verum est, vt patet, nam in naturali appetitu finis semper bonum verum est: in animali, & rationali non semper, hoc dicit benè Albertus hic, vtrobique tamen finis bonum quid est, vt finis est. Ex his concludit quatuor esse causarum genera, ad quæ omnes causæ reducuntur.

Causæ igitur tales, & tot sunt. Tex. XXXII.

VNamquamq; causam. l. genus causæ in plures diuidit differentias, quæ quamuis sint numero multæ, tamen redactæ ad summam, & ad communia membra, sunt pauciores. Dupliciter igitur vnumquodq; genus causæ diuiditur: primò, quædam est causa prior, id est, vniuersalior: quædam posterior, & particularior, vt si in efficienti dicas, Medicus sanat, est causa posterior: item artifex sanat, est vniuersalior, & prior: adhuc agens sanat, vniuersalior. Denique superiora causarum cuiusque generis dicũtur etiam causę in illo genere priores, quod

Varia differentia causarum.

Prima diuisio causarum.

quod suprà dictum est, & horum genera. Similiter ex parte formæ, vt diapason, forma est, & proportio, & numerus: in fine similiter, studeo propter scientiam, & scientia est habitus, & bonum etiam studeo propter habitum, & propter bonum. Item fit statua ex ære, ex metallo, ex corpore, hæ superiores causæ dicũntur priores particulares posteriores in quolibet genere.

Amplius autem, vt accidens. Tex. XXXIII.

Secunda diuisio causarũ. SEcunda diuisio est. Causarum, quædam per se, quædam per accidẽs. Per se, quæ ad effectum, vt tales sunt, cõcurrunt, vt statuarius causa est per se statuæ, quia vt talis est, causa est statuæ; per accidens, est id quod coniunctum est cũ causa per se, licet secundum se non operetur, vt Polycletus est per accidens, causa statuæ, quia accidit, quòd Polycletus sit statuarius.

Nota. Et nota, quòd ista causa per accidens, aut est causa ipsum subiectũ per se, vt Polycletus, aut id, quod in eodem subiecto est cum causa per se, vt si Polycletus est albus, & Musicus, dummodo statuarius, tunc albus est causa statuæ, & Musicus causa statuæ, per accidens tamen, quamuis inter has per accidens magis accedat Musicus ad causam per se, quia Musica est in eodem subiecto, in quo est ars statuaria, quæ est causa per se, puta in anima: albedo enim est in corpore. Est igitur causa per se, & per accidens, & inter has quædam vniuersalis, quædam particularis, vt per accidens particularis est Polycletus, vniuersalis homo, vniuersalior animal, viuens: similiter Musicus habituatus, qualis: idem in causis per se, vt statuarius, artifex, sciens. Hoc idem intellige in omni alio genere causæ, & habebis magnum causarum numerum.

Præter omnes autem, & propriè distas. Tex. XXXIIII.

Tertia diuisio. TErtia diuisio est: Quædã sunt causæ in potentia, quædam in actu: dicuntur causæ in actu operantes: dicuntur in potentia, quæ possunt operari, quamuis actu non operentur, vt ædificans causa operans, ædificator causa in potentia. Hoc intellige in quocunque genere, & in quacunque causa prædicta, tam per se, quàm per accidens, vniuersali, quàm particulari, vt facile est ad exempla reducere.

Perinde autem dicetur. Tex. XXXV.

HAs tres distinctiones ex parte effectuum posse assignari docet: est enim effectus singularis, & vniuersalis, vt hic statuarius facit hanc statuam, & imaginem: similiter per se, & per accidens, vt qui facit statuã, si accidat, quòd sit alba magna, calida, facit hæc per accidens. Idem in alijs differentijs intellige, & diligens auditor philosophiæ omnes hos modos ordine, & exemplo conabitur distinguere, quod vt est facilimum, ita est vtilissimum pro multis, quæ in scientijs, & extra scientias occurrunt.

Nota, effectus ipsi easdẽ differentias habent.

Amplius autem connexæ. Tex. XXXVI.

QVarta diuisio est. Causarum, quędã sunt simplices, quales sunt per accidens, & per se, singulæ secundum se sumptæ. Connexæ, quales cõiunctæ ex per se, & per accidens, vt Polycletus statuarius est causa statuæ. Has omnes causas ad duodecim modos reducit, sunt enim hæ diuisiones tres, quæ faciunt sex modos causarum, nempè vniuersalis, particularis, per se, per accidens, connexa, simplex. Quælibet autem ex his diuiditur in causam potentiæ, & causam actu. Fient itaque duodecim, nempè vniuersalis actu, vniuersalis potentia, particularis actu, particularis potentia, per se actu, per se potentia, per accidens actu, per accidens potentia, simplex actu, simplex potentia, connexa actu, connexa potentia: & hoc in quolibet genere causæ. Vide magnam multitudinem causarum breuissimis verbis expressam.

Quarta diuisio.

Differunt autem tantum. Tex. XXXVII.

DIscrimen vnum assignat inter has causas actu, & potētia, quōd causæ actu, & singulares simul sunt cum effectu, vt si hic ignis comburit, hoc comburitur, si hic ædificat, hoc ædificatur: & hoc etiam intellige in vniuersalibus, vt benè dixit Themi. quicquid alij dicant, vt si ædificans est, ædificium fit. At causę in potentia non sunt simul cum effectu, non enim ædificator, & domus simul sunt, potest enim vnum absque altero esse.

Nota. Et nota cū Simpl. quōd effectum vocat id, non quod potest esse, sed quod est iā factum, atq; extra operationem agentis cōsistit, & sic tolletur cōtradictio. Postea enim dicet, quōd causa in potētia est cum effectu in potētia, tunc enim sumitur pro eo, qui potest esse, & tūc si domificator est, domus esse potest, & ēcontra.

Oportet autem semper causam.

Tex. XXXVIII.

Tria theoremata causarū. Primum. Nota. TRia theoremata ponit circa causas prædictas. Primū, vt effectus ,ppositi semper quæram⁹ cām summā. Causa aūt summa, vt notat Themist. debet habere tria. Primò, vt sit per se, nā effectus propositi non est reddenda causa per accidens. Secundò, vt sit propria, non vniuersalis, nō enim dices; Medicus sanat: quia agēs, aut quia artifex. Tertiò, vt sit immediata.i. vt non habeat vllam supra se propriam, sed ipsa sit aliarū causa, vt si dicas, sanat, quia Medicus, est Medicus, quia artem Medicinæ tenet, hæc est summa causa, & huiusmodi causæ in quoque causæ genere quærendæ sunt à Philosopho, reliquæ enim sciētiam non faciunt perfectam.

Secundū. Alterum theorema est. Effectus communis causa est danda communis, & particularis causa est reddenda particularis, vt statuarius est causa statuæ, hic statuarius huius statuæ, & artifex artificij.

Tertium. Tertiū theorema est. Causę in actu ad effectum in actu, & causæ in potentia ad effectus possibilitatem est referenda, vt si domificans est, domus fit, & si domificator est, domus esse potest. Hæc de causis. At oportet, multa ex his examinare: Causarū enim cognitio omni artifici, prēsertim naturali, vtilissima, & necessaria est.

An tantùm sint quatuor genera causarum. Quæstio VII.

Argumenta in oppositū. QVia in primo libro de materia, & forma diximus satis, nūc de efficienti, & fine in particulari disserere oportet, si prius tamen in communi aliqua circa singulas causas tractemus. Est igitur primum argumentum contra numerum causarū præfixum ab Aristotele.

Primum argū. Calor ignis, serra artificis, & similia causæ sunt, tamen non videntur esse alicui⁹ generis ex his: ergo nō est numerus sufficiens. Probatur minor: nam maximè essent causæ efficientes, hoc autem esse non potest: nam efficiens est, vnde primò incipit motus: sed motus non à calore, sed ab igne, non ab ascia.l. serra, sed ab artifice incipit: non igitur sunt efficientes causæ.

Et vlterius: imago ad cuius similitudinem artifex facit imaginem aliā, causa est, nec videtur vlla ex his, cùm nō sit efficiens: nō enim illa operatur: nec formalis, cùm non det esse artifici, sicut albedo dat esse albo, nec vlla ex alijs: non ergo sunt quatuor solùm genera causarum.

Secundū. Secundò. Materia nullius est actuitatis, nihilque agit: non ergo est inter causas annumeranda: causa enim videtur aliquid agere.

Tertium. Tertiò. Forma nullum esse dat, ergo non est causa: probatur antecedens, quia non dat esse composito, accipit enim ab eo esse, cùm ad ipsius productionem forma fit: nec dat esse materiæ, cùm prior sit materia, & ex ipsa fiat quodammodo forma.

Quartum. Quartò. Sol, Deus, Angeli videntur causæ, & non sicut ignis, homo, leo, quia hæc producunt sibi similia, non autem illa: ergo est nouum aliud genus causæ ponendum.

Quintū. Quintò. Finis non est causa posteriorum se: quia ipse est vltimum non habens posterius, nec est causa priorum se, cùm nihil sit causa eorum, quæ ante ipsum habent esse: non ergo finis est causa.

Primum fundamētum. Sit primum fundamentum. Quid causa sit, Aristoteles non docuit, contentus definitionibus singulorum generum, sic enim facit in his communibus, præsertim cùm

Causę definitio secundum Proclum. tim cùm in ipsis analogia quædam est, & definitur à Proculo libro de causis. Causa est, ad cuius esse sequitur aliud. Vbi nota, quod sequitur, non dicit consecutionem logicam antecedentis, & consequentis, sed processum, & emanationem realem, vt sit id casua, quod influit, & à quo aliud emanat. Aduerte etiam, quōd dicitur, aliud, vt intelligas, effectum habere aliud esse ab ipsa causa, & aliam entitatem: & dicitur etiam, ad cuius esse, vt denotetur, causam eam esse, quod suo esse, & virtute propria habet hoc, vt ex ipsa aliquo modo emanet aliud.

Nota opiniones circa numerum causarum. At circa causarū numerum variæ fuerunt sententiæ, nam Antiqui ante Aristotelem, & Platonem nō cognouerunt nisi materiam: de forma substantiali nil dixerunt: finem, & efficientem abstulerūt, dicentes nil de nouo generari. Aliqui parum de efficienti cognouerunt, nā Anaxagoras mentem, Empedocles litem, & amicitiā posuit: sed non posuerunt hæc semper efficere, sed à principio, cùm separatum fuit chaos: Plato verò sex causas posuit naturales, præter quatuor enim ab Aristotele recitatas, addidit exemplarem, & instrumentalem.

Nota, quō posuerit Arist. cām exēplarem. Aristoteles verò tantùm quatuor causas recipit in generatione rerum naturalium. Dico in generatione rerum naturalium; nam in artificialibus non negat exemplarem esse causam, sed hoc discrimen constituit inter naturalia, & artificialia, quōd quæ secundum artem agunt, vltra habitum artis sibi proponunt aliquod Idolum, & imaginem, cuius imitatione operentur: at naturalia nō habent præter suas particulares formas aliquod aliud exēplar. Plato n. cōstituebat ideam omnium exemplarem causam: & hoc benè notauit Philopo. in præsenti: non ergo reijcit absolutè Aristot. exemplares causas, sed à generatione naturaliū; formas autem ipsas particulares exemplaria vocat.

Dubium de causa exēplari. Solutio. Dices, cùm ignis producit ignem, vtra forma exemplar dicitur, ignis producti, an ignis producentis? Simpl. vult, formam ignis producti esse exemplar: quia ipsa est, quam agens producere intendit, ac sibi assimilari. Alex. & Philop. formas producentes magis dici exemplares docent: quia agentia ad ipsarum similitudinem producunt effectus: exemplar autem antecedit id, cuius est exemplar.

Nec intelligas; quōd ipsa agentia cognoscant suas formas, & cognoscendo eas operentur: non enim cognitione hoc fit, sed natur aliter in forma sibi similantur effectus, ob id tales formæ exemplaria dicuntur.

Causam autem instrumentalem noluit Aristoteles distinguere ab alijs, cum non proprio motu, sed vt ab alio regitur, operetur.

Causæ quatuor secundū Arist. Sunt igitur, secundum Aristotelē, causæ quatuor ad generationem naturalem cōuenientes: id, ex quo fit aliqd, hoc est materia, id, per quod fit aliquid, id est, forma: id à quo fit, id est efficiens: id propter quod fit, idque est finis.

Secundū fundamētum. Nota de ordine causarum inter se. Primò. Sit secundum fundamentum de ordine harum quatuor causarum. Notat Albertus tract.2.cap.5. & benè, quadruplicitер posse has causas considerari, nempè aut secundum effectum, aut secundū intensionem, aut secundum esse, aut secundum rationem agendi: primò, si secundum effectum ipsum considerentur, prima omnium est materia, quę est quidem de substantia ipsius, & in qua recipitur motus, quo fit effectus: secundum locum tenet forma, hæc enim etiam est ipsius pars effectus, & terminat materiæ motum: tertium locum obtinet efficiens, est enim extra effectus substantiam, tamen est principium motus, quo fit effectus: vltimum locum finis habet, qui motus est extremum vltimum.

Secundò. At si secūdò causæ cōsiderentur: quo ad motionem, & intentionem operandi, tunc fit præposterus ordo, primū locum obtinet finis, hic enim ante omnia mouet efficientē ad operandum: secundum locum obtinet efficiens causa, quæ à fine mouetur: tertium forma, nā secundum hanc materia mouetur, & perficitur: vltimum materia, quæ perficitur. Ex his duobus ordinibus priorē obseruauit Aristoteles in textu, cōsiderauit enim causas ex parte effectus.

Tertiò. At si tertiò, secundum esse considerē tur, tunc prima est efficiens causa, hæc enim est, quæ antecedit, & materiam disponit, & aptam facit formæ: secundum

locũ habet materia: tertium forma, quæ ex potentia materiæ habet esse: vltimum finis, qui quantum ad exequutionem vltimò habet esse.

Quartò.

Tandem quartò, si ratio agendi consideretur, prima causa est forma, ipsa enim est, secundum quam actio est: secunda est efficiens, quæ per formam operatur: tertia finis, qui cum forma in specie conuenit. vltima est materia, quæ nihil agit, sed solùm recipit. Vide igitur, quomodo non idem sit causarum ordo.

Tertiũ fũdamentũ. De causa materiali.

Sit tertium fundamentum de materia, hic non de materia, in qua est sermo, quale est subiectum respectu accidentiũ, nec de materia, circa quam, quale id, erga quod scientia versatur, sed de materia, ex qua fit aliquod totum, siue naturale, siue artificiale: materia autem dicitur causa, non quia quicquam agat, modus enim causandi ipsius non est quicquam agere, sed esse id, ex quo agens aliquid agit: vnde esse materialem causam, est cõcurrere, tanquã id, ex cuius potentia passiua aliquid fit, aliquid producitur.

Diuisio materiæ.

Hæc materia potest diuidi iuxta tota ipsa, & composita, quæ fiunt ex ea, vt quædam dicatur substantialis, ex qua totum fit substantiale, & per se, quædam accidentalis, ex qua totum aliquod per accidens fit. Substantialis materia multiplex est, quædam simplex, quædam cõposita. Simplex est, quæ non recipit formam, quin præcesserit ipsa materia sub diuersis specie formis, sicut materia elementi, puta ignis, aquæ, terræ, aeris, horum enim materiæ primę immediatè respiciunt formas eorum. Materia composita est, quæ est congregata ex diuersis materijs diuersarum specierum, vt materia mixtorum, hæc enim est congregata ex materijs elementorum, non quod maneant diuersæ materiæ, sed fit vna ex illis pluribus: vnde ex simplici materia non fit lapis, plantæ, aut aliud mixtum.

Hæc materia composita est triplex: Quædam congregata solùm ex diuersis materijs simplicium corporum, puta elementorum, vt lapis, ferrum, argentum, quæ ex elementis immediatè conficiuntur: Quædam verò est congregata ex diuersis materijs etiam aliorum mixtorũ, vt tiriaca, pharmaca, electuaria, quæ ex diuersorum mixtorum materijs in vnam conuenientibus conficiuntur: tertia materia plantarum, & animalium, quæ petit etiam compositionem organorum, & instrumentorum ad suas operationes obeundas.

Ex quibus sequitur, quòd materia prima nõ habet ordinem immediatum ad omnes formas, aliter enim ex quolibet fieret quodlibet: sed primò ad elementorum formas, posteà ad mixtorum, & aliorum formas ordinatur, hoc autem est propter dispositiones varias, quas diuersæ formę in materia petunt, quas materia vna nõ habet, nisi ex diuersis rebus fit congregata.

Diuisio materiæ accidentalis.

Vt autem ad materiam accidentalem accedamus. Quædam est simplex, quæ est vnius speciei, vt ex auro annulus, ex ligno statua: & non multæ materiæ ad cõpositum conueniunt. Quædam est composita, cùm plures materiæ conueniunt ad componendum aliquid, siue per aggregationem, vt in cumulo, siue per colligationem, vt in manipulo, siue per affixionem, vt in archa, quæ clauo partes habet affixas, siue per cõglutinationem, vt in libro, siue per aliq̃ alterationẽ, vt in luto, siue per aliquam partium ordinationem, vt in dictione literæ conueniũt, siue per partium ordinationem, & situ, vt in domo. Omnes hæ materiæ compositæ dicuntur, sed accidentales: quia huiusmodi tota sunt per accidens.

Quartum fundamẽtum de causa formali.

Sit quartum fundamentum de causa formali. Forma non aliud est, quàm id, quod subiectum, aut materiam determinat ad aliquod esse, siue substantiale, siue accidentale, vt superius diximus: vnde modus causandi formæ iste est, se ipsa aliquid determinare, & determinando componere totum aliquod. Forma enim duo habet, & compositum facere determinãdo materiam, & respectu huius dicitur causa formalis: & similem aliquando formam producere, & respectu huius est efficiens causa.

Diuisiões formarũ. Prima.

Hæc forma diuidi primò potest in substantialem, & in accidentalem secundũ naturam, & accidentalem secundum artem: voco accidentalem secundum naturam omnia accidentia, quæ ab arte sola,

te sola, non proueniunt, & est diuisio hęc nota.

Secunda.

Secunda diuisio est in formam partis, & formam totius. Forma partis est cuiuslibet compositi altera pars, quæ alteram determinat, vt anima respectu corporis, & forma respectu materiæ, & accidẽs respectu subiecti. Forma totius est natura rei respectu suppositi habentis naturam, vt natura humana respectu suppositorũ, & tales formæ significantur per nomina abstracta, vt humanitas, animalitas.

Nota

Et aduerte, quòd etiam huiusmodi formæ potius inueniuntur in totis per accidens, vt albedinitas respectu albi, & vt ita loquar, statuitas respectu statuæ. Differũt autem hæ formæ totius à formis partis: Nam formæ partis dicunt vnam rei partem, vt anima vnam partem hominis, albedo vnam partem albi, figura vnam partem statuæ. At formę totius dicunt integram naturam rei, quæ locum habet formæ respectu habentis naturam, vt humanitas dicit naturam constantem ex anima, & corpore, respectu suppositi habentis naturam, & sic in alijs totis.

Tertia.

Tertia est subdiuisio formæ accidentalis partiũ, quædam sunt simplices, quædam compositæ, & per accidentales intelligo, & quæ sunt secundum naturam, & quæ secundum artem. Simplices, quæ partes habent eiusdem rationis, vt albedo, nigredo, color. Compositæ, quę partes habent diuersæ rationis, vt figura, domus, figura statuæ, effigies viuentium, & animalium.

Quarta.

Quarta est subdiuisio formæ partis substantialis. Diuiditur enim in sex gradus, sic quædam formæ sunt, quæ immediatum ordinem habent ad materiã primam, quales formæ elementorum, quæ sunt infimæ omnium: quædam quę consequuntur formas elementorum, vt mixta imperfecta, lapides, niues, & similia: quædam, quæ consequuntur mixta alia, vt formæ pharmacorũ, & similium: quędam formæ viuentium, vt plantarum, & hæ excedunt pręcedentes, quòd sunt actiua principia motus: quædam sunt ad hũc superiores, quę cognitionem faciũt, quales formæ animalium.

Nota.

In supremo gradu est forma rationalis, quæ est quidem corporis forma, vt reliquæ, tamen simul cum corpore nõ habet suam operationem propriã, nẽpè intelligere: operationes enim aliarũ omniũ formarum nõ sunt in ipsis tãtùm, sed in compositis: & intelligere in sola est anima. & inde ꝓuenit ei immortalitas, quod enim extra materiam operari potest, est immortale: dixi autem operationẽ propriam, nam communes, puta sentire, vegetare, mouere simul habet cum corpore, vt patet de somno, & vigilia cap. 2.

Quintũ. fundamẽtũ de efficiẽti & fine.

Sit quintum fundamentum de efficiẽti. Est enim efficiens id, à quo est principium primum motus: vbi aduerte, esse motum intentionis, & executionis: motus intentionis est, secundum quem aliquid ab aliquo secundum appetitum, aut voluntatem mouetur ad aliquid faciendum, & istius motus principium à fine est: motus verò executionis est ille, secũdum quem agimus. l. facimus aliquid, ille enim alius est motio passiua appetitus, & voluntatis à fine, vt dicemus postea: & quantum ad motum hunc executionis efficiens est, quod primum excitare incipit hunc motum.

Duplex motus, Intẽtionis & Executionis.

Diuisiões efficiẽtis.

Et quamuis multipliciter diuidi posset efficiens, tamẽ sufficiet, aliquot principales attingere diuisiones. Prima est. Efficientium causarum, vna est vniuersalis, altera particularis: vniuersalis est, quæ plures effectus specie differentes producit, sicut sol, cæli, intelligentiæ cælorum motrices, gloriosus Deus. Particularis est, quæ vnius speciei effectum principalem producit, vt ignis ignem, homo hominem. Vniuersalis causa dicitur æquiuoca, quia effectus sibi dissimiles producit: sol enim non producit soles, nec cæli cælos. Causa particularis vniuoca dicitur, quia frequentius effectus similes sibi in specie producit.

Item particulares causæ dicuntur secundæ, vniuersales primæ, & inter vniuersales vniuersalissima, gloriosus Deus prima absolutè dicitur. Item effectus causarum particularium dependent ab eis quantum ad fieri, tamen postquàm facti sunt, non amplius depẽdent in esse, cum sunt eiusdem speciei cum causis: at respectu vniuersalium dependent in esse, & conseruari: motus enim solis, & calor conseruant corruptibilia, ne postquàm facta

facta sunt, pereant, & multò magis omnia in vniuersum ab omnipotenti DEI manu semper dependent, quæ si cessaret tantum ab ista conseruatione omnia in nihilum redigerentur, citiùs, quàm lumen petit extincta lucerna.

Secunda. Nota. Causas alias essentialiter, alias accidẽtaliter subordinatas

Secunda diuisio est causarum pluriũ. Quædam sunt accidentaliter subordinatæ, quædam verò essentialiter: illæ dicũtur accidentaliter subordinatæ, quarum vna absque altera potest operari, vt pater & filius sunt accidentaliter subordinatæ, nam licet filius à patre dependet, tamen mortuo patre, etiam potest per se generare. Illæ verò dicuntur essentialiter subordinatæ, quarum neutra absque altera operari valet, vt causæ particulares cum vniuersalibus, nõ enim particulares suos valent effectus producere sine vniuersalibus, nec è contra, leo enim sine sole, nec sol sine leone producit leonem: & gloriosus Deus, licet per se omnia solus facere possit, tamen dum naturaliter, & non miraculosè operatur, vult concurrere cum his particularibus causis ad producendos suos particulares effectus, nec eis deficit.

Tertia. Causę, Mediatę, & Immediatæ.

Tertia distinctio est: Quædam est causa mediata: quædam immediata: Mediata est, quæ non sua virtute proximè attingit effectum, sed media alia causa, vt Medicus est causa sanitatis mediata: non enim se ipso, sed per medicamenta sanitatem attingit. Immediata verò est, quæ seipsa attingit, vt ignis immediata est causa calefaciendi lignum.

Quarta. Causa, totalis, & partialis.

Quarta diuisio: quædam est totalis, quædam partialis: Totalis est illa, quæ in suo genere, & modo potest per se producere effectum, vt ignis est causa totalis producendi ignem, quia non indiget alio efficienti particulari ad producendum ignem: vndè licet indigeat materia, & forma, & causis vniuersalibus ad producendum ignem, adhuc dicitur causa totalis: quia illæ causæ non sunt eiusdem generis, & modi: similiter etiam si duo ignes concurrerent, quando vterque per se sufficeret producere effectum, adhuc essent causæ totales.

Causa partialis est ea, quę per se non potest effectum producere, nisi conueniat alia causa eiusdem rationis simul, vt duo homines ad portandum pondus, quod neuter per se portare sufficeret.

Quinta. Causa principalis & instrumentalis.

Quinta diuisio. Quædam est causa principalis, quædam instrumẽtalis. Principalis est, quæ motu proprio, & virtute operatur, vt ignis, leo, homo. Instrumentalis est, quæ mota ab alio, & alterius virtute operatur, vt calor ignis.

Sexta. Instrumentorũ, alitrũ coniunctũ, alterũ separatũ.

Vltima subdiuisio est. Instrumentorum, quoddam est coniunctum, quoddã separatum. Coniunctum est, quod mouerì non potest, nisi actu moueatur à causa principali, vt calamus ad scribendum, calor, qui est in igne, ad calefaciendum. Separatum est, quod quamuis alterius operetur virtute, tamen potest absque illius præsentia operari, vt virtus seminis productiua, & calor in aqua ab igne productus, qui etiam ab igne separatus calefacit, & huiusmodi alia. Possent aliæ diuisiones fieri, sed hæ sufficiant.

Cõclusio q̃stionis.

His suppositis fundamentis, ad quæstionem patet solutio, ad generationem rerum naturalium sufficere causas has quatuor, vt dictum est, nam ideæ non sunt, & instrumenta ad efficiens reducuntur.

Ad primũ.

Ad argumenta solutio est facilis. Ad primum dicitur, quòd calor, & instrumẽta, cùm non nisi virtute aliorum operentur, non sunt distinctæ causæ ab ipsis, quorum instrumenta sunt, præsertim de coniunctis, vndè ego dicor scribere, non calamus, quamuis calamo scribam, & ignis calefacere, quamuis per calorem: instrumenta autem separata inter efficientes possunt computari.

Ad 2. & 3.

Ad illud autem de idolo admittimus quidem in arte, sed in naturalibus non est ab ipsa forma agentis distinctum.

Ad secundum, & tertium, est eadem, concedimus materiam nõ agere, non tamẽ omnis causa agit, sed modus causandi materiæ est passiue concurrere ad rei productionem, ita similiter forma in genere causæ formalis non agit efficienter, sed materiam determinat, & quamuis illud esse à materia recipiat, adhuc tamen ei dat esse, nam ipsa producta materiam perficit, & ens absolutum, ac completum constituit.

Ad 4.

Ad quartum dicitur quòd sat fuit causam efficientem attigisse, quæ vniuersalem,

lem, & particularem tanquàm species complectitur. Arist. autem genera earum dicit esse quatuor, non species.

Ad quintum.

Ad quintum solutio patet, finis est primum omnium in intentione, licet in executione sit vltimum, de hoc tamẽ magis post dicemus, & hoc sufficiat in communi de his causis.

An causæ particulares aliquid efficiant. Quæst. VIII.

Sensus q̃stionis.

QVæstionis sensus satis est notus: petitur enim, an istæ causæ particulares, puta ignis, homo, leo, & similes habeant virtutem in se, qua possint producere sibi similes substantias, an verò nõ sic, sed quòd effectus à talibus proueniente causis sint facti ab alia superiori causa, non autem ab ipsis: in qua difficultate multæ sunt sententiæ.

Prima sententia. Arab. quorũdã, & Gabriel

Fuit enim sententia quorundam Arabum, quorum meminit Auer. 9. Metaph. Com. 7. & dispu. 3. c. 18. qui dicebant causas has inferiores nihil operari, sed Deum solùm ad ipsarum præsentiam effectus facere, vndè solus Deus ad præsentiam ignis comburit, ad præsentiam cuiusque alterius agentis operatur. ipsæ particulares causæ solùm se habent: vt signa actionis diuinæ.

Primũ fũdamẽtũ.

Hoc recepit inter Theologos Gab. 4. sent. distin. 1. quæst. 1. contra quam sentẽtiam disputat S. Thomas 2. contra gen. cap. 69. & qq. de potentia, quæst. 3. art. 7. & 1. p. q. 105. art. 5. fundamenta Gabr. sunt duo: alterum est. Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: sed potest Deus se solo operari cuncta: ergo frustrà ponitur cooperatio causarum particularium.

Secundũ.

Alterum: si istæ causæ possent formas producere, possent errare, cùm formæ ex nihilo fiant, at creare nihil, præter Deũ, potest: non igitur hæc inferiora quicquam agunt.

2. Sẽtentia Auicen.

Secunda sententia fuit Auic. cuius meminit Auer. 7. Metaph. Com. 31. hic dixit causas particulares habere virtutem solùm disponendi materiam, qua disposita forma producebatur à causa quadam vniuersali: constituebat enim quandam vnam substantiam separatam vniuersalem, cuius erat materijs dispositis per agentia particularia substantiales inducere formas, & hanc cholchodæam, id est datricem formarum vocabat, quæ sententia fuit etiam Themist. 1. de anima, ca. 24. & 3. de anima, c. 52.

Quõ hæc sentẽtia differat à priori.

Hæc autem opinio differt à priori dupliciter. Primò: quia prior aufert omnem causalitatem à rebus: dicit enim quòd causæ particulares, nec accidens, nec substantiam producunt: at posterior, particularia agentia accidentia producere, & materiam disponere affirmat. Secundò prior causam producentem omnia dicit esse Deum. Posterior verò dicit esse quãdam intelligentiam à Deo mediatè procedentem. Fundamenta huius sententiæ in sequenti opinione proponentur, ferè enim communia sunt.

3. Sẽtẽtia.

Tertia sententia fuit Platonis, hic Ideas posuit, à quibus hi effectus particulares prouenirent, sed multò aliter quàm Auic. Nam Auic. vnam posuit omnium specierum: at Plato tot posuit, quot erãt species. Præterea Auic. dixit hanc cholchodeam formas in singulis materijs à se distinctas producere, sed se cum materijs ipsis coniungere dixit, ob id causas formales esse asserebat.

Primũ fũdamentũ Platonis.

Fundamenta Plato. erant duo, contra quæ disputat Arist. 7. Metaphysic. à text. 16. vsque ad 32.

Secũdum.

Alterum: quia nisi ideę istę vniuersales essent, nulla esset scientia, cùm particularia omnia sint corruptibilia.

Alterum, & hoc etiam est Auicen. quia vnumquodque fit à suo simili, sed videmus multos effectus, quorum nulla similis causa particularis præcessit, debent ergo referri in causam ipsam vniuersalẽ, vt patet in animalibus generatis ex putrefactione, in forma mixti ex dissimilibus elementis proueniens, in igne producto ex lapidum concussione, ex motu vehementi, & radijs solaribus, quorum omnium formæ manifestant esse causam vniuersalem, & nõ à particulari vlla procedere.

4. Sẽtẽtia Durandi.

Quarta sententia fuit Duran. 2. sen. d. 1. q. 5. qui valde opposito modo sentit, dicit causas particulares producere effectus suos nulla alia adiuuante superiori causa, ita

sa, ita vt Deus postquàm fecit rem, quãuis solum conseruet eam, sed ipsa per se solam operatur postea non cooperante Deo, & ita remouet primam causam effectiuam omnium effectuum, ac particulares tantùm causas constituit pro particularibus effectibus.

Quinta sẽtia Arist. Primũ, eidictum. Quinta sententia fuit Arist. qui tria in hoc docet. Primò, formas substantiales ipsas particulares dicit esse actiuas, & ꝓductiuas similium sibi, vt ignis, ignem, & leo leonem per suas formas actiuè producant, hoc tradit lib. 2. text. 70. vbi formas dicit esse causas finales, formales, & efficientes simul diuersis rationibus, & 2. Metaph. tex. 18. & 7. Metaph ca. 9. vnumquodq;, inquit, à suo vniuoco, id est, simili fit, vt equus ab equo, cuius causam tradit 2. de gener. animal. cap. 1. quia vnumquodq; appetit sempiternum esse, & Deo similari quantum potest. Cùm autem ista inferiora corruptibilia sint, ac indiuidua durare perpetuò non possunt, in specie similia producendo conseruare se intendunt.

2. dictum. Tradit secundò præter particularia agentia concurrere solem, & cælũ ad istos effectus producendos, vt patet tex. 26. superiori, sol, & homo generãt hominem, & lib. 1. Meteor. cap. 2. oportet mundum inferiorem continuum esse lationibus superioribus, vt inde regatur, & 2. de gen. cap. 10. motum solis causam vniuersalem ponit generationum, & corruptionum rerum.

3. dictum. Tradit etiam tertiò, præter cælos, etiam Deum, & intelligentias esse causas horum inferiorum, vnde 12. Metaph. tex. 38. loquens de isto ente separato dicit. Ab hoc principio tum cęlum, tum natura dependet, & 1. de cælo, cap. 9. ab his intelligentijs dicit esse, & viuere omnibus cõmunicari. alijs magis, alijs minus, & 2. Meteo. cap. 1. dicit eas esse omnibus alijs causas, vt sint. hæc Aristot.

Prima cõclusio. Pro huius determinatione sit prima conclusio. Auferre efficientiam ab his causis particularibus nec est sacræ doctrinæ, nec doctoribus sanctis, nec verę philosophię cõsonum. Hæc cõclusio profecto patet Gen. 1. germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructũ iuxta genus suum, vbi clarè patet, efficientia in terra, & in lignis, & arboribus. & Dama. 2. de fide, c. 9. Dedit, inquit, Deus plantis virtutem altricem, auctricẽ, & generatricem. Et Ambr. libr. 3. Examer. c. 6. & 8. Dedit, inquit, Deus terræ virtutem germinandi herbas ex semetipsa sine alterius adiutorio. Et Aug 3. de Tri. c. 3. & 4. Vocat creaturas ꝓximas causas, Deũ verò primam. Denique S. Tho. qui modestissimis verbis in reprehendendis aliorũ falsitatibus vtitur, hanc tamen opinionẽ stultã, impossibilẽ, & erroneã vocat.

1. argu. S. Thom. Est argumentum S. Tho. vnum inter multa, quę ponit, 2. contra Gen. cap. 69. Summum bonũ decet effectus suos creare omni cum perfectione, quam secundũ naturam talem habere possunt, sed multò perfectiores sunt effectus, & res naturales si operentur, quàm si non operentur, idque Deus prestare potuit, ergo prę-stitit.

2. Auerr. Alterum argumentũ est Auerr. 9. Metaph. com. 7. quia esset scientias destruere, cùm per proprias operationes essentias cuiusq; cognoscamus, quòd si tu dicas satis esse ad hoc, quod Deus cũ rebus singulis determinatas operationes facit, vt cum igne comburat, cum leone leonẽ, cum equo equum producat, dico, quòd esset hoc profectò fallere omnes homines mundi, & omnes sensus, quibus ignem igne producere experimur, & fortiores sunt istæ communes experientiæ, quàm ipsorum oppositæ rationes, vndè addit Auerr. quòd hanc habentes opinionem habent cerebrum debilitatum.

3. Tertium argumentum est ex eo, quòd sunt mõstra, defectus, & peccata in natura, quæ non essent, si solus Deus produceret, qui infiniti est vigoris, sicut peccatũ in arte nõ proueniret, si artifex ignarus nõ esset, nec posset errare: alia igitur est causa particularis præter Deum.

Secunda conclusio. Secũda cõclusio. Formæ substantiales particulariũ agentium non omnium sunt efficienter productiuæ similium medijs qualitatibus tanquàm instrumentis: Explico. Forma substantialis est actiuum principium, quo ignis simul cum calore, vt instrumento producit ignem, & similiter formæ viuentium animalium, & plãtarum per virtutes seminales, à formis actiuè productas sibi similia producunt.

Huius

1. Ratio. Huius conclusionis prior pars probatur. Agentia particularia, vt diximus in prima conclusione, sunt effectiua, nõ per materiam, quæ nullius est actiuitatis, ergo per formam. Posterior probatur: actio non prouenit, nisi mediante cõtrarietate, sed formæ substantiales secundum se non sunt contrariæ, sed secundum qualitates, ergo per illas, vt instrumenta, est actio. Item quia actio est, secundum contractum, hic autẽ non est immediatè per substantiam, sed per qualitates.

Tertia cõclu. Tertia conclusio, agentia vniuersalia, vt cæli, astra, Sol agunt, & cõcurrunt ad hos effectus inferiores, non quidem tangendo, sed producũt qualitates actiuas, quibus agẽtia particularia simul effectus particulares producunt.

1. Ratio. Vt non solus equus, & sola virtus seminis producũt rem, sed etiam calor cælestis simul, & hoc profectò patet ex corruptione, & generatione mutua ex vario cælorum motu, & astrorum influxu, quæ indicant non sola ista particularia agentia causas esse suorum effectuum, nisi adsit virtus superior simul producens.

Quarta cõclu. Quarta conclusio. Deus concurrit immediatè cum omni causa particulari ad quemcunque effectum, contra Duran. & profectò hæc conclusio ex scriptura videtur manifesta Iob. 10. Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt mẽ, & c. 38. per multa verba, & Psalm. 146. Qui producit in montibus fœnum. & Matth. 6. Si fœnum agri vestit sic Deus. & Ioan. 5. pater meus vsque modò operatur, & ego operor: sunt etiam alia innumera loca, præter etiam illa Arist. testimonia supra citata. Præterea. Proculus propriè dicit, quod causa prima influit in effectus, plusquàm causæ secundæ, & probatur pluribus rationibus.

2. Ratio. Primò, quia entitas est vniuersalissimus effectus, & ita vniuersalissimæ causæ: Vniuersalissima autẽ causa est Deus, ergo eius est proprius effectus. Item quia est primus effectus, ergo est primæ causæ effectus: igitur quicquid est entitatis in rebus fit à Deo.

Secunda. Secundò, confirmatur, quia non solũ entitas in communi conuenit rebus singulis, sed etiam de omnibus eorum prædicatis, & attributis essentialibus, & de omnibus eorum accidentibus prædicatur, nam v.g rationalitas est ens, & humanitas est ens, & animalitas est ens, quare Deus etiam intima omnia, quæ sunt in rebus singulis operatur.

Tertia. Tertio, quia oportet necessario naturã omnem dirigi ab intellectu non errante, cum ipsa non cognoscat, & nesciat quò tendat, quare necesse est, vt ad suos fines ordinetur, & in his effectibus dirigatur.

Quarta. Quartò, quia confitendum est Deum intelligere omnia, quæ fiunt, ne sit ignorans: & velle illa, ne dicam præter eius voluntatem fieri, aut contra eius volũtatem, ipso inuito, sed Deum intelligere, & velle, vt sit illud, est Deum concurrere ad agendum, tum quia Deus agit per intellectum, & voluntatem, tum quia aliàs eius voluntas esset impotens.

Quinta. Quintò. quia oportet sit vnus, qui in vniuerso orbe totum rerum ordinem constituit, vt cum omnibus concurrat ordinando.

Sexta. Sextò. item; eadem est difficultas de alijs causis vniuersalibus essentialiter ordinatis vt cælo, & intelligentijs: si ergo illa agunt cum inferioribus causis, multo magis Deus, quia Deus suspendit actionem cuiusque agentis habendo se solum negatiuè, id est, non dando auxilium: ergo signum est, quod operabatur cum eo. Explicatur antecedens, quia Deus facere potest, vt ignis non comburat tãtùm per hoc, quòd nihil cum eo facit. Præterea, quia nullo alio argumento ita forti probatur præsentia Dei in omnib9, nisi quia in omnibus immediatè operatur.

7. Ratio. At vt modum, quo Deus cum particularibus causis operetur, intelligas, aduerte quadrupliciter dici aliquid causa actionis alicuius rei.

Nota distin. ꝑ tota qõe de quadruplici modo, qũo Deus operatur. Primò. Primo, quia tribuit virtutem operandi, sicut generans dicitur moucre graue, quia tribuit grauitatem, qua mouetur: & equus generat equum, quia tribuit virtutem semini, quæ facit equum, & hoc modo Deus dicitur causa actionis rerum naturalium, quia eis virtutem, quibus operarentur, impertitus est.

Secundò. Secundo modo, aliquid est causa actionis, quia coseruat virtutem, qua aliud operatur, vt medicina, & herbæ dicuntur causa visionis, quia conseruant virtutem

Q visi-

visiuam, & hoc etiã modo Deus est causa actionis rerum, quia ipsarũ esse, & facultatem, & omnia conseruat.

Tertio. Tertiò aliquid dicitur causa actionis, quia applicat aliquid ad agendum, vt qui apponit ignẽ domui, & ipsam comburit, & sic etiam Deus est causa, quia nihil mouetur sine Deo. Præter hos modos est vnus alius quartus, quo aliquid mouet per instrumẽtum, vt artifex penicillo pingit; ex parte effectꝰ vna est operatio, at ex parte principiorum duplex est, nam instrumentum agit, artifex etiam agit, sed non separatim: non enim instrumentum sine artifice, nec artifex sine ipso instrumẽto operatur, vide igitur quomodo actio instrumenti ab artifice dependet, & effectus ab vtroq;, sed magis ab artifice.

Quarto. Sic te oportet eleuare mentẽ, & intelligere de Deo glorioso, qui cum his causis sic operatur, vt simul & ipsæ operentur, sed à Deo motę, & directę, sicut instrumẽtum ab artifice. Et quemadmodum artifex non eodem instrumẽto omnia facit, sed ꝓ diuersitate effectuũ accõmodatis vtitur instrumentis, ita Deus non idem omnibus causis facit, sed diuersis diuersa, & cõcurrit cũ ipsis iuxta ipsarum naturam cum liberis liberè, cum necessarijs necessariò, cum debilibus debiliter, cum fortibus fortiter, pro sua suauissima dispositione vniuersali operando.

Nota differẽtiã inter Deũ & artificẽ in operando. Est aũt vnum notandum, ꝓ differt inter modum concurrendi Dei cum causis naturalibus, & artificis cum instrumẽto, dupliciter. Primò, artifex non assimilat effectũ instrumẽto, sed arti, & idolo, quod habet in mente: At Deus effectum similat in specie non tibi, sed causæ particulari, vt cum igne producit ignem, cũ leone leonem. Secundò artifex non tangit effectũ, nisi mediante instrumento, at Deus propter suam infinitatem immediatè tãgit sua virtute effectum quemcunq; cum sit vbiq; essẽtia sua præsentissimus.

Ho. quõ res oẽs sunt Dei creaturæ. Est alterum aduertendum, quod ista actio, qua res fit, si comparetur respectu causæ particularis nõ sufficit, vt secundũ eã talis causa dicatur creare, quia causa particularis nõ facit totã rem, sed ex materia ꝓsupposita, At respectu Dei considerata, sufficit, vt effectus dicatur creari à Deo, quia & si modo nõ fiat tota res per hanc actionem, sed secundũ formã, materia tamẽ fuit à principio creata à Deo, ob id Deus totam facit rem, ex quo fit, vt oia quæ modo fiunt, dicantur proprijssimæ creaturæ Dei, vnde Aug. super illud Psal. 73. Domine quis similis tibi? inquit, parentibus generantibus Deus creat: & epistola ad Consentium. & 8. super Gene. ad literam, ca. 19 dicit res modò creari à Deo Et hæc omnia nota.

Quinta cõclusio. Qualitates quę sunt instrumenta formarum, & agentium particularium actiuè concurrunt ad productionem substantiæ, vt calor ignem producit, & virtus seminis ipsum viuẽs. hæc est contra Scot. 2. distin. 12. q. 3 qui nullo modo vult admittere accidentia attingere productionem substãtiæ: quia imperfectum non potest producere perfectius, at re vera hoc est contra manifestam experientiam, cui ipse præcipit non esse fidendum, sed sine ratione. Physicus enim non debet destituere sensus iudicium omninò, monstrant autem clare experientię accidentia substantiam producere, vt patet de motu, de ferro candenti, quæ producunt ignem per solũ calorem. Nec ipsius ratio est alicuius momenti, videmus enim, quòd imperfectum, vt est instrumẽtum perfecti attingit perfectius se, vt penicillus imaginem pulcherrimam, quia ab arte mouetur, ita accidentia, vt virtutes substantiarum sunt, substantiam valent producere.

Quinta cõclu. cõtra Scot.

Solutio cõ Scoti.

Nec patiaris dictum Scoti dicentis ignem in illo casu à solo Deo produci, nam tunc forma illa esset creata, ꝓ nulli cõtingit, nisi animæ rationali, aut esset ducta de potentia materiæ, & tunc esset generatio vera, vnde solus Deus sine causa particulari generaret, quod indignum est Philosopho Theologo.

Dicendum igitur accidentia, quæ instrumenta sunt substantiæ, posse attingere productionem substantiæ, & hoc passim docet Aristot.

Solutio argumentorum. Possumus per hæc respõdere ad argumenta facta superius.

Ad primum Gabr. dicimus illud argumentum nullius esse momenti, cum enim æquè decenter, & benè possunt res fieri per vnum, frustra fiunt per plura, at Deus suam bonitatem, suam mirabilem dispo-

dispositionem, sapientiam, & prouidentiam commendat per creaturas suas, & ipsarum operationes, quæ quidem non essent ita nota, si solus ipse cũcta faceret.

Ad secundum. Ad secundum dicitur, quod non ob id agentia particularia creant: non enim formæ per se fiunt, vt diximus suprà, sed composita ex materia.

Ad primũ fundamẽtum Plat. Ad primum fundamentum Plato respondetur cum Arist. 1. post. c. 20. quod ad scientias non est opus vniuersalia separata ponere, secundum rem, sed solùm secundum ratiõem, vt alibi latè diximus. Ad alias omnes experientias respondetur, quod vnumquodque fit à suo simili, vel secundum speciem, vt homo ab homine, vel secundum genus, vt mulus ab equo, vel secũdum figuram, vt domus ab arte in mente, vel secundum virtutem. Id dicitur simile secundum virtutem alteri, quod facit ea, quę aliud facit, & sic motus est similis igni, rarificat enim & dissoluit, sicut ignis, ob id producit ignem, idem de radijs solaribus, & percussione lapidis, & calor solis producit animalia ex putrefactione, sicut calor naturalis, & ita declarat illam propositionem Arist. 7. Metaph. c. 9. nec opus est ad ideas recurrere.

CAPVT III.

Quot igitur causę. Tex. XXXIX.

De casu & fortuna qq. tres. Generibus causarum enarratis, de quibusdã cõmunibus causis, puta casu, & fortuna loqtur, ac tres q̃tiones examinandas ꝓponit. Prima est. Quæ causæ sint, casus, & fortuna, & quid vtrumq; sit. Hęc autem tria ordine prępostero discutit, nam à tertia incipit, & primam vltimo loco tractat. Reddit autem ratiõem cur de his tractet, dicens, casum, & fortunam causas communes generationis, & esse multorum omnes sentiunt. hic verò communia traduntur.

Quidam enim, & si sint, an non. Tex. XL.

Prima op. quorũdã antiquorum. PRius quid antiqui senserint, in medium proponit. Fuerũt, inquit, quidam, qui casum & fortunam non esse dicebant, & hi duplici mouebantur ratione,

Prior est, omnia quæ à casu, & fortuna fieri dicuntur, habẽt iam determinatam aliquam particularitatem, in quam singula referri valeant: non est ergo ponenda fortuna. Antecedẽs pater si aliquis adierit forũ animo emendi aliquid rantũ, & illic occurrit alicui q̃ debebat ei pecunias, à quo eas recipit, tũc à fortuna dicitur ei occurrisse, & recepisse, sed horũ causa est: quia in forum venit, ergo quod à fortuna est, causam habet determinatã, idem contingit in alijs fortuitis, & casualibus effectibus, singuli enim suas habent causas particulares, non ergo & fortuna.

Quoniam si aliquod esset. Tex. XLI.

Secunda ratio. POsterior ratio horum est. Si fortuna esset, antiqui Philosophi causas generationum tractantes de illa differerent: at nihil illi dixerunt: ergo opinabantur non esse: nõ ergo est fortuna. Inconueniens enim est dicere, quod illa sit, & Philosophi nihil de illa dixerint, cum reliquas tractauerint causas. Argumentum est ferè ab authoritate.

Sed & hoc mirabile. Tex. XLII.

So. primę ratiõis antiquorũ. ARist. reijcit has vtrasq; horum rationes. Ad primam dicit, omnes communiter benè sciunt ista, quæ à casu, & fortuna dicuntur habere causam determinatam, vt dicunt isti antiqui auferentes fortunam, cùm hoc tamen omnes fatẽtur aliquid à fortuna, aliquid non à fortuna esse: ergo nihil prohibet, quòd eorum, quæ à fortuna dicuntur, sint causæ determinatæ, quo minus fortuna sit. Et nota quòd ex communi consensu rationem illorum euertit: omnes enim admittentes illud antecedens, fortunam tamen ponunt, & profectò id verum est: nullus enim est ita rusticus, qui nesciat causam, quòd ille occurrerit debitori esse, quia venit in forum, cum hoc tamen fatetur esse à fortuna: aliquid igitur de fortuna opertet tractare.

Quocirca, & quodammodo. Tex. XLIII.

Sol. secundæ rōnis.

SEcundam ipsorum euertit rationem dicens, oportuisse aliquid dixisse de fortuna, vt probatum est ratiōe præcedenti, quòd si dixeris, antiquos nil dixisse de fortuna, respondet, non dixisse, nec tractasse quicquam, nam qui mentē, aut qui ignem, aut qui litem, & amicitiā, aut qui simile posuerunt rerum principium, non dixerunt ista esse fortunam, vnde omni exparte sunt reprehendendi isti. Si enim non putarunt esse fortunam, arguendi sunt, cum id sit contra omniū opinionem. Si verò putarunt esse, & non tractarunt, ob id etiā reprehendēdi sunt, cùm causas insufficienter inquisierint, & discusserint, & ob id maximè, quod fortuna vtuntur, assignantes eam causam aliquorum effectuum, vt patet apud Emped. qui dicebat mundum sæpè generatum, & corruptum, generandum, & corrumpendum, atque aerem esse modò superaquam à fortuna, nam in alia generatione mundi, non sic erit, nec fuit. vnde à casu ordo elementorum est. Similiter animalium partes à casu prouenire sæpè dicebat: debuit igitur de tali causa disserere. Et nota, quod hic non est sermo de omnibus, sed de quibusdam antiquis.

Sunt autem quidā, qui & cæli.
Tex. XLIIII.

Secūda opin. aliorū Philosophorū.

SEcundam aliorum citat sententiam, inter quos (secundum Philop. & Themist. fuit Democri.) hic fortunā tantum constituerat in mundi generatione, non autem in generationibus entium naturalium. Democri. enim posuit infinitos mundos factos ex athomis, quòd si ab eo peteres quare hic mundus hoc loco alius illo loco esset, respondebat, casu id esse ex motu athomorum, quòd si rursus quare cæli primò, postea elementa, & inter elementa, quædam prius, quædā posterius facta, id etiam casui tribuebat: quia accidit tales athomos sic conuenire, vnde casum in mundi partibus præcipuis tantùm ponebat.

Et valdè hoc ipsum admiratiōe.
Tex. XLV.

cōfutatio secundæ opin.

HOrum opinionem reprehendit, & meritò. Reprehensio autem cōsistit in hoc, quòd isti horum inferiorum puta animalium, plantarum, & reliquorum ponunt causam determinatam, puta intellectum, aut naturam, aut quid aliud, non enim ex quolibet fit quodlibet, sed ex principio determinato, vt ex proprio semine fit quodlibet animal, & planta, mundi autem, & cælorū, quæ diuiniora sunt istis, nullā causam determinatam ponūt, sed solum fortuitum athomorum motum: debuerūt ergo causam multo magis determinatam ponere, cum dixerint cælos, & mundum esse factum.

Atqui si sic se habeat hoc ipsum.
Text. XLVI.

Secundō.

OB hoc tale absurdum admissum dicit oportere, an ita sit, tractare, & inquirere, & non solùm absurdum, hoc est, cælos à casu factos, sed absurdius est dicere simul casum non esse in his inferioribus, quod reprobat ratione hac. In istis sensibilibus multa à casu venire experimur: in cælis autem nihil à casu venire expertum est, cum motus sint regulatissimi, & indeficientes: ergo potius in his sensibilibus casus, & fortuna constituenda sunt, quàm in cælis, & vniuerso.

Sunt autē quidam, quibus fortuna videtur. Text. XLVII.

Tertia opi. aliorū philosophorū.

TErtiam sententiam recitat, quę est Stoicorum, vt notat Simpl. qui fortunam quandam causam diuinam ponunt humano intellectui occultam, à qua omnes effectus istos fortuitos prouenire dicunt, atque Deam quandam fortunam faciunt, His igitur enarratis circa aliorum sentētias, repetit illa tria, quæ discutienda proposuit, ac modò eo ordine ponit, quem in eis discutiēdis obseruaturus est, quid sint casus, & fortuna: quo differāt: inter quas causas sint cōstituenda.

CAPVT V.

Primum igitur cum videamus.
Tex. XLVIII.

Ali-

Sententia Arist. Prima distinctio ad inuestigandū q d sit casus, & fortuna.

ALIQVOT præmittit distinctiones, ex quibus quid casus, & fortuna sit, colligit. Prima est effectuū. Alij quidē semper, & similiter eueniunt, vt Solis occasus, & ortus: q̄ nocti dies succedat: q̄ animal sit cū sensu. Alij frequēter eueniūt, licet aliquando deficiant, vt q̄ homo nascatur cū duplici oculo, q̄ senes canescāt. Neutri horū dicūtur à casu, vel fortuna: & si nullus alius esset, nō esset fortuna, vel casus. At constat esse alios, q̄ nec semper, nec frequenter eueniunt, sed rarò, & in his est casus, & fortuna, vt omnes dicūt: vnde fortuna, vel casus est eorum, quæ nec semper, nec frequenter eueniunt, & quæ talia sunt, à casu, vel fortuna sunt, vt quod fodiens vineam inueniat thesaurum. rarò fit, & à fortuna est: vnde, patet fortunam esse, & casum.

Eorum autem, quæ fiunt.
Tex. XLIX.

Secunda distinctio

SEcundam ponit distinctionem eorū, quæ fiunt tam frequenter, q̄ semper, & rarò. Quędam fiunt propter finem aliquem: Quædam verò non: vt deambulatio, qua gratia sanitatis est, propter finem fit, & motus grauis deorsum propter finem est, vt quietem naturalem cōsequatur: Quæ verò inconsiderate fiunt, vt fricatio barbæ, cum quis contemplatur, vel alia similia, quæ accidunt, absque fine fiunt.

Tertia distinctio. Nota.

Tertia distinctio est subdiuisio quædam eorū, quæ propter finem fiūt. Quædam secundum electionem, Quædam nō secundum electionem fiunt. Vbi aduerte, quod id operatur secundum electionem, quod dirigit operationes, & res in finem, quem præcognoscit & intendit, & tale agens est rōnale, & huiusmodi actiones dicuntur in finem secundum electionem, sicut operationes, quæ secundū intellectum, aut secundū artē fiūt. Id verò operatur propter finem tantū, & non secundum electionem, q̄ finem non præcognoscit, sed naturali quodam instinctu propter finem operatur, & huiusmodi operationes dicunt nō secundum electionem, vt operationes inanimatorum, & viuentium, & ipsius hominis, quas absq; intellectus directione facit, sicut nutritiones, generationes, & aliæ, quæ dicuntur operationes secundum naturam.

Hanc distinctionem applicat ad rem Arist. dicens: Cum ea, quæ fiunt in communi, & propter finem, & non propter finem fieri cōtingat: Et q̄ propter finē, aut secundum electionem, aut non. Manifestum est profectò, quòd in particulari inter ea, quę rarò fiunt, quędam propter finem, quædam non propter finē, & quædam secundum intellectum, & electionē, quędā non, sed natura fieri inueniemus. v.g. quòd aliquis cogitabundus manu aliquid faciat, non aduertens, quod nunquam fecit, rarò fit, & non propter finē. Quòd autem occurrens tauro murum ascendat salutis gratia, rarò fit, & propter finem, & secundum electionem, quòd equus in itinere consternatus remeet, rarò fit, & propter finem, à natura.

Huiusmodi igitur, cū secundum accidens. Tex. L.

Quinā effectus dicātur casuales, & fortuiti.

EX præcedentibus colligit, qui effectus dicātur fortuiti, & casuales, dicitque, effectus rarò contingentes, cum ab his, qui præter finem āgūt, per accidens fiunt, dici fortuitos, aut casuales.

Nota. duplex causa p accidens.

Vbi aduerte maximè, quòd causa per accidens duplex est. Prior illa, quæ cum causa per se coniungitur, vt albus, & Polycletus sunt causa per accidens statuæ, quia coniuncti sunt cum statuario, & talis dicitur causa per accidens ex parte causæ. Posterior causa per accidens est illa eadem, quæ est per se, si comparatur ad id, quod per accidens coniungitur cum effectu per se, vt ignis comburens trabem, cui domus innititur, per se quidem est causa combustionis, per accidens verò ruinæ, quia hæc est coniuncta per accidens cum effectu per se, & talis causa dicitur per accidens, ex parte effectus, & hæc distinctio est Themist. & notanda.

Nota secūdo tripliciter cōiūgitur effectus per accidēs cū effectu p se.

Aduerte vlterius quod talis effectus dupliciter coniungitur cum effectu per se, aut rarò, aut frequenter, vel semper, vt in exemplo proposito: Semper cōiunctus est ille effectus, nempè ruina cum tali combustione trabis, similiter bibit quis vinum,

vinum, postea nocet podagræ, istud nocumentum non est rarò cõiunctum cum simili potatione vini: aliquando effectus per accidens rarò est coniunctus cum effectu per se, vt quod fodiens vineam inueniat thesaurum, rarò hoc cum vineæ fossione coniungitur.

Nota tertio effectu rarò contingẽs dupliciter.

Aduerte vlterius, quod isti effectus rarò contingentes aliquando sunt intenti. aliquando non sunt intenti à causa sua principali, præsertim in agentibus secundum electionem, nam in alijs semper non sunt intenti, ver. gr. fodiens terram, seu vineam, potest inuenire thesaurũ, aut intendendo inuentionẽ, aut non.

Quis effectu casualis, & fortuitus.

His suppositis, attende effectus illos esse fortuitos, & casuales, qui per accidens, & rarò consequuntur effectus per se alicuius causæ, nec sunt intenti à tali causa, & talis causa per se respectu effectu non intenti rarò cõtingentis dicitur fortuna vel casus; vnde fortuna vel casus est causa per accidens ex parte effectus non intenti, rarò autem contingentis: & hoc est quod modò dicit Aristot. nempè effectus isti rarò contingentes, cum per accidens fiunt, à fortuna dicuntur.

Ostendit autem effectus esse quosdam per se, quosdam per accidens a gumento ipsarum causarum: nam etiam causæ & per se, & per accidens dicuntur, nempè quæ cum per se causa iunguntur, per accidens causæ sunt, vt ædificator est per se causa statuæ, per accidens verò, albus Musicus, & alia, quę ędificatori insunt: ita similiter, effectus per se est respectu causæ per se, & effectus per accidens, qui cum eo coniungitur.

Nota quarto.

Attende hic maxime, ne decipiaris, quod non dicit has causas per accidens, quæ ex parte causæ sunt, esse fortunam: hoc enim falsum est, nec hactenus ipse quiequam dixit de fortuna, sed de effectu ipsius. Verũm hic solum vtitur argumento hoc à simili, effectu dici & per se & per accidens, nempè ea, quæ effectui per se coniunguntur, esse per accidens effectus, sicut etiã causa duplex, & per se, & quod ei adiũgitur. quod est causa per accidens, & vlterius assimilat, sicut causæ per accidens indeterminatę sunt, quia multa vni accidunt, causa verò per se, vna est. ita effectus per se vnus & vnius rationis, at effectus per accidens multi sunt: vnde cum huiusmodi sint à fortuna, effectus fortuiti sunt indeterminati.

Ipsa autem ad inuicẽ. Tex. LI.

In quibus cõueniunt q̃ à casu, & fortuna.

Differentiam inter casum & fortunam posterius tradendam dicit, at nunc ea, quibus, quæ à casu, & quæ à fortuna sunt, conueniunt, tradit. Hæc autem sunt tria. Primum quod vtraque sunt in his, quę agũt propter finem, vnde tam casualis, quã fortuitus effectus est respectu causę agentis propter finem, & hoc probat: quia effectus huiusmodi est aptus, vt sit intentus, vt finis à tali causa, v. g. si quis veniat in forum emendi gratia, & recipiat pecunias à debitore, catus est, & fortunæ effectus illa receptio: & licet modò non sit intenta, potuit esse intenta, nam si ille sciuisset se recepturum pecunias in foro, venisset vtiq; propter illud.

Secundò. Secundo. Conueniunt, quòd vterque effectus accidit, id est, non est per se intẽtus, sed finem intentum consequitur.

Tertiò. Tertio. Quòd non consequitur finem intentum, seu effectum per se semper, aut frequenter, sed rarò.

Quarto. Vnum tamen pręter hæc inest effectui à fortuna, nempè quòd ipsius causa non est natura, sed intellectus, & electio, vt reportatio pecuniæ est effectus per accidẽs huius, quod est venisse in forum, hoc autem ab electione procedit, quod est clarius dicere Effectus fortuitus nõ est, nisi ab agente rationali, nec consequitur, nisi actionem, quæ fit secundum electionem, & intellectum, & hoc est dicere, non habet causam in se ipso, id est, non est à natura, sed ab electione.

Nota. Et aduerte hic multum, quòd effectus non dicitur fortuitus, quamuis non sit interius à causa, sed cõsequitur effectum per se, hoc enim non sufficit, sed rarò, vt diximus, debet consequi, aliàs non dicetur fortuitus, nec casualis.

Manifestum itaq;, quòd fortuna Tex. LII.

Quid fortuna.

Mirabili methodo Aristoteles, post quam effectum fortuitum indagauit, qd ipsa fortuna sit, ostẽdit, dicit-

dicitque: Fortuna est causa per accidens in his, quę rarò fiunt, & propter finem secundum electionem, ac si dicat, fortuna est actio aliqua secũdum electionem procedens, quam consequitur finis aliquis non intentus, & rarò contingens. Diximus enim, quod causa per se illa est fortuna respectu per accidens effectus, siue talis sit actio, siue ars, vel intellectus, vt in finem tendunt, vndè colligit, quod fortuna est in his, in quibus est intellectus, & electio, hæc definitio nota est ex his, quæ notauimus text. 50.

Indefinitas igitur causas. Tex. LIII.

Varia epitheta fortunæ.

Varia epitheta fortunæ per definitionem hanc declarat. Primo: Fortuna dicitur occulta, & inmanifesta hominibus, cuius ratio est, quia cum effectus fortuitus nõ habeat causam per se, nisi per accidens, potest multas habere causas, quia varijs effectibus per se potest coniungi, vt occurrere pontifici in via, potest esse, aut quia deambulatum ieras, aut negociatũ, aut emptum, aut alijs ex causis. Cum igitur non habeat determinatam causam is effectus, à qua per se procedat, merito dicetur occultus.

Secundò. Vlterius, à fortuna possumus dicere, quod nihil fit, & quòd aliquid fit. vtrumque enim vere, & cum ratione dicitur. Nihil enim fit per se a fortuna, fit autem per accidens, hoc autem est, secundum quid, fieri.

Et est causa, vt accidens. Tex. LIIII.

Tertio.

Prosequitur attributa declarare, dicitq; Fortuna quodãmodo est causa, & non est causa: Non est quidem causa simpliciter, sed est causa secundum accidens: & repetit has causas per accidẽs esse infinitas, id est, numero indeterminatas, & exemplo vtitur. Vt enim causæ per accidens ex parte causæ sunt indefinitæ, quia multa possunt accidere causæ, vt domificator est causa domus per se, multa tamen per accidens, vt tibicen, albus, musicus, ita & causæ per accidẽs ex parte effectus multæ sunt, & indeterminatæ, qa effectus fortuitus ex multis causis huiusmodi potest, puenire, vt recipere pecuniam à debitore, potest esse, quia ei occurri, dũ fugerem ab aliquo, vel dum persequerer aliquem, vel dum inuiserem aliquem.

Nota. Vbi semper attende, quòd non vocat fortunã causam per accidẽs ex parte causæ, vt notat Them. & supra nos diximus.

Et dicere aliquid esse præter rationem. Tex. LV.

Aliud fortunæ attributum declarat: dicitur enim fortuna sine ratione: & meritò, quia ratio intendit finem, qui aut semper, aut frequenter sequitur: at fortuna est alicuius non intenti, & raro cõtingentis, huiusmodi autem causę indeterminatæ sunt, ob id fortuna irrationalis, & indeterminata merito dicitur.

Attamen etiam in quibusdam dubitabit vtique.

Dubiũ Arist. q d potius dicẽdũ, fortuna causa ne p accidẽs, ppinqua, an remota.

Dvbium mouet quod tale est: Illa dicitur fortuna, quæ est causa p se alicuius effectus, alterius verò cũ eo cõiuncti per accidẽs, esse potest, quòd sint multæ causæ huius effectus, quędam proximiores, quædam remotiores effectui per se: tunc dubium esset, quæ illarũ est et fortuna, vt si quis totonderit caput, & ventus seu æstus aliquis superuenit, & præter opinionem sanatus est, vtra causa erit fortuna, tonsio quæ est remota, an ventus, quæ est propinqua? Et vult secũdum Philop. quod proxima magis dicatur fortuna, vel casus. Et ponit exemplũ Philop. Aliquis it forum emendi gratia, occurrit amico, cum quo moram facit, postea it in forum, & occurrit tunc ei debitor, à quo pecuniam recipit: duplex huius receptionis est causa (& mora cum amico,) si enim prius veniret non occurreret debitori, & etiam ipsa itio in forum & vtraq; dicitur fortuna, sed magis fortuna est, quòd venerit in forum, quia magis propinqua, & potuit etiã venisse illo tempore alia ex causa, etiam si cum amico moram non fecisset.

Fortuna autem bona. Tex. LVI.

Alia epitheta fortunę, quid

Alia epitheta fortunę declarat, quę nota sunt, fortuna dicitur bona, vel

Sit infortunium, & euforunium.

vel mala ab effectu, qui accidit, si bonus, vel malus sit, quòd si magnum bonum acciderit, dicitur euforunium, si verò magnum malum, dicitur infortunium. Et nota, quòd sicut, si bonum magnum accidit, euforunium, seu prospera fortuna dicitur, ita si magnum malum euadere acciderit: Similiter, erit infortunium, magnum bonum casu perdere, & non solùm, quando mala, vel bona præsentia sunt, sed quando proxima sunt: quod enim parum distat, quasi non distare videtur, vnde à magno malo imminenti liberari, euforunium est, & à spe proxima magni boni decidere, casu tamen, infortunium est. Vlterius euforunium est incertum, sicut & fortuna, quod enim rarò accidit, incertum est.

CAPVT VI.

Sunt igitur ambo causæ. Tex. LVII.

In quib. differat casus, & fortuna. Primò. Omnis fortuna est casus, sed non è contra.

MODO differentiã casus, & fortunæ indagare cõtendit, ac repetit ea, in quibus cõueniunt. Sunt enim vtræque causæ per accidens, & effectuũ rarò continuantium, & in his, quæ sunt, & agunt propter finem. Sed differentia est, quòd casus est superior, omnis enim fortuna est casus, sed non omnis casus est fortuna. Hanc differentiam (quantũ mihi videtur) triplici argumento ostendit, primum sumitur à denominatiuo sic. Ijs inest fortuna, quæ fortunata dicũtur: sed non omnibus quibus inest casus, conuenit fortunata dici, ergo non sunt idem casus, & fortuna. Maior est nota. Minorẽ declarat dicẽs, quòd fortunata dici inest ijs quibus inest actio, id est, libera operatio, & humana, quæ hominibus inest solis, ac ob id solùm hominibus inerit fortuna secundum actiones liberas, & secundum electionem, vt sit sensus, non est fortuna, nisi cùm agens secundum electionem intendit aliquid, ad quod aliquid rarò contingens præter intentionem ipsius consequitur.

Prima tõ.

Quocirca, & necesse est. Tex. LVIII.

Probatio minoris, quod fortuna non insit, nisi in ijs, qui secundum electionem agunt.

MInorem probat, quòd fortuna non insit, nisi in quibus actio, id est operatio, secundum electionẽ inest. Fortuna aut est felicitas, cùm est prospera, aut prope felicitatem: sed felicitas est quędam actio secundum electionem: ergo fortuna etiam est, vbi talis est actio.

Nota.

Nota, quòd fortuna dicitur felicitas secundum eos, qui in voluptate, & bonis externis felicitatẽ constituerunt, dicitur prope felicitatem secundum Aristo. qui non nisi in contemplatione eam posuit: bona autem externa, vt instrumenta felicitatis posuit, quæ bona externa dicuntur à fortuna: quia maximè sunt fortuitis casibus exposita: felicitas autem non consistit in quacunque actione, sed in actione libera, & secundum rationem, vt dicitur 1. Eth. ca. 7. vnde cùm fortuna sit coniuncta felicitati, sequitur, quibus inest felicitas Aristotelica, solis inesse fortunam.

Ob id neque inanimatum quippiam. Tex. LIX.

Carentia vsu rationis non dicuntur fortunata, neque eis è fortuna, vt Metaphoricè, & passiuè.

EX hoc infert, quòd inanimata, bruta, pueri carentes vsu rationis, non dicuntur fortunata, nec eis inest fortuna: nõ enim agunt propter finẽ secundum electionẽ. Duo tamẽ modi sunt, quibus fortunata dici possunt. Primò metaphoricè, sicut Protarchus Philosophus lapides, ex quibus altaria fiebant, vocabat fortunatos: alios verò cũ ipsis copulatos, id est, eiusdẽ speciei, ex quibus solaria fiebant, infortunatos, eò, φ illi honorarentur, hi cõculcarentur: sed hoc est fortunata esse per metaphoram, ac si illi lapides per electionem operati fuerint.

Altero modo dicuntur ista fortunata passiuè, eò, quòd secundum electionem agentibus secundum fortunam accidũt, vt quia accidit Ciceroni consuli, φ tunc Catilina mala machinatus fuerit, quod Cicero euertit, vrbemq; liberauit, Roma dicta est fortunata, passiuè; & denique ea fortunata dicuntur, quibus fortunati sumus, sed non quòd fortunam habeãt actiuè, ita, vt secundum fortunam agant.

Sed

Sed casus, & alijs animalibus. Tex. LX.

Casus et conuenit inanimatis, & irrationalib.

QVòd autem pluribus se extendat casus, vt minor illa sumpsit, probat, nam in animalibus, & in inanimatis inest casus: quibus, vt dictum est, fortuna non inest, & probat. Nã si equus in prælio sitiens, prælium deserat ad fluuium confugiẽs, & accidat, omnes equos tunc qui erant in prælio occidi casu iste saluatus, & liberatus dicetur: non enim intendebat saluari, sed bibere. Vlterius: si subsellium aliquod tripes cadat ex alto, & super pedes steterit aptum ad sedendum, casu profectò ita stetit: nõ enim cecidit, vt sic staret. Vide igitur casum his inesse, quibus non inest fortuna: ille ergo est superior.

Quare manifestum est. Tex. LXI.

COlligit argumenti conclusionem, quæ est definitio casualis effectus, vnde definitio casus extrahitur. Ille est casualis effectus, qui prouenit à causa agente propter finem, siue secundum electionem, siue nõ, cùm à tali causa non est intentus, sed per accidens consequitur causæ effectum per se, & rarò, & hoc est dicere, cuius extra est causa, vt dicit Philopo. causa enim dicitur extra effectum, cùm ipsum per se non facit, nec intendit.

Quid sit casus.

Ex quo possumus definire casum; est causa per accidẽs in his, quæ agunt propter finem, eorum, quæ rarò contingunt. His autem superaddit fortuna, quod ea, quæ cueniunt, sint eligibilia, & in habentibus electionem; hoc exponit benè Philop. dicit, quæ à fortuna cueniũt, dici eligibilia, vt inteil gas non omnia, quæ hominibus à casu proueniunt esse à fortuna, sed ea, quæ accidunt, cùm secundum electionem operantur, nam multa accidunt à solo casu, sicut in brutis, & inanimatis, vt si cadens vulnere sanatus fuerit, casus est. Vlterius dicitur fortuna esse in habentibus electionem ad excludendum ea, quæ passiuè à fortuna dicuntur, vt suprà declarauimus.

Signum est autem ipsum frustrà. Tex. LXII.

2. Differẽtia casus, & fortunæ ex Etymologia. Nota. 1.

SEcundum argumentum est ab etymologia, pro cuius declaratione aduerte primò. Quod nos dicimus frustrà, græcè dicitur μάτην, & quod nos dicimus à casu, græcè dicitur ἀυτόματον, quia si ipsum frustrà factum.

Nota. 2.

Aduerte vlterius, quòd frustrà dicitur, quod non consequitur finem, propter quem est factum, vt si quis deãbulet gratia ventris purgandi, si non purget, frustrà dicetur deambulatio, dummodo tamen illud quod fit, sit aptum ad talem finem consequendum, alias non dicetur frustrà, si enim quis lauet manus, vt sol eclipsetur, si posteà nõ eclipsatur non ob id lotio dicetur frustrà: quia nihil faciebat ad illum finem.

Nota. 3.

Aduerte vlterius, quòd vbi est casus, ibi est frustrà, licèt non omninò, nã causa respectu finis non intenti frustrà dicitur, quamuis possit esse, quod simul cum fine non intento consequatur intentum, vt potest lapis cadere simul in locũ suũ, & casu percutere aliquem, tamen respectu finis non intenti, frustrà dicitur, cùm intentum in eo non consequatur.

Differentia colligitur.

Ex his colligitur argumentum ab etymologia, cùm frustrà, & casus secũdum nominis significationem, & vocem cõueniant, frustrà autem sit superius fortuna, etiam erit, & casus. huius argumẽti Aristo. sola duo notabilia superiora, vnum in hoc textu, alterum in sequenti, id verò, quod concluditur, notatur in illo verbo, signum huius est, scilicet, quòd casus sit superior fortuna. Vocat signum argumentum à posteriori, quale hoc est.

Sic igitur casus iuxta nomen. Tex. LXIII.

CVm quid frustrà esset, declarasset, nunc casum secundum nomen à frustrà denominari dicit, vt superius explicuimus: vt cùm lapis cadit, & percutit, casu ea percussio est, & quodã modo respectu ipsius lapis frustrà cadere dici potest: quod si dicas, non percutit casu, quia quæ casu fiunt, apta sunt, vt fiant tanquam finis: Respondet id etiam

R his cue-

his euenire, nam illa percussio potuit esse intenta ab aliquo, nam lapis potuit proijci ab aliquo intentione percutiendi, quamuis modò non sit proiectus.

Maximè autem est separatum. Tex. LXIIII.

1. Differētia casus, & fortunæ.

TErtium argumentum est, quo dicit maximè cognosci diuersitatem inter casum, & fortunam. nam casus aliquādo procedit à principio intrinseco naturali, vt fit in monstris, quæ à casu sunt, & casus in ipsis est causa interna, puta materia, vt dicemus pòst: at quæ à fortuna euenìunt, causam habent extra se: non igitur idē sunt. Fortuna enim est actio humana, cui accidunt multa externa præter intentionem: ob id effectus fortuiti dicuntur habere causam extra se, casualis verò non semper, vt diximus.

Quid igitur sit casus. Tex. LXV.

In quo genere causarū sint casus, & fortuna.

REpetit duas quæstiones superiores, quæ solutæ iam sunt, nempè, quid casus, & fortuna, & quomodo inter se differant, tertiam autem soluit, nēpè in quo modo causarum sint, dicitque esse in eo modo causārū, in quo est causa, vnde principium motus, id est, efficiēs, sunt enim causæ efficientes per accidens, & probat, nā effectus horum, aut est natura, aut intellectus, agens naturale, aut agens secundum electionem, vtrumque verò est causa efficiens, quāuis huiusmodi causæ, cùm per accidens sint, non habeāt determinatos effectus, vt iam suprà declarauimus.

Quoniam autem casus. Tex. LXVI.

Nota, qd potissimū sit casus, & fortuna.

VNum ostendit, quo maximè fortunā, & casum declarat: dicit, quòd intellectus, aut natura, id est, agens naturale. aut secundum electionem respectu effectus per accidens dicitur fortuna, vel casus. At quia omne per accidēs sequitur aliquod per se, oportet, quòd illa agentia sint primò per se causa alicui effectus, quod est dicere: cùm causa per se agit effectum, & alium per accidens attingit, raro tamen, fortuna est, vel casus, vnde vt sit fortuna, vel casus prius natura debet esse alicuius causa per se, & hoc est pulchrum documentum.

Posterior itaque casus est. Tex. LXVII.

Nota autem casum, & fortunam debere esse intellectū, & naturam.

COncludit fortunam, & casum esse posteriores intellectu, & natura: sensus iste est. Prius natura intellectus, & agens naturale sunt in aliquem finem per se intentum, quàm in effectum per accidens, respectu cuius casus, & fortuna dicuntur: Ex quo egregiè impugnat Democritum: si enim ipse cælos dixit à fortuna factos, oportuit ponere aliquod agens naturale, aut secundum electionē, quod prius faceret aliquid per se, cùm nō sit effectus fortuitus, nisi agens aliud per se intendat: cùm ergo Democritus tale non posuerit, non debuit dicere cælos à fortuna factos fuisse. Hæc Aristo. dicit de casu, & fortuna, & benè: de omnibus tamen disputandū est gratia declarationis.

An sint fortuna, & casus. Quæstio IX.

QVamuis in textus enarratione, iatis casus, & fortuna fuerint xplicata, tamen quia aliæ supersunt difficultates, quæ determinatione maiori indigent, non erit inutile rursum hanc aggredi materiam, & quia aliqui etiam post tempora Aristotelis fortunam esse omninò negant, ipsorum argumenta proponemus, vt veritas manifestetur.

Primum argū.

Primum sit. Omne per accidens reducitur ad ens per se: ergo omnis effectus per accidens, reducetur ad causam per se: sed tales effectus fortuiti sunt per accidens: reducendi sunt ergo ad causam per se: non ergo fortuiti erunt, cùm causam habeant per se.

Secundò.

Secundò, omne quod verè est, & nō est causa, causam habet verā, sed tales effectus dicti fortuiti verè sunt, & habēt esse: ergo verā habent causam: non ergo sunt à fortuna, hæc enim est causa nō vera.

Tertiò.

Tertiò. Vna est causa vniuersalis concurrens ad omnes effectus, vt dictum est, ergo nullus est effectus præter illius intensionem

tensionem, vnde non erit fortuitus.

Quartū.

Quartò: quia videtur contra fidē ponere fortunam: Vnde Aug. 1. lib. retracta. in principio, accusat se, quòd aliquando vsus fuerit hoc vocabulo fortuna.

Quintū.

Quintò, etiam si esset fortuna, vt vult Aristo. adhuc non videtur tradenda scientia de ea: eorum enim, quæ per accidens sunt, non est scientia: at fortuna, & casus sunt causæ per accidens: ergo ipsorum non est scientia. Hæc sunt præcipua argumenta in hac parte.

Primum fundamētum duplex causa, per se, & per accidens.

In cuis declarationem sit primū fundamentum inter causas efficientes quædam sunt per se, quædam per accidens, vt dictum est. Per se illa est, quæ secundum se, & secundum suam virtutem effectum operatur, ac ipsum attingit, sicut ignis est causa per se alterius ignis. Per accidens verò est, quæ secundum se non attingit effectum, sed quia coniungitur causę per se attingenti, vel quia ipsa attingit aliquem effectum, ad quem alius effectus consequitur.

Duplex ē causa per accidens.

Vnde iuxta hoc duplex est causa per accidens, & causa per accidens ex parte causæ, & causa per accidens ex parte effectus. Dicitur causa per accidens ex parte causæ illa, quę ob id dicitur causa effectus, quia inest causæ per se illius talis effectus, quomodo musicus, & albus, & Philosophus, sunt causa per accidens statuæ, si accidat, quod statuarius, qui est causa per se, sit albus, musicus, & Philosophus. At causa per accidens ex parte effectus est illa causa, quæ ob id alicuius effectus est causa, quia iste talis effectus coniungitur cum effectu per se ipsius causæ, vt fossio terræ est causa per accidens inuentionis thesauri: quia inuentio thesauri est effectus coniunctus cum effectu per se ipsius fossionis: effectus enim per se illa terræ apertura.

Quomodo differunt illa duo genera causarum per accidens.

Differunt autem hæ causæ per accidens. Prior enim puta ex parte causæ habet eundem effectum cum causa per se, at posterior habet alium effectum ab ipso effectu per se, hic enim sunt duo effectus, illic verò vnus solùm: nam eadem causa per se respectu vnius effectus, est per accidens respectu alterius; at causa per accidens ex parte causæ habet vnum effectū, cuius dicitur causa ob id: quia coniuncta

est cum causa per se, vt notum est,

Quinque modi causæ per accidens ex parte effectus.

Huius causæ per accidens ex parte effectus quinq; sunt modi obseruādi, quorum primus est, quo vna causa dicitur esse remouens prohibens, nempè, quando attingit alicuius separationem, quod impediebat effectum, sicut qui remouet columnam, qua innitebatur domus, est per accidens causa ruinæ domus, & medicina, quæ remouet impedimētum aliquod motus, est causa motus.

Primus.

Secundus

Alter est modus, quo vna causa dicitur causa contrarij sui, nempè cùm remouet aliquid, quod debebat operari contrariū illius effectus, v. g. scamonea est calida, & tamen dicitur corpus infrigidare: quia remouet choleram, quæ calefacit, & sic sal dicitur conseruare carnes: quia remouet humiditatem, quæ corrumpit.

Nota.

Et aduerte, quod multùm distat hæc causa à præcedenti, nam remouens prohibens per solam impedimenti ablationem, effectum facit, at ista causa non per solam contrarij ablationem facit effectum, sed relinquit alijs causis, vt ipsum efficiant, dicitur autem causa: quia facit. vt tales causæ operentur, & applicētur ad opus, vnde scamonea non est, quę secundum se infrigidat, nec sal cōseruat, & hos duos modos causarum per accidens, docet Alber. tract. 2. c. 8.

Tertius.

Tertius est, cùm aliqua causa attingit aliquam dispositionem, quæ requiritur ad effectum, sed non ex ipsa sola sequitur effectus, sed ipsa absque effectu poni potest, & ista causa dicitur occasio, vt tyranni fuerunt occasiones martyrij: quia infligebāt mortem, quæ erat necessaria dispositio ad martyrium, non tamen mors sufficiebat, nisi fides, & patientia ad martyrium accederent, & pœna quibusdam inflicta est occasio aliorū emendationis.

Quartus.

Quartus est, cùm causa effectum aliquem operatur, quem alius non intētus sequitur, & talis dicitur casus, cùm ille effectus non intentus raro sequitur, vt satis est in textu dictum, quæ causa si fuerit secundum electionem procedens, dicitur fortuna, & erit quintus gradus causæ, vnde fit, quòd casus, & fortuna sint causæ efficientes per accidens ex parte effectus in his, quæ raro cōtingunt, & propter finem agentibus.

Secundũ fundamẽtum.

Sit secundum fundamentum, in quo magis declaratur natura effectus casualis. Ad effectum casualem semper conueniunt duæ particulares causæ, quarum vtraque aliquando est casus, aliquando fortuna, aliquãdo altera casus, altera fortuna, aliquando altera causa per se, altera fortuna, vel casus, v.g. si quis eat in forũ emendi gratia, & occurrat amico, vel debitori, à quo recipiat pecuniã, tunc receptio pecuniæ est effectus fortuitus, habẽs duas causas, nẽpe aduentũ huius, & illius in forum, si neuter intendebat talẽ pecuniæ receptionem, vtraque causa est fortuna, si alter intendebat, alter non, vna est fortuna, altera verò per se causa.

Ad effectũ casualem semper duæ causæ particulares cõcurrũt, & quõ illæ se habeant

Vlterius fodit quis vineam, & inuenit illic aurum, huius inuentionis duplex est causa, & fodiens, & producens illic aurũ illud, tũc vna causa est fortuna, altera casus, casu enim illic aurum productum est, vt ille inuenire posset.

Vlterius si equus currens ad fontẽ bibendi gratia percutiatur à lapide cadente, percussionis vtraque causa est per accidens, & casus, cùm nõ fit secundum electionem, ex quo habetur, quod fortuna, vel casus non est sufficiens causa effectus fortuiti, aut casualis, nisi duæ cõueniant causæ particulares, vt dictum est.

Tertium fundamẽtum. quid casus, & fortuna, quid frustrà, quid temerè, quid vanum.

Sit tertium fundamentum. differunt valdè ista, casus, seu fortuna, frustrà, temerè, vanum: casus enim, & fortuna dicitur causa, quam sequitur effectus aliquis non intentus licèt differat casus: quia vniuersalior est, vt suprà diximus, at frustrà dicitur causa, quæ suum effectum cõsequitur, vnde ratio, vt sit frustrà, consistit in hoc, quod non consequatur effectum: vt autem sit fortuna, vel casus, quod consequatur effectum, non tamen intentum.

Potest autẽ esse, vt sit aliqua causa simul frustrà, & fortuna, & quòd nec sit frustrà, nec fortuna. Et quòd sit frustrà, sed non fortuna, & quòd sit fortuna, sed non frustrà. v. g. si aliquis eat, vt alloquatur amicum, & occurrat Pontifici, nõ tamen amico, tunc illa via frustrà est, quia non est consequuta suum finẽ: & est fortuna, quia attigit finem non intentum: At si occurrat amico solùm, tũc nec esset frustrà, nec fortuna. at si vtrunque fieret, & occurreret Pontifici, & alloqueretur amicum, tunc esset fortuna, sed non frustrà, quòd si neutrum fieret, esset frustrà, sed non fortuna. idem dico de casu, & intelligenti exempla satis nota sunt.

Verum est, vt in textu diximus, vbi est fortuna, dicitur aliquo modo frustrà, quatenus effectus non intentus, non est effectus intentus.

Temerè dicitur actio, quæ in illum finem dirigitur, in quem de se non est ordinata, vt si quis bibat vinum ad expellendam febrim: & effectus dicitur temerè factus, qui actionem sequitur, quã nõ est aptus consequi.

Vana verò dicitur actio, quæ non ordinatur in finem, in quem ordinari posset, vnde vanus labor est, qui non ordinatur in requiem veram, in quam ordinari posset. his igitur suppositis fundamentis sit prima conclusio.

Prima cõclusio.

Fortuna non est aliqua vna causa cõmunis diuina, à qua effectus omnes fortuiti proueniant. Antiqui enim considerantes effectus fortuitos incertos, & occultos, ac ob id difficiles ad consequendum, vel cauendum, ad diuinum fauorẽ, & auxilium recurrebant, quasi per se non sufficerent à talibus se effectibus liberari, cùm mali sint, nec eos obtinere, cùm boni sint, sed errantes Deam quandam huius gratia constituebant.

Imago Fortunæ apud Antiquos.

Quam, vt notat Alber. sic depingebãt, nempè in rota stantem ad significandam varietatem, & inconstantiam, quæ in effectibus appareat: cæcam, ad denotandã imprudentiam effectuum fortuitorum: non enim secundum electionem sunt, similiter dimidiam albam, & dimidiã nigram, ad expirimendos effectus, & felices, & infelices.

Istorum sententia falsa est, & erronea, & hanc etiã Aristoteles reijcit. non enim diuina agunt quicquam inconsideratè, & imprudenter. nec est numerus Deorũ multiplicãdus, & in hoc sensu Doctores sancti prohibent quicquam tribuendum fortunæ.

Secunda cõclusio. Effectus casuales, & fortuiti nõ sunt respectu Dei gloriosi, & causarum vniuersalium, sed respectu causarum particularium tantùm. Explicatur hoc. Cùm accidunt aliqui effectus casuales, licèt non sint intenti à causis particularibus, & præuisi, ac ob id casuales sint ipsis, tamen à glorioso Deo præuisi sunt, & si fuerint naturales, sunt etiam intenti à causis vniuersalibus, ob id respectu ipsarum non sunt casuales, v.g. Cùm Petrus it ad forum emendi solùm gratia, à fortuna recipit pecuniam, quam non intendebat, ob illa receptio illi est casualis. At gloriosus Deus mouens Petrum ad forum, sciebat optimè illum effectum, ob id Deo non fuit casualis. Cùm autem Deus omnium absque exceptione sit præscius, fit, vt ipsi, & ipsius actioni, qua cum omnibus causis particularibus concurrit, nihil sit fortuitum, aut casuale. Fortuita enim sunt in his, in quibus est imprudentiæ aliquid, secundum quam minus præuidet, quæ futura sunt. Vndè Arist. 8. ca. 2. lib. magn. moral. dicit: Ibi minus esse fortunæ, vbi plus est intellectus.

Secunda cõclusio. Respectu Dei nulli casuales aut fortuitæ.

Nota, il i minus esse fortunæ, vbi plus est intellectus.

Similiter effectus naturales, qui à casu, sed à natura fiunt, non sunt à casu respectu cælorum, vt monstra. Hæc enim respectu particularis agentis non intendẽtis illa, sunt à casu, quod fœtus sit duorum capitum, vnius oculi, & similia, hæc à generanti particulari nõ intenduntur: At à generante vniuersali, puta cælis, & motoribus ipsorum intenduntur, quia talis materia, ex qua illa monstra fiunt, ad talem monstri figuram est disposita, vel quia abundans, vel quia deficiens, vel alijs de causis, vt dicemus. Cæli autem, & vniuersales causæ id intendunt, ad quod materia talis ordinatur, vndè ex tali materia talem effectum, puta monstrum intendunt, non autem causa particularis, quæ solùm sibi simile intendit.

Respectu causarũ vniuersaliũ effectus naturales nõ sunt à casu.

Nota exẽplum D. Thomæ.

Vtitur S. Tho. hoc exemplo ad ostendendum, quomodo non sit effectus fortuitus respectu Dei, sed respectu causarũ particularium. Si quis dominus haberet duos seruos, & mittat vnum ad locum quendam, postea alterum mittat ad aliũ locum, quò iste non peruenier, nisi alteri occurrat, & dominus quidem sciat id, sed neuter seruus id sciat, nec intendat: tunc quòd vnus alteri occurrat, illis quidem fortuitum est, sed non domino talem occursum præscienti: ita DEVS gloriosus cùm omnium euentuum sit præscius, & causa, nihil habet fortuitum.

Alterũ exemplum.

Possumus etiam vti alio exemplo ad ostendendum, quòd in casibus naturalibus non sit casus respectu cælorum. Sit sartor, qui tales vestes facit, qualem accipit pannum ab alijs. Sit autem quidam, existimans se offerre pannum album, offerat pannum nigrum, tunc pręter intentionem suam, & à fortuna accipiet vestes nigras, tamen respectu sartoris, non est fortuitum id, quod vestes nigræ sint: ita sunt causæ vniuersales, quę secundum materiam subiectam operantur effectus, ob id cùm de se ad monstrum est apta, monstrum intendunt, & modo sufficiant ista.

3. cõclusio

Tertia conclusio, fortuna est causa efficiens particularis respectu effectus non intenti, similiter & casus. Eadem conclusio est contra Boetium lib. 1. de consola. prosa 1. effectus ipsos pręter intentionem euenientes cẽset esse fortunam, aut casum: Non autem ipsam causam respectu effectus non intenti contra Aristotelem. Est autem eadem conclusio satis in textu exposita, vbi & casus, & fortunę definitiones explicuimus.

Modò solùm hoc aduertendum est, qua conducit pro disputatione sequẽti, nempè casum, & fortunam esse efficientes causas, per accidens tamen, & in hoc sensu optimè, & sine errore concedimus fortunam esse, & casum, multaque fieri à fortuna, & casu, & p hoc patet quęstionis solutio. In hoc enim sensu casus est, & fortuna, sed superest, vt ad argumenta proposita respondeamus.

Ad primũ

Ad primum argumentum oportet declarare illam maiorem, omne per accidẽs reducitur ad ens per se, habet enim triplicem sensum, & verum. Primus est: omne accidens reducitur ad ens per se, id est, non est vllum accidens, quin sit substantia, cui tale innixum sit accidens. Alter sensus est cõpositè intelligendo: quod alicui conuenit per accidens, debet alicui alteri conuenire per se. Tertius sensus est in causis, omnis causa per accidens innititur causę per se, seu omnis effectus per accidens pręsupponit aliquem effectum per se: & hi sensus veri sunt, & multùm obseruandi, sed nihil concludit argumẽtum, nam effectus per accidens sunt quidem

dem resoluendi in causam per se, nõ quæ sit causa per se illorum effectuum, sed aliorũ quibus hi per accidens coniunguntur, vt receptio pecuniæ reducetur in causam, per se, nempè in itionem ad forum, quæ est per se causa alterius, non illius receptionis, vndè semper manet fortuitus effectus, & hoc nota.

Ad 2. Ad secundum, Respondeo cum Alber. tract. 2. c. 21. est distinguenda maior, si enim sit sensus de veritate pro esse reali, nempè omne quod realiter est, & non est causa, habet realem causam, est concedenda, sed nihil concludit, nam fortuna, & casus reales sunt causæ, quod si faciat sensum, omne quod verè est, id est, realiter, habet causam veram, id est, propriam & per se, hoc falsum est, nam effectus per se causam habent per se, & effectus per accidens, causam per accidens.

Ad 3. Ad tertium facilis est solutio ex conclusione secunda. Non enim effectus casuales ponimus, nisi respectu causarum particularium.

Ad 4. Perindè patet solutio ad quartum: esset enim contra finem ponere fortunam iuxta primam conclusionem quo modo antiqui ponebant, vt dicit August. 4. Ciuit. cap. 18. & id August. reprehendit, sed fortunam ponere, vt diximus, verum est, & licet.

Ad 5. Ad quintum dicimus, quòd fortunæ non est scientia ad hunc sensum, quòd fortuna non est causa per quam vllus demonstretur, & sciatur effectus: nam effectus per causas per se demonstrandi sunt, non per causas per accidens, nec sic vtitur Philosophus fortuna: at fortunæ est scientia, quantum ad hoc, quod quid ipsa sit, & qualis cognoscimus. Hæc enim per se sunt, & non per accidens: definitio enim fortunæ, & ipsius passiones ipsi per se insunt, & huius est scientia, & hæc satis sint de quæstione hac.

An quæ nec semper, nec frequenter sunt, sint à casu.
Quæstio X.

Sensus quæstionis. Difficultas hæc est circa textum, nam Aristot. fortunam, & casum dicit esse eorum, quæ nec semper, nec frequenter euenniunt: cùm autem hæc sint duo, nempè quæ raro euenniunt, & quæ ad vtrumlibet, quod enim thesaurus inueniatur, raro euenit, sedere verò, aut stare, ad vtrumlibet est: non enim frequentius vnum accidit, quàm alterum. Dubium igitur est, an in vtrisque sint casus, & fortuna, tam in his quæ sunt raro, quàm in his quæ sunt ad vtrumlibet, cùm neutra sint semper aut frequenter.

In qua difficultate est summa discordia inter Auic. & Auer.

Sententia Auicen. Existimabat enim Auic. 1. lib. sufficie. c. 13. quæ sunt ad vtrumlibet, etiam esse à fortuna, & casu. Et quia ista sententia est obscura satis, declaratione opus est. Ob id, aduerte, quòd sunt aliquæ potentiæ, quæ de se non magis determinantur ad vnum quàm ad alterum oppositorum, vt potentia corporis ad colorem, non est magis ad album, quàm ad nigrum.

Nota 1.

Potentia motiua animalis non est magis ad standum, quàm ad sedendum. ad motum, quàm ad quietem. Cùm autem determinantur potentiæ hę ad vnũ oppositorum, ab altero determinantur, vt ab agente vno dererminatur corpus ad albedinem, ab altero ad nigredinem. animal ab appetitu determinatur ad sedendum, vel standum, comedendum, vel non comedendum.

Nota 2. Aduerte vlterius, quod isti effectus possunt dupliciter considerari. Primo modo respectu ipsius potentiæ indifferentis, & æqualiter se habentis ad oppositorum vtrumque, & tunc ad vtrumlibet dici possunt, vt album respectu corporis potentiæ, non plus est, quàm nigrum, & respectu potentiæ motiuæ in se, non est magis sedere, quàm stare. Altero modo possunt considerari respectu agentis seu potentiæ determinatæ, vt album respectu suæ causæ propriæ, & sedere respectu appetitus determinati ad sedendum, & comedere respectu voluntatis inclinatæ ad comedendum, & tunc, aut semper, aut frequenter sunt: ex huiusmodi enim causis, aut semper, aut frequenter tales sequuntur effectus. Similiter si considerentur respectu materię proximę, & non indifferentis, non sunt ad vtrumlibet: ex proxima enim materia actus pro prius, aut semper aut frequenter, sequi-

tur. Hinc sequitur, vt quæ sunt ad vtrumlibet respectu vnius principij, sint semper aut frequenter respectu alterius.

Nota 3. Quibus suppositis aduerte, quòd Auicenna vult, quòd si tales effectus respectu causarum propriarum considerentur, non sint à casu, quia à causis determinatis procedant, & frequenter, aut semper euenniũt: & si respectu potentiarum indifferẽtium considerentur, tunc esse à casu, vt respectu ipsius corporis absolute à casu est, quòd album sit: & respectu potentiæ motiuæ absolutè à casu est, quòd animal sedeat, & respectu voluntatis, & potentiæ indeterminatæ à casu est, quòd homo comedat, cùm tales potentiæ ex se indeterminatæ sint ad vnum, aut alterum oppositorum.

1. ratio Auicen. Hanc sententiam probat Auicen. primò ex Aristo. cuius opinionem esse hanc existimat: dicit enim Aristotel. quæ nec semper nec frequenter sunt, à fortuna vel casu esse: cùm autem hæc sint quæ raro, & ad vtrumlibet euenniunt, profectò hæc vtraque à casu dicentur, quòd si Aristot. per ea, quæ nec semper, nec frequenter euenniunt, tantùm intellexit ea, quæ raro accidunt, tunc ipsius diuisio esset insufficiens, nempè quædam semper, quædam frequenter, quædam raro euenire, cum præter hæc quædam ad vtrumlibet euenianr.

2. ratio. Probat secundò, ex communi modo loquendi, quem dicit reijciendum non esse: dicimus enim accessi visurum regem, & à casu comedebat, vel deambulabat: sunt autem ista ad vtrumlibet, ergo, in his aliquo modo etiam est casus. Hæc est sententia Auicen. fideliter exposita, & est notanda, non enim passim intelligitur.

Sententia Auerr. quã ipse sumpsit ex Ale & Themist. Auerr. autem hoc libro, com. 48. censet oppositum, nempè tantùm, quæ raro euenniunt à fortuna, vel casu dici, quę sententia est communis Græcorum, Themist. Alexand. & aliorum. Est etiam Albert. tract. 2. cap. 12. & S. Tho. & aliorum Latinorum. Ratio istius sententiæ duplex.

1. Ratio. Præcipua est: prima. Fortuna, & casus est causa vnum intendens, quod consequitur aliquid non intentũ: sed potentiæ illæ indifferentes non intendũt aliquid, ad quod sequatur effectus nõ intẽtus, vt potẽtia corporis nõ est ad aliquid, quod eõsequatur albũ, nec potentia motiua est ad aliquid, quod cõsequatur sedere, aut stare: ergo tales effectus non sunt casuales respectu harum potentiarum, nec tales potẽtiæ casus, & fortuna sunt: quod si effectus ad sua agentia comparentur, iam non à casu, sed intenti sunt. quo argumẽto vtitur Albertus. Vide igitur quomodo illi effectus non sunt vllo modo dicendi casuales. 2. Ratio. Altera ratio est: Fortuna, & casus sunt efficientes causæ, at potentiæ indifferentes oppositorum non sunt effectiuæ, sed passiuæ ex parte materię se habentes: non ergo sunt casus, aut fortuna. hæc tamen ratio paulo post examinabitur. Ista est Auer. sententia, & D. Thomæ, & Græcorum, ac Latinorum communis, & mihi etiam placet.

Vt tamen magis hoc manifestum fiat, oportet aliquot conclusiones proponere quarum prima sit.

Prima eõclusio. Non omnes effectus, qui raro euenniũt, à fortuna, vel casu sunt, sed qui per accidens respectu causæ per se euenniunt. hæc conclusio est Auic. loco citato, & est vera.

Nota dupliciter aliquẽ effectũ euenire raro. Pro declaratione aduerte, duplici modo effectum aliquem raro prouenire. Vno modo, quia causa eius raro ponitur, tamen ipse per se ex tali sequitur causa, quales sunt eclipses solares, multæ meteoricæ impressiones, & huiusmodi alia: hæc enim raro euenniunt, quia ipsorum causę raro ponuntur: sed cùm euenniunt non à casu, aut à fortuna accidunt, sed per se, si fuerint causæ ipsorum per se, per accidens verò, si fuerint causæ ipsorum per accidens ex parte causæ, vt iam dictum est.

Altero modo, effectus raro euenniunt ex parte efficientis causæ, & per accidens, quia raro sequuntur ad effectum per se illius causæ, vt inuentio thesauri raro euenit, quia raro iungitur cum effectibus per se causarum, possuntque poni effectus per se, quin hi ponantur, & tales effectus raro accidentes à casu, vel fortuna dicuntur.

Dubiũ cur etiam posita causa raro euenniunt. Dubitabis, vnde est, quòd isti effectus hi effectus posita causa, raro euenianr. id ex eo fit, quòd talis causa non est per se illius effectus, nec secundum se ipsum at. tingit, vt de ratione sossionis nõ est quòd sit

sit inuentio thesauri, quòd si talis effectus sequitur, est, quia alia etiam causa concurrit ad illum, & rarò concurrit, vt si inuentio thesauri est, non solùm est fossio, sed etiam præcessit causa ibi ponens thesaurum, quæ rara est.

Quando effectus, p ueniant, sem p, aut frequẽter

Cùm autem effectus causam habet per se, posita causa sequitur effectus, aut semper, aut frequenter, vt dicit Albert. ca. 13. tract. 2. Si enim est causa per se, & non habens vllum contrarium impediens effectum ipsius, effectus semper sequitur, ipsa posita, vt sequitur eclipsis, sequitur dies, nox, & alij immutabiles effectus: si verò est causa, quæ habet contrarium, id est, quæ operatur circa materiam, quæ receptiua est multorum, tunc accidit ipsius effectum impediri, sed frequenter euenit effectus, licet aliquando deficiat quomodo homo nascitur aliquando cum sex digitis in vna manu, sed rarò, frequenter verò cum quinq; , & naturales effectus cùm impediri possint, hi nempè, qui circa materiam sunt, frequenter eueniunt, sed non semper.

2. cõclusio

Secunda conclusio, nulla potentia naturalis proxima est actiuum principium effectus ad vtrumlibet. Hæc conclusio est ad declarãdum argumentum, in quo dicitur, quòd potentia effectus ad vtrumlibet non est actiua: hoc autem declaratione indiget.

Nota varia genera potẽtiarũ passiuarũ.

Tu igitur aduerte, quasdam esse potẽtias actiuas, quasdam verò passiuas. Passiuæ sunt, secundum quas recipitur aliqd. Actiuæ secundum quas agitur. Passiuæ sunt, aut proximæ, aut remotę. Proximæ sunt determinatæ ad vnum actum, & formam, vt materia proxima cuiuslibet cõpositi ad vnum est, puta ad formam illius compositi: & ita forma respectu suę materiæ proximę non est ad vtrumlibet, sed semper loquitur, aut frequenter eò, quòd talis materia ad ipsam inclinatur. Potentiæ verò passiuæ remotæ æqualiter se habent ad opposita, cùm non magis ad vnũ quàm ad alterum aptæ sunt, vt potentia materiæ primæ ad formas, & potentia corporis in cõmuni ad album, vel nigrũ, vnde tales formę respectu materię remotæ sunt effectus ad vtrumlibet, cùm ipsa materia non magis ad vnum, quàm ad alterum apta sit, & hoc inest omni potentiæ passiuæ remotæ, vt æqualiter, & ad vtrumlibet se habeant respectu formarum & effectuum.

Nota varia genera potẽtiarũ actiuarũ.

Potentiæ autem actiuæ similiter se habent: Quędam enim sunt proximæ, quędam remotæ. Proximæ sunt, quæ sunt principia actionũ per se, vt potentia ignis ad comburendũ. Remotæ, quæ non sunt per se, & sufficientia principia ad actionẽ, vt potentia motiua nõ mouet animal nisi accedente appetitu ipsius animalis.

Aduerte vlterius inter has potentias actiuas esse quasdam rationales, quæ libera principia sunt, vt voluntas humana: quasdam naturales, vt potentiæ aliorum agentium sine libertate. Potentiæ actiuæ naturales proximæ non sunt oppositorum, sed vnius, vt potentia ignis tantùm est ad comburendum, non est ad nõ comburendum: ab extrinseco enim accidit non comburere defectu obiectę materiæ: similiter potentia oculi ad videndum est, non ad non videndum.

Vlterius potentiæ actiuæ remotæ naturales actiuæ esse possunt aliquando ad vtrumlibet, vt potentia motiua est ad mouendum, & sedendum, sed hæ remotę dicuntur, quia non agunt, nisi determinãte eas appetitu, ac ob id aliquid habent passionis, vt possit dici, nulla potentia naturalis est omninò actiua effectus ad vtrũlibet: & hoc est quod diximus in conclusione secunda, ac propterea benè dicitur in documento, quòd talis potentia nõ est efficiens, nec fortuna, vndè cùm sedere, stare, comedere, non sint à sola potentia, nisi determinante appetitu, illi effectus sunt comparandi non ad solam potentiã, sed simul etiam cum appetitu, & tunc non sunt ad vtrumlibet, nec præter intentionem.

Sed nota quòd diximus de potentia naturali, nam voluntas, quæ dicitur potentia rationalis, est ad vtrumlibet, & est principium proximum, sed de ea dicendum est alibi.

3. cõclusio

Tertia conclusio, quæ ex his sequitur, est. Illi effectus ad vtrumlibet non sunt fortuiti, aut casuales: & hæc est propositio communis: ratio est. Si enim comparentur ad solam potentiam indifferentem, tunc ex ea non sequuntur, quia non est sufficiens per se operari: si verò comparentur ad principium proximum, est iam potentia determinata, & tunc non sunt ad vtrumlibet.

Ad 1.

Ad primum argumentum Auice. dico cum Alber. & Auer. quòd per ea, quæ nec semper, nec frequenter eueniunt, intelliguntur, quæ rarò accidunt: nec est insufficiens diuisio, illic enim diuiduntur effectus procedentes à causa agente & efficiente proxima, & hi sunt tres, nam ad vtrumlibet effectus ad materiam referuntur.

Ad 2.

Ad secundum dico, quòd ille dicitur à casu deambulare non respectu sui, sed respectu huius inuenientem ipsum deambulantem, hoc enim præter intentionem huius, & rarò euenit, quamuis respectu deambulantis id potuerit esse ex ipsius intentione. Hæc satis de quæstione.

An sit fatum. Quæstio. XI.

De quib. agẽdum, ac qd sit fatum.

QVia fortuna aliquam videtur habere conuenientiam cum fato, cum aliqui effectus fortuiti fato soleant asscribi, quid ipsum sit, & an sit, & quæ sub ipso sint, breuiter explicabimus.

Fatum autem variè definitum est à multis. Appuleius enim, & Firmitius, & Ptolomæus, vt refert Albert. tractat. 2. cap. 19. dicunt fatum esse causarum colligantiam ex astrorum motibus, ac vi efficaciam trahentem: existimant enim omnes inferiores effectus à cælis tanquam à causa vniuersali prouenire, sed non immediatè, sed mediantibus causis particularibus, vt autem sunt effectus particulares determinati, ita etiam sunt causę particulares determinatę ad tales effectũ: ordo igitur iste causarum vniuersaliũ, & particularium ad effectum quemlibet cõueniens dicitur apud hos fatum, qui ordo pendet à virtute astrorum influente in hæc inferiora, & per certas causas particulares operante effectus particulares.

1. Definitio fati.

Secunda definitio.

Alij aliter definiunt, Seneca 2. lib. q. natur. cap. 36. dicit, Fatum est incuitabilis necessitas rerum omnium, & actionum, quam nulla vis potest irrumpere cõ, quod secundum scientiam à Iouis dispositione, & à consilio definito Deorum dependeat.

Nota.

In cuius declarationem aduerte duo: Alterum est, Deum ab æterno omnes futuros effectus præcognouisse sin ul: omnia enim, quæ successiuè per totum tempus futura erãt, Deo simul ab æterno fuerunt præsentissima, imò ab ipso ordinata, vt essent.

Alterum est, quod sic Deus voluit hæc omnia esse, vt quædam mediantibus causis particularibus, & vniuersalibus essent, ac ob id præcognouit, & ordinauit eas causas, vt quædam communes essent, quædam particulares, quædam horum, quædam illorum effectuum, ac iste ordo constitutus in causis particularibus, & causis extra se ordinatis ad effectus dicitur fatum, quasi factum, & præordinatum.

Hanc duplicem veritatem coniunxerunt Stoici cum quodam errore, dicebãt enim ob id, quòd istæ causæ in effectus proprios prędordinatæ sunt, & præuisæ à Deo, omnes effectus necessariò prouenire, vnde fatum ponit necessitatem in rebus & aufert libertatem nostram, quod quidem falsum est, vt dicemus modo: Ex hoc patet definitio Senecæ proposita.

Tertia de finitio.

Alij attendentes illas duas veritates aliter definierunt, nempè, Fatum est complexio causarum à prouidẽtia primę causę depẽdens. Ita definit Hermes Trimeg. vt quidam illi tribuunt.

Quarta definitio optima.

At omnium optima est definitio Boet. lib. 4. de consol. prof. 6. Fatum, inquit, est inhærens mobilibus dispositio, secundũ quam diuina prouidentia suis quæq; nectit ordinibus. Ac si dicat, est ordo in causis naturalibus constitutus ad effectus à Deo glorioso præordinatus, & præcognitus.

Nota.

Vbi nota, quòd ordo causarum iste potest considerari, vt est in diuina mẽte ordinante omnia, & sic prouidentia dicitur. Altero modo, vt est in ipsis rebus ordinatis & dispositis, & sic dicitur fatum. Ac ob id dicitur talis ordo dispositio rebus inhærens, vt illic exponit sanctus Thomas.

cõfutatio aliarũ definitionũ.

Et ista est optima definitio fati. Prima enim, quæ erat Astrologorum, non sumpsit primam originem, & radicem fati, quæ Deus est, sed secundam, puta cælorum virtutem: hæc enim, licet vniuersalis

lis causa sit horum naturalium, sed non est prima, quia etiam ipsa est præordinata à Deo. Definitio autē Senecæ miscuit falsum cum vero, puta necessitatem esse in fato. Tertia definitio bona est, sed non ita clarè fatum explicat, sicut ista Boe. ob id ista recipienda est.

Primū dubiū an verè sit fatū

Dubitatis tamen, an fatum verè sit, nā videtur Christiano non licere loqui de fato, dicit enim Grego. in homili. Epipha. absit à fidelium cordibus, vt fatum aliquid esse dicant.

Respōsio in quo sē fu fatū cōcedēdum sit, vel negandum.

Dico, quòd fatum esse nulli dubium est, & id à Theologis conceditur: quod tamen Christiana veritas negat, est fatum imponere necessitatem rebus omnibus, hoc enim falsum est: Deus enim gloriosus ad effectus contingentes causas præordinauit contingentes, ad necessarios autem, necessarias, & hoc est, quod dixit Boet. in definitione, suis quæq; nectit ordinibus. Vnde Deus præsciens, & præordinans causas, & effectus, non imponit ob id rebus necessitatem, quia quamque causam agere secundum modum suę naturæ, & effectus pariter modo suæ naturę prouenire permittit, & hæc etiam est sententia Peripateticorum, vt videre est apud Simp. Themi. Philo. sic, & Ammō. primō, Perihet, cap. de fut. contingentib., & Psellium, & Magentinum, ibidē Theodorum, itē Metochit. hic, & Alex. Aphro. in lib. de fato. Plutarchum in opere de fortuna. Plotinum in lib. de fato. Vide item Gregorium Nissenum, in li. de fato, & inter recentiores Iulium Sirenium, in opere quod de fato conscripsit.

Triplex error de fato. Primus.

Ex quo colligitur triplex quorundam error. Quidam enim existimantes si tale fatum esset à Deo præordinatum, omnia prouentura necessariò, dixerunt non esse fatum, nec Deum esse futurorum omnium præscium, in quo grauiter errauerunt, & hi fuerunt Auer. & Cicer. lib. de natura deorū, quem reprehendit Aug. 5. ciui. cap. 9.

Secundus

Alter fuit error Crysippi, vt refert Aulus Gel. lib. 6. c. 2. & quorundam Stoicorum, qui Deum prescium dixerunt, & fatum esse, sed tamen omnia prouenire necessario, vnde ab homine libertatem abstulerunt, in quo etiam errauerunt, se vt bruta necessaria in suis actionibus constituentes.

Tertius

Tertius error fuit quorundam Stoicorum, qui effectus fatales posse mutari dicunt, nō alia ratione nisi placādo Deū, qui suam sententiam potest mutare, sicut sapientes homines sæpè faciunt, ob id dicebant propter hos euentus esse ferendū Deo caput agnæ albæ: caput ad notandū Deum esse sapientem: agnæ, vt notetur, quòd sit mansuetus: albę, vt muter euentum ex malo in bonum: sed hi errarunt: non enim Deus mutatur, hanc sententiam refert Alber. tract. 2. cap. 19.

Veritas autē est, quòd effectus mutari possunt, non ob Dei mutationem, sed quia causę, quę applicantur secundum se mutabiles sunt, & impedibiles.

Secūdum dubium, quænam fato subiaceant?

Dubitatur, quæ dicantur subiacere fato? dico omnia, quę sub cęlo sunt: hęc omnia motibus, & mutationibus, & alijs passionibus à cęlo, & elementis prouenientibus subduntur: cælum verò cùm non ab alia naturali causa corporea dependeat, non dicitur esse sub fato: non enim generatione, & mutatione factum est.

Vlterius homo, quantum ad suas actiones humanas, & liberas, non subditur per se fato, quia non à cælo, sed à Deo ipso hominis voluntas regitur: per accidens verò mouetur à cælis corpus, in quo ipsa est, alterantibus, ac ob id ipsam per corpus ad aliquos effectus inclinātibus, non tamen cogentibus, & ista satis de fato, nunc ad textus interpretationem redeamus.

CAPVT VII.

Quòd aūt sint causę, & quòd tot numero. Tex. LXVIII.

Quod nō plura, quā quatuor causarum genera assignata

POstquam causas, & ipsarū numerū, ac modos exposuit, nūc tot causas esse, puta quatuor genera, & per ea oīa physicū demōstrare probat. primo aūt ostendit, q̄ non sint plura genera, quàm quatuor assignata, id q; ratione logica. vt notat Auer. sic, Tot sunt causæ, quot propter quid, & media, & vltima, & immediata, in quæ resoluū-

Prima ratio logica.

tur, & causæ reducuntur demonstrationes: sed hæc propter quid non sunt, nisi quatuor: ergo & quatuor sunt. Maior est nota. Minorem inductione probat exemplari. In rebus immobilibus, puta mathematicis vtimur pro vltimo, & immediato, & propter quid definitione ipsa, vt quid rectum, quid commensurabile, & huiusmodi: at definitiones huiusmodi formæ vicem gerunt.

Nota.

Et nota, quòd Geometra non semper vtitur definitionibus pro medijs, sed per passiones quasdam probat alias: sed vltimum medium, & immediatum definitio extremi est.

Aut ad mouens primum. Tex. LXIX.

PRosequitur complere inductiōem. Fit, inquit, reductio aliquando ad mouens primum, id est, ad efficientem causam, vt propter quid certauerūt? efficiens causa est, quia furati sunt. alludit ad exemplum 2. Post. nempè bellum Thebanorum contra Phocenses, cuius efficiens causa fuit, quòd Phocenses inuaserant Thebanorum templum, illudque spoliauerant. Ponit rursus exemplum causæ finalis, vt propter quid certauerunt? finis fuit, vt dominarentur eorum: alludit ad bellum Regis Persarum cōtra Grecos, vt sibi eos subijceret. Rursus ponit exemplum materię, dicens in rebus, quę fiunt, & producuntur, illic materiam esse vnum ex propter quid, vt quare serra dura est? quia est ex ferro: & per ea q̄ fiūt, tam naturalia, quàm artificialia intelligit secundum Philop.

Cum autem causæ quatuor sint. Tex. LXX.

Ad Physicū spectat cōsiderare omnia causarum genera, & per ipsa genera, & per ipsa demōstrare.

NVMERO causarum probato, alterum probare aggreditur, nempè Physicum omnia hęc causarum genera considerare, & per ipsa demonstrare, & id vt Physicus est, & non mendicando causas ab alijs scientijs. At ne existimaret quis, dum audit has causas semper diuersas esse, & realiter distingui, dicit, quòd plerumque tres causę, puta forma, finis, & efficiens vnum sunt, forma quidem, & finis idem numero, nam forma rei genitę finis est generationis, est igitur eadem res, & forma, & finis, sed ratione diuersa: dicitur enim finis respectu ipsius generationis, quę est gratia formę introducendę, dicitur forma, vt dat esse ipsi genito, & forma rei generantis est efficiens causa formę genitę, cumque illę duę formę sint eiusdem speciei. simile enim sibi simile in forma generat, ob id efficiēs causa, & forma, & finis, vna res specie sunt, finis enim, & forma vnum numero, sed cum efficiente vnum specie.

An causæ semp inter se differant re.

Nota, quòd dicit, plerumque: quia vt notat Philop. id non semper fit, nam in agente æquiuoco, qualis est sol respectu horum inferiorum, non est efficiens eiusdem speciei cum effecta forma.

Nota.

Vlterius dicit Alex. quòd formę mathematicę non sunt finis: quia ibi non consideratur generatio vlla, hoc locum habet in formis generalibus tantum, hę enim sunt fines generationum, sed non rerum genitarum, finis enim rei genitę: est sua operatio.

Nota.

Atque omnino quæcunque mota. Tex. LXXI.

Fundamētū ad inuestigādum ex quibus causis demonstret Physicus.

VNum iacit fundamentum probaturus Physicum vti quatuor causis in demonstrando, & inuestigādo rerum suarum naturas, quod fundamentum etiam conducit ad declarandum, quo pacto Physicus vtatur efficienti causa; dicit igitur, duplex esse efficiens. Alterum, quod motum mouet, id est, dū alia mouet, ipsum mouetur, sicut ignis, dum agit in aquam, repetitur ab aqua, & manus dum mouet aliquid, mouetur & ipsa, alterum est mouens immotum, sicut Deus, & intelligentię: mouent enim alia absque eo, quòd moueantur in se, vel ab ipsis motis. id ergo efficiens, quod motū mouet Physicę est considerationis, quod vero immotum mouet non est Physicę, sed Metaphysicę, secundum se: secundum quid enim ad Physicum spectat, non tamen secundum ipsius essentiam.

Duplex efficiens: alterum mouens motum, alterum immobile.

Scientiarū diuersitas ex diuersitate mouētiū.

Vnde distinguuntur tria negocia, id

est, tres considerationes, & scientię iuxta varia mouentia. Quædam enim sunt immobilia prorsus: sicut Deus, & Intelligentiæ, quæ nullo Physico motu mouentur, & talia ad Metaphysicam pertinēt. Quædam mobilia, sed incorruptibilia, sicut cæli, & hæc ad librum de cęlo pertinent, vt notat Philop. quædam mobilia, & corruptibilia, & hæc ad reliquam Physicæ partem spectant, quæ amplissima est.

Dubium. Dices, quare scientiam de cælo, cum Physica sit, distinguit à reliquis partibus.

Solutio. Puto ob id esse, quòd cælum vnicum participat motum, puta localem, qui causa est vniuersalis aliorum, & reliqua omnia naturalia omnes motus speciei participant, ab eoque dependent, nec dicas cum Auer. quod per negotia & cōsiderationes intelligit res cōsideratas, id enim est contra Græcorum expositionem, & literam Arist. peruertit.

Nota legitimū sensū contra Auer.

Quare ipsum propter quid. Tex. LXXII.

Cōcludit rōnē Ari. Physicū p oēs causas demonstrare.

EX fundamento proposito componit rationem Arist ad probandum Physicum considerare, & demonstrare per omnes causas, sic. Physicus generationes rerum considerat: sed in generationibus hæ causæ conueniunt: ergo per eas demōstrat, & ad ipsas reducit propter quid, & demonstrationis mediū. Minorem explicat, & probat: nam in generatione cōsiderat, quid fiat, post quod, nempè, an ex igne, vel aqua fiat aer, & hoc est forma: similiter quid primum facit generationem, & hoc est efficiens: similiter quid passum est, id est, subiectum, & hoc est materia, & sic semper vna causa post aliam quæritur secundum ordinem, quem inter se causæ habent, vt superius diximus.

Duplicia autem sunt principia. Tex. LXXIII.

Quod sit illud mouens immotum.

REpetit distinctionem superiorem duplicis efficientis, alterius, quod motum mouet, alterius, quod immotum mouet, sed vtrumque mouet alia motu Physico, vt motus, quo inferiora à Deo mouentur, ex parte ipsorum Physicus est: & in ipsis est: modo tamen explicat, quod sit mouens immotum, dicitque id esse id, quod non habet in se motus principium, sed alia mouet, & hoc est primum ens omnium principium.

Nota. At quia nondum probatum est tale ens esse, quod moueat immotum vsque ad libr. 8. Physico. ob id loquitur conditionaliter, non tamen quòd de eo dubitet.

Et ipsum quid est, & forma. Tex. LXXIIII.

Quod sit mouens motū de quo proprie Physicus.

MVltipliciter locus exponitur, sed mihi cum Philop. dicendum videtur, vt cum Aristot. posuisset duo esse mouentia, & vnum assignasset, nunc velit alterum assignare & hoc Physicum est, quod motum mouet, atque ob id non inutiliter repetit hanc diuisionem mouentium, quam iam text. 71. posuerat. Illic enim non explicuerat, quæ essent illa mouentia, sed cuius considerationis, nunc quæ sint, docet: cumque dixisset esse mouēs immotum, quod est omnium primum ens, hic dicit alterū mouens motum esse formam.

Ne quis autem diceret, quomodo formæ mobiles sunt, nam formę Mathematicæ, & Metaphysicæ non mouentur, nec per se, nec per accidens, id declarat dicēs se loqui de formis in materia, quæ fines sunt generationum, ac ob id mobiles, & mutabiles sunt: intellige, non per se, sed ratione compositorum, quorum formæ sunt.

Quare cum natura propter aliquid.

Qd Physicus etiam demonstret p se, & illū cōsideret.

TRES causas solùm probauit in generatione esse, ac ob id à Physico considerari, finem reliquerat, hunc verò modò probat sic. Natura agit propter finem: sed hæc scientia naturam speculatur: ergo, & finem ipsum. Vnde ex omnibus his infert Physicum considerare omnes causas, & per eas demonstrare, vt quòd hoc fiat: quia hoc est, id est, per causam efficientem, & quòd hoc fiat, sicut conclusio ex premissis, id est, per materiam, & quod quid erat esse, id est, per formam, & quia melius est propter rem hanc, id est, per finem. Et nota, quòd finis dicitur optimū, & melius non simpliciter, id est, respectu omnium rerum, sed secundum quid, respectu eorum, quę ad finem sunt, hęc omnia clara sunt ex præcedentibus.

CAPVT VIII.

Dicendum igitur primum quidem. Tex. LXXV.

Qō, an natura agat pp finē & vnde necessariū p ueniat.

DVAS quæstiones admodū prętenti instituto conueniētes proponit determinandas, altera est, an natura propter finem agat, id est, an actiones, & res naturales, quæ factæ sunt, propter aliquem finem factæ sint, & hæc quæstio oritur ex eo, quòd in præcedenti textu dictum est, naturam esse propter aliquid.

Altera quæstio est, vnde sumatur necessarium in rebus naturalibus, id est, cū res naturales sint necessariæ, puta quod oculi huiusmodi sint, quòd animal tali modo, quòd planta tali, quòd diuersę partes modis diuersis, an id prouenat à materia, vel ab aliquo fine.

Opin. antiquorū q̄ natura nō agat pp finem.

Antiqui enim ad solam materiam recurrebant, puta ad calidum, frigidum, & elementa, vnde non aliam rationem reddebant, quare res essent tales, nisi propter materiā, ex tali enim materia necesse hoc fieri, quòd si duos antiquos præter materiam alias posuisse causas efficientes, posuit enim Emped. litem, & amicitiam. Anaxag. mentem. Respondet Aristot. quòd non posuerunt has causas in generationibus, & rebus particularibus, sed in sola mundi constitutione, postquàm nullam ponunt efficientem causam. Et iste est sensus illorum verborum. Tangētes valere sinunt, id est, à principio ponentes talem causam, postea permittunt, & remouent. Ista quæstio vtilis est ad cognoscendum, quomodo potissimè demōstrandum, an à fine, an à materia.

Habet autem dubitationem. Tex. LXXVI.

PRimam quæstionem determinaturus ponit rationem pro parte negatiua, dicens hoc facere dubitationem, Vt dicamus naturam non agere propter finem, quod antiqui existimabant dicentes res omnes tales esse propter materiam, quòd autem materia talis sit, à casu dicebant fuisse, vt dentes sunt tales, & oculi tales propter materiā talem, quòd verò talis fuerit materia, & quòd dentes acuti in parte anteriori, oculi in loco superiori sint, à casu factum est.

Arg. ad p bandū natura non agere pp finem.

Argumentum autem hoc erat, cum fit pluuia, tunc fit, quia vapores ascendentes infrigidantur, & graues facti cadunt in terram: non autem pluuia fit, quia frumentum crescat, nisi per accidens. Nam si frumentum sit in area, & non seminatum, adhuc plueret, & tunc potius nocumentum, quàm augmentum illi fieret: si igitur in his non est finis aliquis, propter quem pluuia fit, nec erit in ipsis animalium partibus, sed solùm per accidens, vt sicut pluuia per accidens est ad augmentum frumenti, ita per accidens oculi sunt in loco eminenti ad videdum, & reliquæ partes per accidens factæ sint tales ad actiones, & fines suos: non enim intenditur finis in rei generatione per accidens.

Obiectio. Quod si quis obijciat, quòd res non conseruantur, nisi cum aptæ sunt ad tales fines: ergo sunt intenti à causis. Dici posset, & dicebant illi philosophi, verum est, quòd res non conseruantur, nec sunt, nisi ad tales fines aptæ sint, sed non ob id à natura intenduntur, sed per accidens, sicut in exemplo de pluuia.

Solutio.

Vnde citat Emped. admittentem non conseruari res, nisi sit apta ad taliter operandum, puta secundum naturam suam: cum enim nascitur animal dimidium habens tauri, & dimidium hominis, tunc non conseruatur, cum non possit propriam exercere operationem; dicebat tamen, quod non sit animal tale propter operationem, nec propter finem, nisi per accidens, hanc igitur dicit esse rationem dubitandi, & si qua est alia similis.

Ratio igitur, quam dubitauerit. Tex. LXXVII.

Mul.

Quodnq; agat propter finē. Prima rō.

MVltis rationibus redarguit opinionem, probatq; naturam agere propter finē, ac facit argumentum primum in secunda figura, vt dicit Philop. Quæcunque à casu, vel fortuna fiunt, nec semper, nec plerumq; fiunt: at res naturales semper, aut frequenter tales eueniunt: ergo res naturales à casu non sunt, sunt igitur propter finē, quæ enim à casu non sunt, propter finem sunt. Maiorem ostendit exemplis, quod enim pluuia sit in hyeme, non videtur è casu, cum plerumq; fiat: sed si fiat, cum sol est in cane, puta in æstate similiter quod cauma, id est, æstus sit in æstate, nō est à casu, sed si fiat in hyeme, illud enim plerumque, hoc non plerumque fit: quæ igitur plerumque fiunt, non à casu, sed propter aliquem finem fiunt: huiusmodi sunt naturales effectus: natura ergo propter finem est, ipsi enim met Philosophi admittunt effectus naturales fieri plerumque.

Amplius in quibuscunque. Tex. LXXVIII.

Secū dum argu.

LOcus hic aliter à Themist. & Simp. aliter à Philop. aliter ab alijs exponitur, omnes tamen conueniunt esse nouum argumentum secundum: quod autem sit, non eodem modo docēt: mihi videtur sine dubio sic esse componendum, omissis illorum expositiōibus, quæ non consonant toti textui. Est igitur argumentum hoc sumptum ex arte, in qua constat res agi propter finem, cum secundum intellectum fiant, & electionem. Vbi finis est aliquis, illic & priora, & consequentia aguntur propter finem: sed in arte finis est: ergo in ea tam quæ fiunt prius, vt fundamēta, muri, domus, quàm quæ fiunt consequenter, vt tecta, & reliquæ partes, agūtur propter finem. Totum hoc verum est, sed vlterius colligit. Quæ aguntur propter finē, apta sunt ex natura sua esse propter finem, & ecōtra: ergo illæ res artis, quæ ab arte propter finem aguntur, aptæ sunt propter finem esse secundum se natura, ergo rei propter finem est. Quòd verò sit res apta fieri ex natura sua propter finem, sicut agitur ab arte, probat: quia si natura domum faceret, non aliter, quàm ars faceret: & si ars hominem, aut plantam, vel aliam rem naturalem faceret, sicut natura faceret. vtraque igitur propter finem est. Et aduerte hanc argumenti huius expositionem.

Et omnino ars alia. Tex. LXXIX.

Tertiū argum.

TErtium facit argumētum ad idem probandum. Ars aut perficit naturam, aut ipsam imitatur: Sed ars propter finem facit: ergo & natura. Vocat artem perficientem naturam, quæ ipsam iuuat, vt medicina, agricultura naturæ operationem iuuant, siue quæ facit ea, quæ natura non facit, sicut vestes, domos. & similia. Vocat artem imitantem naturam, quæ similitudines effectuum naturalium facit, vt ars pictoria, sculptoria, & similes. Posset etiam dici hoc non esse nouum argumentum, sed præcedentis confirmationem.

Maximè autem manifestum est. Text. LXXX.

Quartum argu.

QVartum facit argumentum, quod est velut inductio quædam. In animalibus comperimus illic actiones, & res propter finem esse, vt in araneis telas construentibus, & in hirundinibus nidum facientibus, & in alijs animalium mirandis actionibus, quæ propter finem apparent esse, adeo, vt talia animalia videantur habere intellectum, & artem, & re vera non habent. Vlterius in plantis, si scrutamur ipsarū opera, propter finem videntur: producunt. n. folia, quibus fructus defendant ab extrinsecis nocumētis: mittūt radices deorsum, quibus terrā sugant: ramos sursum, quæ oīa videntur non temerè, sed gratia alicuius fieri: agit ergo natura propter finem, etiam in alijs, licet non ita appareat.

Et quoniam natura duplex. Tex. LXXXI.

Quintum argu.

QVintum argumentum est, Duplex est natura, materia nempè, & forma: sed materia, & reliqua sunt propter formam, quæ finis etiam est: ergo natura propter finem agit.

Pecca-

Peccatum autem fit, & in ijs. Tex. LXXXII.

6. Argum.

IVxta expositionem Themist. & Philop. S. Thom. & aliorum, Aristot. soluit rationem antiquorum, qua naturam non agere propter finem existimabant, ita tamen soluit, vt solutio simul sit argumentum nouum ad probandum intentum, & erit sextum argumentum: dicebant ergo illi. Si natura ageret propter finem, non erraret à suo fine, sed errat aliquando: fiunt enim multa monstra: Respondet Arist. quòd sicut in arte etiam errare contingit, non tamen ob id ars non agit propter finem: ita in natura.

Et argumentum ex hoc sumitur. Non contingeret peccatum, & error in arte, nisi propter aliquem finem ageret: hic enim est error, & peccatum artis, cùm finem intentum non attingit, vt Medicum, cùm non benè potionem ministrat, vt sanitatem consequatur, & Grammaticum, cùm non benè scribit: peccare dicimus: ergo ita similiter in natura non error, aut peccatum accideret, nisi ipsa finē intenderet, quem non consequens, errat.

Vnde dicit contra Emped. qui in prima compositione mundi homines natos esse dicebat dimidium habentes bouis, & alia huiusmodi, & hoc à casu fuisse, non quòd natura propter finem ageret. Dicit autem Aristot. illa monstra tunc accidisse, quia natura intēdebat finem aliquem, & ob alicuius defectum non attingens eum, errauit, sicut modo natura intendit animalia recte constituta, ac ob defectum seminis monstra fiunt, hoc tamen arguit naturam propter finem agere.

Amplius necesse est. Tex. LXXXIII.

7. Argum.

PRosequitur intentum confirmare dicta antiquorum simul reprehendendo, quod à casu fierent res naturales, & facit argumentum septimum. In quibus ordo certus, & constitutus inuenitur, illic vnum est propter aliud, & propter finem: sed in generatione animaliū ordo constitutus est: siūt enim animalia ex semine præcedente, & non statim ex semine fit animal, sed mollescit, & disponitur prius semen: igitur generatio hæc secūdum aliquem finem fit, & nō à casu.

Amplius, & in plantis.

8. Argum.

ARgumentum octauum facit præcipuè contra Empedo. qui dicebat monstra ex varijs animalibus cōposita fieri: quia natura agit à casu, & nō propter finem, argumentum est hoc. Si ob id illa monstra sunt, puta bouigenea, viriprora, id est animalia ex medio bouis, & medio viri consistentia, quia natura agit à casu, sequeretur, quòd vbi minus apparet finis, & magis videtur casus, essent illa monstra frequentiora, puta in plantis: sed id non est, non enim est monstrum ex duabus speciebus plantarum, vitigeneum oleoprorum, id est, habens dimidium vitis, & dimidium oliuæ: non ergo ob id monstra eueniunt.

Et nota, quòd non negat Aristo. monstra esse in plantis, sunt etenim, sed talia monstra, qualia in animalibus ponebat Empedo. Nota.

Nota etiam, quòd hic loquitur de naturali generatione, in qua partes geniti continuantur, nam per insitionem tales plantæ compositæ inueniuntur, sed illæ partes non sunt ita continuæ. Nota secundo.

Nota etiam, quod hæc nomina sunt simul legenda, nempè bouigenea, viriprora, id est, bos habens anteriorem partem hominis, similiter vitigenea oleoprora, id est, vitis habens superiorem partem oliuæ. Nota tertio.

Vbi aduerte, quod quando accidit aliquod mōstrum in natura, non est prorsus alienum ab effectu intento: non enim homo pro homine equum, aut equus pro equo lapidem generat, sed aliquid accedens ad effectum intentum, & hoc arguit naturas etiam deficientes in effectibus suis, propter finem aliquem agere. Nota quarto.

Amplius oportebat, & in seminibus. Tex. LXXXIIII.

9. Argum.

NOno probat argumento. Si enim casu accidunt res naturales, vt isti dicunt, posset etiam casus esse

esse in seminibus, vt ex quolibet fieret quodlibet, cùm nullum propter finē sit, quod tamen impossibile est: non ergo à casu eueniunt ista naturalia.

Decimũ argu.

Et quæ finem auferunt, ac dicunt naturam non intendere finem, profectò & tollunt naturam, & entia naturalia, & hoc est argumentum aliud decimum. Et probat id. Hæc enim sunt entia naturalia, quæ ab aliquo interno principio mota non cessant, quousque finem attingãt, & quiescant in eo, nec ipsum transgrediantur, nec in omnibus vnus est finis, aut quilibet finis in singulis, sed in his vnus, in illis alius, quem si non semper, saltem frequenter attingunt, & semper attingerent, nisi impedirentur: sunt ergo naturalia, & natura propter finem, & hoc experimur in motibus elementorum, & animalium, plantarum, & reliquorum, quæ non nisi certo obtento fine cessant, nec ipsum transgrediuntur.

Id autem cuius gratia Tex. LXXXV.

Solutio rõnis cuiusdã Antiqnorũ.

ALiud dictum antiquorum reijcit: dicebant enim antiqui, quòd effectus naturales sunt à casu, quia nõ sunt intenti à natura, licèt sequantur à natura, sicut si quidam veniret huc, non vt lauaretur, tamen re vera lotus est, tunc esse lotum sequitur ex eo, quod iste venit, sed quia non intendebat id, à casu dicitur. Reijcit hoc Aristo. dicens, quod nõ satis est, quòd non intendatur ab illo, sed quòd nec sit semper, nec plerunque: cùm autem naturales effectus semper aut plerunque sint, à casu non sunt, sed intenti: effectus enim semper, aut frequẽter prouenientes à causa secundum intentionem sunt.

Inconueniens autem est non opinari. Tex. LXXXVI.

Solutio alteri rationis antiquorum potissimę.

VLtimum motiuum, & maximum antiquorum redarguit: dicebant enim naturam non agere propter finem, quia non deliberat, & vtitur cõsultatione, non enim agentia naturalia cognoscunt, & in hoc decipiebantur, cùm aliud sit agere propter finem, aliud agere ex proposito: Agere propter finem solum dicit actionem ex se, & res ex se in aliquem finem tendere: Ex proposito verò agere superaddit cognitionem illius finis in eo, quod agit, hoc autem solùm est in homine, vt dicemus.

Altera solutio Aristo.

Aristo. tamen hac via reijcit dubium dicens, quòd nec ars vtitur consultatione, non enim consulit faber lignarius, an ex ligno fiat arca, sed absque deliberatione ex ipso ligno facit, vnde si in ligno esset illa ars, non secùs faceret arcam, ac modò, cùm est in mente artificis. Et in hoc differt actio artis ab actione naturæ, quòd hæc à forma interna, illa ab externa procedit, vnde assimilat actioni naturali, cùm medicus se ipsum sanat, licèt non sit verè ars natura.

Nota.

Nota, quòd ars sæpè deliberationem, aut consultationem non habet in his, quæ effectus sunt, sed certam materiam sumit absque deliberatione. Prudentia consulit de tempore, de circumstantijs, quibus effectus fieri debet.

CAPVT IX.

Quod autem ex necessitate est. Tex. LXXXVII.

Secunda ꝗo in Ari. qualis necessitas reꝗratur in naturalibus.

PRIORI quæstione determinata, posteriorem aggreditur, nempè, quo modo necessitas sit in effectibus naturalibus, & aduerte, quòd in pręsenti duplex est necessarium. Vnum quod à materia proficiscitur, vt necesse est ferrã esse duram, quia ex ferro facta est, & hoc dicitur simpliciter necessitas: Alia est à fine, vt cibus dicitur necessarius animali propter vitæ conseruationem, & tale necessarium dicitur ex suppositione.

Sensus qõnis.

Est igitur quæstio, an res naturales necessariò tales sint à materia, vel à fine, postquam iam finis in natura constitutus est.

Antiquorum opinio à sola materia sumit necessitatẽ.

Citat opinionẽ antiquorum: hi enim nõ ponentes finem in natura totam necessitatem materiæ tribuebant, vt si peteres ab eis, quare domus habet quasdã partes superiores, quasdam inferiores necessariò. Respondebant: quia constat ex partibus

partibus grauioribus, quę locum inferiorem petunt, quales sunt lapides: & cõstat ex leuioribus, quæ locum superiorem appetunt, qualia sunt ligna. Idem in rebus naturalibus dicebant semper necessitatis causam totam materiæ reddentes. Non enim aliam causam cognoscebant, vt superius dictum est.

Attamen non sine his. Tex. LXXXVIII.

Arist. sententia ꝗ non solũ à materia sumatur necessitas, sed ẽt à fine.

QVæstioni respondet dicens necessitatem quidem esse à materia, tamen adhuc materia sumit necessitatem à fine, quod alij dicunt, necessitas est à materia: ratio verò necessitatis est à fine, vt domus quidem talis est, quia talem materiam habet, vt dicunt ipsi, tamen adhuc talem habet materiam, quia ad talem finem est, puta ad defendendum se, & occultandum noxijs externis: similiter serra necessariò est dura, quia ferrea est, ferrea tamen est à fine, quia ad scindendum est.

Primò exemplo ostendit.

Vnde concludit necessarium esse à materia, sed non vt in fine, in forma verò, vt in fine est, rationem enim vocat formam, quia à forma ratio, & definitio procedit.

Est autem necessarium, & in disciplinis. Tex. LXXXIX.

Secundò similitudine.

VTITur comparatione quadam, qua necessitatem finis explicat similitudine necessitatis, quod est in syllogismis, & discursibus, seu demonstrationib⁹, quas doctrinas vocat, in quibus præmissæ inferunt conclusionẽ sic: quòd si pręmissæ sunt verę, conclusio vera est, non tamen si conclusio vera est, ob id præmissæ veræ sunt, sed negatiuè valet, si conclusio non est vera, nec præmissæ verę sunt. Ita similiter est necessarium in fine, & materia, sed finis habet locum præmissarum, & principij, materia verò similatur conclusioni, vnde si finis est, vel futurus est, & materia est, vel erit, non tamen ècontra, sed si materia non est, nec erit finis, & forma nec est, nec erit.

Nota, principiũ

Vnde fit, quòd eundem locum in actionibus teneat finis, quem principia, & præmissæ in syllogismo: Ob id dici solet, principium in speculabilibus est finis in operabilibus, id est, finis in actionibus; tenet locum principij primi.

in speculatiõe, est finis in operatiõe.

At quia posses dubitare, cuius est finis principium? Respondet, finem nõ esse principium actionum, & operationum, quibus res agitur, aut fit, sed ipsius cogitationis, quæ non est actio, qua fiat aliquid: ac si dicat, finis non est principium factionis rei, puta domificationis, sed est principium, quod præcognoscitur antequam domus fiat, & mouet appositum, vt fiat domus.

Qũo finis sit principium.

Nota hic, quòd per rectum esse intelligit præmissas vnius demonstrationis: Per triangulum habere tres angulos, intelligit conclusionem. Quæ autem sit demonstratio ista, scire parum præsenti loco conducit, & ijs, qui Euclidis elementa didicerunt, notum est.

Nota.

Quare si erit domus. Tex. XC.

Exemplaꝗ eorũ, quæ dixit.

EXempla ponit eorum, quę dixit. Sumamus enim finem, puta domus formam, si forma est, & lapides, & ligna, ac materia est, non tamen ècontra, nisi negatiuè, sicut à negatione cõclusionis ad negationem principiorum proceditur: Similiter serra nõ erit, nisi ferrum sit, & si ipsa est, ferrum est, non tamen si ferrum est, ipsa est.

Nota. Finis duplex gẽrationis, & rei genitæ.

Aduerte duplicem esse finem. Alterum generationis, & hic est forma geniti, ad quam materia ordinatur, & hoc vtitur hic Aristoteles. Alterum rei genitæ, & hic finis est operatio rei ipsius, vt finis oculorum est videre, & ignis comburere, & tunc tota res ordinatur ad finem, ac ita debemus vti, & procedere in hoc fine ad rem, & ècontra, sicut à forma ad materiam, vt dictum est: Vnde si habitatio, & visio sunt, & domus, & oculi sunt, non ècontra, nisi negatiuè: non est oculus: ergo nec visio, non est domus: ergo nec habitatio.

Necessariũ ẽ à materia, & à mutatiõibus ipsiũ.

Vnde cõcludit esse necessarium in rebus naturalibus à materia, & motionibus ipsius, id est, mutationibus, & alterationibus, quæ in ipsa sunt: non solum enim necessarium ad materiam refertur, sed in-

sed interdum etiam ad ipsius mutationem, vt quare verecundiam patiens rubefactus est, quia mutatio sanguinis facta est: hæc necessitas à motione materiæ est, quæ etiam à materia dicitur.

Et vtrumque quidem Physico. Tex. XCI.

Vtraque necessitatis cã ad Physicum pertinet finis, & materiæ, sed finis potius ac forma.

DVabus causis necessitatis positis, dicit vtramque ad Physicum pertinere, sed magis finem & formã, quàm materiam, quod dupliciter probat. Primò: quia adhuc causa necessitatis materiæ forma est, & finis, non ècontra, vt diximus. Secundò: quia in demonstratione potius vtimur forma tanquã principio quàm materia, & hoc, tàm in naturalibus, quàm in artificialibus, vt exemplo de domo, & sanitate explicat, & textus notus est.

Fortassis autem, & in ratione. Tex. XCII.

MAteriam non excludendam dicit, nam etiam demonstratio eã sumit, vt si serra est demonstranda, quod secet, mediũ sumi potest, quòd dentes tales, puta duros habeat, hos autem, quia ferrea est hæc Aristo. sed oportet ista examinare, multa enim notatu digna occurrunt, quæ declaratione maiori indigent, ob id textus expositione breuiter proposita, quæstiones aliquot ad ipsum attinentes determinare oportebit, sicut in alijs fecimus.

An natura agat propter finem.
Quæstio XII.

1. Argũ. HAEC quæstio est, vt aliqua dubia, quæ in textu prætermisimus, exponantur, ob id singulis argumentis singula proponemus. Primum est contra tex. 70. vbi dicitur finem, & formam idem esse re, videtur hoc falsum: finis enim cuiusq; rei operatio est ipsius, vt finis ignis calefacere, & hominis intelligere, & oculi videre, at operatio, & forma idem nõ sunt, igitur nec forma, & finis.

2. argũ. Secundũ contra tex. 75. vbi dicit, antiquos reducere effectus ad causam materialem, vt ad calidum, & frigidum: sed ista sunt actiua, calor enim, & frigiditas, actiuæ sunt qualitates, igitur falso dicit Aristot. illa esse materiam.

3. argũ. Tertiũ cõtra tex. 77. Illic enim dicitur, quòd non sunt à casu esse propter aliqd, & propter finem, videtur non esse ita, nã corruptio non est à casu, cùm sit frequenter, nec est propter finem: non enim natura intendit corruptionem.

Quartũ cõtra tex. 73. superiorem, dicitur enim, quod principium immotũ mouens nõ est Physicũ, videtur hoc falsum, cũ in lib. 8. Physic. de tali principio agatur, & in Metaphysica per rationes Physicas disputatur de eo. Quartũ.

Quintũ cõtra tex. 80. ꝙ non operetur araneus per artem, & intellectum, opera arancorum, & huiusmodi animaliũ sunt magis artificiosa, quàm opera procedẽtia ab aliqua arte: ergo sunt illa secundum artem, & præterea, quia talia animalia dicuntur habere prudentiam. Quintũ.

Sextũ contra tex. 91. vbi finem, & formam causam materiæ non ècontra dicit esse, videtur hoc contra id, quod diximus superius text. 30. de mente Auerr. quòd materia, & forma sunt sibi inuicẽ causæ. Hæc sunt argumenta præcipua in hac parte. Sextum.

Ad primum igitur aduerte, quòd duplex est finis, vt notant Simplic. Auer. & S. Thom. finis rei genitę, & finis generatiõis. Finis quidẽ rei genitę operatio ipsius est, finis verò generationis est forma rei genitæ. Si fuerit generatio substantialis, erit forma substantialis, si verò accidentalis, erit forma accidentalis. Hic autem in communi sumit finem, nec dicit Aristot. omnem finem esse idem cum forma, sed plerunque finem, & formam idem esse: hic autem pro fine generationis verum habet. Ad 1.

Cùm verò dicitur, quòd à fine ad materiam, & ad ea, quæ ad finem sunt licet affirmatiuè procedere, econtra verò negatiuè, non solùm finem pro forma respectu materiæ, sed pro operatione respectu compositi sumit, & in vtroque verum habet, vt in text. 90. expositum inuenies.

Ad secundũ, respõdet Auer. ꝙ in agente duo possumus considerare, & actionẽ ipsam, & rationẽ agendi formalẽ. Actio ipsa Ad 2. Respõsio Auerrois.

ipsa est ille motus, quo agens agit. Ratio actionis formalis est, quod actio sit in finem, & quòd agens ad agendum moueatur à fine. cum autem antiqui negassent rationem formalem actionis auferentes finẽ, reliquerunt actionẽ materialiter, ob id dicitur, quòd ad materiã reducebant.

Refellitur solutio Auer. Sed mihi hoc non placet, quia ratio actionis, ꝙ sit in finem, non est substantia ipsius actionis, vnde ablata etiam relatione ad finem, actio manet.

Nota. Ob id aduerte causam agentem duplicem esse. Alteram purè agẽtem, quæ rem facit non componendo ipsam, vt ignis facit ignem, sed non seipso facit ignem. Alteram non purè agentem, quę sic agit, vt rem seipsa componat, quomodo elementa se habent ad mixtum: agunt enim inuicem, & mixtum faciunt, ipsum componendo, ac ipsius partes materiales efficiuntur, & huiusmodi agentia materiæ locum respectu mixti facti obtinẽt, & sic antiqui reducebant effectus factos ad elementa, vt ipsam rem componunt.

Vera solutio. Vt patet solutio argumenti. Licet enim elemẽta, & illę qualitates actiuę sint tamen mixtum materiale componunt.

Ad tertiũ. Ad tertium Auer. dicit corruptionem esse ex materia tantùm, & non ex fine, nec hoc mirum esse debet, cum corruptio sit quid priuatiuum. sed sine dubio dicendum est, quòd corruptio dupliciter cõsideratur. Vno modo ex parte ipsius corrupti, & sic non est propter finem. Altero modo ex parte corrumpentis: & sic propter finem est, non quòd ipsa sit intenta tanquam finis, sed quia agens corrumpit, vt generare possit:, ac ob id in finem est ordinata: vnde benè dicit Arist. Quæ à casu non sunt, esse ex intentione.

Ad quartum. Ad quartum respondetur, duplex est cognitio, an sit, & quid sit. Quantùm ad cognitionem an sit Deus, & intelligentiæ pertinent ad Physicam considerationem, quia nõ est medium naturale aliud ad ostendendum talia entia esse, nisi res sensibiles, motus, & mutationes, quæ omnia Physica sunt, ac ob id in 8. Physic. de tali ente aliqua ex parte tractatur. At quantum ad cognitiõem quid sit, ad Metaphysicum pertinet, & hoc dicitur in isto textu, vbi traditur duplex agens, vt expositum est: & idem dicitur 2. lib. de gene. animal. cap. 3.

Circa quintum est difficultas de principio, quo mouentur animalia bruta ad suos fines consequendos, & ad sua opera exercenda. Fuerunt enim multæ sententiæ. Quidam dixerunt, quòd naturaliter habent insitam præcognitionem finiũ, ad quos mouẽtur. quod enim homo discursu, & intellectu præcognoscit, talia animalia à natura præcognoscunt. Ad quintũ dubiũ, qũo moueantur bruta ad suos fines. Prima sẽtentia.

Sed hoc non videtur verum. Oportet enim fines præcognoscere, aut in vniuersali, & hoc non est concessum brutis, puta vniuersalia cognoscere: aut in particulari: & tunc non sufficeret: non enim semel operantur, & sua faciunt opera, sed sæpè. cõfutatio primę sententiæ.

Alij dicebant, ꝙ operantur secundum intellectum, & artem, & huiusmodi operationis meminit in textu Aristo. Secunda sententia

Hoc autem falsum est, quia quæ secundum artem operãtur temporis succursu perfectius operãtur: & pretereà nõ æquè perfectè omnia indiuidua speciei illius artis operantur: non sic in brutis: semper enim æquè benè, & perfectè sua opera faciunt, vt araneus suam orditur telã, hirundo suum componit nidum: non igitur arte operantur. Confutatio secundæ sententiæ.

Alij dixerunt, quod operantur per memoriam, quam habent præcedentium effectuum. Sed nec hoc videtur verum. Hirundo enim nidum componit, nec vnq; vidit alteram nidum componentem: nõ igitur memoria operantur. Tertia sẽtentia, & eius cõfutatio.

Alij dixerunt, quòd operantur instinctu, & impulsione naturali. Sed nec hoc videtur verum, quia non differret modus agendi horũ animaliũ, à modo agendi inanimatorũ, & insensibiliũ, q̃ solo instinctu aguntur absq; aliqua cognitione. Quarta sẽtentia, & eius cõfutatio.

Ob id aduerte, quod animalibus à natura est quædã concessa facultas, qua sibi conuenientia, vel disconuenientia percipiant, quæ dicitur phantasia, vel æstimatiua, vel imaginatio, secundum hanc omnia animalia, quod sibi vtile, vel nociuũ est iudicant absq; vllo discursu, & ratiocinio, sed solùm simplici cognitione: hęc autem semper fertur in præsentia obiecta, & quæ sensibus substant, vel subiecta fuerunt, vnde nunquam animal vllũ de futuro iudicat. Quinta vera sententia. Primũ fũdamentũ animalia ꝙ phantasiã percipiũt cõuenientia, & disconuenientia sibi.

Quòd q̃dã animalia prouideant futura, & q̃dam non, quomõ.

Tamen sunt animalia in duplici differentia. Quædam percipiunt conuenientiam, vel disconuenientiam præsentem ita, vt nullo modo de futuro prouideant, sicut animalia, quę cibo præsenti pascuntur semper, nec nidum, nec quicquam aliud, quod futuro tempore eis sit vsui futurum, faciunt. Quædam alia conueniẽtia futura percipiunt, non sub ratione futurorum, sed ea in præsenti iudicant, quę posteà vsui futura sunt, licèt non id percipiant ipsa animalia, & talia dicuntur prudentia animalia.

Et illa imaginatio ipsorum, vt fertur in conuenientia futura, licèt non futura cognoscat, dicitur per analogiã prudentia, hoc igitur est principium, quo animalia, sua opera faciunt. Semper enim præsentia cognoscentia operantur, nec quicquam de futuro cogitãtia, dum præsentia semper operantur ad suos fines perueniunt.

Non agũt animalia libertate, aut consultatione, sed inclinatione imaginatiua.

In his aũt operibus non libertate aliqua, aut cõsultatione feruntur, sed inclinatione ipsius imaginatiuæ, quę naturalis est, sicut oculus in colores naturaliter tendit, & ob id dicuntur moueri instinctu naturæ. Concurrit etiam aliquando memoria ad hęc opera, nam formica aliquam memoriam habet, per aliquod tẽpus cumuli, à quo grana sumpsit, & regreditur, & hæc memoria magis lucet in animalibus, sed non sola memoria hæc facit opera, nec ipsa est semper necessaria.

Discrimẽ in modo quo agũt propter finem animalia, & insensibilia, & homo.

Vnde est notandum discrimen inter modum, quo animalia agunt propter finem, & insensibilia, & homo ipse, quod notauit S. Thom. 1.2.q.1. Insensibilia enim dicuntur agere propter finem, quia ex se, & ex natura ipsorum ad tales fines inclinantur nulla finium in ipsis cognitione existente. Bruta verò agunt propter finem, quia naturaliter feruntur in finẽ, quem aliquo modo cognoscunt, puta materialiter, cognoscunt enim ea, quæ ad finem sunt, & faciunt, sed quòd ad finem sint, non cognoscuntur: Homo verò finem præcognoscit sub ratione finis, & media per electionem in finem ordinat, & hoc dicitur agere propter finem secundum propositum.

Dubium.

Dices, quomodo potest esse, quòd aliquid in certum finem tendat, & nõ præcognoscat illum: nõ enim poterit ipsum attingere, sicut qui clausis oculis aliquò tendit.

Solutio.

Dico, quòd hoc cõuincit esse aliquam vniuersalem causam omnes omnium fines præuidentem, atque facientem, & inclinantẽ omnia in proprios fines, & hic est gloriosus Deus: vt enim sagittarius scopum inspiciens impetum sagittę imprimit, quo illum attingat, sic Deus gloriosus omnibus naturam dedit, qua etiã non præuisis finibus absque errore vsq; ad eos perducerentur, & hoc est, quod dicit Arist. 2. Physic. 58. & 59. & 1. Ethic. ca. 13. & 10. Ethi. c. 10. hominem agere, ceteras res naturales, potius agi, quàm agere, id est, ab aliqua intelligentia, quę ipsarum fines cognoscit, ad illos dirigi: ob id dicitur opus naturæ esse opus intelligentiæ non errantis.

Vnde isti antiqui negantes naturam agere propter finem, in alio principio peius errabant, non enim existimabãt Deũ omnium esse causam vniuersalẽ oĩa prouidentẽ, ac disponentẽ, vnde Auer. Com. 75. dicit hanc quæstionem naturã agere propter finẽ, vtilem esse pro cognitione diuinæ prouidentiæ, qua tamen ipse posteà nesciuit vti ad eandẽ Dei opt. prouidentiam dignoscendam, vt suo loco explicabitur. Hoc enim argumento non solùm concludit in Deo cognitionẽ, & prouidẽtiam rerum omnium in vniuersali, qualem ipse ponit, verùm cùm hi fines particulares sint, etiam in particulari.

Quasi ex ipsa prouidentia sequatur, q̃ vnumquodque in suum propositum finem sine vllo errore dirigatur.

Vnde patet solutio quæstionis, & declaratio, nempè naturam propter finem agere, nec opus est hoc argumentis alijs probare, quàm his, quæ in textu ab Arist. posita sunt.

Ad sextum dico, quòd materia & forma adinuicem sunt causæ, si forma cõsideretur, vt forma est: at si vt finis est, tũc nõ habet causam: finis. n. vt finis, est prima causa antecedens oẽs alias, & hoc etiam indicauit Arist. in textu dicens (materia nõ est causa illius finis) vbi finẽ, non formam eam vocat: si enim finis causam habet, tunc non finis, sed effectus rationem habet, & hæc satis de quæstione. Ad 6.

An

An monstra sint in natura.

Quæst. XIII.

De quib. agẽdum.

Circa hanc materiam de monstris, tria tractanda sunt: primum quid sit monstrum: alterum, quibus ex causis monstra procedant. Tertium, an monstra sint à natura intenta per se.

Definitio monstri.

Quid autem monstrum sit, definit Arist. in 4. de gen. animalium in cap. 4. esse oblæsionem rei præter naturam eius, in ijs quæ non semper, sed vt plurimum agunt, ex tex. etiam 82. hinc talis alia descriptio colligi potest. Est peccatum naturæ agẽtis ob aliquem finem, à quo frustratur aliquo principio corrupto: Cuius etiam naturam ego commodè existimo describi posse. Monstrum est effectus naturalis à recta, & solita secundum speciem dispositione degenerans. Dicitur effectus naturalis, nam in arte non est proprie monstrum, nisi similitudine, & analogia ad res naturales. In arte contingit peccatum, & error, cùm à recta regula artis deuiatur, sed talis effectus mõstrum non est. Dicitur, degenerans à dispositione recta: quia effectus naturalis non dicitur monstrum, nisi sit aliquis defectus, aliqua obliquitas, aliqua deuiatio ab eo, quod futurum erat secundum rationem illius effectus, ac ob id monstra dicuntur peccata naturæ, quasi deficiat, & erret natura in illo effectu faciendo. Dicitur etiam, solita, tunc enim monstra sunt, quando rarò, & non secũdum similitudinem aliorum effectuum, quæ frequenter procedunt. vnde modò apud nos gigantes monstra essent, quæ olim non erant. Dicitur, secundum speciem: quia tunc monstrum dicitur, cùm similitudinem specificam nõ seruat cum sua proxima principali causa: vnde si canis ex semine humano procederet, monstrum esset.

Nota.

Aduerte tamen, quòd etiam si monstra præcedant à causæ similitudine, non tamen ita in totum recedunt, vt nullam similitudinem obseruent, non enim ex homine nascitur oliua, nec ex arboris semine animal, aut lapis, sicut error artis nunquam est tantus, vt in totum deuiet ab effecto recto artis.

Quot modis cõtingat effectus in mõstris.

Hæ autem obliquitates effectuum monstruosorum fiunt tripliciter. Primò secundum quantitatem, vt cum exceditur propria quantitas, aut totius, aut alicuius membri: vel deficit, tam in continua quantitate, quàm in discreta, quo ad numerum partium, & membrorum. Secundò, cùm non est debita qualitas, quæ attenditur in figura, & colore, & dispositione, ac ordine mẽbrorum, & partium. Tertiò, cùm tempus non obseruatur, etiam si reliqua sint, vt puta, nascitur animal cum dentibus, puer cum capillis, & barba, vt refert Alber. omnes hę obliquitates effectum naturalem, aut omnes aut singulæ monstrum reddunt: vnde patet declaratio descriptionis.

Vnde dicatur monstrum.

Sed quare dicatur monstrum, colligi potest ex Ciceron. 2. de natura deorum, à monstrando, quasi aliquem futurum euentum monstret, & nunciet: scribit enim his verbis. Monstra, prædictiones, & præsentiones rerum futurarum, quid aliud declarant, nisi hominibus, ea, quæ futura sunt, portendi, & prædici: at quia non semper monstra notabile quid ostendunt futurum, dicunt alijs monstrum dici quasi quod digitis monstretur ab omnibus: cùm enim aliquid inconsuetum apparet, tunc ab omnibus signari solet, sed hoc parum refert ad institutum.

De causis mõstrorũ.

Circa causas autem aduertere oportet in generatione animalis conuenire quinque. Primum est virtus seminalis, quæ dicitur formatiua, & hæc est in ipso semine ab animali deciso. Alterum est materia ipsa, ex qua futurus est fœtus. Tertiũ, qualitates elementales quatuor, & calor, & humiditas naturalis, quorum contemperamento consistit animalis corpus. Quartum est locus, & continuum seminis, puta matrix fœminæ. Quintum est circunstans extrinsecum, & per hoc intelligo virtutem cælorum, & astrorum quæ ad generationem conuenit: similiter aerem, & locum circumstantem: similiter imaginationem ipsorum generantium. Hæc enim omnia multum ad prolis generationem faciunt: hæc quinq; ad effectum rectè, & debitè generandum debent inter se maximè habere proportionem, quæ si non seruetur, monstrum, & defectus

ctus in effectu contingit, quæ cùm multa sint multipliciter, & error prouenire potest, vnde monstrorũ diuersitas procedit.

Primò fit error ex parte materiæ in quantitate quo ad defectum. Est enim aliqua materia pauca nimis ita, vt virtus non possit omnes partes formare, & tũc homines nani paruæ staturæ procedunt. Aut defectus nõ est nisi in parte materiæ, & tunc fit obliquitas in aliquo membro, puta quod manus breuior est altera, aut caput paruum, & corpori improportionatum. Fit etiam error in numero quo ad paruitatem. Nascitur enim homo, aut vno oculo, aut quatuor digitis, aut absque membro aliquo ex defectu materiæ illius membri.

Primò Ex defectu materiæ.

Propter quod aduerte semen virtute esse etherogeneum, constat enim ex partibus virtute diuersis. Non enim quælibet partes sunt aptæ, vt sint ossa, vt sint nerui, vt sint aliæ partes: sed sunt partes virtute, & potestate diuersæ. Vnde patet, quod defectus vnius partis non poterit suppleri altera parte, ob idq; monstrũ ex defectu prouenit nõ vno modo semper.

Ex defectu virtutis.

Iste error in defectu etiam prouenit, ex defectu virtutis seminalis, cum debilis est, siue sit materia deficiens, siue nõ, cuius signum tradit Albert. quod monstrum frequenter accidit in partibus distãtibus à corde, & iecore, vbi residet virtus hæc, puta in manu, in pede, in partib. capiti inexistentibus: virtus enim minus agit in distantia.

Secũdo ex supabundãtia materiæ, vel multitudine.

Secundo fit error in quantitate, secundum magnitudinem, & pluralitatem ex materiæ abundantia, cui si adiungatur virtus formatiua fortis, fiũt effectus magnæ staturæ, & immodicæ, sed tamen bene proportionati. Si verò accedat debilis, & per totum semen sparsa, fit effectus magnæ quantitatis, sed membra indebitè sunt proportionata, quod si ista materiæ abundãria vni accidat membro, vel aliquibus, fit in eis improportio, aut secundum quantitatem, aut secundum numerum membrorum, vt plura sint, quam oporteat; & hoc pendet ex diuersitate, quã partes seminis in se habent, vt diximus.

Tertiò ex qualitatũ

Tertiò fit error in qualitatibus. Cùm enim calor vehemens est, vel valde remissus, & idem in cæteris qualitatibus, necesse est totam corporis, & partium eius constitutionem, quæ ab illarum temperamento pendet, euerti. Aliquando et iam in fœtu ante tempus abundat adeò calor cordis, vt faciat euaporationem partium terrestrium, & generentur capilli, & barba: & est in maxillis aliquando calor cum aliqua copia materiæ, vt generentur dentes.

nimia intensione, vel remissione.

Quartò ex separatione, vel cõiunctione materiæ in loco vbi res generatur.

Quartò fit error ex parte loci, vbi res generatur. Nam accidit materias loci diuersitate, separari, & postquam generari incipiunt postea confundi materias, & nasci bicorpora multis modis, aut parte superna, aut inferna, vt accidit coniungi aliquando, ex motu materiæ, vel motu loci ipsius accidit materiam diuidi ita, vt multiplicentur partes rei, & oculi, & ora, & nasus. Et Albert. narrat de quodam monstro habente vndecim ora, & vndecim linguas, & alia huiusmodi.

Quinto ex impressione corporũ cælestiũ & aliorũ externorum.

Quinto accidit error ex parte impressionum cælestium, & aliorum externorum, & fiunt monstra habentia capita, & pedes diuersorum animalium, & multa huiusmodi, quæ accidere solent: Cùm enim multa requirantur ad perfectionem effectus, quæ deficere possunt, absque dubio error multipliciter potest accidere. Sed satis sit de hac materia: non enim vlterius procedere præsentis est instituti, sat: sit causas in generali attigisse.

An natura intẽdat monstra. 1. Sententia.

Circa intentionem naturæ, an natura intendat monstrum: sunt multæ opiniones: Aliqui dicunt esse intenta de per se, propter pulchritudinem vniuersi, quæ maior fit ex effectuum varietate: sed hoc non videtur verum: illud enim est cùm effectus perfecti sunt: sed monstra sunt imperfecta, nec diu durant: & sunt adeò rara, vt sua varietate nullum speciei addant decorem.

2. Sent.

Alij dicunt, quòd sunt intenta per se secundariò: cùm enim, primùm effectum attingere non possunt, illum attingunt cum defectu.

3. Sentẽtia

Nominales dicunt, quod natura non intendit monstrum, sed monstrum intendit, ac si dicãt, quod effectum, quo ad ipsius substantiam intendunt, sed non quo ad illius obliquitatem, & defectum. Idem Themist.

4. Sent. authoris.

Sed mihi videtur in hoc esse dicendũ mon-

monstrum dupliciter posse comparari, & ad causam proximam efficientem, puta ad generans particulare: & ad causam vniuersalem, siue etiam ad causam particularem impedientem effectum per se, nam vbi monstrum est, ibi causa fuit impediens ne effectus perfectus produceretur: si comparetur ad generãs proximum tunc est effectus fortuitus, nec per se intentus, vt respectu hominis generantis monstrum non per se intentum: at si ad impedientem causam comparetur, dicitur per se intentum, nam licet causa impediens primò illam deformitatem non facit, tamen quia id facit, ad quod frequenter deformitas sequitur, dicitur mõstrum per se ab ea intentum eodem modo respectu causarum vniuersalium, quæ concurrunt ad modum causarum particularium, vnde qua parte cum impediẽte causa concurrunt, monstru intendũt.

Dubium quõ se habeat actio Dei optimi, & cõcursus eius in mõstrorũ procreatione.

Dubitabis tamen, quomodo gloriosus Deus concurrat cum causa impediente, & cum causa generante: si enim cum generante concurrit, quomodo ipsius cõcursus impediri potest?

Solutio.

Dico non esse dubium, quin cum omnibus causis concurrat, tamen concurrit ad modum naturæ ipsarum, vnde cũ causis fortioribus fortius cõcurrit, cum debilioribus debilius, & hinc prouenit, quod concursus in hac causa impediatur à cõcursu cum altera causa, non ex parte concursus, sed ex parte causarum, ad quarũ modum Deus ipsas iuuat, & hoc maximè ad Dei prouidentiam spectat.

Simile.

Sicut si esset supremus imperator sub se habens varios reges, quæ ab ipso, & armis, & exercitus peterent, ac acciperent pro ipsorum conditione, & modo, ac postea vnusque inter se dimicantibus, alter corrueret, quia debilior erat, sic Deus omnium primum, ac supremum principium omnia sustentat, omnibus dat virtutes ad operandum, & iuxta datas virtutes ad operandum iuuat, quod si congrediantur, fortius vincit, quamuis omnia à Deo iuuentur, inæqualiter tamen pro modo naturæ, & virtutis ipsorum, & hæc de quæstione.

An finis sit causa, & principium.
Quæstio. XIIII.

DVbium hoc tractandum erat in eo loco, quo de efficiente causa, formali, ac materiali disputatum est: at quia in fine libri de fine erat sermo hucusque distulimus.

Ratio in oppositũ.

Difficultas igitur est. An finis sit causa. Et ratio præcipua difficultatis est, quia quod non est, non est causa: sed finis, antequam efficiens operetur, non est: non ergo potest esse causa.

Quod si dicatur finem, vt est in intentione, & apprehẽsione esse causam, puta sanitas in mente infirmi concepta dicitur causa, licet nondum sit in rebus, tunc est argumentum, quia illud esse in intellectu est intẽtionale, & rationis: at ens rationis nõ est causa entis realis: non ergo illo modo finis est causa, & præterea, quia in carentib. cognitione, vel in nõ valentibus finem præcognoscere, puta in brutis, non esset causa finalis, quod falsum est.

Sentẽtia cõmunis.

In hac quæstione est responsio communis: non enim puto esse quod ad rem multas doctorum opiniones, licet in modo dicendi videatur aliqua controuersia.

Aliud est principiũ operandi aliud conditio operandi.

Aduerte pro declaratione esse in aliqua operatione duo, & principium operandi, & conditionem operandi. v. g. In calefactione principium est operandi, puta ignis, Conditio similiter est, puta approximatio agentis, & passi in operatione: ergò finis hæc duo sunt, & id quod operatur, & hoc est ipse finis, secundum esse, quod realiter habet, vel habiturum est, vt sanitas secundum esse reale suum mouet infirmum, at quòd sit apprehensione, est conditio, vt finis moueat, vnde esse in intensione non est principium operandi, sed conditio. Hæc est communis opinio, quæ vera est, tamen declaratione indiget.

Primũ fũdamentũ. Duplex finis quo, & gratia cuius.

Primò nota esse duplicem finẽ, vt tangit Aristo. tex. 24 & ibi Simpl. Philop. D. Tho. & quo, & gratia cuius. Finis gratia cuius, est illa res ob quã operamur, sicut Deus est, gratia cuius nostrarum actionũ bonarum, & si quis profectus esset Mediolanum ipsum videndi gratia, tũc Mediolanum diceretur finis gratia cuius. Finis quo, est illa operatio, qua obtinemus ipsum finem, gratia cuius: sicut visio qua Deum videbimus, est finis quo, & visio qua

qua etiam Mediolanum videt ille, finis est quo: gratia enim videndi venit.

Finis gratia cuius duplex. Finis gratia cuius, duplex est. Alter, qui fit per illam actionem, quæ dicitur finis quo, sicut domificatoris finis gratia cuius operatur, domus est: & ipsa operatio causa est domus: similiter forma est finis gratia cuius generat viuens, vel agens naturale: & forma effectus est generationis. Alter est finis gratia cuius, qui præexistit, & antecedit actionem agentis, sicut Deus qui est antequam nos ipsum consequamur, & Mediolanum antequam ille veniat. De omni fine puta quo, gratia cuius hoc, & ille est quo, quomodo sit finis, sed præcipua difficultas est de fine quo, & gratia cuius non præcedente: quia cùm hi non sint, cùm efficiens operatur, quomodo causæ sint.

Prima cõclusio. Ob id sit prima conclusio. modus causandi finis est, vt sit id gratia, cuius aliquid sit.

Nota primò finis cõsideratur duobus modis, & vt obiectũ & vt gratia, cuius. Circa quod nota diligenter, quod finis dupliciter consideratur. Vno modo in ratione obiecti mouentis intellectum, & appetitum nostrum ad operandum, & respectu huius motionis non est finis, sed habet rationem causæ efficientis: nã obiectum ad potentiam appræhensiuam, & appetitiuam se habet vt agens, & hoc est quod dixit Auerr. 12. Mete. Com. 36. balneum in anima se habere vt causam agẽtem, vndè in hoc non cõsistit ratio finis, aliter finis non esset, nisi vbi apprehensio est. Altero modo consideratur, vt est id gratia cuius aliquid fit, ita vt non esset operatio rei, nisi tenderet in illud, & iste est modus causandi finis, puta, vt ipsius gratia reliqua sint.

Nota secundò. Ex quo sequitur vnum, quod iste modus causandi non est realis, sicut agens agit, vnde Arist. 1. gen. tex. 55. hunc motum finis Metaphoricum vocat.

Nota tertio. Sequitur etiam vnum notandũ, quod ad istum causandi modum non opus est, quod finis præexistat actu, sed quod sit ens reale, quod possit actu esse, & actu obtineri, siue præexistat, siue non.

2. cõclusio. Secunda conclusio: finis aliquo modo præexistit ante motionem efficientem. hæc conclusio est notanda: finis enim nec sic posset mouere, vt dictum est, nisi aliqd finis præexisteret, hoc autem in agentibus secundum intellectum est præcognitio, & appetitus finis: nisi enim ista in homine essent, finis non esset id, gratia cuius operatur.

In his verò, quæ intellectu carent, præcedit quędam proportio, & inclinatio naturalis ad finem, & ratione huius agũt, propter finem, sed causalitas finis nõ alia est, quã esse id, cuius gratia operatio fit, vti diximus: nec aliam definitionem Aristot. inuenit, & est optima.

Ad argũ. Vnde ad argumentum patet solutio, dicimus enim quod finis secundum id, quod causat, non est opus quòd actu procedat, quamuis sit quædam conditio ad causandũ, quòd illo modo procedat, puta sub apprehensione, aut sub propensione, & proportione rei ad ipsum finem.

3. cõclusio de diuisione finis. Tertia cõclusio, potest finis multis modis diuidi, sicut reliquæ causæ, quos modos assignauit superius Aristo. in per se, & accidens, vniuersalẽ, particularem, & alios, q ex his, quæ illic diximus, noti sunt, & faciles: Et sufficiant ista de quæstione hac, nam in Metaphysi. profundius examinanda est, hic tamen veritas breuiter est posita, & declarata, atque hæc de 2. lib.

FINIS SECVNDI LIBRI.

Hæc commentaria vnà cum Quæstionibus in duos primos libros Physicorum Aristotelis, Doctoris Francisci Toleti societatis IESV, nil continent contra fidem vel contra bonos mores, sed sunt vtilia, vt adolescentibus prælegantur. Atq; ideò poterunt typis excudi.

† D. Ledesma. † M. Antonius Lisius. † M. Hieronymus Hurtadus.†

Imprimantur, si videtur etiam R.P. Magistro Sacri Palatij. A. Viciß.

Poterunt imprimi. Datum 16. Iulij. A. 1572.

Frater Thomas Maracis Sacri Palatij Magister.

IN LIBRVM TERTIVM, DE PHYSICO AVDITV.

CAPVT I.

Quoniam autem natura quidem. Tex. I.

De quib. agat Ari. in hoc li. nempè de motu, & infinito. NON opus est intentionem Aristo. præmittere, quam ipse dilucidam, & claram ponit: se igitur aliqua tractaturum proponit. Primum est, motus quid sit, cuius causam talem dat. Physico de natura disserere conuenit: at natura cognosci nequit sine motu: ergo scientiam de natura quid sit motus tradere oportet.

Dubium. Sed statim fortè dubitabis, quomodo ignorato motu dicit naturam ignorari, cùm suprà dictum sit naturam esse per se notam.

Solutio. Respondeo, quòd natura duplicem habet cognitionem, & an sit, & quid sit. Ipsam esse per se notum est: quid autẽ sit, non est per se notum, sed ignorari potest: & de hac cognitione definitiua dicit, quod qui ignorat quid sit motus, ignorabit etiam quid natura sit. Per motum enim natura definitur.

Alterum proponit se tractaturum, puta infinitũ, cuius causam dat. Motus est quid cõtinuum: sed continuum sæpè per infinitũ definitur: ergo de infinito oportet tractare. Sicut ob id etiã dicimus oportere tractare de motu, quia natura definitur per motum, ponit definitionẽ continui per infinitum, nẽpè Cõtinuum est, quod est diuisibile in infinitum.

Nota, qũo continuũ definiatur p infinitũ. Aduertẽdum est autẽ, quòd dicit plerunque definiri per infinitum, quia non semper id est, vt dicit Auerr. vnde notat hic Alber. quòd dupliciter cõtinuum definitur: Vno modo per ordinem partium ad ipsum, quo pacto in prędica. quantitatis dicitur: Continuũ est, cuius partes copulantur ad vnicum terminũ communem. Altero modo definitur per ordinẽ ipsius ad suas partes: & sic per infinitum definitur, vt dictum est. Adde etiã, quòd aliquando per ipsum motum definitur à posteriori, quo modo ab Aristot. definitur. 5. Meta. cap. 6. continuum est, cuius motus per se vnus est.

Ad hæc autem sine loco. Tex. II.

De quib. posteà aturus sit libr. 4. de loco, vacuo, & tẽpore, & cur de illis. EA etiam, quæ post hæc tractaturus est, nempè in libro quarto, proponit, ea sunt, Locus, Vacuũ, & Tempus: & reddit huius duas rationes. Prior est: quia motus non est sine his: qui ergo motum cognoscere intendit, ista tradere oportet. Non enim motus est, nisi in tempore, & in loco: & secundum opinionem Antiquorum erat locus vacuum, ideo secundum hos non erat sine vacuo. Altera ratio est: quia in hoc libro traduntur communia, quia scientia communium debet antecedere eam, quæ est particularium, & ista communia sunt omnibus entibus naturalibus, puta locus, & tempus. Oportet ergo hic tradantur in speculatione ipsorum communium.

Primum autem sicut diximus. Tex. III.

Cur prius agendum sit de motu, deinde de infinito. INter ea, quæ dicenda, & tractanda, proposita sunt, primũ motus est, quia ipse est, ad quẽ cætera sequuntur, & quę in definitione naturæ constituitur. Post tu, de motũ verò de infinito prius dicit, quàm de vacuo, loco, & tempore, quia (vt dicit S. Thomas) infinitum est motui intrinsecum, reliqua verò extrinseca: illa autem sunt his priora.

Est igitur eorum, quæ sunt aliud quidem actu.

GRæci, & Arabes conueniunt Aristotelē prętermittere quatuor suppositiones necessarias ad ea, quæ de motu dicenda sunt, quorum prima est diuisio quædam, nēpè eorum, quæ sunt: Aliud est actu, Aliud est potentia; in quib. verbis est multa differentia, eò, quòd litera Greca passa est varias lectiones, & vt dicit Simpli. in vno codice legitur vno modo, in alio verò aliter, vnde etiam Latinæ interpretationes variæ sunt: ob id non est certa Aristotelis lectio: magis sensus est attendendus.

Prima suppositio ad tractationē de motu: illa q̄ sunt, alia sunt actu, alia potentia.

Sed imprimis expositio Auerr. & Alber. & aliorum nulli lectioni, nec Græcè, nec Latinæ quadrat: Nam ipsi has duas diuisiones faciunt, eorum, quę sunt aliud actu, aliud est potentia. Iterum eorum, quæ sunt aliud substantia, aliud quantū, aut vnū ex reliquis prædicamentis. Constat autem, quòd ista secunda nō est diuisio, sed subdiuisio, nam Græcè bifariam legitur textus, Aut sic: Eorum, quæ sunt aliud actu, aliud est potentia; & eorum, quæ sunt actu, aliud est substantia, aliud quale, & reliqua, & sic vertit Boetius noster, & Vatablus. Aut etiā legitur sic: Eorum quę sunt, aliud actu solùm, aliud potentia, & actu, & horum aliud substantia, aliud quātum, &c. & sic vertit Argirop. non ergo illa secunda diuisio, sed subdiuisio facienda est.

Prima expositio Auerr. & aliorum, & eius cō futatio.

Illam tamen priorem diuisionem explicat Alber. vt quędam dicantur in actu, vt omnia prædicamenta cùm existunt, album in actu, cùm existit album, quantum in actu, homo in actu, & reliqua: & etiam dicantur in potentia, cùm nondū existunt, sed esse possunt.

Secunda expositio Porphy.

Græci verò omnes sequentes literam, qua illa secunda fit subdiuisio, variè exponunt. Porphyr. enim sequitur literam, quam Boet. vertit, & tunc explicat benè, & dicit, quòd per actum intelligitur forma omnis prædicamentalis, per potentiam verò intelligi materiam ipsam, quæ est in potentia ad quamlibet formam: vt sit sensus, in entibus aliud est actus, puta forma, aliud est potentia, puta materia.

Et quia potētia vna est ad actum quemlibet, actus verò multiplex est, ideo posteà subdiuidit actum, secundum decem prædicamenta, non quòd in omnibus prædicamentis non sit potentia; est enim in omni prædicamento actus, & potentia, vt dicit. 5. Meta. cap. 7. sed quòd potentia non multiplicetur, sicut actus, atque ista est sententia Porphyr. fidelissimè exposita.

Tertia expō Them. Ale. & cæterorum.

Alij Greci legentes literam aliter, quę modò Græcè habetur, puta. Eorum, quæ sunt aliud actu solùm, aliud potentia, & actu: Aliter exponunt, nempè entiū quædam sunt actu tantùm, quales sunt intelligentiæ, & separata à materia: alia potētia, & actu simul, & hæc sunt omnia prędicamenta, substantia, quale, & reliqua. Hæc autem dicuntur potentia, & actu simul esse, sed respectu diuersorum, nam actu dicuntur respectu eorum, quæ habēt, potētia respectu eorum, quæ habere possunt, vt homo actu est respectu formæ, quam habet, potentia respectu caloris, quem non habet.

Ista expositio est magnæ authoritatis propter eos, quorum est, est enim Them. Alexan. Simpli. Philop. Michaelis Pselli Græci, qui omnes literam Arist. sic legendam dicunt contra Porphy. & mouentur ad hoc, quia plures Codices ita habent. Et quia dicitur aliud est actu tantū, oportuit ergo aliud membrum sumere aliud est actu, & potentia, aliter illud, tantum, esset inutile.

Reijcitur horū expositio.

Et propter tantam horum Græcorū authoritatem, quos credendum est codicē verum habuisse, forsan ita legendum est, sed ipsorum expositio mihi in hoc nō placet, quia non dant in vnoquoq; prædicamento, quod sit in actu, & potētia simul, nam quantum, quale, non videtur ad quid sint in potētia in illo genere. Ipsi enim dicunt, quòd respectu vnius est in actu, respectu alterius in potentia, sed album, vt album, ad nihil est in potētia, sed in actu solùm, quòd si dicas.

Quòd est in potentia, vt sit nigrum, iā, illa potentia non est ipsius albi, sed subiecti, quod substātia est, & ipsum album secundum se, non est in potentia, & hæc præsertim in relatiuis, & alijs prędicamētis, in substantijs quidem id videtur magis verum, homo enim actu est secundū se, sed in potentia ad accidens: hoc autē est, quia substantia est receptiua accidentium, at accidentia non omnia sunt receptiua aliorum accidentium.

Quarta alia expō.

Melius fortasse per id, quod est actu, & potētia, intelligi potest quodlibet prędicamentum, non tamen quòd simul sit in actu, & potentia, sed quòd successiuè, & diuerso tempore, vt album in potētia, & album in actu, calidum in potētia, calidum in actu, & hoc in vnoquoque prędicamento inueniri potest, & tunc est sensus diuisionis: Entium quędam sunt actu tātùm, id est, quædam semper actu sunt, vt intelligentiæ, & immaterialia: quædā quandoque actu, quandoque potentia, vt sunt omnia prædicamenta.

Reijcitur hæc expō.

Sed nec mihi videtur ista expositio bona, quia re vera nihil facit ad motus definitionem: ob id enim diuiditur ens in actum, vt motus ostendatur esse actus, at actus immaterialis est prorsus extra motum.

Quæ sit verior lectio literę Arist.

Itaque si licet, quid mihi videatur, aperire, existimo non esse mutandam literam nostri textus, & sufficiat authoritas Porphyr. Græci, & illorum consentium codicem Gręcum, etiam sic aliquādo lectum fuisse, & etiam Boet. authoritas: & quòd magis est, veritas, & contextus ipse, qui magis admittit literā hāc.

Primum fundamētū. Aliud est esse actū, aliud esse in actu, ita aliud esse potentiā. aliud esse in potentia.

Igitur aduertendum primò, q̄ aliud est esse actum, aliud esse in actu: aliud esse potentiam, aliud esse in potentia. Esse actum, est esse aliquam formam accidentalem, vel substātialem, successiuam, aut permanentem: loquimur autem in sensibilibus, nam in perpetuis immaterialibus, idem est esse actum, & esse in actu: in istis verò sensibilibus esse in actu est participare aliquam formam, vnde propriè in actu est compositum aliquod tam substantiale, quàm accidentale: actus verò forma ipsius est, vt homo in actu est, ipsius forma actus est, album in actu est, albedo actus est, & sic in cæteris.

Esse autem potentiam, est esse principium agendi, aut patiendi aliquid, id verò, quod in potentia est, est habens tale principium, vt lignum dicitur in potentia ignis, at principium, quo fieri ignis potest, potentia dicitur. Ista aūt potētia, vt notant hic Græci benè, & Alber. nunquam est sola, nisi fundetur in aliquo actu, ob id non est potentia nisi adiuncta actui, quod totum dicitur ens in potētia. At actus de se nō est opus, q̄ sit in aliqua potentia, cùm possint actus esse separati, quales sunt intelligentiæ, licèt in sensibilibus actus per se nō sint, nisi in aliqua potentia, vt patet in ipsis formis.

Secundā fundamētum quālis fuit illa diuisio Aristo. in ēs actu & ens potētia.

Aduertendum vlterius, quòd Arist. nō diuisit entia in actum, & potentiā, vt sumebat Porphyr. sed in ens actu, & ens in potentia, & quia ens in actu, puta calidū, frigidum, homo, animal, & reliqua de se non necessariò habent potentiam ad aliud, ob id dixit esse actu solùm. Et quia nihil est potentia, nisi necessariò simul habeat actum, siluit in altero membro particulam exclusiuam.

Tertium fundamētum. Non esse omnino diuersa ens actu, & ens in potentia.

Aduerte etiam, quòd cùm audis ens in actu, & ens in potentia ne existimes esse prorsus diuersa, sed ens in potentia dicit subiectum expers actus illius, & formæ, ad quā est: ens verò in actu dicit subiectum cum illa forma, vt corpus est album in potentia, cùm nondum albedinē habet: at cùm albedinem habet, actu album est, similiter in alijs omnibus.

Expositio vera Ari.

Hinc patet diuisio Arist. Eorū, inquit, quæ sunt, quædam in actu, quædā in potentia. Id est, omnium, quę dicuntur esse secundum aliquam formam, aut id est, quia eam in actu, aut quia eam habēt in potētia, vt quod calidum dicitur, aut est potentia calidum, aut actu calidum, similiter homo, aut est aliquid, quod homo in actu, vel homo dicitur in potentia. Similiter vnumquodq; cùm enim forma iam adest subiecto, in actu tale est: cùm nondum adest, potentia est. Posteà subdiuidit ea, quæ actu sunt, id est, quæ talia sunt secundum formam aliquam, in decem prædicamenta.

Dubium.

In quo dubium occurrit. Cùm sit verum, q̄ quodlibet compositum, cuiusq; prædicamenti, vt sit actu, aut potentia, quare per actum diuisit prædicamenta.

Prima solutio Porphy.

Porphyrius respondebat superius: q̄ actus multiplex est, secundum prædicamentorum numerum, sed potentia vna est, puta materia, quæ est quodlibet in potentia.

Sed ista responsio nō videtur mihi vera, est

Confutatio ci, solutionis. Primò.

ra, est enim contra Arist. & veritatē: nam sicut sunt plures actus, & formæ, ita sunt plures potētiæ proximæ ad illas formas: proprius enim actus propriam habet potentiam. Et probatur ex Aristo. qui paulò inferius diuersam potentiam ponit alterabilis ad qualitatem, & augmentabilis ad quantitatem, & generabilis ad generationem, & hoc profectò satis est notū, nam potentia ad substantiam in materia est, ad quantitatem verò in composito, ad qualitatem verò in composito quanto, & sic in alijs. Præterea 12. Meta. cap. 4. ponens principia prædicamentorum actum, potentiam, dicit non esse vnum actum numero, nec vnam potentiam, sed esse eadem proportione, proportio verò multitudinem dicit.

Secundò.

Tertiò.

Quarto.

2. Solutio vera.

Dicendum est igitur, quòd quamuis potentia multiplex sit, sicut & actus, tamen per potentiam non distinguuntur prædicamenta, sed per actus. Potentiæ enim non multiplicant prædicamenta, nam potentia ad actionem, qualitas est, similiter potentia ad ipsam passionem, imò ferè omnes potentiæ ad qualitatem pertinent: at actus in prædicamenta diuiduntur, ob id, (licèt ad quamlibet actum cuiusque prædicamenti sit sua ferè potentia,) tamen prædicamentum per actum constituitur, propterea ratione ipsius facta est diuisio ab Arist. Vide igitur sensum Aristot. manifestum esse secundum lectionem Porphyr. & Boet.

Eorum autem, quæ sunt ad aliquid.

2 Suppositio Aristotelis ad tractationem, de Motu.

SEcunda suppositio est ista, quamuis Auerr. existimans subdiuisionem illarum, prædicamentorum esse diuisionem, constituat hanc tertiam suppositionem, & illam diuisionem pro secunda. At nos cum Græcis omnibus istam tertiam facimus, quæ talis est. Quædam ad aliquid referuntur dupliciter: aut secundum excessum, vel defectum vnius ad alterum sicut sunt relatiua, quæ fundantur in quantitate. Quædam verò ad aliquid referuntur, quia se habent sicut mouens, & mobile actiuum, & passiuum.

Nota 1.

Nec numerat alia, quę adinuicē dicuntur, quia vt notant Græci, non opus erat ad prę̃sentem tractationem, solum enim vult motiuum, & mobile dici adinuicem, vt ostendat posteà motum esse inter duo.

Nota 1.

Est autem notandum, quòd actiuum, & passiuum vocat ea, quæ secundum qualitates elementares agunt: mouens verò, & mobile sũperius est comprehendens quemcunque motum, localem, alterationem, & alios.

Non est autem motus præter res. Tex. IIII.

3. Suppositio.

TErtia suppositio est: motum non esse præter res. Explicant Græci motum non esse extra ea, quę mouentur, & mouent, & addit S. Tho. & Auer: quòd non est alterius generis, quàm res, & forma, quæ motu acquiritur: sed hoc posterius examinabitur, intēdit aũt ex hoc ostendere non esse motum aliquē communem præter hos, quos esse experimur circa hæc prædicamenta, quę sunt quatuor, puta secundum substantiam, vt generatio, corruptio: secundum quantitatem augmentatio, diminutio: secundum qualitatem alteratio: secundum locum, latio. Quòd autem non sit alius motus communis, probat: non est motus præter res, quarum est motus: sed sunt hæ res, quarum est motus tantum, & nulla res est eis communis: omne enim ens aliquod prædicamentum est, & nihil est eis commune: ergo nec motus vllus est communis.

In quo Simpl. & Psellus volunt hoc esse contra Platonem, qui ponit separatum motum ab his: vnde dicunt motum esse æquiuocum, nec quicquam commune dicere: idem dicit Auerr. hoc tamen examinabitur.

Vnumquodque autem dupliciter. Tex. V.

4. Suppositio.

QVartam ponit suppositionem. In quoq; prædicamento esse dupliciē actum, & formā, puta duo opposita, secundum quæ duplex est motus in quolibet prædicamento; & secundũ vnũ contrarium perfectum, quod dicitur forma; & secundum alterum contrarium, quod dicitur priuatio: vt in substātia est generatio, & corruptio. In qualitate sunt multi motus secundum multa contraria. In quantitate augmentatio, & diminutio, secũdum locum motus sursum, & motus deorsum: ille motus est secundum leuitatem, hic secundum grauitatem. Vnde colligit tot esse species motus, quot sunt entis species, intellige, quot sunt entis species, in quibus est motus, sunt enim quatuor, & in singulis sunt duo opposita, tot ergo motus species sunt.

CAPVT II.

Diuisio autem secundum vnumquodque genus. Tex. VI.

Definitio motus ex prima suppositione collecta.

MOTVS definitionem ponit ex prima suppositione collectam, dicens, cùm in vnoquoque genere sit aliquid in potētia, & aliquid in actu; actus illius, quod in potentia est, vt tale est, id est, vt potentia est, est motus, & ponit exempla, Actus alterabilis, vt alterabile est, alteratio est, & actus augmentabilis vt tale est, est ipsa augmentatio: similiter generatio est actus generabilis, vt generabile est, & latio mobilis localiter, vt tale est, actus est: omnis ergo motus est actus existentis in potentia, vt in potentia existit.

1. Expositio definitionis motus. Duplex est actus potētiæ secũdũ Themist.

Circa declarationem definitionis not. Themist. duplicem esse actum potentiæ, Alter est perfectus, qui aufert totam rei potentialitatem, & iste est ipsa forma, ad quam res est in potentia. Alter est imperfectus, non auferens omnino potentiam, cùm adhuc possit manere, & iste actus est operatio secũdum formam, vt calefactio, frigefactio, & reliquæ operationes, hæ enim non auferunt totam rei potentiam, sed adhuc restat potentia ad ipsam formam, & talis actus dicitur motus. Et ad denotandum esse actũ imperfectum non auferens totam rei potentiam, fit illa reduplicatio, prout in potentia est.

Dubium.

Quòd si dicas, calor remissus & alia huiusmodi forma, esset motus, etiam si quiesceret in subiecto, cùm subiectum adhuc sit in potentia, quod tamen videtur falsum, tunc enim non est vllus motus.

Solutio S. Thom.

Respondet S. Tho. quòd ille calor non est motus, quia tunc habet rationem solius actus: vt autem motus sit, debet etiã esse actus respectu ipsius existentis in potentia, & potentia respectu alterius gradus caloris, quod fit, cùm est in successione, & in fluxu ad ipsum. hæc est communis explicatio definitionis, & bona.

Secũda alia expositio, definitionis motus.

Sed possumus adhibere aliam explicationem sine dubio non spernendam.

Nota 1. Duplex potentia actiua, & pãssiua.

In cuius gratiam aduerte, quod omnis potentia Physica, aut est actiua, aut passiua. Vt dicitur 5. Met. c. 12. potentia actiua vt ibi dicitur est principium transmutandi alterum, vel ipsummet in quo est, vt alterum est, vt potentiæ ignis, qua lignum in ignem conuertit, actiua est: similiter potentia animalis, qua se mouet actiua est, licet non sub eadē ratione, qua se mouet, mouetur.

Potentia verò passiua est principium alicuius ab altera transmutandi, vel à se, vt alterum est, id est, principium, quod in aliquo est, vt ab aliquo, vel à se mutetur, & moueatur.

Nota. 2. Omnis potētia Physica est per se ad opationē, & trãsmutationē, & p opationē tendit ad formam.

Ex hac potentiæ natura, & definitione vnum colligo notandum, quod omnis potentia Physica est per se ad operationem, & transmutationem, tam actiuam, quàm passiuam, & per operationem tendit in ipsas formas. Huius autem duplex est signum. Alterum quod nomina: quæ potentiam subiecti exprimunt, aut actionem, aut passionem significant, & à verbo trahuntur: potentia enim calidum dicitur calefactibile, potētia ad calorem ex parte agentis, calefactiuum, & reliqua huiusmodi.

Alterum signum est magis Philosophicum. Nam potentiæ dantur, solum ad operationem, sicut sensationes, volitiones, & huiusmodi, quę operationes sunt, & non formę, in quo apparet, potentiam vt potētiam respicere operationem tanquàm immediatam, & proprium suum actum. Ex hoc vide definitionem motus: est actus potentiæ, vt potentiæ, vt actus calefactibilis, vt tale est, calefactio est, & non calor: actus enim potētię transmutatio est, siue actiua, siue passiua: hæc autem motus est.

Et

Nota. Quid denotat illa particula prout in potentia.

Et nota, quòd illa reduplicatio, vt in potentia est, non ponitur, nisi ad notandum, quod illud, quod mouetur, potest etiam esse alia via in actu, sed motus non ei inest, nisi vt in potentia est, quod inferius ipse Aristot. explicabit.

Quod autem hoc sit motus. Tex. VII.

Probatur motũ esse actum.

DEfinitione motus cõstituta, ipsam probare ac declarare aggreditur, ac primò ostendit, priorem partẽ puta, quòd actus sit. Sic autem probat. Id, quo posito, quod in potentia erat, in actu est, actus est, sed motu posito quod erat in potentia, est in actu, ergo motus est actus. Minorem exemplis ostendit varijs. Aedificabile est, actu est, cùm ædificatur: at ædificatio motus est: similiter in alijs. Nota quòd per adolescentiam augmentationem, per senescentiam diminutionem intelligit, vt dicit S. Thomas.

Quoniam autem quædam. Tex. VIII.

Fidem nõ resp. eiusdẽ potest esse simul in actu & potẽtia, idẽ si resp. eiusdẽ, nõ in eodem tempore.

ALteram partem explicat, nempè, quòd sit actus entis in potentia, vt in potentia. Præmittit tamen ad idem vnum fundamentum, nempè: Vnũ posse esse actu, & potentia, sed non respectu eiusdem: vel si respectu eiusdem, non simul, & eodem tempore, vt idem corpus potest esse calidum in actu, & calidum in potentia, sed tempore diuerso. Similiter eodem tempore, sed respectu diuersorũ, vt potest esse calidum in actu, & frigidũ in potentia.

Ex hoc infert, quòd mouens physicũ mouet, & mouetur, agit, & patitur: qua parte enim est potentia patitur, qua parte actus, agit, vt calidum in actu, frigidũq; in potentia, qua parte frigidum in potentia est, patitur ab alio, sed qua parte calidum est, agit in alterum, ac ob id agendo patitur, & patiendo agit. An tamen omne agens sit huiusmodi, vt quidam Philosophi dicunt, posterius dicit esse tractandum: non enim omne agens patitur, est enim mouens immobile, puta ens immateriale.

Heracli. & Democri. qui negabant entia immaterialia, omne mouens moueri dicebant, sed id falsum est, vt dicetur in 8. lib. Est igitur fundamentum aliquid simul actu esse, & potentia, sed respectu diuersorum, & pati, vt potentia est.

Eius autem quod potẽtia existit. Text. IX.

Motũ esse actũ esse in potẽtia probatur.

INfert quòd motus est actus existentis in potentia, qui motus procedit ab aliquo in actu existente, tanquam ab agente, siue ipsum agens agat in aliud, siue in se. Est autem motus eius, quòd est in potentia, nõ qua parte actum est, sed qua parte potentia est, vt æs actu, est æs, sed statua in potentia: motus igitur non est ipsius, vt actu æs est: sed vt potentia est statua, ac ob id ponitur illa particula, prout in potentia est. Quòd autem non sit motus actus æris, vt æs est, probat, quia tunc idem esset re, & ratione, esse æs, & esse potentia ad statuam, quòd falsum est.

Nota.

Perpende autem, quòd sensus verborum in principio textus secundum literam ita ordinandus est, vel motus est actus eius, quod est potẽtia, quatenus mobile est, quando aliquid actu existens operatur aut in se, aut in alio. Est enim varietas in lectione græca, vt notat Simpli. Hãc lectionem sequitur Alex. quam noster vertit Boetius.

Manifestum est autem, & in contrarijs. Tex. X.

Nõ est idẽ ratione esse in actu, & potẽtia licet sint idem subiecto: vbi nota nõ omnia, quę sunt idem subiecto & re, esse ratione etiam.

PER ipsa contraria ostendit non esse idem ratione esse in actu, & esse in potentia in eodem: demus enim, quòd aliquod actu subiectum sit in potentia ægrotum, & in potentia sanum: tunc si idem est, ratione hoc subiectum actu esse, & esse in potentia ægrotum: tũc similiter idem erit esse tale subiectum, & esse in potentia sanum: erit ergo idem ratione esse potentia sanum, & esse potẽtia ægrum: & tunc idem ratione esset sanum, & ægrũ, vt enim actus diuersi sunt, ita & potẽtiæ: non ergo dicendum est, idẽ esse actu, & esse in potentia in eodem, secundum rationem: sed quòd sunt idem subiecto, sed non ratione, ob id meritò ponitur illa particula, prout in potentia.

Dubi-

Obiectio.

Dubitatur, quomodo potentia dicitur diuersa contrariorum.

Solutio.

Respondet Auerr. 1. cæli, com. 120. Potentiam propinquam esse vnam vnius contrarij, aliam alterius, remotam verò eandem.

Ob id supra diximus Porph. distinguere etiam potentias, sicut & actus, quod docuit Philop. benè tex. 14. sequenti, vbi ad singula prędicamenta singulas constituit potentias.

Nota.

Aduertendum, quòd subiectum sanitatis, & ægritudinis, dicit sanguinem, aut humiditatem, id est, phlegma, humores volẽs designare. Dicit etiam, quòd calor, & esse visibile non sunt idem ratione.

Quòd igitur est hic, & quòd accidit tunc moueri. Tex. XI.

Probatur motũ esse talẽ actu, qualis definitus est.

CVM definitionis partes probauerit, nunc definitum de definitione probat ostendens, quòd talis actus motus sit, ac inde cum suo definito conuerti constabit, probat verò sic. Cùm talis actus est, res mouetur, nec ante, nec post mouebatur: igitur actus ille motus est: id enim motus est, quo posito mouetur quid. Sed antecedens probat: ædificabile, aut mouetur ante ędificationem, aut post, nempè cùm domus iam est, ante non mouetur, cùm potentia tantùm sit: post verò moueri non potest, quia nõ amplius ædificabile est: igitur mouetur, cùm ædificatio est, quæ actus est imperfectus: talis igitur actus motus est. Idem est dicendum in quocunque alio motu cuiusque mobilis.

Quòd autem benè dictum sit. Tex. XII.

Probatur definitiõẽ esse rectè constitutã ex definitionib. veterũ, quę proponũtur, & refellũtur.

DEfinitione motus constituta, ostendit eam esse bonam, quod dupliciter posse cognosci dicit. Primò ex definitionibus antiquorum, quæ non sunt bonæ. Secundò ex eo, quòd difficile inueniemus aliam definitionem eo, quòd motus non possit sub alio genere constitui, quàm sub genere actus, vt dictum est. Citat autem aliorum definitiones: quidam enim motum alteritatem esse dicebant: quidam inæqualitatem: quidam non ens: sed nullus ex his benè dicebat, quod tripliciter probat.

1. ratio cõtra veter.

Primò, quia inuenimus alteritatem, inæqualitatem, non ens, vbi tamen non est motus. Vbi tu aduerte, quòd ista ratio procedit, ac si illi nihil aliud dixissent motum, nisi aut alteritatem, aut inæqualitatem, aut non ens, quod an verum sit, parum refert: sat sit id Aristotelem supponere.

Sed nec mutatio, aut ad hæc. Tex. XIII.

2. ratio cõtra veter.

VTitur secũda ratione ex parte terminorum, ad quos motus tendũt, quia potest esse motus, quin id, quod motum est sit alterum, aut inęquale, aut non ens, quia motus tendunt aliquando ad simile, ad æquale, aut ad ens.

3. ratio.

Tertia ratio est ex terminis à quib: nõ enim omnes motus ab inæquali, aut ab altero, aut à non ente procedunt, sed ab oppositis: non ergo per ista motum definiri oportuit.

Nota quãtã habeãt vim istæ rationes aduersus veteres.

Rationes hæ non sunt admodum efficaces, & soluì ab aduersarijs possunt. Dicent enim motum alteritatem, & inęqualitatem esse, quia quod mouetur, secundum vnam formam aliter, & aliter se habet, quia illa in fluxu est.

Subdit Arist. causam, quare isti esse nõ ens motum existimabant, nempè quia erat indeterminatum quid, cum nec substantia, nec quale, nec aliquid ex his sit, ob in coordinatione indeterminatorum ipsum ponebant.

Nota duplicẽ coordinationẽ prędicamentorũ apud Pythagorã.

Fuit enim diuisio prædicamentorum Pythagorica in duas partes, & in vna entia, & determinatæ naturæ ponebat, in altera non entia, & indeterminata: entium erat ista finitum, impar vnum, dextrum mascũlinum, quiescẽs, rectum, lumen, bonum, quadratum. Non entiũ coordinatio erat ista infinitum, par, multa, sinistrum, fęmininum, motum, curuum, tenebra, malum, altera parte longius, sic ponit Arist. l. 1. metaph. Vide igitur, quomodo motum in coordinatione indeterminatorum constituentes ipsum esse nõ ens ponebãt & inęqualitatẽ, & alteritatẽ.

Cur

Cur autem videatur. Tex. XIIII.

Nota naturã motu videri indeterminatam.

SVbdit adhuc rationem, cur naturæ indeterminatæ visus sit istis motus: hæc autem erat causa: quia nec potentiam esse motum comperiebant, cum quæ potentia solùm sunt, non moueantur, nec esse actum, quia quę actu sunt, iam non mouetur, quod enim quantum est, nõ mouetur ad quantitatem, nec reliqua, quæ actu sunt: ob id igitur, cùm nec actus, nec potentia sit, non ens est, & inter indeterminata computãdus visus est.

Et motus actus quidem. Text. XV.

Nota quõ motus sit ens determinatũ, & quõ non.

ARisto. verò non esse indeterminatum motũ docet, quamuis enim non sit actus perfectus, nec sit potentia pura, est actus imperfectus, qui partem potentiæ, partem habet actus: & quamuis talis actus difficilis sit cognitu, verè tamen est. Reddit autem causam, quare motus sit actus imperfectus, nempè quia ens in potentia, cuius actus ipse motus est, imperfectum quid est.

Obiectio.

Sed obijcies, hoc pacto quælibet forma substantialis esset imperfectus actus, quia est materiæ imperfectæ.

Solutio.

Respondetur sensum Aristotelis esse, actum hunc, puta motum, esse imperfectum, quia id possibile, quod per talem actum, fit in actu, imperfectum est, & inconsummatum ita, vt non sumat solùm possibile, seu ens in potentia, sed simul cũ ipso motu, puta calefaciens, frigefiens: talia enim entia actu imperfecta sunt, cũ nondum terminum attigerint: ergo & ipsi actus, puta motus imperfecti sunt.

Mouetur autem, & mouens. Tex. XVI.

Nota de cõnexiõe hui⁹ text⁹ cum antecedentib⁹.

VArijs modis hic textus, & connecti antecedentibus, & exponi solet. Crediderim sensum esse, vt Aristo. velit explicare cuius subiecti sit motus actus, & quia intendit docere, quod per se est actus mobilis, vt mobile est, præsupponit quòd mouens etiam mouetur, sed non qua ratione mouens est, nisi per accidens: vt autem mobile est, per se mouetur.

Mouẽs in quãtũ mouẽs non mouetur, nõ per se, sed per accidens.

Explicat igitur, quod mouens sit hoc, quod mouendo moueatur, & quomodo per accidens, vt tale est moueatur. Dicit illud mouens mouendo moueri, quod aptum est moueri, quod propter mouentia immaterialia dicitur, quæ cùm non sint apta moueri, nec in potentia ad motum, mouent, sed non mouentur. Addit autem quod ista, quæ moueri sunt apta, quando non mouentur, dicuntur quiescere: non moueri enim in his, quę in potentia sunt ad motum quiescere est.

Quę sint ꝗ mouendo mouentur & quę nõ. Cælũ agit alterando & nõ alteratur.

Hæc autem verba existimo sensum hunc facere, quod illud agens mouendo mouetur, quod mouere, & quod quiescere est aptum, & hoc est propter cælos, qui mouent aliquando alterando, & non alterantur, licet enim localiter moueãtur, non tamen omni motu mouentur, sicut omni motu mouent: ecce igitur, quid mouens sit, quod mouendo moueatur.

Explicat modo, quomodo per accidẽs moueatur, & non per se: quia mouens, vt mouens solùm agit in aliquod mobile, vt tale, & sic agere mouere est: at quia non agit, nisi tangendo ipsum mobile, hinc ratione tactus prouenit, quod moueatur. Cùm igitur mouens, vt mouens non moueatur, fit vt motus sit per se actus mobilis, & si est mouentis, id est, per accidens, & vt ipsum mouens mobile est.

Quõ intelligẽdũ sit, motus est actus mobilis, vt mobile est vt in subiecto.

Omnes ferè hic existimant esse nouã aliam definitionem motus hanc: motus est actus mobilis, vt mobile est, sed profectò mihi non placet, imò dico Aristotelẽ solùm hic concludere, quod est motus in mobili, vt in subiecto. Præterea, quia si illa esset definitio, esset mala: quia motus etiam est actus agentis, & mouentis, vt mouens est, & est in potentia actiua, solùm: ergo hic docemur, motum esse actũ mobilis, vt subiecti: & tota expositio huius textus est consideranda.

Accidit autem hoc tactu. Tex. XVII.

Motus est in mouẽte per accidens.

ISta priora verba sunt continuanda cum superioribus, vt cùm dixerit motum esse in mobili, dicat modò, quòd per accidens est in motuo, & mouente, quatenus tacta agendo patitur. Nec intelligas, quod idem motus est tũc in mobili, & in mouente, quod per accidens mouetur: sunt enim duo diuersi, vt cùm ferrum candens agit in aquam, alio motu mouetur aqua, puta calefactione, alio ferrum, puta frigefactione, vt alibi dicendum est.

Ratio cur mouens, vt mouẽs non moueatur.

Statim subdit rationem, quare mouens, vt mouens non mouetur, nempè: quia mouens, vt tale, semper est in actu secundum aliquam formam, aut hãc, id est, substantialem, aut talem, id est, qualitatem, aut tantam, id est, quantitatem, quæ forma est principium motus, cùm mouens mouet: mobile verò est in potẽtia ad talem formam: sed motus est actus existentis in potentia: est ergo ipsius mobilis. Maiorem ostendit exemplo: homo actu facit ex homine in potentia, hominem actu, similiter calidum in actu facit ex potentia calido, calidum actu.

Nota.

Obserua verbum illud, moueatur, legendum actiuè, moueat.

CAPVT III.

Et quod dubitatur. Tex. XVIII.

Aggreditur Arist. probare motũ nõ esse in mouente, sed in mobili.

EX prædictis dicit solutũ esse dubium, nempè motum esse in mobili, vt in subiecto, quod declarat. Motus, inquit, est actus huius ab hoc, id est, motus duo habet in se: est quidem actus, sed ab vno procedit, vt à principio: in altero recipitur, vt in subiecto mouentis est actus tanquam principij: mobilis verò vt subiecti.

Ex quo infertur vnum esse actum vtriusque, nempè mouentis, & moti, sed ratione diuersum: nam potentia mouentis, & moti diuersa est: mouentis enim potentia est posse mouere, & actiua: moti verò posse moueri, & passiua. Ille igitur actus, vt per eũ mouens, quod poterat mouere, mouet, actio est, vt verò per ipsum motum mouetur, passio est, tamen re vna actus est, licèt ratio, & ordo duplex sit, sicut idem est spacium duorũ ad vnum, & vnius ad duo, ratio diuersa est, nã duorum ad vnum dupla est proportio, vnius verò ad duo, subdupla: similiter idem est spaciũ accliue, id est, sursum, & decliue, id est, deorsum, sed ratio diuersa, ita idẽ motus, & actus mouẽtis, & moti, sed ratio diuersa ex parte illius actio est, ex parte verò huius, puta moti, passio.

Habet autem dubitationem rationalem. Tex XIX.

Disputat in vtrãq; parte, & 1. probat nõ esse eundem actũ mouẽtis, & mobilis.

CIrca id, quod dixerat, nempè eundem esse actum agentis, & patientis, modò logicè pro vtraque parte probabiliterque disputat. Primò probat, quòd nõ sit vnus actus vtriusq;, duplici ratione, Prior est, agẽtis actus est actio, patientis actꝰ passio est: sed actio, & passio non sunt idẽ, nec ipsum agens, nec patiens: ergo nõ est vnus vtriusq; actus,

Prima ratio.

Secunda.

Secunda: finis, & effectus actionis est alius à fine passionis: ergo non sunt idem actus. antecedens patet, finis enim, & effectũ actionis est factum ipsum, finis verò passionis est effectꝰ, id est, receptum: differt autem factum à recepto: ergo non est idem actus.

Cùm igitur vtraque sint motus.

Probatur eundem esse actũ vtriusq;.

EX opposita parte argumentatur, ac probat, quòd non sint duo actus, & motus. Vtitur autem hac diuisione. Si duo sunt motus actio, & passio, vel vterque in agente, vel vterque in patiente, vel actio in agente, passio in patiẽte, vel ècontra actio in patiente passio in agente, quorũ nullum fieri potest. Arist. non explicat primũ membrum, ꝗ vterq; sit in agente, quia superius probatum est motum in mobili esse, saltem vnum motum in eo esse, si duo sunt motus.

Vel actio in agẽte, passio in patiente, vel ècontra actio in patiente.

Explicat primum membrũ rationis.

Quartũ verò excludit, vt exponit Themist. nempè, quòd passio in agente, actio sit in patiente. Tunc, inquit, erit æquiuocatio in nomine, vt actionem pro passione, & ècontra sumamus.

Quartum membrũ.

Quòd si tertium membrum sumamus, quòd actio sit in agente, & passio in patiente, id etiam non potest esse, & probat vnico argumento. Si actio est in agente, cùm actio sit motus, sicut passio, motus erit

Tertium membrũ.

tus erit in agente: ergo omne agens mouetur, quod falsum est, vt diximus, quòd non omne agens mouetur. Cùm aũt motum habeat, sequetur, quòd aliquid habens motum nõ mouetur, quod impossibile est, sicut quod habeat aliquid albedinem, & non sit album.

Si autem vtraque in moto sunt.

Secundũ membrũ rationis.

SEcundum membrum, quod restabat, nempè, quòd vterq; actus sit in mobili, impugnat dupliciter. Primò, ꝙ actus alicuius nõ erit in ipso: actio enim, quæ agentis actus est, non erit in agente, quod absurdum videtur. Secundo, quòd vnum mouebitur duobus motibus tendentibus ad vnam formam, puta motu actionis, & motu passionis.

Et nota, quòd dicit vnius, & ad vnam formam: quia motibus secundum diuersas formas potest vnicum subiectum moueri, vt sanationis, & calefactionis motu. Præterea duo subiecta duobus motibus ad vnam specie formam tendentibus, vt duabus calefactionibus moueri possunt: at vnum subiectum, & secundum vnam formam numero moueri duobus motibus fieri nequit: non igitur actio, & passio, si in mobili sunt, duo motus esse possunt.

At irrationabile est duorum specie.

Obijcit Arist. contra id, qd est dictũ, vnũ esse motũ actionẽ, & passionẽ.

ITerum redit ad impugnandum hoc, quod non sit vnus actus, probat multipliciter. Primò: quia diuersorum vnus esset actus, puta agentis, & patientis, quæ diuersa sunt.

Secundo, si vnus est actus actio, & passio, docere actio, & disciplina erũt idem.

Tertiò idem erit agere, & pati, docere, & discere.

Quartò, docens erit discens, & discens docens, & agens patiens, & econtra, cùm vnus sit actus vtriusque.

Prima obiectio. Secunda. Tertia. Quarta.

Nota.

Aduertendum est autem, quòd rationes superiores, quibus probauit non esse duos motus actionem, & passionem sunt veræ, & firmæ: hæ verò sunt contra veritatem, ob id statim soluuntur ab Aristot. in sequenti.

An neque alterius actum. Tex. XX.

Soluit obiectiões.

RAtiones has vltimas soluit, & duas etiam primas, quæ allatæ fuerunt contra veram determinationem, puta, quòd vnus sit actus actio, & passio, isque sit in patiente, & mobili.

Respondet igitur non esse inconueniens, vnum actum esse duorum, vt doctio (si ita licet dicere) est actus docentis, & discentis, quando talis actus non est sic in vno, quod ab altero pendeat. Cũ vero vnus actus est in aliquo simul, etiam est ab alio procedens: tunc duorum vnus potest esse actus re: sed ratione diuersus.

Ad 1.

Ac si dicat. Motus sic est in mobili, ꝙ non sit decisus, & separatus à mouenti, id est, est in mobili, sed à mouente procedens, & dependens, ob id duorum est vnus actus, & motus, sed vt à mouẽte est, habet aliam rationem: vt in passo, & mobili est, rationem aliam sicut id, quod est potentia simul põt actus esse, sed diuersa ratione. At si vnus esset ratione, vt vestis, & tunica: tunc non posset vnicus esse duorum actus.

Motus est actus inter duo, mouens, vt principium, & mobile, vt subiectum.

Aduerte igitur, quòd motus est actus inter duo, videlicet mobile, vt subiectũ, mouens, vt principium, nec sine vtroque potest consistere, ob id vnus potest esse duorum, ac ob id superius supposuit mouens, & mobile ad aliquid dici.

Neque necesse est docentem discere. Tex. XXI.

Ad tria alia argumenta. Hinc etiam nota duo aliqua posse esse idem re, diuersa ratiõe.

SOluit alia tria vltima argumenta dicens, quòd si vnum esset re, & ratione actio, & passio, ita, vt vtriusque esset eadem essentialis definitio, tunc argumenta concluderent. At cùm ratio diuersa sit, licèt vnus actus sit, non ob id tales prædicationes sunt veræ. Hæc enim non insunt, nec competunt his, quæ quolibet modo sunt idem, sed quæ sunt idem re, & ratione.

Et ponit exemplum, quomodo actio, & passio dicantur eadem re, sicut à Thebis ad Athenas, & ab Athenis ad Thebas eadem via est, sed ratio diuersa est, vt est ab Athenis, & vt est à Thebis, & propter id non dicimus idẽ esse distare ab Athenis, & distat à Thebis, sic necidẽ sunt ratione actio, & passio, nec agere, & pati, licèt vnus re sit vtriusque motus.

Omninò verè dicere est. Tex. XXII.

Nota absolutè negandũ cẽ hanc propositionẽ actio est passio.

COnclude propter diuersitatem rationis, quæ est inter actionem, & passionem: licèt motus, cui istę rationes diuersæ accidunt, vnus sit, esse absolutè negandas illas propositiones, actio est passio, doctio est disciplina: & dicere oportet actionem non esse passionẽ, cùm actio sit motus ab hoc, passio motus in hoc, quæ duo ratione differunt.

Quid igitur motus sit. Tex. XXIII.

Concludit Arist. motũ esse actum potentiæ actiuæ, & passiuæ, sed diuersimodè.

EPilogat dicta, nempè, quid sit motus in generali se dixisse, & ex tali definitione facilè esse singulos motus in specie definire, vt alteratio actus est alterabilis, vt tale est: & augmentatio actus augmentabilis, vt tale est: & sic in reliquis.

At quia in definitione motus superiori non erat declaratum, de qua potẽtia esset sermo de actiua, an de passiua, cùm dictum est, motũ esse actum entis in potentia. Constat autem, quòd vtroque modo illic sumitur potentia, ob id dicit modò, quòd clarius procedet definitio motus sic: motus est actus actiui, & passiui, vt tale vnumquodque est.

Simili modo singulas species definire poterimus: alteratio enim actus alterantis: & alterabilis, vt talia sunt, & simile in alijs: & hunc existimo esse verum Aristotelis sensum in hoc textu.

Quæstio Prima. An motus sit per se in aliquo Prædicamento, & in quo Prædicamento. An videlicet sit qualitas fluens, vel fluxus ipse qualitatis, & via, an sit actio, vel passio, vel quid aliud.

De quo agendum.

MVLTA, quę de Motu dici possent, ac ipsius speciebus, ad alios pertinent Physicorum libros: hic solùm ea, quæ ad ipsius naturam, & essentiam pertinẽt, tractabimus.

Est igitur non parua difficultas, ad qd genus motus spectet, & quę eius sit essentia, quod dubium tractauit D. Thomas hic in digressione tex. 22. Albertus tracta. 1. cap. 3. & Auicenna 2. libro sufficientiæ, cap. 2. & Simplicius in præsenti.

Variæ sententię circa essentiã motũ.

Sunt aũt variæ de hoc sententiæ, & omnes pene in hoc conueniunt esse fluxũ quendã: sed tamẽ varia ratione differũt, & in diuersis prædicamentis collocant.

Aristotelis loca, quæ cãm præbeant dubitandi.

Dubitandi autem causam præbẽt aliqua Aristotelis loca inter se, vt videtur, non ita consentientia. Nam in Prædicamentis motum connumerat inter species quantitatis: deinde extra prædicamenta reponit in Postpręcdicamẽtis. Hoc loco videtur dicere esse actionẽ, vel passionem, actum, videlicet actiui, vel passiui. At in Metaphysicis ait motum esse quantum per accidens.

Prima opinio Auerrois.

Prima igitur opinio est Auerrois, hoc libro commento. 4. qui dicit motum cõsiderari posse dupliciter: vno modo pro forma ipsa fluente secundum acquisitionem partis post partem, vt est calor imperfectus, qui in acquisitione est successiuus: & ista est, inquit, consideratio vera, & ad locum præsentem pertinet, vbi res secundum veritatem tractatur, & sic motus non est in Prædicamento alio, quàm vbi est sua forma: nam forma imperfecta, quæ motus est, non differt essentialiter à forma perfecta, vnde fit, quòd motus sit analogum ad istas motus species, quæ sunt secũdum diuersas formas Prædicamentorum, & in hoc conuenit Auerroes cum Simplicio, & cum quibusdã alijs Græcis, & cum Alberto.

Altero, inquit, modo motus pro via in formam consideratur, & sic ab Aristotele in prædicamẽtis ponitur in prędicamento passionis: & dicit hoc esse secundum sententiam communem, & famosam: sed non ita veram. Hæc est horum opinio.

Reijcitur Auer. sententia. Primo. Secundò.

Sed cõtra hoc illud est. Primò, ꝙ si formaliter loqui volumus, forma fluẽs duo includit, formã, & fluxũ: esset igitur ens per accidens ipse, si esset forma fluens.

Secundò, quia fluxus, vt fluxus, formaliter nõ est forma, cuius est fluxus: oportet igitur assignare, in quo ꝓprie sit præ-

dicamento fluxus, vt fluxus: atque adeò non effugitur difficultas, si dicatur secundum antiquorum communē sententiam esse passionem: sed oportet secūdum veritatem dicere in quo sit prædicamēto.

Tertiò. Tertiò, quia localis motus non potest dici forma fluens, nec spacium fluēs, nec locus fluens, sed esse solùm videtur ipse fluxus per spacium.

Quartò. Quartò, quia generatio motus est, & non est forma imperfecta fluens secundum partes, cùm in instanti acquiratur.

Solutio, p Auerroe. Ad hoc respondet Iandunus, quęst. 2. quòd generatio dupliciter sumitur: Vno modò pro ipsa mutatione substantialis formę, quæ in instanti fit, & sic motus nō est. Altero modo pro alteratione præuia generationi: non enim est generatio, nisi præcedat alteratio secundum qualitates disponentes, & sic est motus generatio pro illa alteratione, & tunc est ille fluxus in qualitatibus.

Ita respōdent etiam quidam alij, qui dicunt cum secunda opinione sequenti, motum non esse qualitatem fluentē, sed esse fluxum, & tendentiam formę imperfectæ ad perfectam.

Confutatio solutionis. Primò. Sed hæc solutio mihi non placet, imò generatio ipsius substantiæ motus est dicenda: vt in præsenti definitur motus; actus entis in potentia; & actus actiui, & passiui: & patet apertè: nā hic distinguuntur quatuor motus, quorum vnus est generatio, & corruptio, qui si pro alteratione sumitur, non esset distinctus essentialiter ab ea.

Secundò. Præterea Simplicius, 5. Phy. & S. Tho. dicunt, q̄ motus hic definitus est in genere latè sumpto vocabulo, vt omnē mutationem includit.

Tertiò. Præterea, quia generatio est vera actio, & vera passio, & generare agere est, generari moueri: ergo motus est; nam esse actum actiui, & passiui essentialiter motus est: non igitur sententia hæc videtur vera.

Secta opi. Gilberti. Secunda sententia est Gilberti, lib. 6. Principiorum, putat motum esse in prædicamento actionis: quia motus est forma procedens, sed hæc primò ab ipso agente procedit: ergo motus ad actionem potius pertinet. Sed hæc opinio satis fuit ab Arist. in textu reprobata, cùm motus sit potius actus mobilis, & in ipso mobili, non in mouente.

Tertia opinio aliorum. Alij tertiò ad passionē referunt, cùm motus in patiente subiectetur.

Reijcitur vtraq; sententia. Sed nec hæc sententia est vera, quia motus tam est actus actiui, quàm passiui: nō ergo magis ad hoc genus, scilicet passionis, quàm ad illud genus actionis referri ab his debuit. Secūdò. Deinde, quia motus inter postprædicamenta, aut in prędicamento quantitatis collocatur: at actio, & passio diuersa constituunt prędicamenta. Tertio; quia si passio est motus: ergo, & actio eius correlatiuum erit motus, ita erunt duo motus vnum correlatiuum alterius, quod est absurdum.

Quarta opinio. Alij sunt in quarta sententia, nempè, motum formaliter videlicet pro fluxu, & fieri, esse genus quoddam superius actione, & passione.

Reijcitur hæc opi. Sed hæc sententia non est tenenda, quia iam actio, & passio nōn essent duo prædicamenta, quod est contra Aristotelem, & modò id verum esse supponimus: in Logica enim numerus prædicamentorum probatus est.

Quinta opinio. Quinta opinio est cuiusdam, quòd ratio prima motus r on est forma, nec ad formam via, sed quod sit actus existentis in potentia: via igitur illa in formam, materiale est motus, & hoc videtur esse Aristotelis, qui definitione sua nō aliud esse motum dixit, quàm actum potentiæ, vt potentia est: At definitio formale rei explicat.

Ex hoc infert, quòd cùm esse actū potentiæ non sit vniuocum, nec vnam dicēs rationem: alius enim est actus actiuæ, alius passiuæ potentię, quòd etiam motus erit analogus, id enim docet Aristoteles, 7. Phy. tex. 26. nec inconueniens est, quòd analogum definitione definiatur analoga, vt hic docet Simplicius, cùm igitur sit motus analogum, ait, non exquirendā in eò aliquam rationē cōmunem actioni, & passioni, sed sola est cōmunitas nominis, nam actio est actus potentiæ actiuæ, passio passiuæ, quando verò actū potentiæ in cōmuni aliquis sumit, seu motum, analogum quid, & solā vocē communem sumit: & idem in quouis motu particulari considerandum ait, vt calefactio est analogum ad calefactionem actiuam, quæ

uam, quæ est actio calefacientis, & actus actiui, & ad passiuam, quæ est actus passiui, scilicet, passio, atque in cæteris motibus.

Vnde concludit, quòd actio, & passio formaliter sunt motus, & quòd formaliter sunt duo motus, & duo actus, se re non nisi vnus, puta vna via in formam, & vnum medium inter agens, & patiens..

Hinc, ait, quod si motum materialiter consideremus, reducitur ad prædicamentum ipsius formæ: est enim sic via in formam, vt communis dicit opinio: at si formaliter, vt actus est potentiæ, duo illa prædicamenta facit, quia sunt duo actus formaliter actio, & passio, quæ vniuocè non conueniunt: alios autem, asserit: quod materiale est motus, puta viam in formam, seu fluxum, formale esse, putasse.

Reijcitur 5. opinio. Primò. Reijcitur hæc quinta opinio. Primò: quia si in motu hæc opinio distinguit materiale, & formale, iam faceret motum esse aliquid compositum ex duobus accidentibus, ex illo, inquam, materiali, & formali, videlicet fluxu, & actione, vel fluxu, & passione, atque adeò, nec vnum esset accidens, neq; ens per se, sed aggregatū ex duplici accēdentali ratione, materialis, & formalis, vt album in concreto, & alia accidentium concreta.

Secundò. Secundò. Quia superest adhuc per se de illo ipso materiali difficultas, nempè de fluxu per se, vt fluxus est, si non est per se motus: quæ ergo res sit per se, vt talis, & cuius prędicamenti: nil autem per se, vt talis esse videtur, nisi ipsemet motus: similiter, & de ipso per se formali, scilicet actione, vt actio, & passione, vt passio, etiā secluso fluxu, quæ sint res.

Tertiò. Tertiò: quia si formale motus est actio, & passio, ergo duo sunt motus formaliter, nam actio formaliter non est passio, nec passio formaliter est actio: ergo in quouis motu duos simul esse motus formaliter dicemus, quòd est absurdum, & paradoxon, vt duos simul motus locales, cùm res mouetur localiter, duas simul augmentationes formaliter, cùm res augetur, & ita in cæteris: nam si motus est actio, & passio, & vbicunque est actio, est passio, & econtra: ergo vbicunque vnus erit motus, erunt duo formales motus, quod est absurdum, quod absurdum cùm concedat hæc opinio, est planè reijcienda.

Quartò. Quartò, sequitur etiam hos formales motus esse correlatiuos, si sunt formaliter actio, & passio, siquidem actio, & passio sunt formaliter inter se correlatiua.

Quintò. Quintò, sequitur etiam quòd motus, vt motus, non sit res absoluta, sed res relatiua: nam actio, & passio res sunt formaliter relatiuæ, & sibijnuicem appositæ.

Sextò. Sextò, quia actio, vt actio, per se non dicit successionem, cùm possit esse actio in instanti, & similiter passio, vt passio, sed abstrahunt à successione, & ab instāti. at motus saltem propriè acceptus per se, & in se dicit successionem, vt successiuè fiat, & quod nūc mouetur, anteà mouebatur, & post hoc mouebitur, vt latè ostendit Aristoteles superius: Ac quod agit, non est necesse, quod prius egerit, & post hoc etiam agat: neque quod patitur etiam patiatur posteà, & anteà pateretur, cùm (vt diximus) esse possint actiones instantaneæ, neque in sua intrinseca ratione hoc per se includet ipsum agere, vt anteà, & posteà sit actio.

Septimò. Septimò, hinc etiam fit contra eandem opinionem, motum non esse analogum superius ad actionem, & passionem: quādoquidem aliqua est actio, quæ propriè non est motus: præsertim, quia si concederetur esse quid commune ad actionem & passionem, vniuocum potius censeri posset, quàm analogum: nam non apparet analogia actionis ad passionē, vel cōtra, non magis, quàm inter alia quæuis correlatiua, vt patris ad filium, & contrà: non enim vni propter alterum cōueniet, aut per alterum, nec prius vni quàm alteri, cùm sint correlatiua actio, & passio.

Octauò. Octauò, quia in motu, imò etiam in omni mutatione alij sunt, & aliter assignantur, & diuersa longè ratione termini à quo, & ad quem, & id, quod per motum fit, vel acquiritur, quàm in actione, vel in passione.

Nam primò motus præsupponit mobile: quod moueatur: & in quo sit motus, vt in subiecto: at actis, seu effectis non præsupponit inquātum talis, subiectum: nam

nam etiam agens potest sibi fabricare subiectum, & in subiecto posteà operari, & agere, vt in Creatione Deus, & artifices pleriq; sic parant materiam, in quam agant.

Deinde in motu sunt hæc tria. Est quod mouet, scilicet, mouēs. v.g. ignis: & quod mouetur, nempè mobile. v.g. aqua: & calor, quo aqua mouetur, quo videlicet calefit: Si actionis verò terminos consideremus, reperiemus esse diuersos: erit quidem ignis agens, sed tamen aqua non est, quæ agitur, seu efficitur: est autem aqua, quæ vere mouetur, & fit aqua calida, sed non mouetur aqua calida.

Et in motu locali idem reperitur, nam mobile, vt puta corpus, mouetur, sed non dicitur fieri id mobile, puta corpus: & mouens mouet illud, sed non dicimus mouens facere mobile.

Dicimus item agens, vt ignem facere calorem in aqua, & fieri motum in mobili: non autem moueri motum, vel mouēs mouere calorem.

Quamobrem perspicuè apparent alij termini à quo, & ad quem, & id quod fit, & aliter in motu, aliter in actione, & passione assignari. Non ergo dici potest, motum formaliter idem esse, quod actionem, & passionem.

6. Opinio vera D. Thom. & cōmunis.

Sexta sententia est D. Thomæ, & Auicennæ, quam sequuntur multi ex discipulis D. Thomæ, & est modò cōmunior, motum dupliciter posse considerari: Vel pro forma fluente, quę acquiritur, & hoc modo est in Prędicamento ipsius formę, Sicut, & ipsa forma permanens: Vel pro ipsa acquisitione, & fluxu formæ, & hæc est vera ratio, & intrinseca motus ipsius. Hæc sententia quoniam & verior est, & Aristoteli conformior, à nobis erit fusius explicanda.

Primū fūdamentū. In motu sunt 4. agēs, patiēs forma, & via ad formam.

Aduertendum est ergo primò, quod in motu Physico sunt omnia ista, agens, patiens, (siue hæc duo sint supposita, siue vnum, habens tamen rationes, & principia diuersa, vt cùm aliquid mouet se,) vlterius est forma acquisita, est via, & medium, quo acquiritur, & hæc ipsa est, motus formaliter, nec enim motus est agēs, nec patiens, nec forma, sed illa via, vt via in formam est.

Itaque motus formaliter est illa via, & medium, & operatio, qua forma acquiritur, quatenus est actus potentiæ, siue actiuæ, siue passiuæ, id est, quatenus per talem viam, & operat onem agēs, siue patiens dicuntur esse in actu imperfecto.

2. fūdamētū. Via ad formā potest esse, successiua vel instantanea.

Aduertendum secundo, quod ista via, quam formaliter dicimus esse motum, non est opus, quod sit successiua, licet enim in instanti sit, adhuc medium est inter agens, & patiens, & id sufficit, vt actio vel passio, & motus sit. Vndè, vt supra dicebam, generatio verè est motus, lato accepto vocabulo: quod si aliquādo, nempè in libro 5. Aristoteles dicit Generationem non esse motum, illic motum, non vt hic definitus est, sumpsit, sed strictè, vt suprà ex Simplicio, & S. Thoma notaui, pro motu, cuius subiectum est aliquid in actu perfecto, & præterea habens contrarium aliquod, quod resistit introductioni illius formę, qualis motus est alteratio, augmentatio, & latio.

3. fūdamētū. Quadruplex diuisibilitas in motu.

Tertiò aduerte, vt deueniamus ad motum propriè dictum, in ipso esse quadruplicem diuisibilitatem, ex quibus videndum est, quæ nam insint ipsi per accidens vt illis exclusis remaneat propria, & intrinseca ratio motus.

Prima. Prima diuisibilitas est, quam possumus vocare subiectiuam: cùm enim motus accidens quoddam materiale sit, non potest non extendi ad extensionem subiecti in quo est, & de hac diuisibilitate agit Aristo. 6. Physic. à text. 33. vsque ad 36. hanc certum est ipsi per accidens competere, vt & cæteris accidentibus quare non erit ipsius ratio formalis.

Secunda. Secunda est, quæ sumitur ex spatio vt prima pars motus sit illa, quæ fit in prima parte spacij: & quod dico de spatio in motu locali, dico etiam de latitudine illa intensiua in qualitate, & extēsiua in quātitate. Et hæc etiam diuisibilitas non est dubium, quin non sit ratio formalis motus, datur enim illa, & in spatio, & qualitate ante, & post omnem motum, & de hac agit Aristoteles 4. Physicorum, text. 99.

Tertia. Tertia est, quæ est propria motus, nempè successio illa, vel acquisitio successiua diuersorum situum in latitudine, vel terminorum in qualitatibus, & quantitatibus, quam esse ab illa secunda distinctam est ma-

nifestum, cùm illa possit sine hac reperiri, & hęc est, quam dicimus, intrinsecè esse motum, de qua agit Aristoteles hic.

Quarta.

Quarta. est successio motus penes moram, vt fit vnius horæ vel duarum, &c. & hæc est formaliter tempus, quam esse ab illa tertia distinctam est manifestum: acquisitio enim successiua eiusdem spatij, vel qualitatis modò fit in hora, modò in duabus horis, &c. v. g. vt homo ægrotus in duabus, vel tribus horis sanatur, & simile. cùm ergo illa diuisibilitas sit eadem mora variata, non est dubium quin distinguatur, & de hac agit Aristoteles 4. Physic. à tex. 100. vbi hanc moram constituit esse tempus.

4. fūdamētū. In quo sint pdicamēto illæ diuisibilitates.

Quarto aduerte illam primam diuisibilitatem esse in prædicamento quantitatis, vt manifestum est. Secunda verò, si est latitudo spatij, est in eodem prædicamento quantitatis. At si est latitudo in qualitate cùm sit modus quidam ipsius, erit reductiuè in qualitate. Quarta autē quoniam habet propriam, & completam rationem entis, & est diuisibilitas distincta à cęteris debet habere sedem propriā, vnde constituit propriam speciem quantitatis, vt videre est in prædicamentis & 5. Metaph. c. de quantitate. At tertia illa diuisibilitas, licet sit à cæteris distincta, non tamen habet completam rationē entis, vndè non potest esse distincta species quantitatis.

5. fūdamētū. Quod requratur, vt esse tē pfectā, vt faciat speciē in aliquo pdicamēto.

Pro quo quinto aduerte, vt aliquid faciat speciem in prędicamento, non sufficere vt habeat propriā rationem illius prædicamenti à cęteris distinctam, habēt enim materia, & forma, tamen non sunt species substantiæ, sed præterea oportere, vt habeat esse completum, vt nō sit pars, vel via, vel modus alterius. Hinc ergo differunt mora illa temporis, & successio motus: quòd mora illa in ratione moræ non est via ad aliud, nec pars alterius, sed passio: esse autem passionem non tollit rationem speciei: at verò motus, licet habeat illam propriā diuisibilitatem, tamē quia illa est in ratione viæ, est in ratione entis imperfecti, vndè non potest cōstituere nouam speciem prędicamentalem.

6. fūdamētū. Quō cōciliētur loca Aristo.

Sextò aduerte hinc conciliari loca Aristotelis. Hic enim videtur tribuere veram diuisibilitatem propriam quantitatis, at in Prædicamentis ca. de quantitate, & in 5. Metaphysicæ capit. de quanto, ait esse quantum per accidens, quod rectè factū est: hic enim, quia agebat de diuisibilitate abstrahēdo ab ente perfecto, & imperfecto, eam illi tribuit: at verò in illis locis, quoniam quærit eam diuisibilitatem quæ quæritur ad constituendam nouam speciem, & hanc non habet motus, nisi per accidens à subiecto, spatio, vel tempore, ideò illum connumerat inter quanta per accidens.

1. Conclusio.

His suppositis sit prima cōclusio. Motus intrinseca ratio est esse viam ad formam, seu fluxum formæ, quæ si sit successiuè, erit propriè motus, si in instanti, erit mutatio.

Primò. Quod ergo sit ille fluxus, & via ad formam ex dictis maximè in tertio notabili manifestum est, cùm illa diuisibilitas, & fluxus formæ nullius alterius rei possit esse propria. & necesse sit assignari cuius sit.

Secundò. Et ex communi etiam modo concipiendi: omnes enim motum cum fluxu quodam à terminos ad terminum intelligunt.

Tertiò. Et præterea impossibile est ad terminum peruenire, nisi via præcedente, nec aliud potest intelligi, quàm per viam ad terminū accedere, saltem ratione distinctam: nam aliud est ire, aliud peruenire.

2. cōclusio. Secunda conclusio, motus propriè dictus, prout distinguitur à mutatione intrinsecè, & essentialiter includit, quòd ille fluxus sit successiuus, & non instantaneus.

Primò. Probatur primò, Nam aliàs peto de illo fluxu formaliter, an habeat esse permanens, vel successiuum. Si secundum, habeo intentum. Si primum, contrà, sequeretur id, quod habet totum suum esse simul, & est permanens intrinsecè, posse extrinsecè recipere cōtradictorium suę essentiæ: quod mihi magis videtur implicare, quàm id, de quo disputat Arist. primo de cælo, à tex. 110. Implicare, videlicet, vt quod est incorruptibile per naturam, extrinsecè possit corrumpi.

Secundò. Secundò, id per quod aliquid à cæteris essentialiter differt, per id etiā formaliter constituitur, ex Porphyrio in capit. de Diffe.

Differentia: sed in nullo possumus fingere differre motum à mutatione instantanea, nisi per hanc successionem: ergo. Probatur minor: non enim differt in diuisibilitate subiectiua: habet enim eandem illuminatio: non in diuisibilitate latitudinis, quod videlicet motus sit via ad rem habentem latitudinem, est enim idē in illuminatione, quæ tamen propriè est mutatio: non in successione temporis, probaui enim iam illam esse extrinsecā motui: ergo non etiam in diuisibilitate intentionis formæ, seu graduum, qui acquiruntur: nam etiam hoc cernimus in illuminatione: ergo superest in hoc solo distinguatur motus à mutatione, quod in illo fluxus ipse est successiuus intrinsecè, at in mutatione instantaneus.

Tertiò. Tertiò. accipiamus hanc successionē, quam dicunt esse intrinsecam, & separemus illam à motu, seu fluxu: quæro. Aut esset sic considerata, mutatio propriè dicta. & hoc non, vt supponimus: Aut esset instantanea, & sic rursus esset propriè dicta mutatio. Aut abstraheret à successione, & instantaneo, & tunc esset mutationis tertia quędam species, nec successiua, nec instantanea. Præterea si motus propriè dictus abstrahit in sua ratione à successione: ergo etiam mutatio propriè dicta abstrahet ab instantaneo: quare rursus relinquetur eadem prorsus intrinseca ratio mutationis propriè dictæ, & motus proprij dicti, quod est absurdum, & falsum: igitur per fluxum abstrahendo in vniuersum à successiuo, & instātaneo, explicatur essentia ipsa motus in communi, latè accepto vocabulo, quæ postea per successiuum contrahitur ad motum proprium, & per instantaneum contrahitur ad mutationem propriam: nam sicut instans, & tempus differūt specie, ita etiam motus propriè, & mutatio propriè, licet in communi conueniant.

Obiectiones cōtra positā sententiam. Sunt tamen precipua quædam dubia, & obiectiones aliquot contra hanc communem opinionem, quas oportet dissoluere. Prima obiectio. Actio etiam ipsa agentis est successiua, & passio, scilicet, ipsum agere, & pati: ergo iam erunt tres fluxus, vnus formæ, seu spatij, qui est motus, alter actionis, alter passionis. & ita erunt tres fluxus.

Solutio. Respondendum est, quod est solus vnus fluxus formæ, seu spatij formaliter: qui est ipsemet motus, à quo extrinseca denominatione denominantur successiua hæc omnia: & mouens mouere dicitur successiuè, & mobile moueri successiuè, & formam fieri successiuè, seu spatium pertransiri, vel acquiri successiuè, & agens producere formam successiuè, & patiēns recipere formam successiuè, & ipsum motum esse successiuum: sed motus quidem formaliter, & intrinsecè: alia verò extrinseca ab ipsa denominatione: ac de his hactenus.

2. Obiect. Secunda obiectio. Videtur aliud esse fluxum formæ, aliud verò esse viam in formam ipsam: nam si formalem rationem ipsam per se spectemus, via est ante terminum saltem natura prior: nam est ad terminum: & ita via ad vbi, ad calorem ideò erit ante calorem, & ante ipsum vbi, quod acquiritur, saltē natura: at fluxus formæ videtur quid cōsequens ad formam, & esse posterius natura: nam vt aliquid fluat, oportet prius sit, & si non sit, fluere non potest.

Solutio. Respondeo. Duplex est fluxus formæ, seu duobus illum modis possumus imaginari. Vnus modus est, sicut fluit aqua, oleum, vel butirum liquefactum, & hoc modo prius est forma, & deinde fluxus, vt in argumento obijciebatur, siue fluat motu locali, siue fluat deficiendo paulatim. Alter modus est: vt sit fluxus formæ, sicut dicimus, fluxum specierum visibilium ex obiecto, & fluxum luminis ex luminoso, in quo vna species post alteram emanat, & fit & in priori natura hæc illā præcedit per spacium se diffundendo, & vnū lumen post alterum, licet in eodem instāti temporis, sicut etiam est fluxus sonus successiuus, & fluxus etiam odoris per medium, & talem fluxum possemus cōmodè vocare acquisitionem formæ successiuam, siue emanationē successiuam: hic autem via ipsa est ad formam, & ante ipsam formam, saltem natura prior, & talis formæ fluxus, est motus. Et nota solutionem.

3. Obiect. Tertia obiectio. In motu locali apparet quidem esse viam ad vbi, quod per illum acquiritur: sed non apparet, si fluxus sit, cuius rei sit fluxus: nō enim mobilis, neque

que spatij, nec vbi, nec loci fluxus, nam hæc omnia sunt permanentia, vel in instanti acquiruntur: ergo non videtur hic saltem motus esse fluxus, sed via ad terminum, videlicet ad vbi. Confirmatius fit, quia fluxus dicit successionē: at generatio fit in instāti: ergo generatio non esset fluxus, sed solū via ad formā substantialē.

Solutio. Respondeo. Non omnes motus habēt eandem rationem fluxus, sed vt differūt natura, ita & fluxu. Dicimus ergo motū localem esse fluxum nō formæ alicuius: sed termini successiuam esse acquisitionem alterius, inquam & alterius vbi, atque adeò vbicationem ipsam paulatim succedere, & fieri successiuè. Potest autē hic fluxus propriè vocari, fluxus per spatium, sicut alij motus, fluxus per formā. Sed in hoc differunt, quòd in illis acquiritur forma, & manet acquisita, & augetur eadem, vel contrà aucta minuitur: at in hoc fluxu terminus acquisitus, videlicet, vbi, non manet: sed corrumpitur, & ad aliud transitur.

4. Obiect. Quarta obiectio. Fluxus dicit successionem: at generatio, & corruptio fit in instanti: ergo generatio, & corruptio nō esset fluxus, & ita non esset motus, si motus est fluxus.

Solutio. Respondeo. Quòd (vt anteà diximus,) motus propriè acceptus dicit successionem: at motus largè, vt complectitur mutationes etiam instantaneas, non dicit successionem, sed abstrahit à successione, & ab instanti. Diximus autem generationem, & corruptionem esse quidem motus largè accepto vocabulo, vt sunt actus entis in potentia, sed non strictè, cum fiant in instanti. Ita ergo nunc dicimus fluxum esse duplicem, & successiuum in motu propriè dicto, & fluxum instantaneum, quę est illa emanatio instantanea, seu acquisitio instantanea, in mutationibus, seu motibus impropriè dictis, qualis est generatio, & corruptio: ac de his hactenus.

An actio sit in agente, & quæ ipsa res sit actio. Quæstio. II.

Sensus qōis. NON est hic quæstio de actione immanente, hāc enim certum est non esse extra suum principium effectiuum, quales sunt volitiones, & cognitiones, quæ in ipsis sistunt potentijs: sed est quæstio de actione transeunti, puta de actione, per quam fit mutatio subiecti exterioris, vt de calefactione, qua calefit aqua, an sit talis actio in igne, an in aqua, quæ patitur: similiter de alijs huiusmodi actionibus.

1. Opinio. Circa hoc tres existunt præcipuè sententiæ. Prima est quorundam Thomistarum, qui putant in agente esse quatuor, est videlicet ipsa substantia, puta ignis: est virtus actiua, nempè calor: est relatio ad ipsum passum: & est entitas inter ipsam virtutem actiuam, & relationem, quæ entitas absoluta est fundamentum relationis, & talis est actio, quæ in agente est. Vnde primùm est ipse ignis: secundò virtus, scilicet calor: tertio ipsa actio, quæ est fundamentum relationis superuenientis.

1. Ratio. Primum argumentum huius sententiæ huiusmodi est ex Aristot. 8. Physic. tex. 15. quòd si Deus de nouo produceret mūdum, quod mutaretur. Est igitur argumentum. Si Deus producendo mundum mutatur secundum Aristot. sentētiam: ergo aliquid in se recipit, non videtur quòd hoc sit, nisi ipsa actio: est ergo actio in agente: si nihil enim reciperet, non mutaretur.

2. Ratio. Secundum. Sit vnus ignis, qui comburat duo ligna, tunc vel est vna actio vel duę: dicere quòd duę, videtur absurdum: cum vnicum sit agens: si verò vna: ergo est in agente: si enim in patiente esset, nō vna, sed duę essent, cùm sint duo passiua.

3. Ratio. Tertium. Esse agens, est effectus formalis, sicut esse album: sed esse formale non est, nisi à forma inhærente: ergo agens nō dicetur, nisi per actiōem sibi inhærentem, sicut nec esse album, nisi per albedinem in se.

4. Ratio. Quartum. Cuius est potentia, eiusdem est actus: sed potentia, & virtus actiua est in ipso agente: ergo etiam actio ipsa.

5. Ratio. Quintum. Perfectio est in eo, cuius est perfectio, sed actio est perfectio agentis: ergo est in ipso. Hęc sunt argumenta precipua pro hac sententia.

2. Opinio. Secunda sentētia est Scotistarum, qui dicunt in agente esse duas relationes. Vnam ad ipsum effectum, vt ignis ad calorem, & aquæ ad frigiditatem, alia est relatio ipsius agentis ad subiectum patiens,

dicunt hanc relationem posteriorem esse actionem, quæ in ipso agente est.

1. Rō pro secunda opinio.

Mouentur ad hoc: quia actio, & passio formaliter relatione distinguuntur: ergo actio formaliter relatio ipsa est, nam motus est in passo, vt in subiecto, sed actio, quę relatio est, & causa illius motus, in agente est, sicut etiam passio, quæ relatio est etiam, in patiente est: hæc est horum opinio.

3. Opin.

Tertia opinio est communis Thomistarum, quam habet Sonzi. 5. Met. q. 37. dicunt, quòd actio dicit fluxum formæ, qui motus est formaliter, relationem tamen agentis, minus principaliter, & in obliquo: vnde constituunt ista, quod forma si consideretur in esse quieto, dicitur aut qualitas, aut quantitas, aut vbi: si verò vt est in fluxu, & tendentia ex imperfecta ad perfectā, & sic est motus: si verò cōsideretur vt est in fluxu, sed cum relatione agentis ad passum actio est, cum relatione autem passi, & recipientis, passio.

Dicunt igitur, quòd actio ratione motus, in patiente est, ratione verò relationis in agente.

Differt hæc opinio à secunda præcedenti, quod secunda actionem principaliter, & formaliter dicit esse relationem agentis: ista verò principaliter, & formaliter motum, secundario, & ex connotatione, relationem importat.

1 Ratio p 3. opiniōe.

Mouentur ad hoc: quia cum actio, & passio vna sint res, eadem inquam qualitas, vel quātitas, idemue motus, nisi relationes importarent, distingui inter se nō possent: constat autem distingui, cū sint duo prædicamenta diuersa. Hæ sunt opiniones præcipuæ, fideliter expositæ.

4. sēntēcia authoris. 1. Conclu. Prima fūdamentū.

Sit prima conclusio. Motus non dicit rationem vnam communem actioni, & passioni, si motus formaliter sumatur.

Aduertendū enim est, quod hæc quinque sunt in quauis actione considerāda. Agens, Patiens, Forma, quæ fit: Fluxus formæ, & Respectus, ac relationes variæ, inter hæc consequentes, quocunque inter se modo conferantur, vt agentis ad formā, vel ad patiens, vel ad fluxum formæ, vel contra: item horum, & aliorum inter se varia ratione.

Probatur conclusio cōtra tertiā opin.

Probatur autem conclusio præsertim contra tertiam opinionem, quæ communis est Thomistarum. Si actio, & passio dicunt vnum, & eundem motum formaliter, tunc vel talis motus est formale actionis, & passionis, vel illa relatio agentis, & patientis: si motus est, ergo non differūt formaliter, nec sunt duo prædicamenta diuersa: si relatio est, ergo iam actio, & passio sunt relationes essentialiter, quod est falsum, & ipsi multum abhorrent: nō ergo motus formaliter vnus, & idem est actioni, & passioni.

Primò.

Secundò. Si actio, vel passio dicunt simul motum, & relationem determinatè ipsum motum: ergo iam non sunt conceptus simplices generalissima illa, cum in conceptum motus, & in conceptum relationis resoluantur.

Secundò.

Tertiò contra Scotum. Si actio, & passio formaliter sunt motus: ergo non sunt relatio, relatio enim motus non est.

Tertiò.

Quartò. Relatio agētis cessante actione: ergo illa non est actio, quòd si dicant, quòd talis relatio non est actio, dicas: ergo non tantùm relatio, illa actio erat formaliter.

Quartò.

Secūda conclusio. Actio & passio sunt realiter quidem res eadem, videlicet vna via, & operatio, & fluxus seu ipsa forma fluens, ac etiam permanens, res denique facta, & in altero recepta, tamen ratione duplex est: vt enim agentis est, actio, vt patientis est, passio dicitur, & hæc conclusio nota est ex præcedenti. Nam hæc consideratur, vel vt procedit ab agente, & sic est actio eius: vel vt recipitur in recipiente: & sic est passio. Hæc autem conclusio est expressa Arist. in text.

2. conclu.

Tertia conclusio. Actio hęc, de qua loquimur, est in patiēte per se, in agente verò per accidens loquimur autem tanquā in subiecto. Hæc conclusio satis est nota in textu, & ex ratione Arist. Si enim actio esset in agente, tunc omne agens moueretur: actio enim motus est: id autem apertè est falsum.

3. conclu.

Declaratur tamen conclusio, cum dicimus, agens per accidens moueri, nō semper intelligas, quòd illo motu, quo mouet, sed diuerso, v.g. Cum ferrum candēs agit in aquam, mouetur non illo motu, quo agit, nam per calefactiōem agit in aquam, & hæc in aqua est, per frigefactionem verò, quæ in ipso est, ab aqua mouetur.

Notā

tur vnde vt patiens est, motū in se habet: aliquando accidit, quod eodē motu, quo mouet, moueatur, sed per accidens, vt cū quis mouet seipsum.

4. conclu.

Quarta conclusio. Ad hanc actionem dictam, & passionem consequitur quædā relatio agentis ad passum, & ad rem factam, & vicissim patientis ad vtrunq;, & contra: quæ etiam ijsdem nominibus actionis, & passionis significari solēt, quæ non tam actio, & passio dici deberent, qàm relatio actionis, & passionis: certum enim est oriri vicissim inter hæc respectū, & relationes, seu habitudines quasdam inter se, cum non eodē modo se habeant inter se, sicut anteà.

Respōsio ad argumēta 1. opinionis ad primū.

Per hæc facilè erit ad argumenta respondere. Ad primum primæ opinionis respondeo, quod non dicit Aristot. quòd illo motu quo Deus faceret mundum moueretur, sed quòd alio: quia ipse putabat, quod vt de nouo ageret, oportebat mutari voluntatē ipsius, vt de nouo vellet aliquid, vnde textus nihil contra nos. Verum est quod in eo decipitur Aristot. quia etiam si de nouo faceret, vt re vera fecit, non ob id muratus est: nam ab ęterno voluntatem illam habuit, & ex æterna voluntate tunc faciēdi mundum processit mūdus in tempore, sed de hocaliàs dicendum.

Ad secundum.

Ad secundum dico, quòd ex parte passibilium sunt duo actus, & duæ potentię, ob id duæ passiones, at ex parte agentis vnica potentia, & vnus processus, propterea vna est actio, non enim opus est, quòd insit actio agēti, vt dicatur vna, sed quòd ab vno agente sic procedat.

Quamuis nihil vetat ibi duas dicere actiones, vel totales, si separata essent lignа, vel partiales, si sunt coniuncta, siquidem diuersos numero calores vtrobique producit, & diuersis motibus alterationis saltem partialibus.

Ad tertiū

Ad tertium dico, quòd esse agens, & agere, non est omninò formalis denominatio, sicut esse album, tamē est denominatio formalis nō habentis in se formā, sed formæ ab ipso dimanantis, & præcedentis, & à tali forma denominatio sumi potest, etsi non inhęreat denominatio, vt etiam in textu dixit Arist.

Ad quartum.

Ad quartum dico: cuius est potentia, ci vsdem & actus est, sed non quòd semper illi inhæreat, sed quòd inhæreat, vel ab ipsa procedat.

Ad quintum.

Et similiter respondetur ad quintum, nō enim opus est, quòd omnis perfectio sit interna, quamuis aliqui dicant actiones transeuntes non esse perfectiones agentiū: sed mihi non placet, nā in vniuersum actus agentium naturalium sunt etiam perfectiones, vel certæ viæ ad perfectionem suam: naturalis enim actus perfectio est, & hæc omnia ex ipso Aristote. deducuntur. Verum est autem, quòd si actus agentis non tenderet ad propriam perfectionem acquirendam, sed ad perficiendum aliud subiectum, quod quidem posset accidere, cum res in se esset omninò perfecta, vt in perfecto artifice aliquid operante, vt etiam in Deo mundum fabricante, & gubernante contingit, tunc per talem actionem non perficeret seipsum, sed aliud, nempè opus, quod facit, atque ita Aristote. 6. Ethico. concedit Prudentiam ab arte in eo differre, q̄ prudētia seipsā perficiat, ars verò alia à se, & res quas facit, & ex dictis liquet solutio ad aliarū opinionū fundamenta.

An motus distinguatur à suo termino. Quæstio III.

Diximus motum esse viam in formam aliquam, puta qualitatē, quantitatem, substantiam, & locum: modò dubitatur, an talis via seu fluxus, & motus ab ipso termino, & forma in quā tendit, distinguatur.

Et circa hoc est prima sententia Pau. Ven. dicentis motum esse entitatē quandam successiuam, absolutam, realiter distinctam ab ipsa forma, vt calefactio est entitas realiter distincta à calore, & subiecto, & non est relatiua, sed absoluta, & successiua, quæ non permanet, quando forma est acquisita, idem dicit de motu locali: est enim entitas à mobili realiter distincta, similiter generatio, & corruptio sūt entitates realiter à formis distinctæ, licet non sint successiuæ.

1. Opinio.

Hæc sententia probatur. Primò: motus est quid successiuum reductiuè ad prædicamenta pertinens, at ipsi termini sunt formæ permanentes ad prædicamentum perti-

1. Ratio.

pertinẽtes per se: non ergo idem est motus cum ipsis.

2. Ratio. Secundò. Ipsa forma manet motu cessante, & transacto: ergo motus non est forma.

3. Ratio. Tertiò. Motus est causa, & via in formam, seu formæ fluxum: ergo non est ipsamet.

2. Opinio. Secunda sententia est ferè communis realium; dicunt motum esse quidem realiter distinctum à forma, sed esse entitatem relatiuam: vnde fluxus formæ, qui motus est, non est aliud, quàm relatio formæ imperfectæ tendentis in perfectam, duasque relationes constituunt, & imperfectæ formæ, & perfectæ, adinuicem.

3. Opinio. Tertia sententia est Nominalium, qui motum à forma non distingui putãt, sed calefactionem esse ipsum calorem, & motum ipsam rem, & terminum, & motum localem ipsum mobile, quod mouetur: ac propterea propositiones, quibus ista inuicem affirmantur, veras esse docent.

1. Conclu. Sit ergo prima conclusio. Ista via, & motus, quantùm ad tres eius species, puta quantum ad alterationem, augmentationem, & generationem cum suis oppositis non est distincta realiter à termino, & forma.

1. Ratio. Probatur, & sumo generationem. Si generatio est entitas realiter distincta à forma, vel est in eodem instanti, quo est forma, vel in alio. Pau. dicit esse in alio, tunc sic argumentor. Inter duo instantia semper mediat tempus: ergo inter instãs, quo generatio est, & instans, quo forma est, datur tempus, quo neutrum est: ergo datur tempus in quo absoluta iam generatione nondum sit forma, & terminus, quod est falsum: non igitur talis entitas distincta realiter est: nec separabilis est ab ipsa forma, & termino.

2. Ratio. Secundò. In communi est argumentum. Si motus est entitas distincta realiter à forma suam habens propriam inexistentiam in subiecto: ergo per aliquam mutationem habet esse, impossibile enim quòd sit aliqua entitas absoluta ab aliis distincta, quæ non sit producta aliqua productione, præsertim cum illa talis antè non fuerit, & postea sit: quòd si per mutationem aliquam habet esse, petam de illa mutatione, an sit distincta, quòd si non sit distincta ab illa entitate producta, idem dicere oportebat à principio, quòd mutatio & motus non est distincta entitas à forma producta: si verò sit distincta, tunc erit processus in infinitum: non ergo est multiplicãda illa entitas realiter distincta.

2. Conclu. Secunda conclusio. motus localis nõ distinguitur realiter à mobili, quod mouetur, in hac conclusione fuit opinio Greg. 2. sent. dist. j. q. 4. qui putabat motum localem esse ipsum spaciũ, per quod est mobile, secundum quod aliter, & aliter se habet ad ipsum, quod mouet: vnde cum spacium distinguatur realiter ab eo, quod est in spacio: motus etiam, qui est spacium, distinguetur ab eo, quod mouetur.

Sed communis opinio est in oppositum, videlicet quòd motus localis est ipse modus, quo mobile aliter se habet, & aliter ad spacium, & secundum nostram opinionem est via ipsius mobilis, qua se in loco constituit hoc, vel illo, nec est distincta realiter ab ipso mobili, vt in præcedenti conclusione probatum est.

3. Conclu. Tertia conclusio: nihilominus motus, & terminus, seu motus localis, & mobile ratione, & definitione distinguuntur adeò, vt talis distinctio sufficiens sit ad negandas affirmationes illas, puta calefactio est calor, actio est passio, & similes, quas expresè negat in textu Aristoteles.

Solut. argumentorũ primæ opinionis. Ad primũ & secundum. Et per hanc conclusionem soluuntur omnia opposita argumenta adducta, & alia quæ possunt adduci: non enim posse vnum esse sine altero, aut vnum habere prædicata, quæ non habet alterum, arguit distinctionem realem illorum, sed solam distinctionem rationis, vnde 1. Physic. materiam, & priuationem numero idem, ratione duo docet esse Aristote. ac propter distinctionem rationis materia dicitur substantia, non autem priuatio: materia incorruptibilis, non priuatio, & alia huiusmodi: ita de motu, & termino: distinguuntur enim ratione: ob id, non quæ de vno dicimus, de altero affirmamus, quod tamen non arguit distinctionem realem.

Ad tertiũ Tertium argumentum est præcipuè notandum, & iam nos in quæstione prima

ma satisfecimus: motũ enim natura præcedit formam: sed non quòd realiter, sed ratione distinctus sit, hæc de motu satis.

CAPVT IIII.

De Infinito.

Quoniam autem de natura. Tex. XXIIII.

Probatur ad Philosophũ pertinere agere de Infinito. 1. Ratio. POSTQVAM de motu disputauit, de infinito nũc disserit, ac probat duplici ratione ad Physicũ pertinere de infinito agere. Prior est, Physicus tractat de magnitudinibus, de motibus, de temporibus: sed horum omnium passio est finitum, vel infinitum: ergo etiam Physicus de infinito tractat, & an sit, & si sit, quid sit.

Qua ratione agat Physicus de magnitudinib., motib. & tẽporibus. Aduertendum est autem, quòd de his Physicus considerat in ordine ad corpora naturalia: nam agit de magnitudine, vt de termino corporum, & de motibus, & de tempore in ordine ad tale corpus: de magnitudine enim secundum se, & abstracta mathematicus disserit, & de tempore secundum se, & secundum suas dimensiones Astrologus.

Quid sit infinitũ priuatiuè. At ne quis existimaret omnes passiones Physicas esse finitas aut infinitas, dicit id non esse: nam punctum, & affectus, nec infinita, nec finita sunt. Vbi nota, quòd hic infinitum sumitur priuatiuè pro eo, quod non habet terminos, cum possit habere, & sic priuatum non est infinitum, nec finitum: est enim ipse terminus. Si enim sumeretur infinitum negatiuè pro eo, quod non habet terminum, tunc punctum infinitum dici posset, vt ipsemet Aristot. ipsum vocat inferius infinitum.

Quid infinitum negatiuè.

Dubium. Quid intelligat Arist. per affectum. Dices, quid per affectũ intelligit. Themist. & Philop. intelligunt qualitates omnes, vt calorem, & albedinem, ac habitus, & potẽtias, & reliquas, hæ enim nullam habent magnitudinem per se, nisi ratione quantitatis, secundum quam extensæ in subiecto sunt, propterea quanta per accidens dicuntur in prædicamento quantitatis, secundum se verò non sunt quanta: ob id nec finita, nec infinita. Hęc enim quantitatis passiones sunt, non alterius accidentis.

Qualitates nõ sũt quãtæ per se, sed per accidens. Psellus per affectum intelligit quodcunque accidens præter quantitatem: his enim per se non competit diuisibilitas, nec finitum, vel infinitum.

At quamuis hoc verũ sit, existimo esse dicendum cum Simpl. & S. Tho. per affectus intelligi sensibiles solum quantitates: hæ enim sunt, quas Physicus considerat: de talibus enim affectibus sermo est.

Signum autem est, quòd huius. Tex. XXV.

Secũda rõ q̃ Philosophũ debeat agere de infinito. POsteriorem rationem ponit, qua ad Physicum pertinere de infinito tractare probat, nempè omnes Physici qui benè de rebus naturalibus tractarũt, de infinito mentionem fecerunt, imò ipsum infinitum faciunt entium principiũ, licèt non eodem modo

Varijs modis veteres posuerũt principiũ entiũ eẽ infinitũ, quorũ aliq̃ id dicebãt esse p se, alij p accidens. Ponit autem differentiam inter Philosophos, qui infinitum principium fecerunt, ac prima differentia est. Quidam dixerunt, infinitum esse substantiam non alicuius accidens, ac isti dixerunt infinitum esse principium per se, & hi fuerunt Pythagorei, & Plato. Quidam dixerunt infinitum esse accidens substantię illius, quæ principium erat: ponebant aliquam substantiam esse principium, quæ cum infinitatem haberet, dicebant infinitum esse principium, sed per accidens, ac de his Philosophis inferius dicetur.

Discrimẽ inter Pytag. & Pl. Modò ponit discrimen inter eos, qui infinitum per se dicebãt esse principium, nempè inter Pythagoreos & Platonem: ac duplex inter hos statuitur discrimen. Alterum est, quòd Pythagoras non ponebat numerum, nec infinitum separatum, à sensibilibus, sed in ipsis sensibilibus tãquam ipsorum substantiam, & præterea ponebat hoc infinitum intra cælum, & extra.

Et vt benè dicit S. Thom. non dicebat duo infinita, quia mundus hic intra cælum infinitatem non habet, sed dicebat numerum infinitum esse in his, quæ intra, & extra cælum sunt: nam totũ quod

ex.

extra cęlum est, sensibilibus replebat: putabat autem numerum esse rei substantiam.

At Plato nihil dicebat esse extra cælũ, nec ipsas ideas: Cùm enim hæ non sint corpora, in nullo loco dicuntur, tamen numerum, & infinitũ ponebat & in sensibilibus, & in ideis separatis.

Et hi quidem infinitum. Tex. XXVI.

Secũdum Plato. ex magno, & paruo, peuenit infinitas.

ALterũ discrimen ponit inter hos, nempè in causa infinitatis: Plato enim tribuebat magno, & paruo: hinc enim prouenit infinitas eò, quòd diuisio cõtinui tam versus maiores, quàm versus minores partes procedit in infinitum: at Pythagoras numero pari tribuit infinitatem, eò, quòd diuisio secundum duas medietates procedit in infinitum.

Nota.

Et aduerte: quòd nihil aliud significat hoc, quàm quòd vterque materiam facit causam infinitatis, quæ diuisibilis est in infinitum: at hanc materiam Plato magnum, & paruum, Pythagoras verò numerum parem vocabat.

Not. quã ob causã Pytha. vocabat materiã numerũ parẽ, formã verò imparem.

Notat enim Philop quòd materia vocatur numerus par, forma verò impar: nam vt par est radix diuisionis, forma verò indiuisionis, & vnitatis, ita materia tribuit rebus diuisionem, forma vnitatem: vnde, quia binarius est primus par, ternarius verò primus impar, materia binarius, forma trinarius, ex vtroq; compositum quinarius dicitur, ac propterea dicit Aristoteles, quod par coniunctum cum impari tribuit diuisionem, ac infinitatem: ac si dicat, materia est radix, vnde formæ etiam diuisibilitas proueniat.

Ratio Pythago. cur diuisibilitas debeat tribui numero pari

Ponit tamen rationem, qua Pythagorei vtebantur ad ostendendum, quòd diuisibilitas, & multiplicitas sit attribuenda numero pari, vnitas verò numero impari: in cuius gratiam aduerte, quod sicut Geometræ ex lineis figuras constituunt, ita etiã ex numeris Arithmetici. Inter figuras Geometricas vna est quadrangula quatuor rectis lineis constans: similiter est numerus arithmeticus quadratus, qui resultat ex quolibet numero ducto, & multiplicato per se, vt bis duo faciũt quadratum, quæ sunt quatuor, & ter tria, & quater quatuor, & similia.

1. Nota figuræ fiũt & ex lineis, & ex numeris.

Aduerte secundò, quòd hoc inuenitur in quadratis Geometricis, vt tradit Aristoteles in Postprædicam. quod per additionem gnomonum nunquam deperdant figuram, sed quæ semel est figura quadrata, manet semper talis. Est autem gnomon additamentum, quod fit ad duo latera quadrati super ipsius diametrum, quæ omnia nota sunt vel parum exercitato in Geometria, & nos declarauimus in Postprædicam.

2. Nota Gnomon nec in figuris linearum, nec numerorũ mutat figuram.

Hoc etiam inuenitur in numeris quadratis, quibus si gnomones addantur, nõ mutant figuram.

Aduerte tertiò, quod gnomones sunt omnes impares dispositi à primo quadrato: primum enim quadratũ est quaternarius, reliqua vnitate relicta, quæ non verè dicitur quadratum, cum in eo, & quadratum, & radix sint idem. Impares sunt gnomones, nempè 5. 7. 9. 11. 13. & reliqui, si ordine addas quadratis tales impares, semper efficient quadrata, vt quaternario adde primum gnomonem, erit nouenarius, qui etiam est quadratus, puta ter tria. vlterius quadrato huic nouenario adde secundum gnomonem, puta septenarium, erunt sexdecim, qui est numerus quadratus, scilicet, quater quatuor, & huic si addas gnomonem tertium, erit quadratus, & sic consequenter, quòd si pares addideris, tunc mutantur figuræ numerorum, vt notum est, hac ergo de causa, impar formæ, & vnitati similatur, par verò materiæ, & diuisibilitati, ac infinitati.

3. Nota. In figuris numerorum ex vno numero quadrato addito gnomone, cõsurgit alterũ quadratũ vt etiã in figura linearum.

Hoc est igitur, quod dicit Aristot. (circumpositis gnomonibus circa vnũ) gnomones vocat numeros omnes positos post vnitatem: tàm pares, quàm impares, dicitque quòd si circa vnum singuli ponantur seorsum, id est, omnes ordinatè ponantur, tunc ex quibusdam semper fit vna figura, puta ex imparibus modo prædicto, ex alijs verò semper diuersæ figuræ, vt patet, si quadratis addas pares, mutantur figuræ, & hic est sensus huius loci, quamuis alij aliter exponant, est enim obscurus locus.

Qui autem de natura. Tex. XXVII.

Quõ ponebãt quã veteres principiũ infinitũ per accidens.

EXplicat modò, quo pacto posuerint infinitum ij Philosophi, qui ipsum non per se principium fecerunt, sed per accidens, quatenus alia principia ponebant, quibus accidebat esse infinita, quorum aliqui vnum principium ponebant, puta ignem, aquam, aut aerem, aut medium: qui enim plura elementa ponebant, vt fuit Empedo. finita illa facit.

Pl. nõ discrimẽ inter Anax. & Demo.

Alij ponunt non vnum, sed plura principia, infinita tamen, non cõtinuatione, sed tactu, & coniunctione, ac numero, atque hi fuerunt Anaxagoras, & Democritus. Hi enim chaos posuerunt, in quo congesta erant infinita rerum principia, vt in seminario quodam, ex quo omnia posteà facta sunt.

Sed differenter, nam Anaxago. dicebat esse infinitas partes omnium rerum similares, at Demo. figura differentes cõstituebat, vti diximus in 1. lib.

Atque ille quidem quamlibet. Tex. XXVIII.

Secundũ discrimẽ inter Anax. & Democr.

ALterum constituit discrimen inter Anaxagor. & Democr. nempè quòd Anaxag. quamlibet particulam existimabat esse sicut totum chaos, quia in ea erant contentæ particulæ omnium rerũ: ad hoc inducebatur: quia videbat quodlibet fieri ex quolibet, cumq; nihil de nouo fieret, dicebat in quolibet præcedere quodlibet, sed latere, donec pergenerationem manifestetur: ac propter hoc etiam dicebat, q̃ omnia fuerũt permixta simul in illo chao, vnde posteà singulorum fuit separatio.

Et ita duas ponit separationes: Vna est ab illo chao, in quo omnia, & simul confusa erant. Altera est à singulis modò corporibus, in quo etiam latent modò, licèt aliter sit ista, aliter illa separatio: & hic est sensus illorum verborum (principium disgregationis non solùm in vnoquoque, sed omnium) id est, non solùm est separatio, & segregatio ista, quæ in vnoquoque est, sed etiam fuit segregatio omnium rerum à chao illo, & ita explicat Psellus.

Addit autem duas rationes, propter quas Anaxago. putabat talem segregationem vniuersalem fuisse. Prior est: supponebat vnumquodq; ex suo simili fieri, vt ex materia: quia nihil de nouo fiebat, tũc dicebat, omnia generabilia sunt, licèt non simul: ergo oportet ponere aliquod chaos, in quo omnia contineantur, vt omnia possint generari, & fieri, successiuè tamen.

1. Ratio Anax.

Altera ratio est: quia erat vna causa efficiens, puta mens, causa illius segregationis: ergo vnum erat principium, in quo omnia continebãtur, vt omnia posset segregare. Hunc existimo esse loci sensum: & aduerte locum esse obscurissimũ, vt omnes fatentur, aliæ verò expositiones mihi nõ placent, sed ea solùm, quam attulimus.

2. Ratio.

Democritus autem. Tex. XXIX.

Explicatur sentẽtia Democr.

QVid verò Democr. diceret, modò adducit. Hic enim nõ dicit in qualibet particula, & athomo esse aliorum omnium particulas, sed esse singulas impermixtas, figura differentes, ex quibus chaos illud compositũ erat, tanquam ex multis, & infinitis partibus figura differentibus.

Cõcludit igitur ex hoc discursu Physico conuenire de infinito disserere, cùm omnes hi Philosophi de infinito loquantur.

Rationabiliter autem, & principium. Tex. XXX.

COmmendat Philosophos, qui infinitum ponentes, confitebantur ea, quæ ex infinito sequebantur: non

non laudat, quia infinitum posuerunt, sed cùm ipsum posuissent, ipsum tale posuerunt, quale fuisset, si ipsum esset. Dixerunt autem tria de infinito. Primùm, ipsum esse principium, & hoc rationabiliter dicebant: nam infinitum si est, non debet esse frustrà, & nullius virtutis: cùm autem omne quod est, aut sit principiũ, aut principiatum, infinitumq; principiatum esse non posset, fuisset principiũ. Probat autem, quòd principiatũ esse nõ possit: nam si principiatum est, principiũ habet: non ergo erit iam infinitum, nam infinitum principio caret.

Prisci Philos. postq infinitum male posuerũt, bene tria alia de ipso dixerunt. Primum.

S. Thomas dicit hanc esse rationem non ex sententia Arist. sed ex mente antiquorum: est enim æquiuoca, & non conuincit, nam primò sumit pro principio rei, posteà pro principio magnitudinis: infinitum verò est id, quod principio magnitudinis caret.

Quid sentiat S. Th. de hac ratione.

Græci verò hanc rationem esse bonam dicunt, vtrumq; enim infinitum nõ habet principium. Demus enim quòd haberet materiam, & formam, tunc aut essent finitæ, aut infinitæ: si finitæ: principiatum non posset esse infinitum: si infinitæ, iam infinitum esset principium, & ita benè dicunt antiqui, ita exponit Sim. & Alex. & Philop.

Quid Ale. Simpli. & Philop.

At Auer. dicit, quòd non possent esse materia, & forma infinita, nec principia illius, quia duo infinita esse non possunt, sed hoc examinabitur posteà.

Quid Auerr.

Præterea nec efficiens, aut finem poterit habere: quia vel essent finita, & hoc non, cùm infinitum non dependeat, nec fiat à finito: nec infinita, quia iam esset principium infinitum, & quia duo infinita distincta, & separata essent, quod repugnat: vnum enim replet omnia: benè ergo dicebant antiqui infinitum esse principium.

Dicebant secundò, illud esse ingenerabile, & incorruptibile: si enim generaretur, haberet principium, & si corrumperetur, haberet finem: hæc autem repugnant infinito.

2. Quid dicebãt ãtiqui de infinito.

S. Thomas existimabat etiam hanc rationem æquiuocam, nam à principio temporis procedit ad principium magnitudinis, quod infinito repugnat: at reliqui expositores bonam esse dicunt, & benè: quia si animal vnum nec totum generari, aut corrumpi simul posse videmus, multò minus infinitum: similiter in reliquis generationibus rerũ, vnde si principium generationis habet, saltem infinitum esse non potest.

Tertium.

Dicebant tertiò, istud continere omnia, & gubernare omnia: hoc tamen non dicebat Anaxagor. qui hoc menti tribuebat, nec Empedo. qui liti, & amicitiæ hoc dabat.

Et aduerte, quòd id non laudat Aristo. nam materialis principij non est gubernare. Dicebant similiter illi Physici plurimi, qui non nisi malè principium ponebant, illud esse diuinum, & immortale, & perire non posse.

Esse autem aliquid infinitum.

Tex. XXXI.

Argumẽta quibus probari possit dari infinitum. Primũ à tempore.

AN sit infinitum disputaturus, ponit quinq; notanda motiua, quibus esse infinitum sibi quis posset persuadere. Primum est, quia tempus est infinitum successiuè: nec videtur principium habuisse, nec habiturum aliquando.

2. Ex diuisione continui.

Alterum est ex diuisione mathematica, quæ sit continui. Hæc enim in infinitum procedit, ac ob id mathematici vtuntur infinito, diuidentes quamlibet magnitudinem adhuc in alias diuisibiles.

3. Ex perpetuitate generationum.

Tertium est ex perpetuis, & continuis generationibus. Cùm enim generatio in infinitum multiplicetur, semper, & generatio ex aliquo principio sit, videtur non posse aliter generatio esse perpetua, nisi infinitum sit principium, ex quo paulatim sumatur pars ad generationem quamlibet.

4. Ex extrinseco terminis corporis.

Quartum est, quia omne corpus terminatur alio, vt terra per aquam, aqua ab aere, & sic de reliquis: si ergo vnumquodque circumscribi debet, oportet esse infinitum, nec ad vltimum non circumscriptum peruenietur.

Maximè autem.

Tex. XXXII.

Quin-

5. Ex mente nostra.

QVintum motiuum ponit, quod omnium præcipuum est. Dicit, cùm omnibus dubitationem faciat, & magis ad rem pertineat, nempè quòd cogitatio nostra non deficit, nec sistit in aliquo finito: vt dato quouis numero, adhuc maior intelligitur, & data quantitate, & magnitudine, adhuc maior cogitari potest: si ergo cogitatio est eorum, quæ sunt in re: alias cogitatio mathematica esset ficta, nec mens impossibile cogitat per se: erit profectò in rebus numerus, & magnitudo sine termino, & infinita.

Cõfirmatur ex spatio, quod est extra cælum.

Præterea: quia extra cælum est spaciũ infinitum, ergo & corpus infinitum, & ita vtraque quantitas magnitudo, & numerus erit infinita. Nam illud infinitum spacium, vel est repletum, vel non: si repletum: ergo est corpus infinitum: ipsum enim infinitum est, si vacuum est, cur magis hoc, in quo iste mundus est, est repletum, quàm illud, in quo nihil est; & præterea, quia si vacuum est: ergo est locus aptus repleri: hoc enim est vacuum, puta quod caret corpore, sed aptum est repleri, (at in sempiternis non differt posse, & esse: quod enim potuit esse, fuit,) sed illud spacium potuit repleri, & sempiternum est: ergo repletum est.

In æternis idẽ est esse, & posse, nõ est maxima Ari. ex aliquorũ senten.

Vbi nota hanc maximam non esse Aristotelis adnotasse Burlæum, & Simpli. & alios ex Græcis, sed Archytę, & Epicureorum, quorum erat hoc argumentum: imò in Aristot. cælum est æternum, & tamen nõ est idem in eo posse moueri motione crastina, & mouerì modo enim potest, & non mouetur: idem in luna respectu luminis, & c. Alij tamen putant esse Aristotelis, de eius verò sensu in quęstione sequenti tractabimus.

Habet autem dubitationem.

Tex. XXXIII.

Cõcludit Arist. difficile esse tractationẽ de infinito.

EX his concludit habere difficultatẽ hanc materiam de infinito, siue enim dicatur ipsum esse, siue ipsum non esse, ex vtraque parte accidunt inconuenientia multa, & vlterius dato, q̃ sit, adhuc restãt difficultates multę, nempè an sit substantia, an sit accidens alterius, an neutro modo, sed sit aliquid infinitum magnitudine: aut aliqua infinita numero, & multitudine, quidquid enim dicatur, semper ex vtraq; parte sunt difficultates, & inconuenientia. At quia non hæc omnia Physico discutiẽda sunt, concludit Physicum debere solum tractare, an sit magnitudo aliqua sensibilis infinita.

An Physici sit de infinito tractare, & de quibusdam alijs dubijs de infinito circa text. Aristot.

Quæstio. IIII.

QVæstio hæc proponitur, vt ea, quæ in textu dicta sunt, magis tactis obiectionibus declarentur. Prima est circa titulũ quæstionis, apparet difficultas, nam infinitum non solùm quanto, sed etiam enti in communi inest, cum ens aut finitum sit, aut infinitum, sed consideratio entis non est Physica ergo nec consideratio infiniti. 1. Argum.

Secũdum.

Secunda: quia infinitum non est, & si esset, illud esset incognoscibile, non ergo Physicus tractat de ipso.

Tertium.

Tertia: circa id quod dicitur si esset infinitum, non esset principiatum, videtur falsum, nam si esset aliquod quantum infinitum, non esset summum ens, igitur dependeret ab alio, atque esset principiatum.

Quartum

Quarta: quia esse infinitum inest quãtitati: at quantitas cum accidens sit, non potest esse principium substantiarum.

Quintum

Quinta: circa id, quod dicitur in æternis posse, & esse non differre, videtur falsum, nam secundum ipsum Arist. Luna est quid æternum, & materia, & Luna potest eclipsari, non tamen eclipsatur semper: & materia potest recipere aliquam formam, non tamẽ semper illam recipit: & intelligentiæ possunt facere, quæ non semper faciunt.

Sextum.

Sexta circa id, quod dicit tex. 33. an sit substantia, aut accidẽs, an neutro modò. Videtur inepta disiunctio, omne quod est, aut substantia, aut accidens est: non ergo datur medium, quod nec sit substantia, nec accidens.

Ad primũ

Circa primum aduertendum est, multiplex esse infinitum. Primum est infinitum

Nota multiplex infinitũ in perfectione in vigore, in quãtitate, in duratione, & inde terminatione, & de quo horũ tractet Physicus. Primum. Secundũ.

tum in entitate, nempè quod perfectionē in se, ac sua essentia habet illimitatã, ac totius entis perfectionem comprehendit: opposito verò modo finitum, quod perfectionem in sua essentia limitatam, ac ad genus contractam aliquod habet. Primum soli Deo nostro, secundum omnibus, præter ipsum, competit. ac tale finitum, vel infinitum ipsum ens diuiduunt, nec à Physico considerantur, vt probat argumentum.

Alterum est infinitum in vigorē, puta quod potentiam habet operãdi infinitã, & tale per se ad Physicum non spectat quantum ad quid sit, quia tale infinitum est immateriale: benè tamen quãtum ad an sit, eo, quod per motum talis virtus, & vigor probatur, vt dicetur in octauo lib.

Tertium.

Tertium infinitum est duratione, id nempe quod durat tempore infinito, sicut motus, tempus, cælum, & tale infinitum, vt infinitum est, quia in duratione consistit à Physico consideratur.

Quartum

Quartum infinitũ est per indeterminationem ad recipiendum: sicut potentia materiæ dicitur infinita, quia indeterminata ad formas sine limite, & tale infinitum etiam Physicum est, nullum tamen ex his in præsenti tractatur.

Quintum

Quintum est infinitum in quantitate puta quod extensionis, aut numeri terminum non habet, siue actu, siue potentia, & hoc si fuerit abstractum à materia, est mathematicum, si verò in materia sensibili, est Physicum, & hoc in præsenti tractatur, vt ipse Arist. docet, & per hoc patet solutio argumenti, non enim infinitũ in communi Physicus speculatur.

Ad secundũ dubiũ de infinito possit haberi scientia. Nota duplex infinitum actio, & potentia.

Ad secundum, respon. duplex esse infinitum in quantitate, aut actu, aut potẽtia. Infinitum actu est, quod actu habet magnitudinem infinitam, aut multitudinem, quale esset vnum vtrinq; interminatum continuum, aut vnus illimitatus numerus, & hoc infinitum non est, vt dicetur posteà. At scientia est de ipso quantum ad quid nominis, quantum verò ad quid rei ipsius est scientia per negationē, puta quòd non sit, nec esse possit.

Infinitum potentia est, quod ipsius diuisio terminari non potest, nec ipsius augmentum, nec paruitas, qualis est numerus, quia quocunque dato datur maior, non tamen vnquàm actu infinitus est: similiter lignum, & quodlibet cõtinuum, quod nunquam diuisione absumi, & finiri potest, & tale Physicum est, cum est sensibile, vt diximus, & hoc benè cõprehendi potest, quamuis ipsius infinitas non comprehendatur distinctè quo ad numerum partium, ac quas est in potentia, tamen absolutè ipsius infinitas intelligitur, dum tale cognoscitur, quod nunquam esset ipsius quantitas: hoc est enim esse potentia infinitum: an verò tale infinitum in rebus Physicis esse possit, discutiemus, hoc tamen à Physico consideratur, an sit, & quid sit, & sic soluitur argumentum.

Ad 3. dubiũ. An si infinitũ esset deberet esse principiũ, & nõ principiatum. Solutio quorundam. Reijcitur ista solutio.

Ad tertium aliqui dicunt, quòd si esset vnum infinitum quantum, illud esset infinitũ ens, quia haberet infinitas partes quarum singulæ haberẽt suam perfectionem, vade haberet infinitam perfectionem, sed hoc esset esse infinitum ens, vndè non haberet vllum principium.

Hoc nullo modo videtur tenendũ: quia illa perfectio non excederet genus quantitatis, at infinitum ens omnem perfectionem omnium generum, quæ sunt, & esse possunt in se habet: non ergo concedendum est illud ens omninò, & simpliciter esse infinitum, sed finitum ens, & limitatæ perfectionis, & haberet principium, imò multi doctores dicunt Deum posse infinitum facere, non tamen ob id docẽt illud tale infinitum quantum esse infinitum ens, vnde si esset infinitum, nõ esset summum ens, sed dependeret à summo ente, imò posset materia, & forma constare.

2. Vera solutio.

Quod si Arist. dixit nullum habitum principium, si esset, sed ipsum futurũ esse principium, intellige de principijs, quæ ad generationem concurrunt, & ita est re vera, quòd non posset esse factum per generationem ex aliqua materia, nec ex forma, nec ab efficiente, nec à fine, sed potiùs ipsum generationis debuit esse principium, non per generationem principiatum: hic enim est sensus Aristo. maximè, quia hoc infinitum cum sit quantum debebat esse in materia, vnde pertineret ad principia quantitatis.

Ad argũ.

Soluitur igitur argumentũ. non enim loquimur, nisi de principio in generatione, &

ne, & infinitum nullum tale poterat habere, quòd si haberet, nõ infinitum esset eò, quod materia, forma, efficiens, finis, quæ ad generationem conueniunt, finita omnia necessariò sunt ad singulos effectus: potiùs ergo infinitum esset materia infinita, ex qua singulas partes detrahendo singulas faceremus generatiões.

Ad 4. Nota si infinitum esset tripliciter posset cõsiderari.

Ad quartum notãdum ex Iandu. hoc l. 3. q. 8. quod infinitum si esset, tripliciter posset considerari. Primò secundum formale suum, quod priuatio est, puta negatio extremorum, & limitum, & secũdum talem priuationem non esset principiũ. Altero modo secundum quantitatem ipsam cuius terminos non habet, & tunc non esset principium per se, sed per accidens substantiarum. Aut tertiò secũdum substantiam illã, quæ tali quantitati substaret, & sic esset principium per se, vnde omni ex parte principium esset: non enim quantitas sola per se esset separata, propterea in textu vidimus, quomodo illi Philosophi, qui dicebant substantiam substare infinito, consequenter dicebant infinitum esse principium per accidens.

Quòd si nihil subesset infinito, sed ipsum per se staret, tunc dicendum erat illud esse substantiam secundum se infinitam, non ratione quantitatis adiunctæ, & hoc dicebant Pythago. & Plato dicentes, infinitum esse principium per se, sed id esse non potest: non enim tale infinitum secundum extensionem contingit, nisi ratione quantitatis: hinc soluitur argumentum.

Ad 5. dubiũ. An in æternis sit idẽ esse, & posse.

Ad quintum, aliqui illam propositionem, (vt in textu dixi,) non esse Arist. sed Archyræ asserunt, vt Burlæus, Simplic. & alij Græci. Alij verò ipsius Aristo. esse dicunt: nam, & ab Aristot. concessa est in 9. Metaphysi. tex. 17 quamobrem examinãda est: quia aliud veri continet, & in alio sensu accepta falsa esse potest.

Iandu ergo, q. 9. huius lib. dicit duplicem esse potentiam, secundum quòd duplex est esse. Est quoddam esse accidentale, quoddam substantiale, vt esse hominem, & esse album. Ita est duplex potentia, ad esse substantiale, & ad esse accidentale, loquendo de potentia passiua: dicit: ergo immaterialia, si sint sempiterna, nõ sunt in potentia ad vllum esse, sed potentia illorum est esse.

Potẽtiam substãtialẽ nõ esse in æternis esse tũ accidentalẽ

Dicit secundo, quòd materia etiã sempiterna, vt cæli, & materia prima, secundum Aristot. non sunt in potentia ad esse substantiale, sed posse in eis est esse, nec vnquam fuerunt in potentia tali, sunt tamen etiam secundum Aristo. in potentia accidentali, vt materia est in potentia ad formas, quæ cum non sint de ipsius essentia, possunt dici velut eius accidentia, & cæli, seu cælorum partes sunt in potentia ad locum, & Luna ad eclipsim, & sic patet explicatio illius maximæ, & propositionis.

Hæc doctrina vera est, & mihi placet, & Aegid. videtur idem dicere, dum docet illam propositionem intelligi de esse, & potentia substantiali.

Obiectio.

Quod si obijcias non videri sic facere ad rem illam propositionem: nã locus non est in potẽtia essentiali ad locatum, & corpus, sed accidentali magis, quã materia ad formam, & tamen per hanc propositionem probat Aristo. quòd deberet habere corpus, nam posse, & esse, idem sunt in sempiternis.

1. Solutio secũdum veritatẽ.

Respõdeo dupliciter, Vno modo secũdum veritatem nostram, qua tenemus solum Deum æternum Altero modo secũdum Aristo. qui multa æterna posuit. Secũdum veritatem de Deo dupliciter possumus loqui. Vno modo quantum ad ea, quæ in eo sunt, & tunc non differt posse, & esse, simul enim, & idem est vtrumq; vnde posse generare suum Filium, & generare simul fuerunt cum ipso Deo: posse esse bonum, & esse, imò nihil est potentialis receptiuæ, sed totum est esse. Altero modo quantum ad ea, quæ extra ipsum sunt, quorum habet potentiam actiuam tantùm: & quia ista potentia actiua est libera in eo, non sunt simul posse, & esse, sed posse est æternum: quia est ipse Deus, creare verò, & esse, quę in creaturis sunt, non sunt idem, & simul cum posse creare: non enim cum potuit creare, creauit, sic enim ab æterno crearet.

2. Solutio secũdum Arist.

At secundum Aristotelem, qui multa esse ęterna falsò putauit, respõdeo, quòd potentia, tam actiua, quam passiua, siue substantialis, siue accidẽtalis, fuerunt simul, si comparentur potentiæ ad prõximos

mos actus: Deus enim simul habuit potentiam faciendi mundum, & fecit: materia simul habuit potentiam recipiendi formam, & recipit: Luna simul habuit potentiam recipiendi lumen, vel amittendi, & amisit, vel recepit: vnde si ille locus esset in potentia ad corpus recipiēdum, reciperet, & recepisset iā anteà, & ita procedit argumentum. Sed soluitur hoc argumentum, quia illi actus non sunt proximi, & adæquati: proximus enim actus materiæ est recipere formam aliquā hāc, vel illam, & hoc simul cum potentia recepit: proximus actus cæli, & causarum vniuersalium est motus in communi, & productio particularium, & hic cum ipsis potentijs fuit.

Itaq; in particularibus actibus, & motibus, & formarum particularium receptionibus, non est idem esse, & posse, etiā si secundum Aristot. essent æterna, sed in communi solùm. vt explicauimus. Posset tertiò dici in vniuersum simpliciter, & per se, in æternis, idem est esse, & posse, intelligendo formaliter, id est, in eo, in quo est æternum, siue sit essentia, siue accidens eius.

Itaq; quicquid sit sempiternum: si essentia, in ea esset simul esse, & posse esse: si accidentalis ratio eius esset æterna, simul esset, esse tale, & posse esse tale: & hoc modo maxima illa vniuersaliter, & per se esset vera, formaliter eam intelligendo: atque hoc diligentius adnota.

Ad 6. expositio Alexan. Ad sextum, Alexan. vt refert Simpl. aliter exponit illum locum, & mihi placet expositio, quòd illud verbum, neutro modo, sit negatio duarum illarum partium, substantiæ, & accidentis, singularum per se, vt sit sensus: an sit substantia, nec ne: iterum, an sit accidens, nec ne, & ita exponit etiā Alber. & est bona expositio. Sed tunc videtur secunda quæstio inutilis, quia si non est substantia, est accidens, & si est substantia, non est accidens.

2. Solutio aliorum. Alij dicunt, quòd non dixit, an sit accidens, sed an sit accidens per se, & passio alicuius subiecti, & inter proprium accidens, & substantiam, datur medium, puta cōmune accidens. Hæc doctrina vera est, sed non videtur ad propositum.

3. Solutio verior. Propterea respondeo duo. Alterum est quòd per substantiam, & accidens intellexit ea, quæ sensibilia sunt: & per ea, quæ neutro modo sunt, intellexit separata. Alterum est, quòd non ponit hanc secundam partem tanquàm concessam, sed tāquam dubitatam: qui enim dicit an sit homo, nec ne, non ob id dicit non esse hominem, sed dubitat, ita in quæstione hac. Atque de his hactenus.

Maximè autem Physici est. Tex. XXXIIII.

Cvm de infinito opiniones Philosophorum recensuisset: ac ratiōes dubitādi de infinito poluisset, nūc disputationem aggreditur: at quia infiniti vocabulum est multiplex, ipsius significationes exponit prius. Et quamuis S. Thom. aliter in his numerandis procedat, tamen Græcorum omnium, & Alb. expositionem sectabimur. omnes hi quinque modos, & significationes infiniti faciunt. Ponuntur diuersæ notiones illius vocabuli, infinitum.

Prima est. Infinitum dicitur, quòd nō est pertransibile eò, quòd non habet spatium aliquod, & quantitatem, quomodo punctum, & omnia, quæ quantitate carent, sic infinita dicuntur. Et ponit exemplum, vox dicitur inuisibilis, non solùm, quia nō videtur, sed quia etiam caret potentia, vt videatur. Prima acceptio.

Altera est. Infinitum dicitur, quod cū spacium habeat, & trāsitum, sed is est inconsūmabilis, & hoc (vt notat Simp.) dupliciter prouenit, aut propter spatium ipsum, quia nimirum est quantitas non habens terminum, propter interminatam extensionem, aut multitudinem eius, & sic propriè dicitur infinitū. Aut propter figuram, quo pacto circulus dicitur infinitum: quia ratione figurę non est terminus assignabilis. Secunda.

Tertia est. Infinitum dicitur, quod habet transitum, & finem, sed vix consummari potest: aut quia cū difficultate peragitur propter longitudinem spacij, quomodo via longa dicitur infinita: aut quia etiam difficile peragitur propter figurā, vt Labirinthus dicitur sic infinitus, & sic exponunt hunc modum Psellus, & Philopon. Tertia.

Quarta est. Infinitum dicitur, quod cum possit habere transitum, non tamen habet Quarta.

habet propter aliquod impedimentum vt via pelagi in profundum sic est infinita, quia ratione aquæ transitum non habet, & ita explicant Themist. Alexan. & Alber. similiter via à tropico in tropicum dicitur infinita, ratione enim æstus non potest transiri.

Quinta. Quinta. Infinitum dicitur, quod nunquam terminatur ipsius quantitas, aut in appositione, vt in additione cōtinui, aut in diuisione, aut vtroque modo, vt tempus, motus, & continua, quia nec maximam partem, nec vltimam diuisionem accipere possumus.

Nota. Hic notandum ex Simpli. quòd dicit, omne infinitum esse huiusmodi, non quòd ista significatio comprehendat alias, sed quod huiusmodi infinitum sit in rebus, & propriè dicatur: reliqua autem non sunt, aut impropriè infinita dicuntur: in præsenti verò disputatio fit de infinito secundo modo, vt propriè sumitur.

CAPVT V.

Separabile igitur esse. Tex. XXXV.

De infinito quāntitatis in substātijs abstractis. Probatur nō dari infinitū, in quantitate, in substantijs abstractis. Prima ratio.

Aggreditur modò disputationem de infinito secundo modo, ac probat non posse esse substantiam solam, & hoc est quod dicit, non esse infinitum separabile à sensibilibus, vt Græci exponunt: illo enim modo Pythag. & Plato dicebant esse infinitum, ac facit argumētum: nullum indiuisibile est infinitū eo modo, quo hic disputamus: at omnis substantia est indiuisibilis; ergo nulla substantia est infinita. Minorem hoc argumento probat: omne diuisibile aut est magnitudo, aut multitudo: nulla substantia est magnitudo, aut multitudo: ergo nulla substantia est diuisibilis: erit ergo indiuisibilis.

Nota. Vbi nota omnia hæc argumenta concludere solum de infinitate quantitatiua: hanc enim probant nō dari in abstractis: vnde nec de infinitate Dei, nec de numero animarum, vel Arist. vel aliquis ex Græcis interpretibus constituit in hoc libro: quare licet, & Deus sit infinitus secundum Aristot. vt est, & animę hominum sint immortales, nullum hinc sumi potest argumentum, vel contra veritatem, vel contra ipsum Aristot. cum hic de sola infinitate quantitatiua ipsius substantiæ loquatur.

Si verò secundum accidens. Tex. XXXVI.

Qvòd si respondeatur illam substātiam non esse per se diuisibilem, sed per accidens, puta ratione quātitatis, & sic poterit esse infinita per accidens, argumentatur contra hoc, sequitur, quòd non erit principium, & elemētum entium secundum id, quo infinitum est, sicut vox secundum id, quo indiuisibilis est, non est materia dictionis, & ita non erit infinitum principium per se, vt Plato volebat. Nota, quomodo sit intelligēdo Aristot. Probatur, nec abstracta esse infinita p accidens.

Amplius, quomodo contingit.

Secundò probatur, quòd illa substantia non sit secundum se infinita. Minus est separabile infinitum à quantitate, cum sit ipsius passio, quàm quantitas ab infinito, cum sit subiectum: passio autem magis dependet à subiecto, quàm subiectum à passione, sed non est quantitas sine finito, vel infinito: ergo nec ista sine quantitate, non ergo infinitum est per se substantia. Et nota quòd loquitur de infinito secundum extensionem, vel multitudinem, de quo illi etiam Philosophi loquebantur ponentes principium infinitam substantiam. 2. Ratio.

Manifestum aūt & quod non cōtingit. Tex. XXXVII.

Tertiò probat, quòd infinitum non sit secundum se substantia: pro declaratione notādum. Primò, quòd in simplicibus, & compositis entibus aliter se habent esse, & id quod est: in compositis enim, tam substantialibus, quàm accidentalibus, aliud est esse, aliud quod est: esse enim præcipuè à forma est, vt albedo dat esse albi, & anima dat esse hominis; at id quod est, est totum compositum 3. Ratio, p eodem. 2. Nota.

positum ex materia, & forma, aut ex subiecto, & accidenti, vt homo, & album. At in simplicibus substantijs non inuenitur huiusmodi distinctio, sed idem est esse, & id, quod est propter ipsarum simplicitatem.

2. Nota. Aduertendum secundò, quòd cum infinitum secundum hos sit principiũ, debet esse substantia simplex, ac consequẽter idem est esse, & id, quod est, sicut idem est forma, & esse formæ: quia simplex est. Ex his sumit Arist. quòd si istud infinitũ est substantia per se, & non est accidens alterius, cum sit principium, erit simplex, & ita idem erit in eo esse infiniti, & infinitum. Vnde quicquid habet esse infiniti, erit infinitum.

Tunc ergo sic nectitur argumentum. Illa substantia, vel est diuisibilis, vel indiuisibilis. Si indiuisibilis non erit infinita, vt notum est. Si diuisibilis: cum sit simplex, quælibet partes participabunt esse totius, hoc autem est infinitũ: ergo quælibet partes habebunt esse infiniti: ergo ex fundamento quælibet pars erit infinita, sicut quælibet pars aeris est aer: quia partes sunt eiusdem rationis cum toto: id autem absurdum est: non ergo infinitum secundum se est substantia, nota rationem hanc, quæ est Metaphysica ac ob id obscura.

Secundum ergo accidens. Tex. XXXVIII.

Cõtinuat rationẽ. CONtinuat rationem. Cùm non possit esse substantia per se infinita, erit per accidens, id est, mediante aliquo accidenti, tunc autem iam infinitum non erit principiũ, sed potius illa substantia, cuius accidens est infinitũ: vnde repræhendit Pythagoreos, qui dicunt infinitum per se esse substantiam, & infinitum hoc partibile ponunt, cum tale infinitum sit secundum quantitatem.

Sed fortasis hæc quidem. Text. XXXIX.

De qua infinitate agat Arist. AT quia quęstio ista, nempè an substantia secundum se possit esse infinita, transcèdebat limites Physicos, contrahit sermonem dicens, an in vniuersum sit infinitum. In mathematicis, & intelligibilibus tractare nõ est Physicum, sed solum disputare, an sit infinitũ quantũ in corpore sensibili, & hoc determinare, pręsentis est disputationis.

Sed dubium non est, nullam substantiam intelligibilem posse infinitam esse, nec ipsam substantiam secundum se, nisi ratione quantitatis, loquendo de infinito exterius: quia extensio, est ratio propria magnitudinis, quæ ab ipsa nequit separari, & nos supra docuimus in lib. 1. vbi non est quantitas, nullã esse posse extensionẽ.

Vbi iterùm aduerte, quòd superius diximus de solo infinito in quantitate hoc loco tractari. Nota.

Logicè igitur speculantibus. Tex. XL.

De infinito sensibili, q̃ non sit, disputat rõnibus dialecticis. INcipit modo circa infinitum sensibile rationibus logicis disputare, ac primò probat, non esse corpus sensibile, imo nec intelligibile, id est, Mathematicum, & abstractum infinitum sic: Corpus est, quod superficie, aut superficiebus terminatum est: ergo infinitum non est: infinitum enim non est terminatum. Antecedens est notum: hoc enim est esse corpus quantitatis: dicitur, superficie contentum propter corpus: circulare: dicitur superficiebus, propter alia corpora.

Notandum autem, quòd hic argumẽtatur contra eos, qui ponunt substantiam infinitam, sed per accidens, nempè ratione quantitatis.

Obiectio. Solutio. Dices, quare hæc ratio logica probabilis dicitur, cum à definitione procedat? Respondet Philop. & benè: quia illa corporis definitio non est data ab his, qui infinitum ponunt, imò negarẽt ipsam, sed probabiliter est sumpta.

At verò neque numerus. Tex. XLI.

2. Ratio PONIT secundam rationem logicam de numero, ac præmittit (vt dicit Simplicius,) numerum non esse separatum, sed in ipsis rebus numerabilibus. Est autem huiusmodi ratio.

Nume-

Numerus autem habens numerum, numerari, & computari potest: hoc enim est esse numerum, vel numerabile, sed infinitum non potest computari: ergo non est numerus: non igitur est infinitum in numero.

Physicè autem magis speculantibus. XLII.

Physicis rõnibus agit Arist. 1. Rõ. Si esset corpus infinitũ, vel esset simplex, vel mixtum. POst ratiões logicas ad rationes Physicas se conuertit, ac nullum sensibile corpus infinitum esse posse probat, atque huiusmodi facit argumentũ. Si esse posset tale corpus, vel illud esset simplex, qualia sunt elementa: vel mixtum. Sed neutrum esse potest: non ergo possibile est infinitum corpus.

Aduerte autem, quòd loquitur de corporibus ad generationem attinentibus: nam de cælo alia est ratio pertinens ad libros de cælo.

Probatur nõ posse esse mixtũ rõne data ab elemẽtis cõponentibus. Probat singulas partes illius minoris, & primò, quòd non sit mixtum. Si esset mixtum, tunc vel componeretur ex infinitis elementis, & principijs multitudine, & hoc iam reprobatum est in lib 1. contra Anaxag. vel ex elementis numero finitis, puta ex his quatuor, igne, aqua, & cæteris. Quòd autem hoc fieri non possit, probat: vel omnia erunt infinita in continuo, vel vnum tantùm infinitum, vel nullum infinitum: hoc tertium clarum est fieri non posse: ex finitis enim non constat infinitum.

Nota posset vnum esse infinitum, & cætera finita. Secundum verò, quòd vnum sit infinitum reprobat. Mixtum componitur ex contrarijs æquali proportione se habentibus ita, vt vnum non conuertat in se aliud: non enim: sic mixtum fieret: sed si vnum esset infinitum, ipsius virtus omnia alia vinceret, ac in se conuerteret: nõ igitur ex vno infinito, & alijs finitis fieri potest mixtum.

Et ponit exemplum. Sit ignis finitus alicuius virtutis: sit aliqua aeris pars correspondens igni, qui sit minoris virtutis, quam ignis: re vera si aer infinitus sit, ignis autem finitus, quantumcunque ignis vincat singulas partes aeris per se, tamen à toto aere infinito vincetur. Nota.

Vbi nota, quòd crescit actiuitas, & fortitudo agentis, ex additione quantitatiua rei, quamuis non admittat hoc Philopo. sed hoc posterius est examinandum: solùm hic notandum erit, quòd in mixto vnum elementum non vincit aliud, vt in se conuertat, sed ad temperiem omnia redacta inuicem se corrumpunt, & mixtum tertium componunt, idq; est in mixtione: in hoc enim differunt mixtio, & generatio.

Vnumquodq; autem infinitum esse. Tex. XLIII.

3. Nõ possent omnia esse infinita. REijcit aliud membrum, quòd omnia sint infinita: quia tunc cùm corpora sint, singula secundum omnem dimensionem essent infinita: cùm non maior esset ratio, quare secundum vnam potius, quàm secundum alteram, essent infinita: & præterea, quia corpus, vt corpus, trinam dicit dimensionem, si ergo vnum illorum vndique esset infinitum, omnia repleret, nullumque alium relinqueret locum, & iam plura esse non possent, nec esset mixtum infinitum.

At verò neque vnum, ac simplex. Tex. XLIIII.

2. Probatur altera pars argumenti. 1. Nõ posse dari corp. simplex infinitũ. SVperioris argumenti alteram partem probauit, puta nõ esse infinitum corpus aliquod mixtum, modò probat alteram, quòd nec sit corpus simplex, ac probat, quòd non sit corpus simplex aliquod ex his elementis, nec quale posuit Anaximander, vt refert Themist. & Philopo. hic enim dixit principium esse corpus quoddam infinitum, non elemẽtum aliquod ex quatuor, sed mediam substantiam inter ignem, & aerem, ac simplicem, ex qua etiam elementa sunt facta.

Ponit autem rationem, qua mouebatur Anaxim. vt tale corpus poneret. Ratio autem erat: quia cum principium sit infinitum, si esset aliquid ex elemẽtis, quia in eis est qualitas actiua, & contraria, tũc vinceret, & corrumperet omnia, atq; ad sui potius naturam traheret: posuit igitur corpus medium expers illarũ cõtrarietatum, vt quamuis infinitum esset, nõ tamen omnia corrumperet.

Impossi-

Impossibile autem est esse tale.

Text. XLV.

Probatur 1. ex facto tale corp. nō dari.

REprobat nō posse esse tale corpus infinitum, ac primò reprobat non ratione infinitatis, sed quia tale corpus non est in natura: nam qua parte dicitur infinitum, simul impugnabitur, dum in communi probabitur etiam de alijs simplicibus non esse infinita.

Ratio autem, qua probatur non esse illud corpus, est hæc. Omne mixtum resoluitur in elementa, ex quibus componitur: at solùm sentimus quatuor corpora, nullo autem sensu experimur illud: non ergo compositio est ex illo corpore vlla. Et hæc ratio bona est, nam Physicus, quamuis rationalis sit, non debet in vniuersum destituere sensum, præsertim quod si illud esset sensibile corpus, sentiretur vtiq;, ac elementa in illud resoluerentur, & verterentur, quod nō apparet.

Neque igitur ignis, neque vllum.

Tex. XLVI.

2. Ex loco, corpus ēm infinitum nullū locū alijs relinqueret & præterea ex cōuersione omnium in se.

PRobat autem modò, quòd nullum simplex elementum possit esse infinitum, & dicit, quod præter inconueniens suprà positum, nempè quòd si esset infinitum, non relinqueret alijs locum vllum, est adhuc aliud impossibile, quòd omnia conuerteret ad se, quod esse non potest, quamuis Heraclitus dixerit, omnia, & mundum ipsum, cùm finitus sit, tandem in ignem esse conuertendum, quod falsum est: non ergo aliquod ex elementis infinitum est.

Eadem autem ratio est.

Tex. XLVII.

3. Nec illud corp. posset esse naturæ cuiusdam mediæ.

DIcit hoc idem esse si corpus illud esset medium: nam si esset elemētum, haberet aliquam contrarietatem: non enim generatio fit, nisi secūdum contrarietatem: cùm autem infinitum sit, omnia etiam conuerteret in se: at quia de igne mentionem fecerat, concludit per has rationes non solùm de igne, aut de medio corpore, sed de quouis elemento probari posse non esse infinitum, ita Philop.

Dubitatur quomodo principium generationis debet habere contrarietatem, nam nec materia habet qualitates contrarias secundum se, non ergo elemētum hoc habebit. Dubium.

Respondeo, si materia secundum se non habet contrarietatem, in se tamen recipit formas contrarias, vnde generatio fieri possit: & materia cum illis contrarijs & formis, quæ se inuicē transmutant, facit elementa. At cùm isti Philosophi ponerent substantiam simplicem ipsum elementum, tenentur dare contrarietatem illi elemento, sicut modò dat Arist. elementis: vnde non debent comparari materiæ primæ: hæc enim sola nō facit generationem, sed per contraria, quæ debent admittere hi, qui elementum simplex faciunt. Solutio.

Quòd autem omninò impossibile.

Tex. XLVIII.

2. Rō principalis nō posset esse in cōi corpus infinitum.

PRobat modo in communi nullum posse esse sensibile corpus infinitū, & facit hoc argumentum. Vel illud esset homogeneum, & similare, cuius partes essent eiusdem rationis cum toto vel dissimilare, & etherogeneum: neutrum autem esse potest: probat in hoc textu, quòd nō sit similare, & supponit duo. Alterum est, omne corpus sensibile esse in loco proprio naturali, ac esse locum etiam cuiusque corporis sensibilis. Alterū est, quòd idem est locus naturalis totius, & partis, vt locus terræ, & glebæ, & locus ignis, & scintillæ, quæ est pars ignis. 1. suppositum. 2. suppositum.

Est modò argumentum ingeniosum de parte huius infiniti aliqua separata, & abscissa à toto. Si esset infinitum sensibile, ipsius pars nec esset mobilis, nec immobilis: hoc autem est falsum: ergo non est infinitum. Probatur sequela demus illam particulam: probo quòd sit immobilis. Si moueretur, moueretur ad locum totius: sed locus totius cùm infinitum sit, & occupet omnia, & sursum, deorsum & vndiquaque, illa igitur particula non magis ad locum sursum, quàm ad deorsum, quàm ad latera est inclinata: non ergo mouebitur, cùm nō habeat vllam determinationem. Si pars infiniti sensibilis separaretur, nec esset mobilis nec immobilis. Probatur id primò.

Præte-

Secundò. Præterea: quia si moueretur, tenderet in infinitum, quia locus suus infinitus est, nec ipsa replet totum: mouebitur ergo sine termino, quod est impossibile: non igitur est mobilis. Quòd verò nec sit immobilis.

Tertiò. Patet: Locus ipsius est totum spaciū totius: cùm igitur non sit occupatum, non magis quiescet hic, quàm illic, non ergo immobilis erit: si enim esset immobilis, alicubi quiesceret: at non est maior ratio, cur hic, quàm illic quiescat: nō igitur erit mobilis, nec immobilis, & cōsequenter nec ipsum totum, quod est eiusdem rationis cum parte, & hoc procedit ex natura ipsius rei, quæ verè non esset mobilis, nec immobilis.

Obiectio & solutio. Quòd si dicas, eadem est ratio modo de partibus elementorum. Dico nō esse, quia elementa habent determinatum locum sursum, aut deorsum, & terminos loci determinatos, quos ipsa nec ipsorū partes transgredi possunt.

Si verò dissimile sit.

Tex. XLIX.

Probatur altera pars secūdi argumenti tale corpus possit esse etherogeneum.

ALteram prosequitur argumenti partem, nempè, quòd non sit dissimilare: vocat autem dissimilare in hoc loco, quod partes habet diuersæ speciei, sicut similare quod partes habet eiusdem speciei: & facit hoc argumentum. Si partes illius infiniti sunt diuersarū specierū, vel sunt finitæ species, vel infinitæ, vtrumq; autem esse non potest.

Illæ spēs partiū nō pñt esse finitæ.

Probatur primū. Si enim sunt finitæ species, necesse est, quod vna pars ad minus sit infinita in quantitate, nam ex finitis partibus specie, non fit vnū infinitum, nisi vna pars sit infinitè magna: loquimur autem, quòd singulæ partes sint propriè speciei, quod si vna esset infinita, tunc ea esset causa corruptionis aliarum, atque ad se traheret, vnde nō esset dissimilare, sed vnius speciei, illius nempè, quæ esset infinita; hæc enim alias in se conuerteret, vt dictum est superius.

Si autem infinita, & simplicia.

2. Nō pñt esse infinitæ.

REprobat alteram partem, puta, ꝙ sint infinitæ species, quia tunc essent infinita elementa, & infinita loca: pro diuersitate enim rerum specifica est locorum diuersitas: at elementa, & loca infinita esse nō possunt, vt alibi, puta 2. gen. & 2. de cælo probat: non ergo tale corpus esse potest infinitum.

Et notandum, quòd hoc corpus si esset, non posset esse continuum, sed contiguum, & vnum per aggregationem, vt in principio textus dixit: quia res diuersarum specierum non possunt esse continuæ. Nota tale corpus nō posse esse cōtinuū.

At posset quis dicere, quamuis locus sit finitus, potest tamē corpus infinitum esse. Hoc reijcit docēs, locum debere esse æqualem locato, cuius rationem subdit, si enim esset minor, non posset locatum solùm in eo consistere, & ita locatum esset extra locum naturalem suum, si verò esset maior, non repleretur à locato suo naturali, & sic maneret vacuum ex parte, quæ duo fieri nequeunt. Solutio, quā quis posset afferre. Refellitur.

Et propter hoc nullus eorum.

HAEC verba magnam difficultatem afferunt expositoribus Græcis & Latinis, nec aptam inueniūt expositionem, adeò, vt Philop. arbitretur deficere aliqd textui, crediderim esse transponenda verba aliquot, quod non facimus, videlicet ab illo loco (& propter hoc nullus eorum) vsque ad illum (si aūt infinita, & simplicia) sunt collocanda in in fine ipsius tex. 49. & apparet sensus ita clarus, & distinctus, vt manifestò cōuincamur id debere fieri, & scriptorum iniuria prouenisse difficultatem. Nota hāc partē textus vltimo esse loco ponendū in eo textu 49. vt clarus fiat textus.

Cùm igitur dixisset, nihil esse extra locum naturalem proprium, laudat antiquos quoldam, qui ponentes infinitum elementum, non posuerunt illud ignem, aut terram, quia experientia ostēdit hæc loca certa habere sursum, aut deorsum, quòd si infinita essent, nec ad sursum, nec ad deorsum determinarentur: sed posuerunt aquam, aut aerem: quia ista partim sursum, partim sunt deorsum, nec extrema determinant sibi: vide clarissimū sic reddi sensum, est autem id obseruatione dignum.

Anaxagoras autem inconuenienter. Tex. L.

Reprehensio Anaxagoras.

FActo argumēto hoc bimembri, puta, quod nec corpus infinitū posset

esse

xagoræ, q dicebat in finitum immobile esse ex se.

esse similare, nec dissimilare, arguit Anaxagoram, qui circa priorem argumenti partem dicebat, quòd infinitum ex natura sua est immobile, & se quiescere facit, quia est in se ipso.

Addit autem Arist. parêt hesim (aliud enim nihil continet) ad denotandũ non esse in se ipso, sicut amphora vini, est in se ipsa, ratione vini, quod continet, vt dicetur in lib. 4. infinitum autem nõ sic dicebatur esse in se ipso, ab Anaxag. nihil enim continet, sed in seipso per se.

1. Reprehensio causę cur eēt immobile.

Reprehendit primò ipsum, quia dicebat: quia in seipso est, ex natura sua, esse immobile, & esse in se; nõ enim valet argumentum; corpus est in hoc loco, ergo natura sua aptũ est esse in hoc loco, quia corpora sunt sæpè, vbi non naturaliter, sed violenter sunt, vt corpus graue quod detinetur in aere, non ibi naturaliter est: non ergo, vbi res est, statim ibi naturaliter est: nec si in seipso infinitum est, ob id naturaliter est, & in hoc errauit Anaxag.

Si igitur quàm maximè non mouetur. Tex. LI.

2. Reprehensio causæ cur ex se esset immobile.

REprehendit secundò Anaxag. qa ersi verum sit, quod in seipso est, moueri non posse, tamen non inde coligitur, quòd ex natura sua est immobile, nam aliqua manẽt immota, quæ ex natura sua moueri sunt apta. Vnde oportuit aliam assignare rationem, cur ex natura sua est illud immobile, & ponit exemplum. Si terra esset infinita, & cęli, & reliqua ita, vt maneret terra sic sita, infinita tamen, tunc esset in seipsa, quia infinita, nõ tamen ob id esset ex natura sua immobilis, sed quia grauis, & graue naturaliter est in centro, quod est immobile. Sic igitur oportebat reddere rationem aliam naturalis immobilitatis illius infiniti, & non solùm, quia infinitum, quam rationem non dedit Anaxagoras, sed arbitratus est se euasisse periculum, & conclusisse dicendo: quia infinitum ex natura sua immobile est, & non valet.

Et non quia infinitum. Tex. LII.

3. Falsum Anaxago

VErba prima textus cum præcedentibus copulantur, vt notum est, in reliquis verò probat, quòd illud infinitum non sit in seipso. Partes sunt eiusdem rationis cum toto, si ergo totum in seipso est: ergo etiam partes in seipsis erunt: vt enim totũ est in loco, ita & partes: at in seipsis esse non possunt, nam si partes cùm finitæ sint, in se ipsis sunt, etiam quodlibet finitum in se ipso erit, & non ratione infinitatis aliquid in seipso dicetur esse.

ram sumpsisse infinitũ esse in seipso.

Omninò autem manifestum est. Tex. LIII.

TErtium argumentum Physicum principale facit, quod huiusmodi est. Omne corpus naturale sibi proprium locum vendicat: at impossibile est infinitum proprium habere locum: ergo non potest corpus naturale esse infinitum. Probat maiorem: Omne corpus naturale, aut est graue, vel leue, (loquitur autem de his, quæ in generatione sunt:) ergo determinat proprium locum, graue deorsum, leue quidẽ sursum. Minor probatur: quia infinitũ omnia replet, & tunc totum non determinat sibi naturaliter sursum, aut deorsum.

3. Rõ principalis ad probandum non dari corpus infinitum ex loco talis corporis.

Quod si dicas dimidium est deorsum, dimidium verò sursum: hoc dici non potest: nam infinitum non habet medium, nec vltimum, nec principium, ob id nũquam dabitur, quid sursum, quid deorsum sit.

Solutio, & eiusdem confutatio.

Si enim duæ partes æquales signari possent, tunc singulæ, aut essent finitæ, aut infinitæ: finitę non, nam totum finitum esset: nec infinitæ, quia eadem esset difficultas vbi esset: & præterea, quia vnum infinitum duobus constaret infinitis, Arist. nõ intulit hæc inconuenientia, quia certum est infinitum in duo æqualia diuidi non posse, cùm medio careat.

Amplius omne corpus. Tex. LIIII

QVartum ponit argumentum, & quantũ existimo videtur hoc esse. Supponit enim, quòd si infinitum esset in loco, locus esset infinitus, & probat locum non posse esse infinitum. Loci species, & differentiæ sunt, antè, retrò, sursum, deorsum, dextrum, sinistrũ: sed hæ in infinito signari non possunt, cùm

Quartum etiam ex loco.

cùm talis partium diuisio fieri nequeat: ergo locus non potest esse infinitus.

Declarat autem, quòd illæ differentię non sunt respectu nostri, vt illud dicatur sursum, quod est supra nostrum caput, illud deorsum, quod est sub pedibus, & sic de reliquis, sed illæ differentiæ sunt ex natura rei nobis etiam mutatis.

Quo autem modo hæ differentiæ intelligendæ sint, dicemus satis in lib. 4. vbi id ex professo traditur.

Simpliciter autem si impossibile. Tex. LV.

Quintum etiam ex loco.

HAec priora verba textus ad rationem præcedentem pertinent, quibus vniuersaliter concludit, si locus infinitus esse non potest, quod nec corpus naturale.

Et tandem quintum facit argumentum. Quod in loco est, in aliquo loco est, & quod in genere, in aliqua specie, aut indiuiduo: sed si corpus infinitum est: ergo in aliquo loco, puta sursum, aut deorsum est, si est in loco, & præterea bicubitum, aut tricubitum, aut aliquid ex his est: hæc tamen repugnant infinito: non ergo corpus vllum naturale infinitũ est.

CAPVT VI.

Quòd igitur actu non sit corpus. Tex. LVI.

In cõtrariam partem argumentatur Aristot. & probat dari corpus infinitũ. Prima ex tempore.

POSTQVAM ad partẽ negatiuam quęstionis est argumentatus, ac probauit non esse corpus actu infinitum, regreditur pro parte affirmatiua probabiliter probare esse infinitum, vt eas soluat obiectiones, idque ex tribus probat. Primùm ex tempore, quòd nisi infinitum esset, haberet principium, & finem, quod esse non potest.

2. Ex diuisione continui.

Secundò: quia si non est infinitũ magnitudinis, diuisio terminabitur, & non semper magnitudo in magnitudines diuidetur, sed perueniet ad indiuisibilia, vt dixerunt antiqui Philosophi.

3. Ex numero, qui augetur infinitè.

Tertiò ex numero, qui non augebitur in infinitum, ex quibus apparet esse infinitum: cùm ergo vtrinque sint difficultates, concludit opus esse iudice determinante.

Atque manifestum est, quòd quodammodo.

Pro solutione prædictorum dubiorũ primum fundamẽtum. Infinitum esse duplex actu, & potentia.

SOluit propositam difficultatem distinctione præposita. Duplex est infinitum, actu, & potentia. Actu quidem, quod habet actu magnitudinem, vel multitudinem interminabilem, nec limite vllo circunscriptam: potentia verò, quòd licet actu finitum sit, ipsius potentia est inexhausta, vt non sit tantùm, quin adhuc maius fieri possit, siue sit appositione, sicut numerus dicitur infinitus potentia: quia non ei tanta fiet additio, quin maior fieri possit, siue diuisione, quomodò continui diuisio est infinita: quia non fit in tot partes, quin in plures fieri possit.

Solutio dubiorũ.

Supposita igitur distinctione, respondet, actu infinitum non esse, & hoc probant rationes priores: potentia verò infinitum est, & hoc conuincunt rationes posteriores, vnde quodam modo infinitum est, quodam modo non: potentia infinitum est, actu non: loquimur autẽ de infinito quantitatis.

At quia infinitum esse secundum diuisionẽ dixit, cuius oppositum dicebant Platonici, vt dicetur lib. 6. docentes diuisionem finiri, & peruenire vsq; ad indiuisibilia; dicit facile esse hoc reijcere, & negare, id enim non est necesse, vt latius dicetur lib. allegato.

Relinquitur igitur potentia. Tex. LVII.

Qualis sit illa potẽtia infiniti in potẽtia.

DEclarat qualis sit ista potentia infinita, dicens, quòd non oportet sic intelligere esse infinitum in potentia, quod aliquãdo erit in actu perfecto, sicut domus potẽtia, aliquãdo erit actu, non sic est infinitũ in potentia, vt actu sit totum infinitum: sed dicitur in potentia, sicut certamẽ, & olympia, & dies: hæc enim dicuntur in potentia, antequam fiant, sed non vt acta sint tota simul, sed successiuè: vnde certamẽ esse est,

quòd fiat: ita est potentia infinitū, nō vt totum actu sit, sed continuè, & incessanter fiat, vnde semp quod fit, & quod fiet, finitū est, quod restat faciendū est infinitum, & hoc modo dicitur diuisio, & numerus esse infinita potentia, quòd actus diuisionis, & augmenti nunquā cesset.

Nota duplicē esse potentiā in rebus alterā ad actū pfectum, alteram ad actū imperfectū.

Vbi aduertendum duplicem esse potentiam. Alteram ad actum perfectū, vt potentia ignis, potētia domus. Alteram ad actum imperfectū, qui semper in continuo fluxu consistat, & sic est potentia infinitum.

Varia genera infinitorū in potentia.

Diuersa infinita ponit. Vnum in continuo successiuo, vt est tempus, motus. Alterum in discreto successiuo, vt in generationibus hominū, & aliorum. Tertium, in diuisione permanentis totius. Dicit, quod hæc omnia conueniunt in hoc, quod semper, quæ sumuntur, finita sunt, vt quotquot dies, quotquot homines sumpseris, finita sunt, quotquot secueris partes finitæ sunt, tamen semper plures, & plures incessāter sumi possunt. Quod igitur restat, finē non habet, quod est, finitum est, ac propterea non est actu infinitum.

Tamen differētiam horum infinitorū ponit in fine textus sequentis: in successiuis enim quæ sumuntur, transeunt, & recedunt, in diuisione verò permanentis partes manent, quamuis semper, quę actu sunt, finitæ sint.

Amplius ipsum esse. Tex. LVIII.

Quomodo habeat esse infinitū in potentia.

CVm dixisset, qualiter potentia infinitum est, modò docet, qualiter ipsum esse dicatur: & dicit ipsum non dici esse, sicut substantiæ permanentes, quæ totæ simul sunt, sed sicut res successiuæ, quarum aliqua parte actu existente dicimus ipsas esse, vt dies est, motus est, cœna est: sic infinitum est, quia diuisio, vel fluxus, qui nunquam finitur, secundum aliquid fit, vnde ipsius esse in continuo transitu consistit, licèt quicquid trāsit, finitum sit, & quamuis non semper id, quod transit, permaneat, vt declarauimus in textu præcedenti.

Quod autem est secundum appositionem. Tex. LIX.

Quomodo se hēat infinitū in potentia quo ad diuisionem, & quoad diminutionem.

CVm superius duplex infinitum statuerit, vnum secundum diuisionē, quòd ad paruitatē, & diminutionem fit, alterum secundum appositionē, quod ad magnitudinem, & secundū additionem fit, vtrumque autem in potentia, vt dictum est. nunc quomodo vtrumque se habeat ostendit, ac dicit idem esse quodammodo vtrumque.

Pro cuius declaratione aduertendum est, quod in vnico subiecto actu finito reperitur simul vtrumque infinitum, sed non modo eodem, verbi gratia. Sumatur continuum pedalis quantitatis, & diuidatur in duas medietates, ita, vt altera medietas semper in alias duas, & illa in alias, & sic consequenter diuidatur, atq; medietates, quæ non diuiduntur iterum, semper apponantur primæ medietati totius, quæ indiuisa materia sit.

Tunc in hoc erunt duo. Alterum est, quòd quantò diuisio vnius primæ medietatis procedit in minores partes, tantò altera medietas indiuisa fit maior, quia ei addūtur nouæ medietates, quamuis minores, & minores. Alterum est, quòd quia diuisio illius medietatis in infinitum procedit: quia non peruenietur ad aliquam medietatem, quæ non possit iterum in alias duas diuidi, ita alterius medietatis in infinitum quantitas augebitur, quia semper ei fiet additio. Cùm igitur vna crescat in infinitum, altera diminuatur, fit vt sint duo infinita, vnum appositione, illius nempè partis, quæ augetur, alterum diuisione, illius, quæ minuitur; cumque hæc duo sint circa vnum continuum, meritò dicuntur idem. Sed cùm non sit modo eodem, nam alterum est diuisione, alterum appositione, non dicuntur absolutè idem, sed quodammodo.

Hoc igitur est, quod hic docet Aristo. nempè, quòd infinitum appositione fiat, simul cum infinito diuisione, licèt non secundum eundem modum, ac dicit vtrumque infinitum esse idem quodammodo. Et declarat, quare idem: quia circa eandem quantitatem finitā actu fiat vtrumq;. Declarat, quare quodammodo idem: quia videlicet infinitum secūdum appositionem fit è diuerso. Quid autem per è diuerso intelligat, ipse explicat: qa

quantum

quantum demitur ex diuisa parte, per diuisioueṁ in infinitum, tantum apponitur alteri determinatæ parti, quasi dicat, Vnum infinitū est per diuisionem vnius partis oppositæ: alterum per appositionem eorum, quæ ab opposita parte remouentur, & alteri determinatæ, & finitæ apponuntur.

In magnitudine enim finita.

Quō deberat fieri diuisio cōtinui, vt procedatur in infinitū.

EXplicat, quomodo sit ista diuisio facienda in aliquo finito, vt in infinitum procedat, & nunquàm terminetur.

Aduerte autem, quod dupliciter potest fieri diuisio alicuius totius finiti. Vno secando, & separando partes æquales primis separatis in quantitate, vt si ab vno ligno separes vnam pedalitatem, & à residuo alterā pedalitatem, & à residuo alteram, & sic consequenter, & talis diuisio dicitur secundum magnitudinem, & non secundum proportionem æqualem: quia pedalitas secunda quæ auferetur à residuo, non est in eadem proportione ad suum totum, sicut pedalitas prima ad suum, licet pedalitates sint æquales, similiter nec tertia, nec aliæ sunt in eadem proportione.

Nota partes posse esse æquales, vel secundum quantitatē, vel secundū proportionē.

Verbi gratia, sit lignum duodecim pedalitates habens, auferatur vna, & à residuo, quod vndecim habet, auferatur alia, & à residuo, quod decem habet, alia, & sic consequenter, constat has pedalitates ablatas esse æquales, sed proportiones, secundum quas se habent ad sua tota, non sunt æquales: nam duodecim ad vnum aliam habēt proportionem, quàm vndecim ad vnum, & quàm decem ad vnum: ob id ista diuisio dicitur secundum magnitudinem, sed non secundum rationem, & proportionem.

Altero modo potest fieri diuisio secūdum eandem proportionem, sed non secundum eandem magnitudinē, vt si partes non æquales, sed in equali proportione se habentes ad residua, secueris.

Verbi gratia, ab aliquo toto deme vnā medietatem, & ab ista medietate iterum suam medietatem, & ab hac iterū aliam, & consequenter à residuis medietatibus medietate seca, tunc diuisio erit secundū eandem proportionem: quia id, quod secatur ab eo, à quo secatur, se habet in dupla proportione, cùm sit sua medietas, tamen medietates non sunt æquales, sed maiores, & minores, sicut, & tota: ob id talis diuisio dicitur secundum proportionem, sed non secundum magnitudinem æqualem.

Iam ergo: si priori modo diuidas quodcunque finitum, nempe sumendo semper magnitudines æquales, nō procedet semper diuisio, quantumcunq; minimę sint particulæ, finietur enim: quod si posteriori modo diuisio sit, in infinitum diuisio procedet.

Et hoc est, quod dicit Aristot. nempè si quis accipiat in aliqua continui finiti diuisione determinatam, & finitam particulam in eadem proportione, non absoluet finitum diuidere, quod si econtrà in diuisione acceperit, eandem magnitudinem absoluet.

Nota verò discrimen inter sumere magnitudinem in eadem proportione, & inter sumere magnitudinem eandem in proportione: hoc enim faciens absoluitur finitum: quia omne finitum per ablationem æqualis finiti consumetur, illud verò si fiat, non cessabit diuisio. Nota 1.

Nota deindè illud verbum, (Augeat) quod annotauit benè Philop. cùm enim æquales sumimus magnitudines à residuis, augentur, & fiunt maiores proportiones, verbi gratia: Si à ligno duodecim pedum auferas vnum, & iterum à residuo auferas alium, & à residuo alium, semper crescunt proportiones: nam prima erat duodecupla, secunda vndecupla, tertia decupla. Maiores autem sunt proportiones multiplices, quando à minori numero denominātur, vt omniū maxima dupla est, & post hanc tripla: quia maior est medietas, quàm tertia, & tertia, quàm quarta, & minores secundum numerum maioribus. Nota 2.

Aliter igitur non est, sed sic est infinitum.

Infinitum in potētia aliquo modo esse in actu.

EXplicat ex superioribus concludendo infinitum non aliter esse, quàm modo, qui dictus est, puta in potentia, & aliquo modo in actu, & in diuisione: ex

ne: exemplisq; duobus explicat vtrumq;. Dicitur in actu, vt dies in actu dicitur, nō quòd tota dies simul sit, sed quòd in fluxu est, & partem habet actu, ita infinitum: non enim totum simul est, nec erit, sed secundum continuam diuisionem actu dicitur. Vlterius dicitur in potentia, sicut materia prima, cuius potentia partem habet actus: quia cùm forma est, nunquàm tamen perfectè ad actum completum reducetur, vt omnes simul habeat formas, sed in continua est illarum generatione, ita infinitum.

Et secundum appositionem igitur. Tex. LX.

Infinitum secundū appositionē, esse in potētia & nō actu sicut etiā secundū diuisionem.

OStendit Aristoteles qualiter sit infinitum secundum appositionem in potentia. Posset enim aliquis existimare, quod dicitur in potentia secundum appositionem infinitum, quia absolutè potest excedere quamcunque magnitudinem datam, vt non detur tāta, quin maior fieri possit, hoc autem nō ita est, nam dabitur tanta quantitas, vt maior esse non possit, puta quantitas totius orbis finita, non enim est infinitum actu extra cælum, vt illi Philosophi dicebant.

Cùm ergo audis esse infinitum potentia secūdum appositionem, intellige non esse separatum ab infinito secundum diuisionem, nec alio modo crescit secundū appositionem, quàm per additionē partium, quæ fiunt secundum diuisionem modo prædicto: talibus autem partibus crescit infinitum secundū appositionem, non tamen intantùm crescit, vt omnem finitam superet magnitudinem, cùm nō possit æquare illud continuum in quo est, si enim additio fieret secundum partes æquales semper, superaret omnē magnitudinem: sed id non fit, quia diuisio non fit secundum partes æquales in infinitum, nec aliter crescit infinitum secundum appositionem, nisi per talem diuisionem.

Qūo differat infinitū secundū diuisionē, & secū dū appositionem.

Vnde in hoc differt infinitum secundum diuisionem, ab infinito secundum appositionem. In illo enim non datur pars, nec quantitas ita minima, quin minor esse possit, tamen in infinito secundū appositionem datur quantitas ita magna absolutè, quam non possit æquare ipsum infinitum secundum appositionem, nec maior esse possit.

Hæc omnia cò tendunt, vt intelligas sicut infinitum secundum diuisionem non fit secundum partes æquales, (sic enim esset actu infinitum,) ita nec infinitum secundum appositionem, sed vtrumque fit secundum partes inæquales in eadem proportione sumptis, vt dictum est in textu præcedenti. Consideratione autem digna est expositio horum textuum.

Quoniam & Plato. Tex. LXI.

Cōfirmat hoc duplex genus infiniti ex Platone, & illū reprehēdit.

HOC duplex infinitum confirmat ex Platone, qui ista etiam intellexit, per magnum enim infinitum secundum appositionem, per paruum secundum infinitum denotauit.

Sed reprehendit Platonem, qui cùm duplex potuisset infinitum, nullo vtitur: quia numerum, quem dixit esse rerū substantiam, finitum posuit: & secundum paruum, quia vsque ad vnum decrescit: nec quo ad magnum, quia vsque ad denarium crescit: vltimum enim numerū dicebat denarium, reliquos verò numeros compositos ex denario, & præcedentibus dicebat: ob id non sibi constat. Si enim principium infinitum est, & numerus principium est secundum ipsum, debuit esse infinitus, quod tamen ipse negabat.

CAPVT VII.

Accidit autem contrà. Tex. LXII

Reprehēdit Arist. definitionē quā veteres assignabant infinito.

DEfinitionem, quam Antiqui de infinito dabant, reprehendit. Dicebāt antiqui infinitū esse, cuius nihil est extra, quasi omnia comprehenderet, & nihil ipsius esset extra ipsum. Aristo. verò non sic, sed aliter esse definiēdum docet, puta infinitum est, cuius aliquid semper extra

Nota, definitio infiniti in potētia est in quo sēp est sumere aliquid extra.

extra est. Id est, est id, cuius quibuscunq; partibus sumptis aliqua alia semper accipi possit. Et probat, quod sic sit definiendum, etiam ex his, quæ ipsimet dicunt. Nam annulū dicunt esse infinitum: quia sumptis quibusque partibus propter vniformem, & circularem eius figurā adhuc ipsius partes sumi possunt: nō enim in eo, secundum se, terminus est vllus propter figuram.

Vide igitur, quomodo ipsi infinitum dicunt, cuius aliquam partem semper est accipere.

Declarat tamen, quòd antiqui non dicebant annulum propriè esse infinitum, sed ratione figuræ, vt enim esset propriè infinitum, non debēt eædem partes multoties sumi, quod in annulo fit. Non inuenientes enim terminum eundem sæpe diuidimus, & ipsius easdem partes sæpe signamus. In infinito autem diuersas oportet sumere semper partes: ac ob id additur illa particula extra.

Nota.

Notandum circa literam, quòd vocat annulos non habentes palam, illos, qui sunt vniformes, nec habent illam partem distinctam, cui solet apponi gemma: hi enim annuli, videntur actu principium habere: at cùm vniformes sunt, actu finem, & principium non habent ob vniformitatem figuræ.

Infinitum igitur, id est. Tex. LXIII.

Cōfirmatur illa definitio erīta ex anti.

COncludit etiam ex antiquorum dicto. Infinitum esse, cuius secundū quantitatem accipientibus semper aliquid accipere est extra. Id est, cuius partibus quātitatiuis quibuscunq; sumptis adhuc diuidentes, & accipientes possunt præter illas accipere alias: cùm ergo ita definiendum esse probasset, probat non esse definiendum, vt illi definiebant, & efficit rationem hanc.

Nota totū & infinitū esse valde diuersa.

Illa definitio est totius, sed totum, & infinitū infinitum sunt valdè diuersa, nec simul stant: ergo non potest esse definitio infiniti. Maiorem ostendit in hoc textu, dicens totum non esse aliud, vt dictum est. 5. Meta. ca. 26. quam cuius nulla pars abest. Quod inductione patet: totus enim homo dicitur, cùm nulla pars hominis deest: tota cistella, cuius nulla pars cistellæ deest, & sic quodlibet singulare totum definitur: ergo in communi etiam definietur totū, cuius nulla pars abest, & extra ipsum est: nam cùm aliqua pars abest, & extra est, totum non dicitur: id ergo est totum, cuius nihil est extra.

Totum autem & perfectum. Tex. LXIIII.

Idē esse totū quod perfectū.

MInorem probat: totum, & perfectum, aut idem omnino sunt, aut proxima in natura: sed infinitum nullo modo est perfectum: ergo nec totum. Et minorem probat: quia perfectū est, quod finem habet, & terminum: hoc autem repugnat infinito: non ergo est perfectum.

1. Nota.

Et notandum est, quòd maiorem efficaciam habet hoc Græce, nam perfectum Græcè a fine denominatur: dicitur enim τέλον, à τέλος, quod est finis, & Latinè ferè idem etiam est: nam perficere, est vlque ad finem facere.

2. Nota. Totū & p̄fectū sunt idē re, differunt tū ratione.

Notant præterea Simplic. & Philop. & Alber. quòd totum & perfectum re, idem sunt, ratione differunt: nam totum dicitur respectu partium, quarum nulla deest, perfectum verò ratione finis, quem res est consecuta.

3. Nota totū, & omne quō differāt.

Et vlterius notant Simplic. & Philop. quòd totum dicit partes cum quadā cōiunctione, & copulatione: at omne, dicit solum ipsas partes nulla deficiente.

Quapropter melius existimandum est.

Reprehensio Melissi, q̄ dicebat esse totū infinitū

EX dicta doctrina commendat Parmenidem, qui melius dixit, quàm Melissus. Ille enim vniuersum dixit totum esse, & finitum, cuius partes æqualiter distabant à cētro. At Melissus dixit esse totum infinitum. Errauit autem in hoc, quòd copulauit ea, quæ nequaquam possunt esse simul, puta, esse totū, & esse infinitum: hæc enim non cohærent, nec connectuntur, sicut linum lino: sunt enim illa opposita valdè.

Proverbium græcum.

Scias autem illud esse prouerbium, vt notat Philo. quo denotamus dicta alicu ius

cũ linũ lino, annectere.

ius esse contraria vel implicantia: cùm enim implicant, & inter se repugnant, nõ vt linum lino, cohærere dicimus.

Quoniam hinc quidem. Tex. LXV.

Qua ratione inducti veteres ita definierint infinitũ, eiusque reprobatio.

CAusam ostendit, propter quam antiqui ita definierint infinitũ. Hæc autem est: quia putarunt infinitũ esse totum quoddam: at cùm totũ contineat, hinc etiam dixerunt infinitũ cõtinere, & gubernare, vt supra etiam dictũ est. Quòd si quæras, quare hi existimarunt infinitum esse totum? dicit: quia similitudinem habet cum ipso toto: hæc verò similitudo consistit in hoc: quia sicut totum suas partes comprehendit, ita infinitum suas.

Infinitũ hoc potiùs habere, vt materiã, quàm vt totum.

Hoc autem Arist. reijcit, docetq; infinitum non esse totum actu, sed materiã perfectionis, & magnitudinis, id est, formæ, & totius, ac est totum in potentia, quod patet ex diuisibilitate. Nam totum aliquod cùm diuiditur, non ratione formæ, sed ratione materiæ diuisionem habet, cùm videamus formam eiusdem rationis manere in omnibus partibus: infinitum ergo, quod diuisionem continet materiæ potius locum habet.

Præterea secundò: quia totum finitum est, & completum, at infinitum non completur secundum se, sed secundum aliud, puta secundum formam, vt apparet in partibus, quæ in vno toto secundum formam aliquam colligantur: potius ergo est materia: & hinc est quòd secundum se ignotum est, sicut materia sine forma.

Et nota, quòd in omnibus his hoc docemur, quòd materia quantumcunque habeat partes secundum se, non tamen ideò dicitur totum, sed habet rationem partis: quia cùm forma vnum construit totum.

Quare manifestum est. Tex LXVI.

Hoc infinitũ potius habere rationẽ partis q̃ totiõ.

COncludit (vt dicebam,) infinitum magis habere rationem partis, quã totius, cùm locum habeat materiẽ, materia autem sit pars.

Et iterum probat, quod infinitum nõ contineat, nec sit totum, præsertim secũdum opinionem Platonis. Hic enim infinitum ponebat etiam in ideis intelligibilibus: si ergo infinitum continet: sequitur, quòd in ideis etiam contineret: hoc autem absurdum est, quòd indeterminatum, & ignotum, quale est infinitum, dicatur continere intelligibilia, & determinare, cum tamen ab ipsis potius determinetur, quàm causæ sunt formales.

Alia ratio q̃ infinitũ nõ sit totũ nec contineat.

Secundum rationem autem. Tex. LXVII.

Quod sit differens in actione, & diuisione continui infinita.

QVædam theoremata notanda de infinito ponit, atque primum est illud, quod supra dixit, tex. 60. Infinitum diuisione sic procedere, vt quæcunque parua quantitas superetur, puta, cùm diuidimus nõ perueniemus ad quãtitatem ita paruam, quin minor esse possit: at cùm est infinitum in appositione non transgredimur quamcunque magnitudinem absolutè, sed solùm transgredimur illam magnitudinem, quæ fit ex diuersarum partium additione, non tamen ex tali additione poterit crescere quantitas ita, vt excedat etiam cælum.

Obiectio.

Posses tu dicere, quare diuidendo superamus absolutè omnem minimã quantitatem assignatam dando minorem: at in apponendo non superamus omnem magnitudinem: quia saltem non superabimus magnitudinem illius totius, quod diuidimus, & in quo apponimus.

Solutio.

Respondet Arist. quia materia continetur, & est intra rem, infinitumq; materia est: forma cõtinet, ac si dicat, quòd cùm diuidimus procedimus ad materiã, quæ indeterminata est, & infinita, cùm autem apponimus, procedimus ad formam, quæ continet, & determinata est.

Nota ex D. Th. quõ se habeat totũ & partes, & infinitũ secũdũ oppositionẽ, & diuisionẽ.

Notat S. Thom. circa explicationem, quòd totum habet rationem formæ respectu partium, partes verò rationẽ materiæ, & meritò: nam forma determinata est, materia verò indeterminata, & indifferens: ita totum determinatum: singula enim per se vnum totum sunt, tamen partes multis modis sumi possunt, puta, maiores, minores, & hoc multis modis. Hoc verò interest inter infinitum secun-

cundum appositionem, & secundum diuisionem; in infinito enim secundũ appositionem à partibus ad totum procedimus, in infinito verò secundum diuisionem à toto ad partes descendimus: ob id in hoc à forma ad materiam, in illo à materia ad formam peruenimus.

Hinc fit, quòd cùm forma, & totũ determinatum sit, quantumcunque partes diuisas in infinitum apponamus, nõ excedemus illud totum, cuius partes sumimus: at cùm à toto ad partes procedimus, & partes indeterminatæ sint propter multiformem ipsarum diuisibilitatem, cùm ad ipsas prouenimus diuidendo in infinitum, non datur vllus terminus, nec vlla quantitas ita minima, qua non posset esse minor.

Rationabiliter autem. Tex. LXVIII.

Quõ infinitum accipiatur in numero, & magnitudine, & quõ differunt inter se.

ALterum constituit Theorema, puta. Infinitum esse in numero, & in magnitudine, differenter tamen, Numerus enim sursum crescit in infinitum, non n. datur tantus numerus, quin maior possit dari. At deorsum finem habet, nam ad vnitatem peruenit, & vltrà non procedit. At magnitudo non sic: datur enim maxima quantitas actu, cùm non sit infinitum in actu: at non est dare minimam magnitudinẽ, vnde minimus numerus datur, sed non maximus potẽtia: at datur maxima quãtitas, & magnitudo potentia, sed non minima.

Cur diuisio numeri terminetur, dat causam: quia numerus ex indiuisibilibus vnitatibus componitur, ad quas numerus perueniens iam non amplius diuidi potest: at magnitudo cùm non sit cõposita ex indiuisibilibus, sed ex diuisibilibus, ipsius nunquam cessat diuisio.

Cur numerus augeatur in infinitũ.

At cùm numerus crescat ex diuisione, & partitione continui, qui in infinitum procedit, hinc est, q̃ numerus augeatur in infinitum; quamuis non sit actu infinitus, sed potentia superans quãcunque datã, & determinatam multitudinem.

Quõ numerus cõponitur.

Quo autem modo numerus ex indiuisibilibus cõponatur, ostendit: quia numerus est ex vnis, & numerus non aliud est, quàm plura vna, & ita numeri ab vnis denominantur, ternarius enim, qui tria vna est, quaternarius qui quatuor, & sic consequenter: at vnum indiuisibile est, vt vnus homo, qui in plures homines diuidi non potest: & vnus leo, & reliqua: si ergo numerus ex vnis est, & indiuisibilibus est, nam vnum indiuisibile est.

ex indiuisibilibus.

At non separabilis est numerus hic bipartitionis.

Numerũ nõ esse aliquid separatũ à rebus numeratis, nec actu infinitum.

CVm numerum ex diuisione continui crescere dixisset, ne quis putaret numerum esse quid separatum ab ipsis continui partibus, vt putabant Platonici ponentes numeros separatos, huic obuians dicit, numerum non esse separatum ab ipsis continui sensibilibus partibus: non enim aliud est numerus, quàm plura vna, & plures continui partes. Nec etiam est intelligendum, quòd numerus actu infinitus vnquam sit: non enim est eius infinitas, nisi potentia, sicut motus, & tempus, & numerus temporis partium, quę dicuntur esse, non tamẽ tota simul: ita est numeri infinitas.

Explicatio Philo. & Auerr.

Philop. vult, Aristot. velle hic comparare numerum tempori, vt enim tempus dum fit maius, & maius, non habet partes permanentes, sed quædam recedunt, quædam de nouo adueniunt. Ita numerus dum crescit, non permanet: nã cùm fit quaternarius, non manet ternarius, nec cùm fit alius numerus, manet alius: & idem videtur Auer. dicere.

Explicatio verior D. Thom.

Sed S. Thom. hoc non placet, & meritò: quia si formaliter loquantur de numero, etiã hoc fit in infinito secundum appositionem, nam cùm additur aliqua magnitudo alteri, iam altera non manet formaliter, cùm induat rationem alterius totius, & alterius mensuræ. Vt si primus erat pedalis, posteà additione mutatur. Quod si materialiter loquantur de numero, re vera etiam manet numerus præcedens, puta, ipsius vnitates, sicut in infinito secundum appositionem, at tẽporis, & numeri partium temporis, nec formaliter, nec materialiter partes manent, quia tempus nullo modo permanet, nec ipsius partes, similiter nec motus.

In magnitudinibus autem. Tex. LXIX.

In magnitudinibus cõtrario modo se habere augmentũ, & decrementum, quàm in numeris in innnitum.

CVm dixisset numerum sursum in infinitum tendere, deorsum verò ita re in indiuisibile, modò non sic in magnitudinibus fieri docet, imò oppositũ: versus enim maius datur vltimũ, cò, q̃ sit maxima quãtitas, quæ possit esse naturaliter, vt quantitas, & magnitudo orbis: vnde magnitudo tanta actu est, quanta potẽtia esse potest. At versus minus nõ est terminus, sed diuisio in infinitum procedit. Si aũt magnitudo nõ esset determinata, tunc esset corpus actu infinitum, quod nullo modo esse potest.

Obiectio.

Dices, quomodo magnitudo determinata est, cùm sit infinitum in additione, quod fit secundum magnitudinem? Si enim in infinitum additio esse potest, erit etiam magnitudo tendens in infinitum.

Solutio.

Hoc dubium facile est intelligenti, quę dicta sunt superius. Additio enim duplex est. Altera, quæ fit secundum partes proportionales, per quas etiam in infinitum fit diuisio, v.g. Diuidis lignũ in duas medietates, iterum aliam in duas, & sic semper procedendo per eandem proportionem: tunc si partes vnius diuisæ medietatis apponas alteri, crescet in infinitũ. Et quia nunquam cessabit diuisio alterius, nec cessabit augmentum prioris: tamen ipsius magnitudo quantumcunque crescat, non superabit quantitatem totiũ ligni: quia nunquam finietur diuisio, & ita nunquam habebit partes totius ligni. Hoc igitur modò dicimus esse infinitum per appositionem, & sic magnitudinem crescere in infinitum.

Nota duplex genus additionis. Primum.

Secundũ.

Altera additio est, quæ fit secundum partes æquales, & si ista fieret in infinitũ, re vera magnitudo peruenirẽt, vt superaret cælos, & quodcunque corpus: sed talis additio non potest esse in infinitum, nec sic magnitudo potest secundum appositionem in infinitum crescere.

Et hoc est, quod hic dicitur, quòd absolutè loquendo datur maxima magnitudo, quæ possit esse, & quamuis in infinitum in appositione sit secũdum ipsam magnitudinem, non tamen ob id perueniet, vt quamcunq; magnitudinem datam superet.

Infinitum autem non est idem. Tex. LXX.

Infinitũ nõ est genus ad motum, tempus, & magnitudinem.

CVm de infinito in motu, tempore, & magnitudine locutus sit, posset quis arbitrari infinitum esse genus quoddam ad illa tria. Hoc autem non ita est, imò analogum quoddam. Infinitum enim prius magnitudini, & per magnitudinem motui, & per motum tẽpori inest. At quia hoc explicare non est præsentis loci, sed ad librum quartum pertinet, se illuc remittit, & nos etiam id ibi tractabimus, quod faxit Deus.

Dubium Aristo.

Vlterius dixerat, numerum terminari deorsum: quia peruenit vsque ad indiuisibilia: at non magnitudinem, hæc enim semper in magnitudines iterum diuisibiles diuiditur: posset quis huius petere rationem, quare nempè magnitudo in magnitudinem semper diuidatur. At quia hoc in lib. 6. demonstraturus est latè, hoc etiam in præsenti supponit, & probationem prætermittit, & nos etiam suis in locis ista examinabimus.

CAPVT VIII.

Non remouet autem ratio. Tex. LXXI.

Obiectio ex Geometria, & illa vtatur lineis infinitis, & ita fit actu infinitum.

TERTIVM theorema ponit, dubio satisfaciẽs. Cùm enim actu infinitũ non sit, videntur theoremata aliqua geometrica destrui. Dicunt geometræ datam lineam rectam in infinitũ protendere, quod esse non posset, nisi actu sit infinitum, aut excedatur quæcunque magnitudo sensibilis.

Solutio Arist.

Huic respondet Aristo. dicens, Ratio, qua negatur esse aliquod actu infinitũ, non destruit vllum theorema geometricum: & huius reddit rationem. Nã geometra non indiget infinito, nec vtitur actu infinito in vlla demõstratione, quòd si vtitur linea infinita: id non est: quia sumat actu infinitum in demonstratione, sed vt habeat quamcunq; finitã lineam.

Nota, quõ geometra egeat, & vtatur infinito.

Ac si dicat, Mathematicus finitis vtitur lineis semper, ac cùm lineas sumit, ne quis ipsum limitaret dicendo nõ posse lineas maiores, aut minores esse, sumit lineas continuè produci posse: vnde illud infinitum, & continuum non extẽditur nisi ad lineas, quibus vtitur, quę omnes finitæ sunt.

Quòd verò non indigeat lineis infinitis geometra, probat. Quia lineæ minimæ æqua proportione diuidi possunt, sicut maximæ, quod demonstrat Eucli. lib. 6. theo. 10. ob id, quæ in maximis probat, etiam in minimis potest ostendere: non ergo lineis infinitis indiget: vnde dicit nihil differre ad demonstrationem mathematicam, quòd sit in lineis minimis, aut maximis, imò etiam aliquando fictis, & extensis vltra id, quod naturaliter possunt esse, vt cùm lineam extra cælum imaginatur, tamen esse, & id verum, quod mathematicus probat, solùm reperitur in quantitatibus existentibus, & veris, quæ finitæ sunt: id est, quãuis lineas aliquando maiores fingat, quia ęquè poterat probare per lineas veras, ob id verũ probatur, & id quod est.

Quoniam autem est. Tex. LXXII.

Infinitũ habet rationẽ materiæ, & priuatæ materiæ forma

QVartum theorema est. Cùm quatuor sint genera causarum, vt dictum est, infinitum rationem habet materiæ, non alterius causæ, & non materiæ, vt cùm forma est, sed cũ priuatione. Vnde infinitum dicit duo: vnum formale, & id priuatio est, puta (negatio actus perfecti, & consummati mixti cum potentia,) est enim actus imperfectus in successione continua consistens: materiale verò est quantum sensibile, hoc enim est, quod diuiditur, & in quo talis est infinitas: vnde infinitum rationem habet materiæ.

Nota infinitũ dicere duo, vnũ materiale, alterũ formale.

Et hoc etiam antiqui posuerunt dicentes, & vtentes infinito, vt materia: sed reprehendendi sunt. Cùm enim infinitum posuissent materiam, dixerunt ipsum continere, quod quidem non ita est: materia enim potius contentum, & determinatum quid, quàm cõtinens, & determinans est.

Nota.

Aduerte autem, quòd infinitum non est sola materia: nã materia secundum se non dat rebus diuisionem, sed materia cum quantitate: radix ergo prima diuisionis infinitæ materia est, proxima verò quantitas, totalis autem materia cum quantitate.

Reliquum est autem aggredi. Tex. LXXIII.

Soluũtur argumenta ponentium infinitum.

QVid infinitum sit, & quomodo verè sit, elucidatis, nunc soluere rationes aggreditur, quas in principio c. 4. proposuit textus 31. ad probandum infinitum esse, nõ solùm potentia, vt determinatum est, sed etiam actu, atq; harum rationum quasdam dicit nõ esse necessarias, nec demonstrare, quod intendunt: quasdam verò habere obiectiones veras, id est, ipsarum rationum oppositæ sunt veriores, & certiores.

Soluitur tertia rõ.

Incipit autem soluere tertiam rationẽ, quæ sumebatur ex infinita serie generationum. Cumque ex nihilo generatio non fiat, videtur aliquod esse futurum principium. Hoc soluit docens esse satis principium, & materiam finitam, quæ vnius corruptione alterius generationis principium est, & ita vna materia potest multarum generationum esse principiũ, cùm nihil generetur, nisi per corruptionem, & expulsionem alterius formę, seruata eadem materia, & hoc satis declarauimus in primo libro.

Amplius tangere, & finitum. Tex. LXXIII.

Soluitur qrta rõ.

SOluit quartam dubitationem, docens, aliud esse tangere, aliud esse finiri, seu finitum esse. Tangere est ad aliquid extra se, & tangere est rei finitæ. At finitum esse non est ad aliquid aliud: sed in se finitur res proprio termino: ac si dicat. Omne tangens præsupponit aliud extra se, quod tangat: at finitum nõ supponit aliquid extra se, quo finiatur: nam suo termino intrinseco, & extrinseco finitur. Vnde falsum est, omne quod finitur, finiri aliquo circunstante: intrinsecus enim est finiti terminus.

Quòd autem tangere sit ad aliquid, ostendit, vt explicat Philopo. quia non quodlibet corpus tangit quodlibet, sed quæ materiã communem habent, vnde

cæleste corpus non tangitur ab elementari corpore: tactus enim propriè est inter ea, quæ mutuam habent generationem, vt videbitur libr. de gener.

Intellectioni autem credere. Tex. LXXV.

Soluitur quinta.

QVintam soluit dubitationem dicens, quòd non est credendum illi intellectioni, qua absque termino intelligimus, quasi dicat: illa conceptio, & imaginatio ficta est: cuius rationem subdit: quia talis magnitudo, vel paruitas, sub qua rem sæpè imaginamur, non est in re: ob id non est credendum imaginationi. Et id probat: quia non ob res est, vel non est: quia ita imaginatur, aut intelligit aliquis esse, vel non esse, sed econtra: quia res est, vel non est, inde imaginatio, & intellectio veræ vel falsæ sunt. Cùm ergo accidat rei, quòd ita intelligat, aut quis ita eam imaginetur, nõ ob id talem esse credendum est, qualem quis imaginatur.

Et ostendit id exemplo, potest enim quis imaginari aliquem numerum multo maioris quantitatis, quàm sit, & quòd extra vrbem sit: non tamen ob id res ita erit. Hinc patet, quod non est argumentum bonum sumere quantitatem rerum ab imaginatione, quam hic intellectum vocat, vt notat Psellus.

Tempus autem & motus.

Soluit prima rõ.

SOluit primam rationem de motu, & tempore, cùm adiungit intellectionem, quæ nunquam cessat. Et dicit esse infinita, sed successiua, & ita non tota simul: ob id non actu, sed potentia infinita sunt: quia id, quod accipitur, non est permanens. At magnitudo, nec diuisione, nec additione etiam imaginatiua, est actu infinita: secundæ verò rationis satis ex dictis patet solutio.

Ex his omnibus concludit, iam elucidatum esse, quid sit infinitum, & quomodo sit, & quomodo etiam non sit, hæc Aristot.

An vnum sit indiuisibile: An verò in infinitum etiam possit diuidi.
Quæstio V.

Rõ dubitãdi, qua probatur vnũ esse diuisibile.

QVæstio hæc non aliena est à loco præsenti. nam Aristo. docet numerum deorsum non tendere in infinitum: quia ex vnis componitur, vnum autem indiuisibile est, vt dicitur text. 68. quod profectò difficile videtur: nam homo vnus est, vt ipse fatetur, & tamen diuisibile est.

Instatur primo.

Quod si dicas, non est diuisibilis in duos homines vnus homo, hoc non satisfacit: sumam enim ignem vnum, qui vnus est, non tamen indiuisibilis est, imò in duos & multos ignes diuidi potest.

Instatur secundo.

Quod si dicas: satis est, quod actu non sit diuisus, quamuis potentia sit diuisibilis, non valet tunc ratio Aristot. vult enim, quòd numerus non solùm non diuidatur in infinitum deorsum, sed nec diuidi possit: quia ergo hoc dubium habet aliquid difficultatis, ideò in hac quæstione ipsum tantùm enodabimus, in cuius declarationem aliquot oportebit presupponere fundamenta, quorum prim ũ sit.

Primũ fũdamentũ. Vnũ idem est, quod indiuisũ.

Quod nihil aliud est vnum, quàm quod indiuisum est, & impartitum: dicit enim rem quatenus in partes non est separata, nec diuisa: vnde dicitur vnus homo, qui non est plures: & vna linea, quæ non est facta plures, & vnus ignis, qui non est plures.

Vnũ indiuisum duplex est, vel priuatiũ negationes, vel priuationes.

Sed hoc vnum duplex est. Alterum, quod dicit partium priuationem. Alterum, quod dicit negationem, quod sic clarius dicetur. Est quoddã vnum, quod non est actu in partes diuisum, tamẽ diuidi potest, aut re ipsa, aut intellectu: parum enim refert vtrouis fiat modo, sicut dicitur vnus ignis, quia cùm in multos diuidi possit, actu indiuisus est: & vnum lignum, & vnum continuum: & hoc vnum dicitur per priuationem. Alterum est, quod indiuisum quidem actu est, & etiam potentia, quia tales partes, in quas diuidatur, non habet. Sicut punctum vnum est: quia nec actu, nec potentia partitionem habet. Similiter in ratione hominis, Petrus vnus est, quia nec actu diuisus, nec potentia in duos homines diuidi

uidi potest. Hoc duplex vnum breuissimè quidem, sed notanter distinxit Aristot. 4. Meta. tex. 4.

2. fũdamẽtũ, vnum priuatiuè duplex trãscendẽtale, & p̃dicamentale.

Sit secundum fundamentum. Vnum priuatiuè, id est, quod actu indiuisum est in partes, cùm diuidi possit, est duplex. Alterum transcendentale: Alterum prædicamentale, quod dicitur vnum quantitatis. Hoc autem vnum distinguitur secundum partes, quæ sunt in duplici differentia. Quædã enim partes sunt substãtiæ & essẽtię rei. Quędã sunt partes quantitatiuæ. partes essentiæ, & substantiæ vt materia, forma, genera, & differentiæ, actus, potentia, & reliqua ex quibus rei definitionem, & naturam componimus: partes verò quantitatis, sunt quæ rei à quantitate procedunt, vt sunt partes integrantes, partes secundum extensionem, vel secundum discretionem.

Quid vnũ trãscendentale.

Est igitur quoddam vnum, quod dicit actualem indiuisionem partium substantialium, & essentialiũ, & isto modo quæque res, siue materialis, siue immaterialis, quæ partes habet definitionis, & substantiæ, dicitur vna, vt non est diuisa in eas, siue substantia sit, siue accidens, & tale vnum dicitur trãscendentale, & sic quicquid est, vnum est. Huic vno opponũtur multa: multa enim dicuntur, quorum substantia, & esse diuisum, & distinctum est, vt multa accidentia, multi Angeli, multi homines.

Quid q̃titatiuum.

Alterum vnum est, vnum quantitatis, quod actu indiuisum est secundũ partes quantitatis, quomodo dicimus vnũ cõtinuum: quia suas partes indiuisas habet: & vnum numerum, qui non est diuisus in suas partes, ex quibus cõstat, & tale vnum est in rebus, quæ quantitate participant, nec in immaterialibus reperitur hæc vnitas, sed in substantijs, & accidentibus, quæ cum quantitate sunt.

Nota partes continui, & discreti non esse eiusdẽ rationis partes.

Oportet tamen te meminisse cõtinui, & discreti non esse eiusdem rationis partes: nam partes continui habent positionem, cùm permanentes sunt, vel in vniuersum copulantur termino communi. At partes discreti nullam habent positionem, nec termino communi copulantur, vnde continuum dicitur vnum, cum partes habet termino communi copulatas, discretum verò, cùm partes habet nõ copulatas termino communi, sed sub vnica forma numeri, vt ternarij, quaternarij, & reliquorum.

3. fũdamẽtũ, vnũ qd̃ est principiũ numeri, est indiuisibile diuisione q̃titatis discretæ, licet diuidi possit in ratione continuæ.

Sit tertium fundamentum. Vnũ quod est principium numeri, & dicitur vnitas, ex qua numerus componitur, dicitur id quod est indiuisibile ratione discreti. Aduerte enim aliter diuidi continuum, aliter discretum. Continuum enim diuiditur in partes actu copulatas prius termino communi. At discretum in partes, quę erant disiunctæ, nec termino communi copulatæ, vnde quodlibet continuum, (si continuum est,) non habet partes discretas, ideoque dicitur indiuisibile in ratione discreti, ac vnum, quod est principium numeri, seu vnitas, & ex huiusmodi vnis, cùm multa sunt, numerus constat, & talia vna sic dicuntur indiuisibilia.

1. cõclusio

Sit ergo prima conclusio. Vnum quod est principium numeri est indiuisibile nõ simpliciter, sed ratione discreti: potest enim esse aliquid vnum diuisibile simul esse, & indiuisibile, sed non ratione eadem. verbi gratia: Sumo vnum continuum, vt lignum, aut ignem, hoc potest quidem ratione continui diuidi, puta, quia habet partes copulatas termino communi: at ratione discreti diuidi nequit, non enim habet partes discontinuas, & positionem non habentes, in quas diuidi possit: vt igitur indiuisibile est ratione discreti, vnũ dicitur, ex quo numerus constat, & de hoc loquitur Aristot.

Solutio argumẽti fricti in principio.

Vndè patet solutio argumenti, vnus enim homo, vnum lignum, & reliqua dicuntur vnum cõtinuum, & vnum, quod est numeri principium, vt vnum continuum sunt, diuidi possunt in partes continui: at vt vnum principium numeri dicuntur, non sunt diuisibilia ratione discreti: quia sic diuidi solius est numeri continentis partes disiunctas, & positionem non habentes, & hoc nota.

2. Cõclus. Vnũ quod est principiũ numeri nõ dicit entitatẽ continuã à quãtitate cõtinua

Secunda cõclusio. vnum, quod est numeri principium, non dicit entitatem aliquam distinctã realiter à continua quantitate, vt imaginantur multi reales, inter quos est Sonzi. 4. Meta. q. 25. dicunt enim quod in continuo sunt duæ entitates distinctæ, vna est continua quantitas, qua est vnum continuum diuisibile, altera est entitas indiuisibilis, qua dicitur vnum prin-

principium numeri: ratio ipsius est, quia quantitas continua diuisibilis est, at vnitas hæc indiuisibilis est.

Opinio Sõzinat. & eius ratio. Refellitur

Sed nobis non placet ista entitatum multiplicatio absque ratione, & necessitate, & præterquam quòd euidentibus posset redargui ista sententia argumentis, ratio ipsorum nulla est: ob id dicimus, quòd quantitas continua est, à qua est vnum continuum, & à qua est vnum, quod est numeri principium, sed non eadem ratione. Vt enim à tali quantitate partes habet actu coniunctas, vnum est numero: vt verò à tali quantitate procedit, quòd si continua est, nõ habeat partes discretas, & res per talem quantitatem diuidi nequeat in discreta, principiũ est numeri, & res ab ea indiuisibilis est ratione discreti.

3. cõclusio Numeri materia sunt ipsæ vnitates.

Tertia conclusio, Numeri materia sunt vnitates ipsæ, forma verò est illarum vnitatum certa aggregatio, vnde ternarius vnitates dicit materialiter, formaliter verò vnitatum tantam aggregationem. Sic de quolibet numero.

Quòd vltima vnitas sit forma, vel det formã numero cui additur.

Hinc intelligitur id, quod dici solet, quòd vltima vnitas adueniens est forma, reliquæ materia, vt in ternario duæ vnitates sunt materia, tertia determinans forma, quod videtur dicere Albertus in prædicamento quantit. & S. Thom 8. Meta. quod non ita simpliciter debet intelligi: numerus enim formaliter diuisibilis est, illa vnitas verò diuidi non potest. Præterea: quia cùm omnes vnitates sint eiusdem rationis, esset eadem forma omnium numerorum, nec specie differrent, quod ipsemo concedet. nec S. Thom. nec Alber. id dixerunt, vt sonat. sed sensus est, quòd illa vnitas habet se vt forma: quia ipsa adueniente intelligitur compleri numerus: sed non quòd re vera illa esset forma, sed vnitatum aggregatio, quæ variatur qualibet addita vnitate, arq; ideò videtur forma, sed non est.

4. cõclusio Numeri diuisio nõ procedit in infinitum deorsum.

Quarta conclusio. Numeri diuisio nõ procedit deorsum in infinitum. Hæc est Arist. quæ patet ex dictis: quia cùm numerus diuidatur ratione discreti, & sit deuenire ad vnum indiuisibile in ratione discreti, non procedit ipsius diuisio in infinitum. Non sic in continuo: nõ enim in diuisione continui deuenimus ad aliquod indiuisibile in ratione continui, cùm non sit compositum continuum ex indiuisibilibus in ratione continui, sed ex diuisibilibus: ob id ipsius diuisio terminum non habet, vt dictum est.

An numeri multiplicatio procedat in infinitum.

Quæstio VI.

1. argum.

QVM numeri diuisionem deorsum descendendo non in infinitum procedere determinatũ sit, consequenter quæritur, an in multiplicatione sursum ascendendi sit processus infinitus. Et videtur quòd nullo modo. Si enim talis esset processus maximè propter illam rationem Arist. quia numerus crescit ex diuisione cõtinui, hęc autem in infinitum procedit: sed hęc ratio nulla est, vt videtur. Nam vel loquimur de cõtinuo mathematico, vel de sensibili: Non de mathematico, quia nõ pertineret hæc tractatio ad Physicum. Si verò de sensibili, vt re vera est, tunc ipsius diuisio non procedit in infinitum: quia, vt dixit in libro 1. Physic. text. 36. datur minima caro, à qua nihil iam est separabile: & nos determinauimus dari minimum in his rebus naturalibus etiam homogeneis: non igitur procedit ipsorum diuisio in infinitum, & sic consequenter nec numerus.

2. Secundò videtur, quòd si diuisio in infinitum procedat, quod sit numerus actu infinitus: est enim argumentum. Si lignũ aliquod, verbi gratia, pedale, in infinitũ est diuisibile: ergo in ipso sunt infinitæ partes actu indiuisæ, sed potentia diuisibiles: numerus igitur illarũ partium infinitus est: nam dato quouis numero finito, partes plures sunt.

3. Tertiò, si numerus actu infinitus esse non potest: vel esset quia repugnat propter numeri formam, quia numerus numerabilis est: vel propter numeri materiam: quia res infinitæ non possunt esse, quarum sit infinitus numerus. Sed neutrum repugnat. Nam secũdum Arist. qui mundũ ab æterno posuit, potest quis petere, quot homines sint transacti, & quot dies, re vera non est, quid dicatur, nisi infinitus numerus: Si igitur numerus infinitus esset impossibilis, non fuisset præteritus, quia impossibile ad actum nõ venit: sed numerus infinitus transactus est, & hoc non nisi simul cum rebus numeratis: non ergo est repugnantia, vt sit numerus infinitus: quòd si dicas, non est permanens talis numerus, hoc nihil impedit rationem numeri.

4. trimembrũ argũ. Primo.

Et est quartum argumentum: nam numerus trium motuum, & numerus, v.g. lectionum est verus numerus, tamen non permanet.

Secundò.

Et vlterius secundum Aristo. qui tenet animam hominum esse immortalem, & in singulis hominibus singulas animas: tunc si mundus fuit ab æterno, & homines infiniti transacti sunt, re vera etiam, & animæ infinitæ, quæ cum immortales sint, sequitur actu esse illarum infinitum numerum.

Tertiò.

Et vlterius secundum reales, qui dicũt puncta esse in corpore actu, & realiter distincta à quantitate, tunc, cùm sint infinita puncta actu existentia in corpore, erit & numerus actu infinitus.

5. argum.

Quintum est etiam argumentum cõtra tex. 59. vbi dicitur, quòd diuisio, quæ fit secundum partes æquales alicuius finiti, non procedit in infinitum. Videtur hoc falsum, & probatur. Sumatur lignũ bipedale, tunc in hoc possunt dari infinitæ partes æquales, quarum vna non est altera, sed omnes æquales inter se: ergo diuisio finiti procedit etiam secundum partes æquales in infinitum: & patet. Diuidatur illud lignum in duas pedalitates, & postea singulæ diuidantur in partes proportionales: tunc coniungendo partes proportionales vnius cum coniuncto ex partibus alterius, dabuntur infinitæ pedalitates. Vt si medietas vnius coniungatur cum medietate alterius, & tertia vnius cum duabus tertijs alterius, & quarta vnius cum tribus quartis alterius, &c. vt in exemplo patet infrà scripto.



Hæc sunt argumenta, quę potissimam habere videntur difficultatem, quę quidem singulatim oportet iam soluere.

Ad 1. solutio Alber.

Circa primum Alber. cap. penult. huius libri, dicit quantitatem sensibile dupliciter posse considerari. Vno modo, vt terminus corporis naturalis, & sic nõ dubium est, cùm detur minimum corporum naturalium: per eam enim mensurabilia sunt corpora: & sic diuisione reali sunt diuisibilia corpora in infinitum.

Reijcitur.

Ista solutio mihi non placet, quia cùm mensura, qua mensuratur finita sit, & minima, vt dicitur 10. Meta. re vera mensurabile non mensurabitur, secundum omnes partes, sed sub partibus certæ quantitatis, quanta est mensura: vlterius, quia mensura est æqualis, & vna: non igitur mensurabile, vt tale est, diuidetur in infinitum, quia iam haberet partes æquales omnes inter se infinitas, quod esse non potest.

2. solutio. Auerr. ex Paul. Ven.

Paul. Ven. supra tex. 60. aliter respondet ad hoc de mente Commenta. dicit q̃ quantitas sensibilis dupliciter considerari potest. Vno modo vt subsstat formæ naturali, & sic non datur in ea diuisio in infinitum. Altero modo ratione materię cui inest, & sic eius diuisio procedit in infinitum.

Reijcitur.

Ista solutio mihi non admodùm placet: quia cùm ipse loquatur de diuisione reali, nõ videtur talis diuisio posse fieri in materia, quia semper est, & erit, cum aliqua forma, quæ impediret talem diuisionem. Dicerem ergo, quòd non debet intelligi de diuisione, quæ dicit actualem partium separationem, sed de ea, quæ fit per partium signationem, vel considerationis resolutionem, & secundum hanc non datur minimum in homogeneis. Quod enim supra dictum est, intelligi debet de minimo per se existenti, vt illic declarauimus.

3. solutio. verior sit diuisio p imaginationẽ, & nõ p naturalẽ diuisionẽ in infinitũ.

Probatur solutio. Primò.

Et inducit me ad hoc dicendum ratio: quia ista diuisio fit etiam in tempore, & in motu, vbi non fit talis partium separatio, nisi modo, quo dictum est.

Secundò.

Præterea: quia non potest particula extra modum minima naturaliter cõsistere, etiam secundum eos, qui minimum auferunt: dicunt enim posse tam paruam esse, vt non consistat, quin à contrario corrumpatur: ergo iam talis separatio naturaliter nõ procedit in infinitum.

Tertiò.

Præterea: quia cælo, & lineis cælestibus

bus ista inest diuisio: quæ autem non potest esse si intelligatur de actuali separatione, cùm cælum sit incorruptibile.

Ad 2. Circa secundum argumentum aduertendum erit, quòd numerus non dicit quocunque modo partes, sed disiunctas, & positionem, & terminum communem non habentes, quòd si continuæ sint, numerum non faciunt, sed vnum continuum, & hæc est notanda solutio, vndè illæ partes vnius continui numerũ non faciunt, nec finitum, nec infinitum actu, sed solum vnum continuum, quousque separentur diuisione, & tunc numerus nunquam erit actu infinitus.

Numerus requirit partes disiunctas, aliter nõ faciunt numerũ, vt in cõtinuo sunt.

Quòd si petas, quot illic sunt partes? dico actu non esse numerum certum, quousque diuisio, vel signatio accedat, quæ nunquam infinita esse poterit in actu.

Ad 3. Prima solutio Iãdun. Circa tertium, Iandun. quæst. 11. huius tertij, dicit, duplicem esse numerum. Alterum rerum corporearũ, quæ non multiplicantur, nisi secundum quantitatem, vt numerus lapidum, hominum, leonũ, & aliorum corporum, & talem esse infinitum negat, nec esse posse permanentem: quia tunc occuparet omnia, & non admitteret secum alia corpora. Aliter numerus est rerum, quæ non occupant locum, vt sunt accidentia, quæ per se quãtitatem non habent, & horum numerus, dicit quòd de facto modo est infinitus: nam materia prima cuiuslibet habet infinitas potentias actu ad singulas formas, quas recipere potest. Vnde secundum Iandun. non repugnat infinitum esse, cum sit.

Sed re vera hæc sententia quamuis in alijs accidentibus, vt pũctis habere posset aliquid probabilitatis, de quibus tamen mox dicemus, tamen exemplum allatum falsum est: non enim est, nisi vnica potentia in materia ad formas, quas recipere potest, loquẽdo de potentia materiæ primæ: at potentiæ proximæ sunt variæ pro varijs formis: sed non sunt hæ potentiæ infinitæ actu: quia non sunt, nisi cum forma generari debet.

2. Solutio aliorũ rejicitur. Alij dicunt infinitum numerum repugnare ratione formæ: alij ratione materiæ, qui omnes mihi non satisfaciunt.

Ad 2. & 4. vera solutio. Pro solutione igitur tam tertij, quàm quarti argumenti, in quibus de quadruplici numero infinito objiciebatur, videlicet, dierum, & aliorum successiuorum, animarum, & punctorum, iacenda erunt aliqua fundamenta.

1. fũdamẽtũ, multitudo, & numerus differunt. Aduerte igitur primò, quod multitudo, & numerus differunt, nec idem omnino sunt. Multitudo enim solùm dicit partium diuersarum aggregationem: at numerus dicit ordinem illarum partium secundum prius, & posterius: numerus enim à numerando dicitur: qui numerat autem, ordinem habet.

Numerus & multitudo pluriter reperitur. In ente trãscẽdẽs, in quãtitate proprius in accidentibus. Iste igitur numerus, aut multitudo tripliciter inuenitur. Primò in ente: vbi enim diuersitas est, & pluralitas entium, quæcunque sint, siue substantiæ, siue accidentia, siue corporea, siue incorporea, ibi numerus est, & multitudo: talis autem numerus, & multitudo transcendentalis dicitur.

Secundò, inuenitur ista multitudo, & numerus particularius in corporibus, & in continuis multis, & iste numerus est proprius quantitatis species.

Tertiò. numerus est in his, quæ in quantitate sunt, sed non sunt multiplicata per quantitatem, vt est numerus, & multitudo plurium accidentum, quæ in vnico subiecto esse possunt sub vnica quantitate.

Numerus & multitudo successiuus, & permanens. Et omnis hic numerus, & multitudo, aut successiuus, potest esse ita, vt non sint simul vnitates, vt numerus hominum, quorum aliqui transierunt, aliqui permanent, aut potest esse permanẽs totus, vt facile est intelligere.

2. fũdamẽtũ. Nõ dari infinita causarũ g se subordinatarũ. Aduerte secundò, inter sciè omnes Philosophos non esse dubium, numerũ causarum essentialiter subordinatarum, non esse infinitum: quia cum vna depẽdeat ab altera in operando, cumq; essent infinitæ, vltima non posset operari, quia ab infinitis dependet, & hoc docet Arist. 2. Meta. cap. 2.

Nõ dari in infinito numerũ permanẽs g porũ, nec accidentiũ, q̃ simul in corpore. Similiter, non est dubium, numerum permanentem corporum nõ esse, nec esse posse, cùm locus omnis naturalis finitus sit: loquimur autem modò de potẽtia naturali; similiter nec est numerus permanens accidentium, quæ in corporibus sunt: nam cùm corpora sint finita, & accidentia erunt: alias in vno corpore oportet esse accidentia infinita, cumque nõ possent differre numero, cum insint vni subiecto, esset differentia in specie, & infinitæ essent species, quod non fit naturaliter, nec fieri potest.

At dubium est de numero infinito successiuo, & de permanenti rerum spiritualium.

De infinito numero successiuo secũdũ Arist. Dico ergo primò, quòd secundum Aristotelem optimè datur multitudo infinita successiuorum, vnde multitudo dierum, & hominum, & generationum præteritarum, & circulationum, & motuum datur infinita: nec hoc negari potest, licet propriè loquendo illa multitudo infinita non sit numerus, quia numerus dicit ordinem partium: at in infinito nullus esse potest ordo, cum nec principium eius sit, nec finis, & quia numerus in ratione sua propriè dicit mensurabilitatem, quæ nõ cõuenit infinito: erit ergo multitudo infinita, sed non propriè numerus infinitus successiuorum.

Vera solutio. Ad illud de infinitate animarũ si mundus fuisset ab æterno. Illud verò de infinitate animarũ multum torsit Aristotelis interpretes, cũ secundũ eius sententiã mundus fuisset ab æterno, vnde vt illum à contradictione liberarent, in varias incidunt solutiones parũ consentaneas. Alexander ergo impiè, & contra ipsum Aristotelem, ei imposuit secisse animam mortalem, sed ea sententia ab alijs interpretibus reprobatur & falso id imponit Arist. vt alibi ex Theophrasto, Themist. Simp. Ammonio, Philopono, & alijs ostendemus contra Alexandrum.

Solutiões quorũdã minus rectæ. Prima Alexandri. Secunda Auer. Hinc etiam delirauit Auerroes cũ suo illo vnico intellectu communi non minus impiè, quàm Alexander, imò duplici impietate cumulatior, & corruptiõe animarum, & illa ficta vnitate intellectus.

Tertia ꝓstantior quorũdã aliorum. Alij dicũt, quòd Aristoteles solùm negauit numerum infinitum ex diuisione continui, & in rebus corporeis, non tamen negauit numerum infinitum spiritualium, & nõ occupantiũ locum, & hæc propius ad veritatem accedit.

Quarta Auicen. Alij, vt Auicẽna, asserunt, negasse Aristotelem infinitum numerum entium completorum, & perfectorum, non verò incompletorum, qualis est anima, & partialium entium.

Quinta, aliorũ sequẽtium Pythagoram. Alij fabulosè potius, quã philosophicè dicũt, esse finitas animas, sed migrare ex corpore in corpus, vt dicebat Pythagoras, & hanc fuisse mentem Aristotelis, quod tamen ne somniauit quidem Aristoteles.

Sexta. Alij dicunt esse cõtradictionem in ipso Aristotele, qua cum mundi æternitate non sibi constitit, dum reprobauit infinitum: & meritò quidẽ hoc vexauit interpretes: nam hoc argumento, satis efficaciter conuincitur mundum non fuisse ab æterno.

Septima verior omnium. Primò. Respondeo ergo ad illud de infinitate animarum, quòd probabiliter, imo necessariò debemus fateri, cũ sint animæ immortales secundum Aristotelem, & mũdus esset ab æterno, vt ille putauit, esse multitudinem actu infinitam, non quantorum, non tamen numerũ prędicamentalem, & proprium. Et ista distinctio multitudinis, & numeri, ac numeri duplicis transcendentalis, & prędicamẽtalis, quãti, & nõ quanti, multum est obseruanda pro doctrina Aristotelis.

Secundò De eodẽ dubio, secundũ veritatẽ nõ repugnat ex natura rei esse infinitũ numerum. Prima ratio. Dicendum secundò, si de veritate sit sermo, infinitum nullum, nec etiam multitudine processisse, cum mundus ab æterno non fuerit.

Secunda ratio. Quòd si petas an repugnet ex natura rei, quòd multitudo infinita sit, siue actu simul, siue transacta. Quamuis id soluere non sit præsentis loci, sed octaui libri, existimo tamẽ multitudinem infinitam actu consummatam implicare, & esse non posse, nec pertransiri posse: vnde non solùm infinita hominum multitudo, & aliorum non fuit, sed nec fuit possibilis vllo modo, nec (vt videtur) imaginatio humana potest capere id, vt infinitum fuerit transactum, & hoc conuincere videtur necessariò non fuisse mundum sempiternum.

Et ratio præterea talem multitudinẽ prohibens hæc est: quia si esset infinita multitudo, multitudo non crescceret addi tiõe multorum, nec minueretur ablatione multorum. Patet, nam si homines modò infiniti sint transacti, quæro, an post centum annos plures erunt transacti. Si id neges, videtur stultum. Si verò concedas: quomodo ergo homines illi erant infiniti? quomodo infinita multitudo

habet plus aut minus? Et idem quęrã, an ante centũ annos sint tot homines trãsacti, quot sunt modò. Re vera si datur infinitum ablatione, vel additione, nec fiet maius aut minus.

Solutiões quorũdã insufficiẽtes.

Sunt enim, qui dicunt infinitum crescere, & minui posse manens infinitum, quod gratis dicitur.

Alij dicunt vnum infinitum non suscipere plus, quàm alterum, & admittunt æquale esse infinitum, siue additis, siue ablatis finitis, hoc tamen fateor me credere non posse.

Tertia rõ.

Præterea: quia omnis multitudo ad numerum reducibilis est aliquem, aliàs esset prorsus extra genº, & nihil esset. At quod illa multitudo infinita sit propriè numerùs infinitus, impossibile est, vt antè ostendimus: quia numerus dicit ordinem partium, & mensuram.

Quarta rõ

Præterea: quia si infiniti homines sunt transacti, & infinitæ generationes: ergo non sunt infinitæ: infinitum enim non esset consummabile.

Sat scio responsuros aliquos esse trãsactos infinitos homines, tamen non datur primº homo, qui incepit. Sed hoc mihi difficilius apparet, quòd detur causa æterna vna productiua hominum, & non dentur homines primi, quos illa causa produxit ab æterno, sed satis sint ista in præsenti, ex quibus constat repugnare ex natura rei esse multitudinem infinitam. An verò per diuinam potentiam infinitum esse possit, hoc in præsenti prętermittimus

Ad illud de infinitate punctorum.

Ad illud de punctis, dico non esse actu puncta realiter distincta, sed potẽtia: sunt actu per diuisionem, quę cũ infinita non sit actu, nec sunt actu infinita puncta: sed de hoc latius dicetur lib. 6. Atque ita planè satisfactum est argumento tertio, & quarto.

Ad quintum.

Ad quintum facilis est solutio. Nõ negamus esse infinitas partes æquales omnes in potentia in quolibet continuo: sed id est, quia eadem quãtitas multoties repetitur, & sumitur cum alijs, & alijs partibus proportionalibus, quę dicũtur partes communicantes. At partes non cõmunicantes non sunt æquales omnes inter se, vt diuisio procedat in infinitum.

Nota.

Est autem aduertendum, quòd esse infinitum in diuisione non aliud est, quàm quòd nunquam cesset diuisio partium, hoc est, quod non sit signabilis minima pars continui, qua non sit alia minor, & minor. Hæc de quæstione.

Vtrum sit corpus actu infinitum. Quæstio. VII.

HAEC quæstio satis ex ipso textu constat, tamẽ propter quorundam terminorum explicationem à nobis breuiter est dilucidanda.

Primũ argumentũ, quod dẽtur corpus infinitũ.

Est argumentum. Infinitum est passio quantitatis: ergo datur subiectũ, & quantitas actu infinita.

Secũdo. Materia est indeterminata in se: ergo ipsius quantitas: ergo est infinita.

Secũda distinctio de infinito categorematico, & sincategorematico.

Aduertendum itaque, quòd est distinctio vulgaris apud Nominales, vt habet Alber. Saxo, hoc lib. q. 9. de qua etiam antè meminimus, duplex esse infinitum. Categorematicè, & sincategorematicè, & quantum ad sensum idem est infinitum categorematicè, & quod nos dicimus infinitum in actu, siue secundum magnitudinem, siue secundum multitudinem. Infinitum verò sincategorematicè idẽ est, & quod nos in potentia vocamus.

Et ita exponunt ipsi dicentes, infinitus numerus est, cum nõ sunt tot, quin plura possint esse. Ac si dicant, numerus ob id infinitus dicitur, quoniam quouis dato, adhuc aliº numerus amplior dari potest. In magnitudine verò infinitum exponũt sic. Non tantũm, quin maius, id est, cum quauis data magnitudinis parte, adhuc alia maior per additionem partis proportionalis dari potest, vt explicuimus in textus expositione.

Infinitũ categorematicũ duplex, simpliciter & secũdum q.

Solent iterum diuidere infinitum categorematicè in infinitum simpliciter, & infinitum secundum quid, & hoc præsertim in corporibus. Illud dicitur actu infinitum simpliciter, quod secundum omnem dimensionem, latitudinem, longitudinem, profunditatem est infinitũ. Id verò secundum quid, quod secundum vnã, aut alteram dimẽsionem, aut ex vna parte esset infinitum, vt si hinc, vbi ego sum, corpus in infinitum tenderet sursum, vel secundum vnam, vel secundum omnem dimensionem.

Nota.

At verò notatu dignũ est, quòd si corpus, vt corpus est infinitum, quòd simpliciter, & secundum omnem dimensionẽ. debet esse infinitum: & si naturaliter esse posset corpus infinitum, simpliciter esset, cum non esset maior ratio vnius, quam alterius dimensionis.

1. Conclu.

Sit igitur conclusio. Nullum corpus naturale potest esse actu infinitum. Præter rationes Arist. etiam hæc esse potest.

1. Ratio.

Nam omne quantum figuram necessario habet, at infinitum figuram habere non potest: nam figura est terminus quantitatis, quæ non est, si corpus est infinitum, non ergo esse potest. Et hæc ratio procedit etiam de corpore Mathematico, & de qualibet dimensione, nam linea necessario claudi debet termino, aliter non esset vllius figuræ linea, similiter superficies.

2. Ratio.

Altera ratio est partim sumpta ex Aristot. Si corpus aliquod naturale esse posset infinitum, tunc vel esset elementum, vel mixtum ex elementis, vel aliquod aliud simplex corpus: Sed nullũ ex his esse potest, & patet. Non enim potest esse elementum, nam (vt dictum est in textu,) haberet virtutem infinitam, vel tantam saltem, quanta sufficeret reliqua omnia corrumpere, & in se trahere, quod naturaliter esse non potest.

Præterea, si esset mixtum, tunc vel cõponeretur ex elemẽtis numero infinitis, & hoc non: quia vt diximus, multitudo infinita esse non potest præsertim actu, Aut componeretur ex finitis numero, & tunc necesse esset quod aliqua, aut vnum illorum esset magnitudine infinitum, aliter enim numero finita non facerent actu infinitum. Si ergo illorum vnum est infinitum, alia in se corrumpet, & non erit mixtum tale corpus, sed simplex.

Qũ nullũ possit habere motũ corpus infinitũ, & primò de locali.

Quod si sit aliud, tunc, cum naturale sit, vel mouetur sursum, vel deorsum, vel circulariter: Sed nullus motus, ex his potest esse in corpore infinito: non igitur mouebitur, nec erit naturale.

Quod non moueatur sursum, vel deorsum, si infinitum est, constat: quia non potest mutare locum. Sed q̃ non circulariter, probatur. Corpus circulare nõ mouetur nisi mutando diametros, id est, ab vna in aliam, vt ab A, in B, & à B, in C, sed non potest hoc fieri, qa A, & B, distant in infinitum, & sic trãsitus est inconsũmabilis. Quod verò distent infinitè, patet: qa ab eodem puncto lineæ protractæ, quanto magis tendunt, magis distãt. Cum ergo A, & B, in infinitum distent, & sint protractæ à centro, cum corpus sit infinitum, distabunt infinitè, nec motus esse poterit.

Obiectio De motu alterationis.

Quòd si dicas, non mouebitur motu locali secundum se totum, sicut terra, sed motu alterationis. Dico, quod moueri motu alterationis non potest, nisi mixtum, aut elementum sit: At supponitur nõ esse, quia id probatum est non posse fieri, Cum ergo secundum se totum debeat habere motum aliquem, non erit nisi localis, & hæc sufficiant pro conclusione. Reliqua in textu vide.

Solutio.

Ad primũ

Ad primum dico, quòd cum infinitũ ponitur quantitatis passio, non ponitur actu infinitum, sed in potentia, quia in diuisione consistit, vel ex diuisione prouenit, vt fit in infinito secundum appositionem.

Ad secundum.

Ad alterum dico, quòd materia nõ est in potentia ad quantitatem infinitam, vt aliqui putant, sed finitam: non enim recipit quantitatẽ, nisi cum forma: nec tendit ad quantitatem, nisi per formam, ad quam ipsius potentia terminatur primò: sed forma finita est: ergo, & quęlibet quãtitas, ad quam materia est in potentia. Et hæc sint satis de quęstione, & de libro tertio Physicorum.

FINIS LIBRI TERTII.

IN LIBRVM QVARTVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

Similiter autem necesse est. Tex. I.

De quib. agat in hoc libro Arist.

IN hoc libro quarto, de loco, vacuo, & tempore tractatur. De loco quidem, tanquam de quadam communi corporum proprietate, & de eo, quod ad motum necessarium est: de vacuo, quia antiqui ad motum necessarium esse vacuum, arbitrabantur: de tempore, quia motuum omnium mensura est.

De loco inquã primo, deinde de vacuo, & tẽpore, & cur eo ordine.

Prima tamen de loco fit consideratio, quia locus, & motum, & tempus antecedit. Imò, vt refert Simpli. ipsum corpus: ac nisi corpus substãtia esset, quam Physicus præcipuè considerat, prius tractasset de loco.

Constituit igitur Arist. propositionẽ, nempè Physicũ oportere tractare, de loco, an sit, quomodo sit, & quid sit, sicut etiam de infinito ista tradita sunt.

Tractãdũ de loco, an sit, & quõ & q̃d sit.

Per quæstionẽ quomodo sit, intelligit Themist. & Auer. an sit substãtia, vel accidens, Simplic. verò, qualis sit locus, & totum est verum.

Nota.

Quòd si dicas, quare præposuit quæstionem qualis sit quæstioni quid sit. Respondet Simpl. quia per ea, quæ per se insunt loco, indagamus quid sit: passiones autem, quæ per se insunt, pertinẽt ad qualis sit.

Duplici ratione probat oportere Physicum tractare de loco. Prior est: quia omnia, quæ sunt, in loco sunt: & patet hoc, quia quæ non sunt, in loco non sunt, vt chimæra, & monstra.

1. Ratio.

Circa quam rationem offertur statim dubium, quomodo omnia quæ sunt, in loco sint, & vlterius quomodo valeat illa ratio, quæ non sunt, non sunt in loco: igitur quæ sunt, in loco sũt. Videtur enim procedere ab opposito antecedentis ad oppositum consequentis.

Dubium.

Sed ad hoc non est difficilis solutio, si intelligas Arist. hic ex sententia aliorum Philosophorũ loqui, vt omnes interpretantur, & ipsemet ostẽdit, de alijs hoc dicens cum dicit (existimãt,) nec omnium aliorum est sententia ista, vt dicunt Alex. & Simpli. sed eorum, qui sola corpora esse arbitrati sunt, & nihil incorporeum & spirituale. Hi enim dicebant omne ens esse in loco, quia apud hos ens cũ corpore idem erat: est autem omne corpus in loco.

Solutio.

Et hinc patet solutio alterius dubij. Nã esse in loco, & esse ens cõuertuntur apud hos: in cõuertibilibus autem valet ab opposito antecedentis, vt dicit Simplic. Respondet etiam secundò Simpli. quod potest illa consequentia apud hos sic formari. Non est in loco: ergo non est, & tunc ab opposito consequentis: est: ergo in loco est. Hoc dicitur secundum horum opinionem, nam secundum veritatem, cum spiritualia sint, quæ in loco non sunt, nõ omne ens in loco est.

Alterum dubium.

Solutio.

Hinc patet solutio tertij dubij, quod suboriri poterat. Nam si esse in loco omni inest enti, iam non Physici, sed Metaphysici erat de loco tractare. Solutio inquam nota est: quia hi ens tantùm corporeum ponentes, non separabant Physicam à Metaphysica, vt benè aduertit hic S. Thom.

3. Dubiũ.

Solutio.

Posteriorẽ rationẽ adhibet, qua Physicum oportere de loco tractare docet. Ratio autem est: quia motus omnium cõmunissimus, & maximè proprius, est localis, qui secundum locum fit, & latio dicitur: sed Physicum oportet de motu tractare: ergo etiam de loco. Motus localis dicitur cõmunissimus, primò: quia omne communiter motum localem motum esse cognoscunt, & ita exponit Simpl. Secundò: quia omnibus inest corporibus, non

2. Ratio.

non solum simplicibus, sed etiam compositis, & ipsis cælis, quibus alij motus non insunt, & ita exponit Auerr.

Varia lectio interpretum.

Alij legunt pro communi maximè, primum vt refert Simplic. de Eudemo, & verum est: motus enim localis est primus, non solum. quia cælorum motus est omnium primus, sed quia reliqua agentia mouentur alijs motibus, loco præsupposito, quem motu locali acquisierunt. Dicitur etiam motus localis omnium maximè proprius, id est, principalis, vt Simplic. dicit, quia est dignissimus, cum solus ipse cælis, & astris insit. Similiter dicitur maximè proprius, quia motus localis verè est continuus, vt dicit S. Thomas, vel quia vocabulo motus maximè localem omnes intelligant. Hæ igitur sunt causæ, propter quas Physicum oportet agere de motu.

Dubium.

Dubitat Simplic. cum locus sit immobilis, vt postea dicet Aristo. vt quid de eo Physicus tractet, qui mobilia considerat.

Solutio.

Respondet, & benè, quòd licet immobilis ipse sit, tamen motus terminus est, & per ipsum motus fit, & hoc sufficit, vt à Physico consideretur.

Habet aũt multas dubitationes. Tex. II.

Difficultas tractationis de loco.

DIfficultatem tractationis de loco ponit, atque ab ea difficultate doctrinam commendat. Duas autem difficultatis causas ponit. Altera est, quia cum ex passionibus rei viam cognoscendi ipsam habeamus, tum tales passiones difficile rem indicant, absque dubio quid illa res sit, difficile erit cognoscere. Hoc autem habent loci proprietates, nã modo vnum, modo aliud locũ esse ostendunt: quædam enim ostendunt esse materiam: quædam formam: quedam neutrũ: cum igitur tam varia appareat natura loci ex ipsius passionibus, etiam difficile erit quid sit cognoscere.

1. Ratio.

Altera difficultatis causa est: quia nihil habemus, aut traditum, aut dubitatum ab antiquis. Multũ enim iuuat aliorum doctrina, vel saltẽ dubia: pars enim facultatis est benè dubitare, vt dicit Arist. lib. 3. Meta. ca. 1.

2. Ratio.

Quòd igitur locus sit, videt manifestum. Text. III.

Rationes ad probãdum locũ esse.

INcipit primam quæstionem discutere, puta an locus sit: ac rationes aliquot proponit, quibus locum esse probat, quarum prima sumitur ex mutua corporum successione in eodem loco, quæ talis est. Vni loco multa succedunt corpora: ergo locus quiddam est distinctũ ab ipsis corporibus. Antecedẽs experientia patet: nam vbi aer erat, aqua succedit aliquando, & contrà: & vbi vnum erat corpus, alterum subintrat. Consequentia nota est: quia nisi esset locus quiddam ab vtroque corpore distinctum, non posset vnum alterius eidem loco succedere. Et nota, quòd argumentum non solùm probat locum esse, sed etiam distinctum à corporibus, quæ in loco sunt. Hoc enim quæritur, an sit natura aliqua per se distincta ab his, quæ in loco sunt. Hoc genere argumentandi supra vsi sumus ad indagandum materiam distinctam à formis generalibus, & corruptibilibus.

Prima ex motu.

Dubium.

Dubitatur. Cum locum esse sit per se notum, vt quid probet esse.

Solutio quorundam.

Aliqui dicunt: quia sunt tam fortes rationes circa quid est, & est adeò difficile ipsum quid ipsius cognoscere, vt videatur non esse.

Solutio Auerr. & aliorum.

Auer. dicit esse ratiões has dialecticas, & hic possumus circa per se nota procedere, neutra respõsio mihi multũ placet.

Verior solutio authoris.

Mihi videtur dicendum, quòd non solùm hic locum esse probatur: id enim per se notum est: sed locum sic esse, id est, vt distinctum à copore locato: & similiter locum vniuersaliter esse pro quocunque corpore sensibili, quod non est per se notum. Et hoc patet: quia post has rationes hæc duo infert Aristotel. in textu 6. sequenti.

Amplius autem lationis. Tex. IIII.

Secũda ratio ex motu grauium. & leuium.

SEcundum facit argumentum, sumptum ex motu naturali grauium, & leuium: hæc enim mouentur sursum, aut deorsum, cũ non prohibentur ab aliquo: mouentur aũt ad locum suum: ergo locus

locus re vera est, nam motus realis termi-
num debet habere etiam realem. Addit
Aristo. quòd ista ratio non solùm probat
locum esse, sed etiam habere virtutem, &
potentiam quandam, qua ipsa locata, &
corpora ad se trahat, quod dicebat ille:
Nescio, qua natale solum dulcedine cun-
ctos ducit.

Dubiũ, an locus naturalis habeat virtutẽ trahẽdi locatum. Solutio.

Dubitatur, An locus naturalis habeat
virtutem, & potentiam hãc circa locatũ.
Respondet S. Thom. & benè, quòd locus
naturalis rei cuiuslibet habet virtutem,
& qualitatem conseruatiuam locati cor-
poris. Vnumquodq; enim naturale cor-
pus in loco naturali maximè cõseruatur,
& habet etiam locus virtutem, & poten-
tiam hanc attractatiuam non in genere
causæ efficientis, sicut magnes trahit fer-
rum, & gutta paleas, sed in genere causæ
finalis: quia omnia mouentur, & natura-
liter inclinantur in proprium suum na-
turalem locum.

Aristot. vlterius cum dixisset quædam
sursum, quædam moueri naturaliter de-
orsum, addit hæc etiã loci species, & par-
tes esse, & non solum hæc, sed reliqua pu-
ta, dextrum, sinistrum, antè, & retro.

Dubiũ de partibus, & speciebus loci.

Dubitabis, cur ista partes, & species di
cantur.

Aduerte verò ex Auerr. Com. sequen-
ti, quòd ista dupliciter possunt considera
ri. Vno modo, vt sunt termini motuum
naturalium, nam latio naturalis pro ter-
mino habet locum naturalem, & tunc di
cũtur species loci: quia sunt varia vbi, &
diuersorum motuum termini, tunc autẽ
non sunt nisi sursum, & deorsum: quia
motus naturalis horum corporum non
tendit, nisi sursum, aut deorsum. Possunt
secundò considerari, vt sunt partes inte-
grantes loci vnius, vel corporis existentis
in loco aliquo, & sic partes sunt, & sex, vt
dicitur in textu. In loco quidem vt in cæ-
lo, qui locus est vniuersalis, signantur dif-
ferentiæ sex dictæ. Septentrio est deor-
sum. Auster sursum. Oriẽs à dexteris: quia
ab eo incipit motus. Occidens à sinistris.
Vbi est Zenith nostrum, est ante, vbi Na-
dir, retrò.

In corpore etiam locato ista assignan-
tur, at in animalib. solis distinctæ, (vt no-
tum est,) sunt hæ differentiæ.

Hic in præsenti, vt species loci cõside-
rantur. Et quamuis non sint, nisi duæ, tã-
men connumerantur reliquæ, quia his
coniunctæ sunt, non quia corpora natu-
raliter moueantur ad omnes differetias
vt ad loca naturalia.

Sunt autem talia.
Tex. V.

Remouet obiectionẽ Arist. ostendẽs sursum, & deorsum, & alias loci differẽtias nõ dicere respectu adunus

QVia sursum, & deorsum loca esse
naturalia dixerat, ac potentiam ha
bere, & virtutem circa locata: pos
set quis dubitare de eo, existimãs sursum,
& deorsũ nõ esse loca naturalia, sed solũ
relatiões, & respectus corporum ad nos,
vt dicãtur sursum respectu capitis, deor-
sum respectu pedum, & sic consequenter
de alijs differentijs. Hoc in præsenti re-
mouet, docens illas differẽtias esse ex na
tura rei, & non solum ex parte nostra: ⸿
sic probat. Quæ sunt ex parte nostra, sæ-
pè mutantur, & variantur, fiuntque dex-
tra sinistra, & quæ sursum deorsum, cùm
nos mutamur, & variamur: at ipsa natu-
ralia non mutantur, sed fixa manent, (lo-
cus enim quò leuia feruntur, semper est
sursum, quo grauia, deorsũ, partes enim
mundi suum semper seruãt situm, etiam
nobis variatis:) non igitur sunt respectu
ad nos distinctæ illæ differentiæ, sed natu
ra, & virtute.

Nota duplex sursum, & deorsum naturæ, & positiõe.

Vnde collige, quod est duplex sursum,
& deorsum, & antè, & reliquæ differen-
tiæ, & naturale, & positione solum. Natu
rale, non mutatur, nec relatio est, imò
contrariè opponuntur inter se sursum, &
deorsum, & reliquæ. At positione sumũ-
tur in corporib. respectu nostri, & sic va-
riantur, & relatiua sunt, vt columna dex-
tra positione dicitur respectu nostri, & te
ctum sursum respectu nostri, & aer sub
pedibus deorsum positiõe. Secus autem
fit cum ista naturaliter sumuntur: inua-
riata enim semper manent.

Ostendunt autem, & mathematica.

Exemplũ ad idem.

DISTINGVI ea, quæ natura,
ab his, quæ positione sunt, etiam
exemplo ostendit. Mathematicæ
enim figuræ locum non habent natu-
ralem: sunt enim separata de se à sensi-
bilibus,

sibilibus, tamen positionem habent ad
nos. Nam in triangulo signare possum⁹,
qui angulus sursum, qui deorsum sit, qui
ad dextrum, qui ad sinistrum, positione,
& ordine ad nos: non igitur ista sunt idẽ
in naturali loco, aliter mathematica ha-
berent locum naturalem, vt talia sunt,
quod falsum est.

Nota.

Et hic sanè est sensus illorum verbo
rum (vt solùm intelligatur) id est, consi-
stit tantũ positio sine loco naturali: cùm
igitur separata inueniantur hæc duo, idẽ
non sunt.

Nota. Artificialib. vt sic non debetur locus.

Notat verò Simplic. quòd naturalis
locus non debetur artificialibus, nec ma
thematicis, nisi per accidens, quatenus
in naturalibus subiectis sunt: sicut nec
motus naturalis eis per se inest. Ac si di-
ceret: triangulus, & reliquæ figuræ, & ar-
tificialia locum naturalem per se nõ ha-
bent, nec sursum, nec deorsum, nisi vt li-
gnea, vel terrea sunt, vel alicui naturali
insunt subiecto.

Amplius vacuum.
Tex. VI.

Tertia rõ ad ꝓbandum locũ esse.

TErtium argumẽtum facit, ad pro-
bandum locũ esse quid præter cor-
pora locata ex antiquorum dictis.
Vacuum enim definiunt esse locum pri-
uatum corpore: est igitur locus, & distin-
ctus à corpore locato. Ex his igitur argu-
mẽtis tribus concludit locum esse disiun
ctum à locato, & vniuersaliter locum esse
pro quocunque sensibili corpore.

4. Rõ ex Hesiodo.

Et superaddit quartum argumentũ,
ductum ex authoritate Hesiodi, qui do-
cens terram esse factam de nouo, dixit
antè terram fuisse chaos, in quod terra
reciperetur, vt in locum, & receptaculũ,
ex quo apparet locum esse quid præter i-
psa locata corpora.

Adducit rationem, qua Hesiodus mo-
uebatur, vt antè terram poneret locum,
nempè: quia existimabat omne corpus
esse alicubi⁹, & esse in loco, quod posteà
examinabitur.

Si autem tale est.
Tex VII.

Locus secundum

COncludit Aristo. quod si ita est na-
tura loci, qualem Hesiodus ponit,
puta, quod antecedat locatum corpus:
miranda profectò est: quia est prior om-
nium corporum naturis, quod paret. Il-
lud enim prius est, quod sine alijs esse po-
test. non autem alia sine ipso: at locus si-
ne corpore, corpus non sine loco ponitur,
est igitur natura loci prior. Et hoc se-
cundum Hesiodum.

Hesiodũ prior corpore.

At verò dubitationem habet.
Tex. VIII.

Quid sit locus, an verò omninò sit nil.

POstquam locum esse probauit, nũc
ad quæstionem quid est, descendit,
& sunt variæ in hac parte opinio-
nes. Quidam dicunt, quòd velit pro par-
te negatiua probare modò locum non
esse probabiliter, idque faciat ostenden-
do nullum quid, nullamque naturam es-
se loci, & huⁿ expositionis auctores sunt
D. Thom. Themist. Auer. Alber.

Variæ expositiões textus.

Prima.

Alij dicunt, quòd velit non pro parte
negatiua argumentari: quia locum esse,
verum est. Non enim est vt infinitũ, quod
aliquo modo est. & aliquo modo non est,
sed quòd solùm hic circa quæstionem
quid sit præsuppositam disputet, & hu-
ius expositionis auctor est Simplic. &
Philopo.

Secunda.

Et re vera mihi placet, dummodo ad-
damus hoc, quod præcipuè, quid est in-
dagat, & circa ipsum versatur, & dũ mul-
tis modis disputat, & ipsũ oppugnat, cõ-
sequenter etiã minus principaliter dispu
tatio est circa id, an sit, & hanc expositio-
nem videtur probasse tex. 13. sequens, vbi
hæc vtraque tali modo inseruntur.

Tertia expositio authoris.

Est igitur primum argumentum circa
genus: hoc enim maximè ad quid est fa-
cit, ac probat, quòd genus loci non sit
corpus. Omne corpus habet tres dimen
siones, longum, latum, profundum: sed
hæc impossibile est inesse loco: ergo lo-
cus non est corpus. Maior est nota. Mino-
rem probat. Locus debet adæquari ipsi lo
cato: sed si haberet tres dimensiones, nõ
posset ipsi adæquari, nisi se penetrando
cũ ipso locato: quod esse non potest, nam
duo corpora in eodẽ, & penetratiuè esse
nõ possunt: non igitur locus est corpus.

Prima ratio, qua ꝓbatur genus loci non esse corpus.

Amplius, si est corporis locus. Tex. IX.

Secun-

2. ꝙ locus nõ sit receptaculum.

SEcundum facit argumentum, quo probat locum nec esse receptaculũ eorum, quæ succedunt inuicem sibi. Ratio autem hæc est: Si locus esset receptaculum sibi inuicem succedentium, sequitur quòd esset locus puncti, & superficierum, & linearum, quia ista etiã succedunt: vt enim aqua aeri, ita aquę puncta punctis aeris succedunt: deberet ergo eadem proportione horũ esse locus, hoc tamen videtur non ita esse: nam puncti non videtur esse locus vllus, nisi ipsum punctum: pari ergo ratione non esset corporis locus, nisi ipsum corpus, nec aliquid præter corpus, Vnde non esset locus receptaculum aliquod.

Quid enim tandem, & nos ponemus.

Tex X.

3. ꝙ locus non possit habere quãtitatẽ.

TErtium facit argumentũ, quo probat, quòd si locus sit talis naturæ, quod habeat magnitudinem, & quantitatem, quòd non possit, quid ipsum sit, assignari: nam vel est elemẽtum, vel ex elementis compositum. Et si compositum ex elementis, vel ex elementis his corporeis, vel ex incorporeis, puta, ex principijs intellectualibus. Sed nihil horum esse potest: non enim est elementũ corporeum, aut ex huiusmodi elementis compositum: esset enim corpus, quòd esse non potest, vt superius probauimus. Nec potest esse quicquam intellectuale, & incorporeũ: quia magnitudinem habet: non igitur videtur compertum quo in genere sit locus constituendus.

Amplius autem, & cuiusnam.

Tex. XI.

4. ꝙ locus nulla sit causa.

QVartum facit argumentum, quo probat locum non esse causam aliquam. Posset enim quis existimare, cùm locus sit prior eo, quod est in loco, forsan esse causam. Hoc remouet: quia nulla species causæ est, nec formalis, nec materialis, nec finalis, nec efficiens. Cùm enim res non conficiatur ex loco, non videtur quòd sit forma, aut materia: ex his enim composita constat. Et ex his apparet, quod nec sit efficiens, aut finis. Hæc enim coincidunt cum forma, ac re idem sunt, vt superius dictum est, in secundo libro: loquitur enim de fine generationis.

Et ita cessat dubium quod poterat occurrere: Quia diximus superius quod locus naturalis mouet, vt finis: ille enim finis erat externus, hic de proprio, & interno fine sermo est, qui est finis generationis, qui à Physico consideratur, quod dubium mouet etiam Simplic. quamuis ipse multipliciter conatur soluere, sed nostra solutio magis conueniens est. Soluitur dubiũ quod posset occurrere.

Amplius autem & ipse.

Tex. XII.

5. ꝙ locus nõ sit ens qa deberet esse in loco.

QVintum facit argumentum, quo Zeno vtebatur contra eos, qui dicebant omne ens esse in loco: dicebat sic. Omne est ens in loco, locus est ens: ergo locus est in loco. Et iterum argumentum fiet de illo loco alio, fietque processus in infinitum, qui non est admittendus. Videtur igitur locus nihil esse, & sic nullius erit naturæ, nec sub aliquo genere collocabitur.

Amplius sit vt omne.

Tex. XIII.

6. etiã locũ nõ esse.

SExtum facit argumentum, quo pariter probat locum non esse, & sic non habere genus, & supponit dicta aliquot de loco, nempè, quòd locus sit æqualis locato, similiter quòd omne corpus est in loco, & similiter quòd in omni loco est corpus, nec detur vllus vacuus corpore. Supponit etiam alterum, quod verum est, nempè, corpora augeri, & fieri maiora.

Tunc est argumentum. Si corpus augetur, locus etiam augeri debet, cùm sit ei æqualis: at locus non potest augeri: non igitur videtur locus esse. Consequentia nota est ex primo supposito, quòd si augetur corpus, locus augeatur.

At quia posset dici, quòd non est opus, sed quòd tale corpus sumat partem alterius loci: ob id posuit tertiũ principium quòd

quòd omnis locus sit corpore repletus, & ob id dici non poterit, quòd illa pars, quæ augetur, non sit in loco, propter secundum, vbi dictum est, omne corpus in loco esse.

At quòd locus augeri non possit, ex eisdem principijs patet: quia non est, vnde tali loco augmentum proueniat: quia omnia occupata sunt. Est autem notanda huius loci expositio.

Vnde concludit, quòd ex his argumẽtis non solùm dubium est, quid locus sit, quod disputare præcipuè intendebat, sed etiam dubium manet, an sit.

CAPVT II.

Quoniam autem aliud.

Tex. XIIII.

Affert rationes Arist. quib. ꝓbari possit locum vel esse formam, vel materiam.

CVM superius dixisset locum nec esse formã, nec materiam, ostendit modò rationes, quibus forma, aut materia esse videri poterat, ac ipsas refutat. Supponit tamen distinctionem de loco, quæ vulgaris est. Duplex enim locus dicitur, alter communis, alter proprius, & primus.

Loci distinctio. Quid locus cõis.

Locus communis dicitur, qui continet locatũ, & alia plura præter illud, quo pacto aliquis nostrum dici potest esse in cęlo, quia est in terra, & terra est in aqua, & aqua in alijs, quæ sunt in cælo: sed locus talis communis est huius corporis. Sic etiam nos dicimur singuli esse Romæ, vt in loco communi.

Quid proprius.

Alter locus est proprius, & primus, qui non nisi rem talem continet, quo pacto locus hic, quo ego sum, proprius dicitur, & primus. Et nota, ꝙ locus cõmunis dicitur respectu eorum, quæ particulari loco continentur: nam cælum non dicitur locus communis ignis, sed proprius: quia ipsum solùm propriè cõtinet. Hinc patet, quòd locus proprius est, qui continet, & primò terminat locatum.

Prima ratio, qua probatur locũ esse formam.

Ex hoc colligit argumentum, quòd locus sit forma. Nam forma est terminus quantitatis, & magnitudinis, & ipsius materiæ, cui inest magnitudo: at locus terminus est talis: est igitur forma.

Est notandum, quod materia terminatur à forma ad esse quoddam substantiale: similiter quantitas materiæ determinatur ab ipsa forma: iuxta formam enim est ipsa quantitas. Nota.

Hoc argumentum solùm affertur disputationis gratia: nam forma continet, & terminat intrinsecè, locus extrinsecè, & vt circumscribens, vt dicetur posteà. Quæ sit vis huius rationis.

Nota cum Simplic. qui benè dicit. Aliud esse secundum aliud cõtinere, aliud secundum accidens. Vnde locus communis secundum aliud puta per proprium continet: sed non secundum accidens. Per se autem continere est primò continere. Et proximè, & hoc etiam in logicis est verum: nam potest quoddam prædicatum secundum aliud competere subiecto, quod non tamen per accidens, vt sensibile inest homini per se, & secũdũ aliud, puta per ipsum animal: idẽ enim est hic per se, & secũdum aliud, quod immediatè, & mediatè: hoc etiam docet Arist. lib. 5. Metaph. c. 18. Nota.

Sic ergo considerantibus.

Tex. XV.

VErba hęc prima textus cũ superioribus sunt copulanda, quibus locũ formam esse infert, si sic cõsideretur, puta, vt terminus & continens. Ex alia verò parte probatur esse materiam; nã locus nõ videtur aliud esse, quàm interuallum, & spaciũ, in quo magnitudo, & quantitas totius continetur, vt locus vini interuallum, & distantia magnitudinis vini, quæ tanta est, quantũ interuallũ inter latera interna vasis: quod si hoc est, locus est materia ipsa totius cõpositi: hęc enim est distãtia à quantitate, & in ea recipitur quantitas, & forma, quę ipsã materiam determinant, cùm secundũ se sit indeterminata. Quòd autem sit materia locus, & non aliud, patet: nam si auferamus formas, & quantitatem, nõ videtur quicquam superesse, quod sit tale interuallum, nisi ipsa materia. 2. Ratio, qua probatur locum esse materiã.

Aduerte verò, quòd non loquitur de illo interuallo externo, quod est intra latera vasis, vt imaginatur Philo. sed de interno ipsius rei; nam cùm vinum est in vase, illud tale interuallum non videtur Nota.

quid sit, nisi materia rei, cùm nō sit corpus aliud. Et hoc est argumentum Arist. quòd si locus sit interuallum à quantitate rei determinatum, quòd locus non sit aliud, quàm materia: quia nihil ibi est præter ipsam, quod determinetur.

Quamobrem, & Plato.

Confirmat locū esse materiam.

CONfirmat locum esse materiam ex Platonis dicto: hic enim, & receptaculum, & locum idem esse arbitratur: Materiam autem, & susceptiuum dicebat esse receptaculum, ac consequenter materia erat locus: quamuis materiam non eodem nomine semper vocabat: nam in Timæo hoc nomine materiæ ipsam vocabat, at in dogmatibus non scriptis magnum, & paruū appellabat.

Nota.

Vbi aduertendum est Platonis tunc temporis duplicem fuisse doctrinā, quandam quidem scripto iam traditam, alteram, quæ solo verbo discipulis tradebat, quàm hic vocat dogmata non scripta.

Dicunt enim omnes aliquid. Tex. XVI.

Concludit ex dictis difficile esse agere de loco.

COmmendat Platon. cùm enim alij Philosophi omnes tantùm locum esse dixissent, ipse solus quid locus esset, declarare aggressus est. Concludit autem ex argumento præcedenti, quòd siue locus sit forma, siue materia, est difficile de loco differere, quia speculatio materiæ, aut formæ altissima est, & difficilis valdè. & neutra per se absque altera cognosci potest, ob id maior fit difficultas. Dicit autem non facile esse vnam sine altera cognoscere, quia mutuò materiæ, & formæ naturales habitudinem inter se habent.

At verò quid impossibile sit. Tex. XVII.

Cōtrariæ rationes pro veritate locū non esse formam, nec materiam.

MVltis argumentis probare nititur locum, nec esse formā, nec esse materiam, quorum primum est. Materia & forma nequeunt separari à re ipsa manente: at locus separatur à re ipsa manente: non igitur locus est materia, aut forma: imò nec pars, aut habitus, aut quicquam à re inseparabile. Maior est certa. Minor patet. nam in locum vnius rei recedentis altera succedit, quod non esset, si locus esset materia, aut forma: sic enim recederet vtique cum ipsa re. Vnde concludit perinde esse locum, ac vas, quod manet recedentibus liquoribus, & nihil est intrinsecum ipsorum liquorum.

Prima ratio ex separatione vtriusque.

Quatenus igitur separabilis. Tex. XVIII.

Prosequitur rationem.

PRosequitur dicere, quòd quatenus est separabilis à re, non videtur esse forma ipsius rei. Et nota, quòd hoc argumētum, quamuis sit commune pro materia, & forma, tamen peculiarius applicatur formæ, quia ipsa est, quæ nullo modo potest esse absque re, siue res maneat, siue non: at materia quodammodo est separabilis, quia manet corrupta re. Propterea aliquam exilem similitudinē videbatur habere cum loco: ob id que alio argumento reijcit, materiam esse locum: quia nempè materia continetur, & determinatur: forma verò continet, & determinat.

Nota.

Videtur autem semper.

Secunda rō à modo loquēdi.

SEcundum facit argumentum sumptū ex vi, & energia locutionis. Cùm enim dicimus corpus esse alicubi, & in loco, re vera non dicimus esse in seipso, sed videmus significare ipsum corpus aliquid esse, & existere in aliquo extra se, & distincto à se: nō igitur materia, & forma locus sunt, cùm intra se sint.

Digressio cōtra Platonem.

Post hæc digreditur parum contra Platonem, qui non constare sibi visus est: Nam dixit numeros, & ideas non esse in loco. Dixit etiam ideas participari à materia: ipsarum enim participatione composita esse. Dixit etiam materiam, siue magnum, & parum, locum esse; sequitur ex his, quòd ideæ in loco sint, quod si non sunt, tenebatur horum reddere rationem, & causam.

Amplius

Amplius quomodo ferretur. Tex. XIX.

Tertia à motu.

TErtium facit argumentum ad idē probandum, quod tale est. Si materia, aut forma locus sunt, sequitur, quòd res non moueretur sursum, aut deorsum, quod falsum est. Patet sequela: quia habet in ratione, ad quod deberet moueri. Cùm igitur videamus sursum, aut deorsum moueri res, habentes tamen suam materiam, & formam; non est materia, aut forma locus: non enim mouentur res ad materiam, & formam motu sursum, aut deorsum. At in his locus quærendus est, id est, locus non est alius naturalis, nisi ad quem res motu naturali feruntur.

Nota.

Notandum verò est, quòd loquitur de motu totius rei, qui non potest esse ad materiam, vel formam.

Si verò in ipso locus est. Tex. XX.

Quarta, & alias loci eēr locus.

QVartum facit argumētum. Si materia, & forma locus sunt, sequitur, quòd loci esset locus, quod falsum est. Patet sequela: nam corpora particularia cùm hinc inde moueantur localiter: non est dicendum, quòd in vno loco semper sint, ac permaneant: si igitur locum mutant, cùm semper cum materia, & forma perseuerent, sequitur, quòd illarum etiam erit locus: erit igitur loci locus.

Amplius quando. Tex. XXI.

Variæ expositiōes textus.

Prima Aspasij.

NOn est omnium eadem expositio loci huius. Aspasius (vt refert Simplicius) dicit hæc verba esse continuanda cum textu decimo tertio. Illic enim probatum est locum non posse augeri: in his verò probatur non posse corrumpi, aut diminui. Quòd si esset æqualis locato, diminueretur: nam aliquando locatum fit minus, vt cùm ex aere multo fit parua aqua. Et re vera si ista verba illuc transferantur, sensus notus est. Sed difficile videtur tantam verborum facere transpositionem, quam nullus alius antiquus interpres recepit.

Secunda Alexā. & Philop.

Alia est expositio Alexan. Philopo. & Pselli. Dicunt hic probare Aristote. tantùm locum non esse formam; & tunc argumentum est. Si forma esset locus, cùm aliquid corrumperetur, vtique locus corrumperetur: nam corruptio formæ est: locus autem corrumpi non potest, cùm contrarium non habeat.

Tertia Simpli. & D.Tho.

Aliter simplic exponit, quem sequūtur Alber. & S. Thom. nempe, quòd probetur locum, nec esse formam, nec materiam, quia vtroque modo contingeret corrumpi locum re corrupta: & vtitur exemplo, quo non solùm forma corrūpitur, sed materia mutatur, puta cùm aer condensatur in aquam. Themistius aliter exponit; sed non conuenit literæ.

Expō Authoris.

Mihi videtur ita dicendum, vt Aristot. velit probare locum non esse materiam, & tunc argumentum clarum est. Cùm ex aere fit aqua, non manet locus idem: nam minor est aquæ locus: & præterea quia alius est locus aquæ naturalis. At materia non corrumpitur, sed manet: non igitur est ipsa locus. Vnde non deducit Aristoteles ad inconueniens, quòd locus corrumpatur, vt illi volunt, sed quòd materia corrumpatur, quod esse nequit.

Ex quibus igitur. Tex XXII.

Epilogus dictorū.

EPilogat rationem, & dicit se posuisse rationes veras, quibus locum esse probatum est, & rationes probabiles, & disputatiuas, quibus quid locus sit discussum est. Vbi nota, quòd diximus suprà: non enim argumenta posuit, quibus probaret locum non esse; sed tantùm vera, & necessaria, quibus probatur esse. At circa quid locus sit, solùm disputatiuè procedit, nec est quicquam determinatum circa ipsius naturam, & quid sit.

Circa aliqua dubia, quæ in textibus præcedentibus occurrunt.

Quæstio I.

NE in exponẽdo textu nimis ꝓlixi videamur, non erit ab re dubia aliquot post expositionem aliquorũ textuum cõgerere. Est igitur argumentum primũ circa textum quartum, vbi dicitur, quòd locus naturalis virtutem habet aliquam conseruatiuam locati. Nam superficies aquę concaua locus videtur terræ, tamen habet oppositam qualitatem: nã terra sicca est, aqua verò humida. Prętereà aer est in superficie ignis; tamen ignis siccus est, humidus autem aer: non igitur conseruat locus locatum.

Primum argũ.

Secundũ. Secundum circa text. 5. vbi dicitur, corpus Mathematicum non esse in loco, quod videtur falsum. Nam id, ratione cuius in loco est, & ratione cuius locus occupatur, sunt dimensiones; sed corpus Mathematicum est trina dimensio: ergo ipsum per se, & præcipuè est in loco.

Tertium. Tertium argumentum est circa text. 6. Laudat enim Hesiodum dicentem locum præcessisse terram, quæ facta est. Videtur hoc esse contra nos, qui ponimus mundi creationem nullo tamen præcedente loco.

Quartũ. Quartũ est circa tex. 9. vbi dicit, quòd punctus non est in loco, quia nulla esset differentia puncti, & loci eius. Videtur hoc falsum, quia punctus locatus esset in corpore locato; punctus verò locans, seu loci esset in corpore continente: Et sic vnum punctum alterum contineret, & illius esset locus.

Quintũ. Quintum circa text. 11. vbi dicitur locus non esse causa efficiens. Videtur hoc falsum: nã locus est productiuus rerum multarum, vt patet. Quædam enim terra fert vuas, quædam metalla, quædam alia, & alia animalia.

Sextum. Sextum circa textum 14. quòd forma contineat. Videtur falsum: nam materia habet ordinem ad formas multas, & est receptaculum ipsarum: igitur continet illas; non autem ab eis continetur.

Septimũ. Septimum, circa text. 17. quòd eidem loco multa succedant corpora. Videtur falsum: nam cùm ego discedo ab isto loco, locus perit, quia aer continuatur: cùm autem alter succedit, locus nouus fit, nec idem est: non igitur est successio corporum in vno loco. Ad hæc oportet eodem ordine respondere: ex singulorum enim solutione tota quæstio dependet.

Ad primũ Locũ naturalem duo dicere.

Ad primum. Aduertendum est, quòd locus naturalis dicit duo. Alterum est, q̃ ambiat, & circumscribat exterius locatum corpus, & hoc fit ratione quantitatis: locus enim cum magnitudo sit, potest locatum corpus ambire. Alterum est, conseruare locatum ipsum, quod non est aliud, quàm habere quandam conformitatem, & proportionem cum natura locati, & hoc prouenit à qualitate aliqua, quæ est in subiecto, vbi locus est, vt aqua est naturalis locus piscis, quia ipsum sua superficie ambit, quæ superficies locus dicitur, & similiter, quia aqua ratione suæ humiditatis, & frigiditatis piscium naturæ est proportionata. Similiter de terra, & de alijs locis respectu locatorum.

Quã conformitatem habet locus naturalis cũ locato.

Ad locũ naturalẽ cõfert cęlorum influxus.

Nec solùm ista qualitas conseruatiua est illa, quæ est ipsius elementi in generali: hoc enim nõ est sufficiens ad diuersificanda loca omnia, cùm videamus diuersa loca in terra pro diuersis, quæ in ea non vbique generantur, sed conueniunt etiam aliæ qualitates à cælo fluentes, & à virtutibus astrorum, quæ multum influunt in hæc inferiora.

De loco naturali elementorum.

De loco autem elementorum, licèt nõ sit modò locus disputandi, dicitur tamen quòd vnum elementum locus est alteri, secundum suam superficiem concauam. Dicitur autem vnum ab altero conseruari propter Symbolas qualitates, quia quæ simul sunt in vna qualitate communicant: & similiter ex virtute cæli, quæ conseruat ipsa secundum certam distãtiam, intra quam vnumquodque continetur.

Ad secũdum corpus duplex, naturale, & mathematicũ.

Circa secundum aduertẽdum, duplex esse corpus. Alterũ naturale, alterum mathematicum. Corpus mathematicum est quantitas ipsa trinam habens dimensionem, longitudinem, latitudinem, & profunditatem, vt per se consideratur, nuda ab omni alio sensibili accidẽti, sed solùm figura terminata aliqua, quod corpus vocant prædicamenti quantitatis. Imaginantur enim Geometræ, quòd fit vnum

vnum punctum in quo tres diametri se intersecent ad angulos rectos: non enim plures esse possunt, vt rectè demonstrat Simplic. ad initium primi de cælo: tunc vnam diametrum vocãt longitudinem, alteram latitudinem, tertiam profunditatem: hoc igitur est corpus mathematicum, quod in re quidem est, sed non tali modo nudum, vt Geometra considerat. Physicum verò corpus est substantia ipsa tales habens dimensiones, sed cum qualitatibus sensibilibus, & mutationibus subiectas, & hoc corpus sic est in rebus, & substantia est.

Corpus mathematicũ quatenus tale caret loco

Hinc patet, quòd cùm corpus mathematicum, vt tale, non sit, vt tale etiã non habet locum vllum: quod si esset, haberet locum mathematicum quidem, id est, quoad continentiam, sed nõ naturalem, quia nullã habet qualitatem. Et sic possumus modò dicere, quod cùm tale corpus in rebus sit, quamuis non eo modo vt à mathematico consideratur, sed cùm corpore naturali ratione diuersum, sic illi correspondet locus idem naturalis, nõ vt naturalis est, sed tantùm vt continuus & sic intellige Aristotel. dicit enim, quòd non est in loco distincto à naturali, cùm non separetur à corpore naturali, nisi solùm ratione, & ei correspondet in relocus, vt mathematicus, non vt naturalis. Nec enim ei debetur sursum, aut deorsum, sed tantùm contineri, & hæc nota.

Ad tertiũ Auer. dictum.

Ad tertium Auerr. dicit Com. 6. quòd in sua secta, quia ponunt mundum creatum esse, ideò dicunt illi, qui in ea philosophantur vacuum processisse, in quod receptus sit mundus, existimatque ipse non posse aliter factum fuisse, nisi esset vacuum, & Burle. dicit difficile esse, quin eõcedatur fuisse vacuum spatium in quo mundus sit factus.

Confutatio Auer. An ante mũdi creationẽ esset vacuũ eius locus.

Nos dicimus vtrumq; turpiter decipi. Primò, quia si vacuo fuisset opus, id esset ex eo, quòd modò mundus secundum se totũ esset in aliquo loco ambiente, quod falsum est: non enim est in loco secundũ se totum, sed secundum partes, nec continetur, aut ambitur loco, vt dicemus postea, & ipsi hoc fatentur mundum per se totum non esse in loco: non igitur debuit aliquod præcedere vacuum cùm modò nõ sit totius loco q̃ dici possit repletũ esse.

Secundũ.

Præterea. vacuum non est sola carentia, vel sola negatio loci, vel corporis, aliàs extra cælum esset vacuum, quod negat Arist. in lib. de cælo, sed vacuũ est priuatio loci, vel corporis, in quo corpus naturaliter fuit, vel naturaliter esse potest. Hoc autem non fuit ante creationem, cùm per diuinam potentiam solam, & supernaturaliter ibi, vbi est, fuerit vnà cum ipso loco creatus mundus: postquã verò factus est locus, & corpore repletus, si corpus abesset, tunc esset iam corporis, & loci priuatio, quod ibi erat, & aptũ est esse naturaliter, & sic esset vacuum modò, non ante creationem, nõ secus quàm modò extra cælum, vt diximus, non est vacuum: quia illud nullum corpus naturaliter replere potest modò, licet Deus de nouo ibi creare nouũ corpus, & per consequens nouum locum, posset. Confirmatius fit: quia prior, saltem natura, est habitus, quàm priuatio: ergo prior esse locus debuit, quàm sit loci priuatio, quæ est vacuum: & prius corpus in loco esse, quàm corporis priuatio in loco.

Nota

Tertiò.

Nec Aristot. ex professo laudat Hesiodum, sed secundum apparentiam quandam: quia videtur locum distinguere à locato.

Et perpende rationem, qua moueba-tur Hesiodus: quia existimabat omne corpus esse in loco ambiente, quæ ratio falsa est, vt ipse sumebat. Non enim omne corpus in loco est ambiente, secundum se totum, de hoc autem libro 8. dicetur.

Ad 4. Solutio Sim.

Circa quartum Simplic. & Philop. dicunt rationem Arist. esse hanc. Si punctus haberet locum, esset vtique alius pũctus loci: si igitur punctus locus est puncto, esset ipsi appositus: tunc autem non esset differentia: quia punctum coniunctũ puncto facit cum eo idem punctum: non enim sunt duo puncta immediata.

Hoc mihi non placet: nam licet in eodem continuo duo puncta immediata esse nequeant, possunt tamen diuersa puncta diuersorum continuorũ per contiguationem esse immediata: ob id, cùm illorum punctorum vnum sit corporis locantis, alterum sit locati, non erunt idem.

Solutio Alber.

Albertus sic facit rationem, quòd cum punctus

punctus sit locus puncti, punctus erit locus, & locatum, & sic non erit differentia loci, & locati. Sed nec hoc placet: quia sunt diuersa puncta diuersorum subiectorum.

Solutio Author. Ideò dicendum, sensum esse, quòd si punctum haberet locum, vtique esset aliud punctum: cùm autem vtrumque esset indiuisibile, neutrum contineret, neutrum contineretur: quia non esset vllum discrimen, quo magis vnum, quàm aliud contineret, aut contineretur: & hoc est dicere, quod nulla esset illorum differentia.

De vi illi rationis Aristot. Aduertendum verò, quod hæc ratio vt Auerr. admonuit, non est necessaria, sed probabilis, & soluitur sic. Admittimus punctum, & lineas non habere locũ per se: quia, quamuis succedant mutuo in eodem loco, non succedunt per se, sed per accidens, cùm non per se moueantur: corpus tamen ipsum succedit per se, quia per se mouetur. Propterea alia ratio est corporum, alia aliorum in sua passione: si enim omnia pariter succederẽt, & mouerentur, esset argumẽtum ab vno ad alterum validum, sed non ita est.

Ad 5. Ad quintum facilis est solutio. Locus enim formaliter dicit continentiam, quę ratione quantitatis est: & isto modo nihil producit, nullius causa est: quia magnitudo non est effectiuum accidens. At ratione qualitatum, quas habet vt locus naturalis dicitur, productiuus est. Aristo. tamen loquebatur de essentia loci, quę in quantitate consistit, ob id dixit, non esse causam.

Ad 6. Ad sextum respondeo, quod id propriè continet, quod ambit, & ad suos terminos trahit aliud, vt vas continet aquã quam ad suam figuram internam trahit: si enim vas triangulare est, talis etiam aqua fit. Cùm igitur materia terminetur à forma (nam forma adueniens materiam ad sui modum determinat, vt patet: nam aeris forma intrans aquę materiã, ipsam dilatat iuxta sui naturã) ob id formæ est continere. Nec idem est recipere, & continere: materia quidem recipit omnes formas, sed ab omnibus continetur: quia terminatur.

Ad 7. Ad septimum respondeo, quòd non semper corrumpitur superficies, imò aliquando manet eadem, vt patet in vase. Dico etiam, quòd licet corrumpatur, vt argumentum probat, tamen manet præcipuum formale loci, puta idem situs, & vbi. Et quamuis aer ambiens me mutetur sæpe, dummodo non mouear ego, dicor in eodem manere loco, propter situm, & sic multa corpora succedunt eidem loco, de hoc tamen dicetur posteà.

CAPVT III.

Vno igitur modo.

Tex. XXIII.

Quot modis aliquid sit in alio.

QVIA loco præcipuè conuenit, quòd in eo aliquid sit, describit modò, quot modis contingatesse in alcro, & numerat octo.

Primus. Primus est, quo pars dicitur esse in toto, vt digitus est in manu & anima in homine.

Secundus. Secundus est, quo totũ est in suis partibus simul: & ne videretur totum in partibus non esse, addit, totũ non esse extra partes, id est, in ipsis partibus nõ extra est sicut nec partes extra totum sunt.

Tertius. Tertius est, quo species est in suo genere, & particulare in suo vniuersali, vt homo in animali.

Quartus. Quartus est, quo est genus in specie, vt animal in homine, & omninò pars definitionis in ipsa definitione.

Nota ex Simplic. Et notat hic benè Simpli. quòd totum dicitur in partibus esse pluraliter: quia totum non est in singulis partibus per se, sed in omnibus simul: at genus dicitur in specie in singulari: quia tota substantia generis est in singulis per se speciebus, vt totum animal in homine, totum in leone, totum in qualibet specie.

Quintus. Quintus est, quo forma in materia, vt sanitas in animali composito ex frigidis, & calidis, ex alijsque humoribus.

Nota ex Alex. Et notat Alex. quod ad hunc potest reduci modus, quo est accidens in subiecto: non tamen eodem modo existimes formã materiæ, & accidens subiecto inesse, vt alibi declaratum est, sed similitudinem quandam habent.

Sextus. Sextus est, quo aliquid est in aliquo, vt in causa efficienti, vt in rege est iudicium regni, & in patre fuerunt filij.

Septimus. Septimus est, vt in fine, vt amans dicitur esse in amato.

Octauus & maximè proprius. Vltimus est sicut aliquid est in vase, & in loco: & hunc dicit esse modum omniũ maximè proprium: reliqui enim analogia quadam dicuntur ad hunc, quatenus id quod dicitur esse in loco, conieruatur, & recipitur in eo: hac similitudine reliqua dicuntur esse in alio.

Nota. Non meminit illius, quod est esse in tempore: quia paulo post dicturus erat de tempore. De his modis diximus in Antepræd.

Dubitabit autem aliquis.

Text. XXIIII.

Dubiũ an aliq̃d sit in seipso.

POsset quis post tot modos enarratos, quibus vnum in alio est, dubitare, an aliquid sit in seipso, an non: sed quicquid est, aut nusquam est, aut si debet esse in aliquo, debet esse in alio distincto, & non in seipso, & hoc determinat Aristot. ante cuius explicationem prius est à nobis res explananda, postea textus exponendus.

1. Notãdũ tripliciter posse esse aliquid secũdũ se, secũdũ aliud, & secũdũ accidens. Aduertendum igitur primò, tripliciter aliquid posse esse tale. Vno modo secundum se, altero secundum aliud, tertio secundum accidens. Id in præsenti dicitur tale secundum se, quod immediatè recipit tale prædicatum, quomodo superficies huius corporis dicitur secundum se alba, quia ipsa est primò, quæ albedinem habet. Id dicitur secundò secundum aliud tale, quod secundum sui partem illud recipit prædicatum, vt homo secundum aliud est albus, quia superficiem habet albam, & secundum aliud sciens, puta secundum animam, in qua est scientia. Id dicitur per accidens, quod est in eo, quod secundum se est tale, vt anima per accidens mouetur: quia est in homine, qui per se mouetur. Sunt autem isti modi differentes inter se.

2. Notandũ. Aliq̃d esse in alio tripliciter. Aduertendum secundò: quòd sicut aliquid est tale tripliciter, ita similiter aliquid dicitur esse in aliquo, & esse in loco tripliciter, & secundum se, & secundum aliud, & secundum accidens. Id est in loco secundum se, quod primò, & proximè in loco est, vt ego sum in hoc loco. Id est, secundum aliud, quod secundum sui partem aliquam in loco est, vt dicitur arbor in fluuio, quæ secundum radicem, vel secundum aliquam partem in fluuio. Id verò dicitur secundum accidens, quod est in eo, quod secundum se est in loco, vt nauta est in mari, quia est in naui, quę est in mari: & anima est in loco, quia est in homine, qui est in loco.

3. Notãdũ tripliciter aliq̃d esse in seipso. Aduertendum tertiò, quod aliquid esse in seipso tripliciter intelligi potest. Vno modo secundum partem, quod non aliud est, quam quod totum habens duas partes, quarum vna sit in altera, dicatur esse ratione vnius in seipso ratione alterius: & hoc fieri potest, vndè dicitur amphora vini, est in seipsa. Sensus est, amphora vini secundum vnam sui partem, puta, secundum vinum, est in seipsa ratione alterius, scilicet amphoræ. Altero modo aliquid potest dici in seipso secundum se primo vt quod in se sit vinum secundum se, & hoc non potest esse, vt probabitur posteà. Tertio modo, quod aliquid sit in se secundum accidens, id est, ratione alterius: nec hoc fieri potest, vt in textu explanabimus. Est quidem quartus alius modus, quo Deus benedictus est in seipso: sed de hoc non loquitur hic Arist. tantùm enim agit de loco corporum, & modo, quo corpus potest esse in seipso.

Explicatio textus Aristot. Hæc sunt quæ hic Aristot. docet. Accedamus ad textum. Distinguit igitur primò, dupliciter posse aliquid secundum se in loco esse. Aut secundum se, aut secundum aliud, vt declaratum est: puta, cùm secundum totum, aut secũdum aliquam sui partem in loco est: & ponit exemplũ prædicatorum, quæ secundum partem dicuntur, vt homo est sciens secundum animam, in qua est scientia: & homo albus secundum superficiem.

Dicit igitur, cùm aliquid totum habet sic partes, quòd vna sit in alia, & altera recipiat illam sicut locus, tunc illud tale totum dicitur esse in seipso, sed tamen ratione partium, sicut hoc totum amphora vini, in seipso est, ratione partium: per vinum enim est in seipso secundum amphoram: vtrumque enim pars est illius totius.

Sic

Sic igitur contingit quippiam. Tex. XXV.

Nihil potest esse in seipso, primo, sed tãtũ secũdũ partem.

SVbdit non aliter contingere aliquid in seipso esse, quàm secundum partem, non autem primò: ponit exempla, quando aliquid secundum partem dicitur, in seipso esse, & litera nonnihil est obscura. Dicit, album inest corpori, & huic per superficiem, & scientia est in anima, & ab his appellamus hominem album, & scientem, sed secundum aliud: album enim secundum corpus, & superficiem ipsius: scientem verò secundum animam. Vocat autem corpus alteram hominis partem, quæ ab anima distincta est.

Ac si dicat, homo est albus, & homo dicitur sciens, sed secundum aliud: albus quidem secundum corpus, sciens verò secundum animam. Non tamen diceretur nec albus, nec sciens, si illa essent separata, & non essent partes.

Similiter, cùm vinum, & amphora per se sunt, & vinum nondum est in amphora, non dicetur amphora vini esse in seipsa, nec vinum per se, nec amphora: at cum simul sunt, & partes sunt illius totius, tunc potest amphora vini esse in seipsa ratione partium, vt dictum est.

Et ad denotandum, quòd est in seipso totum ratione partium. Hoc exprimit exemplo dicens. Est in seipso, vt album in homine: quod idem est, ac si dicat, secundum partem: nam albus est homo secundum corpus: hoc autem secundum superficiem, in superficie autem albedo est secundum se, & primò, & diuersam naturam, ac potentiam habet ab ipsa superficie.

Nota. Quibus verbis Aristot. denotat subtiliter, cùm aliquid est secundum se in aliquo, esse distinctum prorsus ab illo, nec illius pars esse: sicut albedo à superficie distinguitur, in qua primo est.

Neque igitur inductiuè. Tex. XXVI.

Probatur nihil posse esse in seipso secundũ rationem. Primò inductione. Secundò ratione.

PRobat, quòd nullo modo aliquid sit in seipso secundum se totum, idque dupliciter. Primò per inductionem modorum communium, quibus vnum dicitur esse in aliquo, vbi nullus est, quo aliquid esse dicatur in seipso secundum se.

Secundò ratione. Si totum secundum se est in seipso, demus hoc totum esse amphoram vini. Est argumentum: Si amphora vini est in seipsa secundum se, sequitur, quòd sola amphora est amphora vini, & quòd vinũ etiã solùm est amphora vini: quod quidem falsum esse constat.

Suppõ. Probat autem Arist. ponendo vnum, ex quo probatio deducitur. Nẽpè, quòd quamuis ponatur amphorã vini esse in se, tamen hoc est euidens, quòd non sit aliud, quod recipiat, nisi amphora: nec fit aliud quod recipiatur, nisi vinum: nec amphora recipit ratione vini, sed ratione amphorę: nec vinum recipitur ratione amphoræ, sed ratione vini, vndè ratio vtriusque diuersa est.

Tunc sic. Si amphora vini secundum se totam est in seipsa: ergo amphora vini est, quod recipit, & amphora vini est, quod recipitur. Aliter in seipsa primò nõ esset, sed id, quod recipit non est, nisi amphora ratione amphoræ: & id, quod recipitur vinum, ratione vini: ergo amphora vini, & est ipsa amphora per se, & est ipsum vinum per se. Hoc autem impossibile est: igitur nihil est in seipso secundum se, & primò, sed tantùm (vt dictum est) secundum partem.

At verò neq; secũdum accidens. Tex. XXVII.

Nihil est in seipso p accidens.

PRobat tertium, non esse aliquid in seipso secundũ accidens, id est, quia est in eo, quod est per se: quia sequeretur, quòd duo corpora essent simul in eodem loco, & penetratiuè, quòd naturaliter est impossibile. Quòd verò sequatur, non perfectè probat, sed incipit probare. Et aduerte locum esse maximè obscurum.

1. Ratio. Quantum existimo ratio est hæc. Demus aliquid, quod sit in se secundum accidens, & sit hoc amphora sola, tunc est argumentum. Amphora est in se secundum accidens: ergo est in se, quia est in alio, quod secundum se est in amphora. Hoc enim est esse in aliquo secũdum accidens. Nihil est autem, quod secundum se sit in amphora, nisi vinum, si amphora est vini plena: Amphora ergo est in se secundum accidens: quia est in vino, quod secundum se est in amphora. Tunc vlterius. Cũ duo corpora sic se habent, quòd vnum est in loco, quia est in illo, quod per se in loco est, tunc quòd est per se, est magis proximum loco, vt manifestum est. Amphora autem est in se, quia est in vino, quod secundum se in amphora est: ergo magis est vinum amphoræ proximũ, quàm ipsa sibi; sed ipsa non occupat, nisi vnum locum, nec est maior se ipsa: ergo vinum, cùm sit magis propinquum amphoræ, vnum corpus cum ea faciet, & vnum locum occupabit, quod est impossibile.

Explicatio text. Arist. Hæc est ratio integra, & est sine dubio optima, & subtilis, qualis ad veritatem probandam adduci potest. Vide literam; dicit, ꝙ sequetur duo corpora esse simul.

Ostendit quomodo sequatur, dicens. Si cuius natura est susceptiua, id est, si ipsum vas, cuius est suscipere, dicatur esse in seipso per accidens, & id, quod suscipitur, puta vinum. Si illud vas vini est, vel alius liquor, si talis liquoris fuerit vas. Si hoc inquam, quod suscipitur, sit id ratione, cuius vas in seipso est: tunc sequetur penetrare se vas, & vinum: quo autem pacto id sequatur, non ostendit. Diximus tamen nos, quia & quod est per se, & primò in loco, est magis proximum ipsi loco, quàm ea res, quæ est in eo, quod est per se in loco; & nota expositionem. Cõcludit in seipso nihil esse primò id est, totum, nec secundum se, nec secundum accidens, sed tantùm secundum partem.

Quod autem Zeno dubitabat. Tex. XXVIII.

Solutio Arist. arg. Zenonis.

REspondet modò argumento Zenonis, quo probabat, si locus esset in aliquo, fore processum in infinitũ. Dicit, quòd locus in aliquo est, sed non vt in loco: non enim omne quod est in aliquo, est in eo, vt in loco. Locus autem in aliquo est, puta in locato, aut in suo subiecto: est enim locus superficies continens, quæ in corpore est aliquo, sed non vt in loco, sed vt forma in materia, vel accidẽs in subiecto. Est enim locus in locato, vt forma extrinseca: in subiecto verò suo intrinsecè, & inhæsiuè.

In quibus verbis docemur vnum, non quicquid est, esse in loco: nec quicquid in aliquo est, esse ob id in eo, vt in loco; in quibus deceptus est Zeno in sua ratione cum reliquis Antiquis. Nota.

Illud autem manifestum. Tex. XXIX.

Locũ non esse materiam, vel formam.

COncludit ex his notum esse, materiam, aut formam locum non esse. Nam locus, & id, quod est in loco, sic sunt diuersa, vt neutrum sit alterius pars; at materia, & forma partes sunt ipsius compositi, ob id non possunt esse ipsius locus.

Post hæc, cùm in his omnibus, quid locus sit, nondum determinauerit, sed solùm disputando processerit, finem dubitationibus, & disputationibus imponẽs, quid locus sit, explicare incipit.

CAPVT IIII.

Quid autem tandem sit locus. Tex. XXX.

Sex proprietates loci, ex quibus tanq̃ primis principiis indagabit quid sit locus.

LOCI naturam ex propria sententia inuestigaturus, ea, quæ loco per se insunt, præmittit. Per propria enim, & per se accidentia, optima via est indagandi quid res sit, vt dicitur, 1. Animæ cap. 1. Colligit autem sex quæ loco per se videntur inesse.

Prima. Primum est, continere locatum, hoc est, ipsum circumscribere, & terminare.

Secunda. Secũdum est. Non esse aliquid intrinsecum locati, nec materiã ipsius, nec formam, nec partem, nec accidens inhærẽs, sed solum externum continens.

Nota. Hanc proprietatem cum prima quidã coniungunt, & vnam faciunt, nempè, cõtinere sic, vt non sit aliquid contenti, inter quos est Philopon. Alber. S. Thom. & Auerro. Alij diuidunt, & duas faciunt,

cùm re vera aliud sit cõtinere, aliud non esse contenti partem; & hi sunt Themistius, Simplicius, & Psellus: & mihi ita placet, saltem vt procedat cognitio distinctior.

Tertium. Tertium est. Locum primum, & proximum non esse maiorem, aut minorem locato, sed illi æqualem, vt nec plus, nec minus, quã locatum contineat. Dicit aũt primum locum, & proprium; communis enim maior est.

Quarta. Nota Quartum. Locus non deseritur ab vnoquoque, & separabilis est. Quæ verba dupliciter legunt Simpli. & Philop. Primo affirmatiuè, & tunc idem significãt, puta, quòd locus separari, & deseri possit à locato, vt notum est: Secundò, legunt primum verbum negatiuè, vt modo habet litera Græca, & versio nostra; & ita exponit Themistius. Et tunc est sensus, quòd locus non est sine aliquo saltem locato isto, vel illo: non enim est vacuum, vt dicetur. Quamuis autem non possit esse sine locato aliquo à singulis, tamen potest separari, siue ab hoc, siue ab illo.

Quinta. Quintum est. Omnem locum esse sursum, & deorsum. Sensus est, secundũ Simpli. Philop. & Themist. quòd locus naturalis, aut est sursum, aut deorsum; nõ tamen, quòd omnis locus partem habeat sursum, partem deorsum, vt aliqui exponunt: licet hoc partim verum sit, sed non ad mentem Arist.

Sexta. Sextum est. Vnumquodque corpus naturale in suum locum naturaliter ferri, ibique manere, & quiescere; puta, sursum, aut deorsum. Loquitur autem de motibus elementorum, & mixtorum ex elementis.

Hanc proprietatem ferè omnes cum quinta copulant. Simpli. distinguit, & sic multiplicat: parùm refert, dummodo verus constet sensus Arist.

Suppositis autem his. Tex. XXXI.

Nota primo. Tria commoda affert exacta rei definitio. HIS loci proprietatibus, vt fundamentis præiectis, oportet reliqua speculari: ac docet loci definitionem esse tradendam, quæ talis sit, vt tres habeat conditiones. Prima est, vt quæ proposita sunt, dubia soluantur. Cùm enim dubia circa quid est fuerint, ipso cognito cessabunt. Altera, vt passiones, & proprietates, quæ loco conueniunt, non auferantur, imò per ipsam competere videantur. Tertia est, vt causa difficultatis, & dubiorũ aperiatur ita, vt clara omnia relinquantur. Si enim talis data fuerit definitio, demonstrationi erit aptissima.

Primùm igitur cõsiderare oportet. Tex. XXXII.

Locus cognoscitur ex motu ad locum. AD naturam loci indagandam proponit viam, qua locum esse cognitum est. Hæc autem via, motus est secundum locum. Vt enim ex diuersa formarum successione in eadẽ materia, materiam substantialem à formis distinctam esse perceptum est, & ex accidentium in eodem subiecto mutatione, subiectum, & substantiam ab ipsis diuersam esse, est compertum; ita etiam ex corporum multorum circa eundem locum successione, & similiter ex vno corpore per motum mutato, & deserente loca, ipse locus cognitus est quid esse, præter corpora.

Confirmat autem ex antiquis, qui cũ per motum locum cognosci cõperirent, cælũ maximè esse in loco arbitrati sunt, quia maximè mouetur; sed hoc non est secundum mentem Arist.

Duplici genere motus cognoscitur locus. Distinguit autem motus, quibus locus cognitus est, in duos. Quidam est latio; vt cùm corpus mutat totum suum locũ, & ad alium tendit. Quidam alter est, cũ non totum locum mutat, sed partem, puta, dum acquirit maiorem locum, quod fit per augmentationem: aut minorem, & partem loci deperdit, quod fit per diminutionem.

Est autem quod mouetur.

Ex quorũ mobiliũ motu cognoscatur locus. Duplicitèr aliquid mouetur per se, & per accidens. CVm explicuisset quibus motibus dignoscitur locus, explicat quibus mobilibus, ac distinguit ea, quæ mouentur. Quædam, inquit, mouentur actu per se; quædam actu etiam, sed per accidens. Illa mouentur per se, quæ ratione sui mouẽtur, puta, sunt ipsa tota, quibus inest motus; vt homo mouetur per se; ignis per se; & similia. Illa verò per accidens mouentur, quæ mouẽtur, quia sunt in eo; quo per se mouetur.

Duplicitèr aliquid mouetur per accidẽs. Et hæc subdiuiduntur. Quædam enim sic per accidens mouentur, vt possint per se aliquando moueri; quales sunt partes integrantes: hæ enim dum in toto sunt, ipsius motu per accidens mouentur; possunt tamen ab ipso separari, & tunc per se moueri. Quædam alia sic per accidens mouentur, vt nunquam per se moueri queant; qualia sunt accidentia, albedo, scientia, & similia, quæ à subiecto separari non possunt naturaliter, ob id, si mouentur, per accidens semper mouentur.

Cùm igitur tripliciter moueri contingat: & per se, & per accidens, per se vt homo; vt partes; & per accidens, vt accidentia, & inseparabilia; motus propriè cognoscitur per ea, quę per se mouentur, quamuis aliquo etiam modo per ea, quæ, vt partes, mouentur; intellige de parte secundum quantitatem.

Locus propriè cognoscitur per ea, q̃ mouẽtur per se.

Quoniã aũt dicimus in cęlo esse. Tex. XXXIII.

Natura loci præcipuè consistit in hoc, quòd locus cõtineat locatum. NAtura loci præcipuè consistit in eo, quòd non vt pars rei cõtineat rem, sed vt quid externum proximè tangens, & circunscribens ipsam; ob id aggreditur discrimen ponere inter modum, quo continet pars, & quo continet locus; & quando continet, vt pars; quando continet, vt locus.

Aliter continet locus cõmunis, aliter proprius. At quia non est similitudo inter locum communem, & partem (quia locus communis non proximè, continet, nec immediatè rem, sicut totum partem; vt vltimum brachij manum, sed similitudo est cum loco proximo, qui immediatè continet) separat locum communem à proprio, vt distinguat hunc à parte. Ob id dicit, dupliciter dici esse in loco. Et communi, vt quisque nostrum est in cęlo, quia in aere; & adhuc in aere, quia in hac ipsius parte, vel in aliquo contento ab aere. Et in loco proprio, vt quisque in suo loco sibi proprio, & adæquato dicitur esse.

Alius est locus cõmunis, alius proprius. Quòd autem locus communis non sit proprius, notum est. Locus enim proprius est æqualis, & adæquatus; at communis non est æqualis rei; totus enim aer, aut cælum non est æquale cuilibet corpori horum, quorum loca communia sunt. Est igitur proprius locus, in quo quid est, ipsi æqualis, & adæquatus.

Cum igitur non diuisum est. Tex. XXXIIII.

Diuersimodè cõtinet locus locatum, & totum suam partem. TRES differentias constituit inter id, quod proximè continet vt locus, & id, quod proximè vt totum suam partem; nam pars est immediata suo toto, & locatũ loco proximo, & proprio.

Prima differentia. Prima differentia est, quòd pars est continua ipsi toti; at locus non est continuus locato, sed contiguus, & ipsum tangens, ab eo quod continetur diuisus. Ista autem contiguitas est secundum superficies, puta, vltimam continentis, quę concaua dicitur, & locus est; & primam contenti, quæ conuexa, & exterior dicitur; atque has duas superficies dicit esse æquales in spacio, vt vna prorsus non aliud, quàm alteram ambiat: nec altera ab alio, quàm ab illa ambiatur.

Cuius rationem subdit; quia in eodem sunt illæ superficies, id est, simul sunt, vt exponunt Simplicius, & Philop. Quòd si sic sit continens, tunc non erit pars contenti, nec aliquid illius intrinsecum; talis autem est locus.

Et cum continuum sit, non in illo mouetur.

Secunda differentia. ALias duas differentias constituit sumptas ex diuersa ratione continui, & contigui.

Secunda in ordine est: quod est alteri contiguum, mouetur in ipso, id est, suum motum habet per se, etiam illo, in quo est, manente immoto; vt patet de aqua, quæ in vase immoto mouetur. At quod est alteri cõtinuum, mouetur cum ipso, id est, per se non habet motum, nisi cum ipso toto, & nunquam potest moueri, quin moueatur ipsum, in quo proximè est.

Tertia differentia. Tertia differentia est: quòd id, quod est alteri continuum, dicitur esse in ipso, vt

vt pars in toto: quòd verò est cõtiguum, est in eo, vt in vase. Hi autẽ duo modi existendi in alio diuersi sunt, vt dictum est.

Colligit ex dictis locũ esse vltimũ cõtinẽtis æquale cõtẽto, & cõtiguum.

Ex quibus patet locum esse vltimum corporis continentis, æquale primo contento, ipsi contiguum, & proximum, nihilq; ipsius intrinsecum.

An locus sit æqualis locato. Quæstio. II.

DE loco communi nulli dubium est, quin sit maior, quàm locatum; de proprio vero videtur dubium esse,

Primum argumen.

Est enim argumentum primum, Continens maius est contento, vt communiter dicitur: locus est continens: ergo maior est locato, quod contentum est.

Secundũ.

Secundum. Si locus esset locato ęqualis, haberet æquales dimensiones cum ipso; hoc autem est falsum: nam dolium nõ habet æqualem profunditatem cũ vino, vt notum est.

Tertium.

Tertium: quia, quod locus pro superficie continente sit æqualis locato, secundum primam ipsius superficiem contentam. Videtur hoc non posse dici; quia si locus esset circularis, tunc supra idem cẽtrum describi duo circuli æquales possent (quod videtur impossibile) vnus supra circumferentiam locati, alter per superficiem loci supra centrum locati. Et vlterius illi duo circuli haberent æqualem diametrum; quæ videntur esse contra propositiones geometricas.

Primũ fũdamentũ. Locus cõmunis nõ est ęqualis locato.

Circa hæc aduertendum primò, vt diximus, difficultatem non esse de loco cõmuni, sed de proprio, & proximo. Communis autem is est, qui ita locatum continet, vt alia præter ipsum contineat; vt cælum, & aer est locus communis omniũ nostrum. Proprius autem est, qui nil nisi locatum illud continet. Potest autem esse, quòd locus communis sit simul, & proprius, sed respectu diuersorum; vt concauum Lunæ locus est communis nostri respectu, sed proprius est ipsius ignis, quẽ adæquatè continet.

Secũdum Ex Alber. & Auer. duplex ẽ æqualitas

Aduertendum secundò, ex Albert. & Auer. hoc quarto libro Comme. 77. quòd duplex est æqualitas. Altera dimensionis, altera continentiæ, quæ dicitur ab Alb. secundũ extensionem. Æqualitas dimensionis est, cũ vnum alteri æquatur secundum omnem dimẽsionem, puta, longitudinem, latitudinem, & profunditatẽ. Constat autem, quòd ista æqualitas non est loci, & locati, non enim secundũ omnem dimensiõem sunt æqualia: sic enim cum locus sit ipsius receptiuum locati; penetrarer se cum ipso, quod esse non potest. Altera est æqualitas secundum continentiam, & hæc est secundum latitudinem, & longitudinem solam; qualis est ęqualitas, quæ ostenditur in duobus corporibus secundum solas superficies.

altera cõtinentiæ, altera dimẽsionis.

De hac est difficultas; puta, an superficies concaua continentis, & conuexa locati sint æquales. Est autem conclusio vnica communis omnium ferè, illas duas superficies esse ęquales: ita, vt vna non sit altera maior. Ad cuius probationẽ oportet præmittere vnum fundamentum latius in lib. 6. tractandum. Nempè, indiuisibile additum indiuisibili, non facere ipsum maius; nec similiter indiuisibile additum quãto, ipsum augere, Quod est dicere, punctum additum lineæ, non facit ipsam longiorem: & linea addita superficiei non facit ipsam latiorem: nec superficies addita corpori, ipsum facit profundius, aut crassius. Et hoc est vnum fundamentum magnæ partis philosophiæ peripateticæ.

Prima cõclusio, superficiem cõcauam loci, & cõuexã locati, esse omnino æquales. Fundamẽtũ indiuisibile additum indiuisibili, non facit maius.

Et probatur: quia si additione horum indiuisibilium crescerent quantitates, sequeretur, quòd partes diuisæ non essent tantæ simul, quantum totum continuũ; & sic nunquam posset cõtinuum in duas suas medietates diuidi. Sequela patet; nã per diuisionem, noue in diuisis partibus resultant superficies, quæ augerent partes illas.

Prima ratio qua probatur illud fundamentũ.

Secunda.

Præterea: quia experientia docet, quod diuisio aliquo continuo, si iterum partes coniungantur, & contiguæ fiant vt nihil maneat intermedium, tunc non occupabunt maiorem locum ob illas nouas superficies, quàm ante, cũ erant continuæ.

Tertia.

Præterea: quia non quantum, non potest augere quantum; & non extensum, non potest augere extensum; & non profundum, non potest augere profundum, Non igitur crescunt quantitates additione illorum indiuisibilium secundum id, quo

quo indiuisibilia sunt.

Ex hoc fũdamento probatur conclusio

Stante igitur hoc fundamento, ratio conclusionis hæc est. Superficies loci cõcaua, & superficies cõuexa locati, terminant ęqualem profunditatem: ergo sunt æquales. Consequẽtia est certa: sed antecedens probatur. Quia superficies cõuexa locati est terminus intrinsecus totius profunditatis locati: superficies verò cõcaua locantis pari modi: Vlterius tamẽ circundat superficiem locati conuexam: sed hęc nullam addit locato profunditatem, vt diximus: ergo tantam profunditatem terminat vna, quantam altera.

Nota.

Sunt igitur æquales ita, vt ea, quæ est locati, posset æqualiter terminare quantitatem locantis: & ea, quæ est locus, terminare intrinsecè locatum.

Ad primũ

Ad argumẽta patet solutio. Ad primũ dicitur, quòd locans est maius locato, & continens contento, secundum superficies conuexas vtriusque comparatiõe facta: at si concaua continentis proxima cũ conuexa contenti comparetur, tunc vtrique inest æqualitas.

Ad secundum.

Ad secundum nota est solutio ex primo fundamento: Non enim hic comparamus profunditatem, nec omnẽ dimensionem corporis continentis, & contenti, sed extensionem solam.

Ad tertiũ

Ad tertium dicendum, quòd in eadem superficie non sunt duo circuli æquales supra idem centrum: nec vnus diameter diuersorum circulorum concentricorũ: tamen in diuersis superficiebus cõtiguis id fit, ac si duo circuli æquales vnius alteri superponeretur. Veruntamen esset dicere vnum esse supra alium, sicut verum est dicere superficiem concauam locantis esse supra conuexum locati: sed tamẽ non occupando diuersum situm loci, sed omninò eundem, quasi alteri superinscriptum. Nam indiuisibile cum locum non occupet vllum, aut spatium, additum alteri immediatè, nõ faciet spatium, in eodem verò corpore id contingere non potest. Et ratio est, quia in vno corpore, & vno continuo non sunt duo indiuisibilia immediata, quin mediet diuisibile: at in diuersis corporibus se tangentibus possunt esse simul, & immediata: sed de hoc inferius in lib. 6.

Qũo ab eodẽ cẽtro possint describi duo circuli eiusdẽ magnitudinis, & vnus supra altrum.

Iam igitur manifestum est. Text. XXXV.

EX prædictis loci proprietatibus genus loci infert, ac ratiocinatur à sufficienti quadam partium diuisiõe, quæ talis est. Locus aut est forma, aut materia, aut interuallum, & spacium interceptum inter latera superficiei continẽtis, aut ipsa superficies continens: sed nõ est forma, nec materia, nec tale interuallum; est igitur superficies continens.

Cõcluditur, qãnã sit genus loci.

Locus nõ est forma.

Excludit autem, quòd sit forma, soluendo rationem, propter quam forma videtur locus. Ratio autem est: quia forma est continens, & continẽs est in eo, quod continetur: Si igitur locus continens est, forma esse debet. Respondet Arist. quòd tam forma, quàm locus terminant, & continent, sed non eodem modo. Nam forma terminat rem ipsam, cuius est forma, ita, vt in ea sit: at locus est terminus, & continens extrinsecus, quia est ipsius continentis.

Vel potest esse sensus, quòd locꝰ est etiam forma, sed non locati, sed continentis corporis; & respectu cõtenti locus est. Sed sensus prior est melior, quòd forma terminet ipsum locatum, locus verò ipsum continẽs, & simul vtrumque sit: sed non ob id idem erunt: aliud enim est simul esse, aliud esse idem.

Ex eo autem, quòd mutatur. Tex. XXXVI.

OStendit locum non esse interuallum: ac primò ponit rationẽ, propter quam locus videtur esse interuallum. Vbi aduerte, quòd antiqui existimabant inter latera superficiei alicuius continẽtis esse quoddam spacium interceptum, quod asserebant esse dimensiones quasdam, & corpus de prædicamento quantitatis solùm absque substantia, & istę erãt locus, in quẽ corpus aduenięs recipiebatur, & iterũ aliud aduenięns recipiebatur priori recedente; semper enim illę dimensiones permanent, atq; hęc cũ corpore aduenięnte penetrantur, fiuntque ipsi æquales, etiam secundum profunditatem, & has vocat Aristotel. interuallum.

Locũ non esse interuallum. Quid sit interuallum.

Et

Quam ob cãm vetere res ponebatur locũ esse interuallum.

Et ponit rationem, propter quam potest videri locus interuallum. Nempè, quia quolibet corpore contento, & contiguo recedente videtur illud spacium, in quod recipiebatur, idẽ manere, quod quidem loco ineſt. Hoc tamen Aristo. reijcit, docens egregiè, quod inter latera corporis continentis non est vllum spacium, & interuallum reale, nisi quantitas cuiuslibet corporis contẽti, quod incidit, & succedit. Vt spacium inter latera vasis est ipsa aqua, cùm plenum est aqua, & aer, cùm plenum est aere, vel alio corpore, cùm plenum est, ipsum tale corpus est. Nisi enim illud corpus esset, latera vasis iungerentur, vt latera vtris subtracto interius corpore.

Est autem notandum, quòd dicit spacium esse quodlibet corpus eorum, quæ apta sunt tangere. Nam cùm est corpus eiusdem rationis cum continente, tunc ei continuatur, & non est locus, nec interuallum. Vt cùm aeri continenti lignum, succedit aer, tunc locus destruitur propter continuationem. Vt igitur seruetur locus, & dicat esse interuallũ, corpora debent succedere, quę apta sunt cõtigua fieri, & latera continentis tangere.

Si autem esset aliquod spacium.

Tex. XXXVII.

Probatur locum nõ esse interuallum.

1. Ratio.

DVpliciter probat tale interuallũ non esse locum. Prior ratio est, sequeretur quòd infinita essent loca pro quolibet corpore succedente: Nã quælibet pars per se haberet locum, sicut & ipsum totum.

Vbi aduertendum, quòd pars nõ habet locum per se, quia non potest vndique ambiri loco; qua parte enim continua est cũ toto, nulla superficie loci circunscribitur; quòd si ambiretur, vtique per se in loco essent singulæ partes. Si igitur datur interuallum, quod se penetret cum locato, vtique omnes ipsius locati particulæ ambirentur vndique, atq; per se in loco essent, quæ cùm infinitæ sint, erunt loca infinita per se vnius totius, quod impossibile videtur; nõ igitur interuallum tale locus est.

Simul autem, & locus erit mutatus.

2. Ratio.

POsteriorem ponit rationem, dicẽs, quòd loci erit locus per se, & vnius per se multa loca, quod falsum est. Sequela patet; mutetur locus, puta, vas, vbi interuallum est cum aqua, & ipso interuallo, & totũ simul collocetur in spacio alterius vasis; tunc dimensiones huius spacij penetrabunt se cum vase, & aqua, & attingent ipsam aquam, & dimensiones, quæ præerant, alterius spacij: & sic locus erit per se secundum spacium ipsius aquæ, & alterius spacij.

Vlterius. constituatur totum hoc in alio spacio, & in alio, & alio; protectò innumera loca per se vnius erunt, imo locorum erunt loca. Ita est exponendum hoc argumentum, licet non sit expressum in Aristot.

Nõ est autem alius locus partis.

3. Ex contrario quæ illa incõmoda nõ incidant in opin. Arist.

HAec absurda non sequi ex sententia propria Aristoteles docet: & sensus est. Cùm locus aquæ nõ sit dimensio illa penetrans, sed superficies vasis concaua, in qua modò aer, modo aqua recipitur. Cùm vas mutatur, ille locus proprius idem manet, nec locum alium proprium acquirit aqua, sed vas est, quod locum mutat, & consequenter locus est aquæ, verùm non per se, sed sola superficies interna vasis.

Nota.

Notandum est autem, quòd locum, quem vas acquirit, vocat partem loci cęli, id est, mundi. Ac si dicat, esse locũ mundi; & quantum existimo, locum mundi vocat locum, qui non est secundum aliquod vas, quod est locus aquæ, sed est locus alius, sicut pro alijs corporibus, quæ non in vase sunt; & videtur Philopo. aliquo modo sic exponere. Vnde quod alicubi est, & non in vase, dicitur esse in parte loci mundi, id est, in loco mundano, & non arte aliqua facto, vt vas est.

Dicit ergo Aristo. cùm vas aquæ trãsfertur, manet locus aquæ, qui est superficies vasis ipsi proxima; sed non manet locus mundi, qui est ipsius totius, id est, vasis cum aqua; tamen hic locus solùm per se tangit vas.

Nota.

Nota, quòd vocat partem, cùm dicit, (locus partis) ipsum contentum.

Hunc locum difficillimum esse confitentur

tentur interpretes, atque adeò quisq; exponit, vt intelligit, mihi verò sic videtur exponendus.

Et materia etiam videbitur vtiq;.

Tex. XXXVII.

Locus nõ est materia.

Quõ cõueniat locus cũ materia

CONsequenter probat nec locũ esse materiam, licet aliquã habeat cũ ipsa similitudinem, & ponit similitudinem loci cum materia, quæ hæc est. Si locus consideretur, vt quiescens est, & idem manens, ac continuò suscipit corpora, id est, vnum post aliud, vt dicit Philop. nec separatus est ab aliquo corpore, sic videtur materia, quæ eadem manens modò vnum, modò aliud recipit, nec nuda vnquàm inuenitur: vt corpus, quod idem modò album, modò nigrum, modò molle, modò durum. Hac igitur triplici similitudine, materia locus videbitur, & vocat imaginationem, similitudinem.

Quõ differat locus & materia. Primo.

Secundò.

Tertiò.

Ostendit tamen differentiam triplicẽ. Prima est ex transmuratione, nam in mutatione materiæ, dicimus, quod erat aer, modo factum aquam. At in loco aliter, nempè, vbi erat aer, nunc esse aquam: non igitur eodem modo materia, & locus receptiua sunt.

Altera differentia, materia est pars rei, & non est separabilis ab ipsa manente: non enim aqua manet, materia separata, at manet separata à loco, in quo erat.

Tertia, materia continetur, & determinatur, at locus continet, & determinat, non igitur idem sunt.

Si igitur nihil horum trium.

Tex. XXXIX.

Cõcludit locũ esse terminũ cõtinentis i. superficiẽ cõtinẽtis.

Nota.

COncludit ex præcedentibus. Cũm locus non sit aliquod ex tribus propositis. Non enim est forma, non materia: nõ interuallum, relinqui quarum, quòd sit terminus continentis, id est, vltima superficies corporis continentis.

At quia quod continet, aliquid continet, explicat quid sit id, quod continetur, & dicit, esse corpus mobile secundum locum: quod existimo esse dictum, vt intelligamus res corporeas esse in loco tãtùm, non tamen omnia quæ sunt: & ex hoc postea soluet vnum argumentum Aristoteles ex præpositis.

Videtur autem aliquid magnum.

Tex. XL.

Inuẽto iã genere loci ẽrit Ari. differẽtiã.

QVantum existimo Aristoteles hic vult differentiam loci inuenire: nondum enim tota est loci definitio tradita, sed solùm ipsius genus, quod sit superficies vltima continentis, nondum autem hæc locus est. Vas enim continet, sed non locus propriè est, vt est vas, & solùm continet. Ob id iterum repetit difficile esse locum inuestigare: quia, cùm habeat cum multis similitudinem, non ita facile ab illis distinguitur. Videtur enim materia, & forma, & interuallum, propter similitudinem.

Nota method. Ari.

Considera verò subtilem methodum Aristot. modò enim ponit similitudinem cum interuallo: ex ea enim colliget differentiam vltimam loci, & totam definitionem. Interuallum locus videtur, quatenus fixum manet, & quiescens motis corporibus, quæ in ipso sunt, ob id non superficies corporis vltima tantùm, sed ipsum interuallum locus videtur, quasi locus sit immobile quid.

Ratio propter quã aliqui ponebant interuallũ.

Ponit autem motiuum horum, quo inducebantur ad tale interuallum ponẽdum. Nam cùm aer non videatur, & incorporeus appareat, præter latera vasis, esse interuallum illud, in quod corpora recipiuntur, quod idem semper manet, quod re vera non ita est. Est enim aer corpus sua raritate inuisibile, occupans tamen locum, nec ibi vacuum est, nec aliud interuallum præter aerem cùm aer est, sicut cùm est aliud corpus crassum.

Vt autem vas locus est.

Tex. XLI.

Quomodo differunt rem esse in vase & in loco.

DIfferentiam ponit inter modum, quo in vase aliquid est, & modũ, quo in loco: & inter ipsum vas, & locũ. Et dicit, q̃ vas similitudinẽ cum loco habet, & differẽtiam: pariter locus cũ vase. Vas enim continet, vt locus, sed vas est mobile. Locus continet, vt vas, sed locus est

cus est immobilis. Vnde in hoc differt locus à vase, quod immobilis est.

Quid sit locũ esse immobilẽ

Aduertendum autem, quòd locum esse immobilem, est, quòd non simul cum re ipsa moueatur; sed quòd maneat, & quiescat, remota, & recedente. Id enim, quod sic continet, vt simul feratur hinc inde cũ re, continet, vt vas, non vt locus. Proprium autem est loci continere sic, vt non feratur cum ipsis rebus, sed quiescat ipsis recedentibus.

Et exemplo explicat. Cum cymba fertur per fluuium, illa aquæ pars, quæ continet cymbam subt', & cũ cymba fertur, non dicitur locus propriè cymbę, sed vas, quia cum ipsa fertur. At totus fluuius, qui immotus secundum se totum manet, potius dicitur locus, communis tamen. Vnde cymba manet in toto fluuio, vt in loco: & per ipsum fertur, vt per locum. At in aqua illa, in qua fertur, quia mobilis est, manet, vt in vase.

Definitio loci perfecta, scilicet prima superficies cõtinẽtis immobi-

Colligit ex hoc definitionem loci perfectam. Locus est terminus primus continentis, immobilis. Dicitur, terminus i. superficies, ad excludendum interuallum, formam, & materiam. Dicitur, primus, ad excludendum locum communem, qui non secundum se locus est, sed secũdum proprium. Dicitur, immobilis, ad excludenda vasa, quæ non continent, vt locus, vt talia sunt, nisi immobilia, & fixa maneãt; & tunc loci rationẽ habent.

Atq; propter hoc medium cæli. Tex. XLII.

Locũ esse immobilem. Iis.

CONfirmat immobilem esse, & fixum ex communi sententia. Omnes enim dicunt duo esse loca proprijssima omnium. Vnum sursum, alterum deorsum. Vnus locus est vltima superficies cæli versus nos, id est, concauum Lunæ. Alter est medium cæli, puta terræ locus

Et ratio, quare hæc duo loca sunt proprijssima, est propter ipsorum immobilitatem. Nam superficies cæli quantumcunq; circumferatur, semper tamen obseruat locum eundem; nec ascendit, aut descendit, nec ad dextram, aut sinistram deuiat. Similiter terra in æquali manet semper distantia, ob id hęc loca maximè loca sunt. Locus igitur fixus debet esse.

Quare cum leue quidem sit.

Quid sit locus sursum, & deorsum.

EX his duobus locis vter sit sursum, aut deorsum explicat per motum corporum in talia loca, dicit. Cùm is locus sit deorsum, quò grauia feruntur, atq; ad medium, & ad terram ferantur, sequitur, quòd locus ille, qui medium ambit, qui est concauum aquæ, & ex parte concauum aeris, qua parte terra discooperta est aquis, sit locus deorsum; & ipsum medium, puta, terra, quæ in tali loco est, dicitur esse deorsum.

Vlterius. cùm is sit locus sursum, quò leuia feruntur, & ferantur in cæli superficiem vltimam versus nos; sequitur, quòd tale vltimum sit locus sursum, & ipsum vltimũ, quod in tali est loco, puta, ignis, est in loco sursum.

Vnde colligit locum esse superficiem continentem, & vt quoddam vas, talia enim loca dicta superficies, & plana continentis sunt. Et huius textus hanc esse expositionem existimo, quãuis non eodẽ modo omnes exponant.

Amplius simul cum ipsa re.

Occurrit Arist. obiectioni.

VIdetur obiectioni respõdere. Quia cùm locus non sit interuallum penetrans se cum locato, quis dubitaret, quomodo locatum in loco sit, & cum eo coniungatur.

Respondet quodammodo coniungi, & simul esse secundum superficies. Sunt autem simul, sicut finis est cum eo, cuius est finis, & terminus. Coniunctio enim finis, & finiti secundum extremitates tãtùm est.

CAPVT V.

Cui igitur corpori est aliquod. Tex. XLIII.

Ex definitione loci colligit Arist. quæ sint in loco, & quæ non.

EX loci definitione vult ostendere, quę dicãtur esse in loco, q̃ verò nõ: dicitq; illud corp', quod extrà se habet aliquod continens, esse secundum se in loco: quod

quod verò non extra se habet aliquod tale, in loco secundum se non esse, secundum tamen partes esse posse. Et explicat per motum; vt si aqua sit vnum corpus, quod nõ haberet extra se aliquid, tunc secundum se totam nõ esset in loco, nec moueretur; secundum partes tamẽ moueretur, & esset in loco, quia vna pars ab altera contineretur.

Diuersa Interpretũ expositio

Prima D. Tho.

Hoc in loco est magna cõtrouersia inter expositores, quid sit, quod in hoc textu dicitur, esse in loco secũdum partes, non autem secundum se totum. S. Thomas enim vult, quòd loquatur de vltima sphæra, & primo mobili, quod quidẽ est in loco secundum partes continuas, quia vna continetur in altera, non sicut in loco actu, quia sunt continuæ, sed sicut in loco in potentia. Si enim diuisæ essent, tũc in loco essent actu. Vnde vltima sphęra non est in loco secundum se totam, sed secundum suas partes; non quidem in actu, sed in potentia.

Huic expositioni fauet exemplũ Arist. de aqua. At, re vera, non est admodum consona hæc expositio textui, vt videbitur in processu; & exemplum de aqua solùm est, vt doceat aliquid esse in loco, & moueri secundum partes, nõ tamẽ quòd eo modo se habeant partes in hoc toto, de quo loquitur, & in ipsa aqua.

Secunda Græcorũ expõ.

Alia expositio est Græcorum ferè omnium, qui per cælum totum aggregatum ex orbibus intelligunt, & hoc dicũt nõ esse in loco secundũ se totum, sed secundũ partes. Et vocãt partes, orbes cõtiguos; vnus enim in altero continetur.

Tertia Alber. veritas expõ.

Tertia expositio est Alber. qui per totum, & cælum, vniuersum mundum intelligit, qui, secundum se totum, in loco non est: est tamen secundum partes. Et re vera huic expositioni admodum fauet textus, & mihi etiam placet, nec videtur ab ea abhorrere Simpli.

Sensus Aristo.

Dicit ergo Aristo. quòd totum, id est, vniuersum quodãmodo mouetur, quodammodo non. Secundum se quidẽ non mouetur, vt mutet locum. At secundum partes mouetur: secundum quasdam circulariter, & non sursum, & deorsum, vt secundum orbes cælestes: secũdum alias verò sursum, & deorsum, vt secundum elementa grauia, & leuia.

Subdit tamen, quòd hic locus est partium, id est, sicut secundum partes mouetur, sic est secũdum partes in loco aliter, & aliter pro partiũ diuersitate; vbi profectò expositio nostra nota fit. Si enim per totum vltimam sphæram intelligeret, nullo modo secundum sursum, aut deorsum moueretur, vt secundum partes, nec etiam si solùm aggregatum orbium intelligeretur.

Vt autem dictum est. Tex. XLIIII.

Aliqd est in toto dupliciter, vel in actu, vel in potentia.

VVlt declarare, quomodo sit in loco totũ hoc, cùm explicuisset quomodo moueatur. Per motũ enim locus apparet. Distinguit igitur dupliciter aliquid esse in loco. Vno modo potẽtia; sicut pars inest toti continuo similari, vt loco, non tamen actu, sed potentia, quia diuidi potest, & cõtigua manere. Et vocat totum similare, quia in hoc est perfecta magis continuitas.

Ponit exemplum, quo vna pars contigua est alteri; nempè partes in aceruo ex multis continuis insunt aliæ alijs actu, quia iam diuisæ sunt ad inuicem.

Et hæc distinctio mouit satis probabiliter S. Tho. vt existimaret loqui Aristotelem de vltima sphæra, quæ est in loco in potentia, secundum partes. Attamen Arist. si diligentius consideremus, hoc nõ dicit, sed solùm vtitur distinctione hac ad ostendendum, mundum secundum partes esse quidem in loco, non potentia, sed actu, vt patebit in textu.

Atque alia quidem per se. Tex. XLV.

Quæ sunt in loco actu, alia sunt p se, alia p accidens.

SVbdiuidit ea, quæ actu sunt in loco. Quædam enim secundum se, quædã secundũ accidens. Nec declarat quid vnumquodque sit, quia superius dictum est, nisi exemplis.

Nota.

Omne corpus, inquit, mobile secundũ locum, aut secundum augmentum, vel decrementum, per se in loco est. Et mobile secundum locum vocat id, quod mouendo totum suum locum mutat. Vnde quæ circulariter mouentur tantùm, non dicuntur hic mobilia secundum locum, & lationem; talis enim motus nõ latio,

ſed circumlatio dicitur, vt notat Alexan.

Dicit igitur, quòd cælum, id eſt, vniuerſum non ſic eſt in loco per ſe, cùm nõ ambiatur aliquo corpore, vt dictum eſt. Partes ipſius ſunt quidẽ ſic in loco, quia vna contigua eſt alteri, & ab ea ambitur; ſed non totum ipſum, cùm nulli alteri extra ſe ſit contiguum.

Alia verò ſecundum accidens, vt anima.

Nota. Quæ ſint in loco p accidens.

POnit aliam diuiſionis partem. Alia eſſe in loco per accidens, vt anima, & cælum.

Et nota; quòd per eſſe ſecundum accidens in loco comprehendit ea, quæ ſuperius dicta ſunt, eſſe ſecundum aliud, id eſt, per partem; & ſimiliter, eſſe per accidens, id eſt, eſſe in eo, quod eſt per ſe; vt anima eſt per accidens in loco, quia eſt in compoſito, quod eſt per ſe. Et ob id poſuit hic duo exempla; puta, animam, quę eſt in loco per accidens, quia eſt in eo, quod per ſe in loco eſt; & cælum ſeu totum, quod etiam eſt in loco per accidẽs; verùm non eodem modo, ſed ſecundum aliud, & per partes. Et ob id dicit, cælum eſſe in loco per accidẽs, quia omnes partes in loco habet.

Dicit (quodammodo) quia nõ omnes. Vna enim in loco non eſt, puta, vltima ſphæra continens.

Nota.

Et attende, quòd loquitur de loco in actu, & conſequenter de partibus contiguis, quarum vna eſt in altera, vt in loco; vt vnum elementum in altero, & vnus orbis in altero.

Et propter hoc omnia in cælo ſunt. Tex. XLVI.

Quæ nam partes cęli. i. mundi ſint in loco, & q̃ non.

SI vniuerſum in loco ſecundum partes eſt, dubitare quis poſſet, quæ partes in loco ſint; & quæ partes aliarũ ſint locus. Hæc enim oportet vtraq; dare, vt ſecundũ partes ſuas aliquid in loco ſit; loco, inquam, non extra ſe.

Ad hoc dicit Ariſtot. omnia eſſe in cęlo, puta elementa, vt terra in aqua, aqua in aere, aer in igne, ignis in cælo, ipſum autem cælum eſt quoddam totum, in quo iſta continentur, & ipſum non iam in alio.

At quia non continet cælum, niſi ſecundum vltimam ſuam ſuperficiem, quatangit mobilia corpora, id eſt, elementaria, ideo addit, locum eſſe ſecundum vltimum terminum, quem vocat quieſcentem, quia nõ mutat ſecundum ſe totum locum, ſed intra locum mouetur.

Vbi notandum, quod noluit diuidere cælos in orbes, ſed totum cęlum ſumpſit pro vnico corpore. Non enim ſunt orbes diuerſæ rationis, ſicut ſunt elementa; qd̃ ſi velimus diuidere, nulli dubiũ eſt, quin vnus ſit in alio, donec ad vltimum & ſupremum omnium deueniamus, qui nullum actu habet locum. Vide igitur quid Ariſto. ſentiat de loco in actu ipſius vniuerſi, quod ſecundum locum in toto nõ eſt, ſecundum quidem partes eſt, & quod quædam partes in loco ſunt, vna eſt, quę iam amplius in loco non eſt. Nota.

Manifeſtum autem ex his. Tex. XLVII.

Soluũtur argumenta cõtraria.

SOluit rationes ſuperius poſitas, nec curat ſolutiones exprimere, quia notæ ſunt ex declaratione locis; ſed argumenta ſolùm recitat; & non omnia, ſed quatuor illorum: reliqua duo nullam habent difficultatem.

Ad primum.

Primum argumentum eſt de argumẽto loci, quod erat in tex. 13. Dicit, q̃ nõ eſt opus augeri locum cùm augetur locatũ. Philop. reddit rationem. Augmentum enim propriè fit ſecundum trinam dimenſionem; cùm.n. viuens augetur ſecundũ latitudinẽ, longitudinem, ac profunditatẽ augetur. Cùm igitur locus ſit ſuperficies circunſtans, nõ corpus aliquod: cùm augetur locatum, non eſt opus, quod locus augeatur, ſed quòd cedat illi aer, in quo eſt, & ſuperficies extendatur.

Obiectio.

Dices, nunquid condenſatur, & conſtringitur aer, cùm corpora augẽtur? Reſpondet Philop. q̃ nõ eſt opus; quia cùm non fiat augmentum, niſi ex ſubtractione cibi alicuius, quod in rei ſubſtantiam conuertitur, locus ille, à quo cibus aufertur, aere, vel alio corpore impletur, & manet ſemper, quò aer diuerti poſſit, & cædere augmento corporũ. Præſertim cùm minus ſit augmentũ, quàm loca, quæ deſeruntur à cibis, & alimentis. Non enim quanta

Solutio.

Ad ſecundum.

quanta eſt cibi quantitas, augmentũ eſt.

Soluit ſecundam rationem, qua probatur puncti eſſe locũ, & hoc negat. Cùm enim locus ſit ſuperficies ambiens, ac tãtùm corpora per ſe ambiantur; per ſe ſola habebunt loca.

Ad tertiũ

Soluit tertium, quòd duo corpora ſimul eſſent. Et dicit, quòd locus non eſt æqualis ſecundum profunditatem, ob id non datur penetratio illa. Si enim locus eſſet illud ſpacium, & interuallum ęquale toti locato, tunc eſſet illa penetratio. Sed negatum eſt, tale ſpacium, & interuallum eſſe locum, ſed ſuperficiem exterius ambientem.

Ad quartum.

Soluit quartum argumentum, quod erat Zenonis, docens locũ eſſe in aliquo non tamen vt in loco, ſed vt terminus eſt in terminato, & ſic dicitur eſſe in ipſo locato. Vnde non quicquid eſt, in loco eſſe debet, vt illi exiſtimabant.

Et fertur igitur ad ſuum. Tex. XLVIII.

Declaratur ſexta proprietas loci.

SExtam loci proprietatem tandẽ declarat, vt Simpl. notat. Nempè, omnia ferri naturaliter in locũ ſuum, & ibi manere, & quieſcere. Hoc vtrumq; modò declarat, & primò dicit, meritò omnia naturaliter in ſuum tendere locũ, vt ignis ad concauum lunæ; aer ad concauum ignis; aqua ad concauum aeris, & ſic conſequenter.

Cur omnia feranturad ſuũ locum.

Cuius ratio eſt; quia locata habent quandam naturalem conuenientiam cũ corporibus hiſce, quæ ipſa continent, & loca ipſorum ſunt. Vnde ad ipſorum ſuperficies locata tendunt propter cõformitatem, quam cum corporibus habẽt. Sunt enim ipſis congenea, & connaturalia. Vocat congenea corpora, quæ conſequenter ſunt. Illa dicuntur conſequenter, quorum vnum eſt immediatè poſt aliud, vt aer, & ignis conſequenter ſe habent, & aqua, & aer; terra, & aqua; ignis & cælum. Iſta autem, quæ ſic conſequenter ſunt, congenea ſunt, & ſymbola, id eſt, communicantia in vna qualitate. Ignis enim eſt calidus, ſicut & aer ſibi proximus. Aqua humida, ſicut & aer, & frigida ſicut terra: propterea magis inter ſe proportionata ſunt. Et dicuntur tangere ſe, non vi aliqua, ſicut lapis ſurſum miſſus tangit aerem violenter: non ſic vnũ elementum ſibi proximum tangit.

Dicuntur etiam adnata, & compaſſibilia, id eſt, quia à natura ſic ordinata ſunt, non ſe deſtruunt mutuò, cùm in locis proprijs ſunt, & maximè propter cæli influxum, vt ſuperius diximus; cùm verò ſe tangunt aliàs extra locum propriũ, inuicem ſe deſtruunt.

Hæc igitur ratio eſt, vt vnumquodque ex his elementis proprium in locum merito tendat.

Et manet igitur natura omne.

Cur omnia in ſuis locis quieſcant.

REddit rationem alterius, cur vnumquodque maneat in ſuo loco. Et dicit rationabiliter id eſſe, quia ad locum ſuum vnumquodq; tendit, ſicut diuiſa pars ad ſuum totũ; vt pars aquæ ad aquã, & terræ ad terrã. Hæc aũt vlterius non procedit, cùm totum ſuum attingit. Ita & totum ipſum non procedit, cùm locum ſuum attingit; Eſt enim vt pars, locus autem vt totum, vt in ſequenti textu declarabitur adhuc.

Sic autem & aer ſe habet. Tex. XLIX.

Locus ſe hẽt vt totũ & forma, locatũ vt pars, & materia.

OStendit, quòd locatum eſt vt pars, locus autem vt totum, & dicit, q̃ aqua eſt vt materia, aer vt actus, & forma. At materia rationem habet partis, actus verò rationem complet totius, quia in ipſo, & per ipſum actum totum conſummatur. Quòd autẽ aqua ſit materia aeris, oſtendit, quia eſt potentia aer. Et quamuis aer ſit etiam potentia aqua, tamen alio modo, quàm aqua, eſt aer.

Nota primo.

Notandum, quòd elementa habent inæqualem nobilitatis gradum. Quædã enim ſunt perfectiora; quædam imperfectiora. Perfectiora locum obtinent propius cælum, qualis eſt ignis, poſt ignem, aer. Sunt enim minus materialia alijs: & ita quæ perfectiora ſunt, locus aliorum imperfectiorum ſunt.

Nota ſecundo.

Aduertendũ etiã vlterius, q̃ cũ ex perfecto fit imperfectum, dicitur corruptio. Cùm verò cõtra eſt, ex imperfecto perfectum,

ctum, generatio. Vnde cùm ex aqua aer, & ex inferiori elemento fit superius, generatio dicitur: contrà verò corruptio. Ob id dicit Aristo. ꝙ aqua est in potentia aer, sed non contrà, nisi altero modo; qa illa est generatio, hæc verò corruptio.

Ex his vult Arist. dicere, quòd elemẽta inferiora, cùm imperfectiora sint, tendunt ad locum superiorum, quæ perfectiora sunt, & habent se, vt partes; quia inferiora sunt quodammodo materia, ex qua superiora generantur: hæc enim generatio est. Dicitur autem pars inferius respectu superioris; verùm non est absolutè pars, sed quodammodo, quia aqua non cõponit aerem, nisi sui corruptione.

Determinandum autem est de his.

QVia hoc ad libros de generatione potius pertinebat, se remittit illuc, & excusat se de his, quæ dixit extra locum. Hoc tamen fuit, quia parũ attinebat ad tractationem hanc de loco, vt redderetur ratio, quare vnumquodq; maneret in loco proprio.

Concludit, quòd cum aqua, & inferius quodque sit simul actus, & materia, (quanquam non eodem modo, nam est potentia aer, qui dicitur actus; est verò actu materia ipsa,) & aqua habebit se, vt pars ad ipsum totum; & dum aqua perseuerat, & pars, tanget aerem, & erit in loco; at cùm conuersa fuerit in aerem, iam non erit in loco, sed vnum cum ipso.

Locus & locatum, vnũ quodãmodo cõponũt.

Possemus ista explicare sic, quòd locus et locatũ vnum totum quodammodo componant, in quo materiæ locum habet locatum, formæ verò ipse locus. Et sicut materia tendit ad totum ipsum, copulando se formæ, nec vltra formæ procedit; ita locatum ad locum. Est conueniens expositio.

Epilogus Aristo.

Concludit Aristo. se iam de loco quid sit, & quòd sit, ostendisse, vt dictum fuit à principio, ac consequenter qualis sit. Hæc Aristo. de loco.

An locus sit superficies continentis.

Quæst. III.

AEquum est, vt quæ diximus de loco circa textus expositionẽ, diligentius examinemus. Est enim de loco tractatio profecto admodum difficilis, in qua antiqui laborârunt multum. Ideò quid ipsi senserint circa loci naturam, oportebit considerare. Quatuor fuerunt sententiæ præcipuè de loco alij prætermissis, quæ fusè habes apud Simplicium in digressione de loco. Primæ tres existimabant locum esse spacium illud totum, quod occupatur à corpore, quod dicitur esse in loco: quod quidem spacium est longum, latum, & profundum; nec est idem cum ipso corpore, quod in illo est: imò eidem spacio succedunt multa corpora. Itaque locus cuiusque corporis, est spacium totum, quod ipsum corpus occupat secundum suam trinam dimensionem. Vt si imaginaremur vas omni corpore vacans, illud spacium esset distinctũ ab omnibus corporibus, in quod recipiuntur varia corpora. Tale spacium locum esse dixerunt.

Diuersitas sententiarũ de loco.

In quo cõueniebãt tres primæ.

Quod tamen spacium hoc esset, non eodem modo omnes dixerunt, ac in hoc fuerunt diuisæ tres sententiæ. Prima fuit Procli, cuius verba recitat Simpl. dicentis, hoc spacium esse corpus animatum, indiuisibile, immobile, & immateriale.

1. Sententia Procli.

Corpus quidem dicebat esse: quia spacium debet esse æquale locato; at non est æqualitas hęc nisi in corporibus, & quantis. Indiuisibile dicebat esse, id est, cuius partes non possunt separari: quia nõ est possibile separare aliquam particulã ab altera, nisi mediet spacium; hoc autẽ est ipsum corpus; est igitur inseparabile, & ob id immateriale dicebat esse. Vlterius, erat immobile, quia non posset moueri, nisi ad spacium aliquod. Hoc autem fieri non potest; esset enim locus ad locũ motus, & locus in loco. Imaginatur itaque hanc substantiam per totum mundum sparsam, in qua tota mundus est; in cuius partibus varia corpora particularia continentur, quæ & mouetur successiuè.

Secunda sententia fuit aliorum, qui hoc spacium non substantiam, sed solam quantitatẽ, & dimensiones existimabãt, & isti fuerũt Crysippus, & Epicurus, vt refert Themist. & Academici, vt refert Alb.

2. Sententia Crysippi, Epic. & Philop.

Huius

Huius etiam sententiæ fuit in præsenti Philop. Non tamen omnes eodem momo dixerunt, nam Epicurus dixit aliquãdo esse has dimensiones sine vllo corpore recepto in eis, & ita vacuum esse in natura: Academici verò, & Philop. non admittunt tales dimensiones vnquam esse sine corpore aliquo vno, aut altero, esse tamen distinctas à dimẽsionibus corporum singulorum: & sic defendit Philop. contra Aristo. & soluit rationes eius, & ipsum multum redarguit.

3. sentẽtia.

Tertia sententia est quorũdam, quos citat Auic. 2. lib. suffici. ca. 6. Hi dicebant hoc spacium esse quid reale, sed secundũ se, vacuum quoddam, cuius esse est carẽtia corporis ita, vt repleri possit. Et possumus hoc declarare. Demus secundum potentiam diuinam, vacuum vas, cùm id possit esse, tunc vasis extrema manebunt, sicut modò sunt distantiæ, & erit illud spacium medium, quod nõ est quid reale, tamen est vacuum, quod repleri potest. Hoc modo dixerunt isti esse locum, quamuis non detur expers corporis alicuius: quia vno recedente, alterum succedit.

4. Aristo.

Quarta sententia est Aristot. & est aduertenda. Putat spacium non esse quid distinctum à corpore, quod est inter extrema, vt spacium vasis interius non est aliud, quàm ipse aer, cùm plenum est aere, aut aqua, cùm plenum est aqua: aut quoduis aliud corpus, quod illic est. Tot enim sunt spacia, quot subintrant corpora. Nihil est idem illic nisi eadem superficies, continens modò vnum, modò alterum corpus. Ob id existimat locum nõ esse spatium, cùm nullum sit præter ipsa corpora, sed superficiẽm vltimam corporis continentis. Hanc sententiam sequitur Themist. & eam defendit Simplic. Alexan. & reliqui omnes, & modò recepta est omnium probabilissima inter Latinos.

At quia ista sententia non ità certa est, quin multis possit redargui, & oppugnari argumentis, proponam octo argumẽta Philop. & Epicureorum, quibus ipsorum sentẽtia probatur, & etiam aliquot argumenta nostra, quæ magnam etiam afferunt difficultatem.

1. Obiectio cõtra sentẽtiã Arist.

Primum argumentum Philop. Corpus, vt corpus, in loco est: sed corpus trinam dimensionem dicit: locus igitur trina dimensio est. Si enim corpus secũdum superficiem suam vltimam in loco esse dicas, hoc iam profectò non est corpus, sed corporis superficiem in loco esse.

ex trina dimẽsiõe.

Secundò, locus est æqualis locato: at locatum est corpus trinam habens dimẽsionem: locus igitur trina dimensio est. Si enim æqualitas loci solùm sit ad superficiem locati, hoc non est, locum locato esse æqualem, sed superficiem locati.

2. Ex æqualitate loci

Tertiò. Si locus est superficies, cùm hæc sit in aliquo corpore, erit locus mobilis ad motum illius corporis, cuius est superficies: at locus immobilis est.

3. Ex immobilitate loci.

Quartum est argumentum forte contra Aristotel. sequitur enim, quòd vltima sphæra non esset in loco: hoc tamen est falsum. Patet, illa sphæra mouetur verè localiter, igitur est in loco. Quo enim pacto, quod non est in loco, localiter mouerì potest? Nec sufficit dicere, quòd est in loco secundum partes, nam talis locus est in potentia, at motus localis iste in actu est.

4. Ex vltima sphęra

Quintò. Si locus esset superficies, sequitur quòd dum quis mutat locũ, non mutat nisi superficiem, ex hoc autem sequitur, quòd nulla distantia posset pertransiri, quod probatur. Quia cùm superficies sint indiuisibiles, quantumcunque cumulentur superficies superficiebus, nõ augebitur spacium, sicut nec cùm adduntur puncta punctis.

5. Ex motu locali.

Sextò probatur, quod sit spacium aliquod à corporibus distinctum. Mensura debet esse vna, distincta à corporibus mẽsuratis, sed corpora, verbi gratia: quæ vasis mensurantur, non solùm quoad superficies, sed quoad profunditatem ipsorum totam mensurantur: ergo re vera, est aliquod spacium mensurans dimensiones corporum, distinctum ab ipsis.

6. à ratiõe mensuræ.

Septimò. Multæ experientiæ docent non posse vnum corpus egredi ab aliquo loco, quin intret alterum, quod ideò fit, ne detur spacium vacuum, vt omnes fatentur: est igitur aliquod tale spacium, quòd sua vi trahit semper corpus, & quod natura non patitur corporis expers esse.

7. Ab experientia.

Octauò. Intellectu concipimus distantiam

8. à modo nostro intelligedi.

tiam, & spacium inter latera vasis, nullo concepto corpore ex his, quæ illic sunt, igitur spacium in sua ratione nullum dicit corpus, sed illam ipsam dimensionem. Hæc sunt argumenta Philop.

9. Ex mobilitate superficiei quę ponitur locus.

Sunt etiam argumenta alia ad probãdum non esse superficiem locum. Vndè sit nonum: stat aliquid in eodem loco manere mutatis multis superficiebus ambiẽtibus, non igitur superficies est locus. Antecedens probatur. Ponamus corpus aliquod in aere positum per tempus aliquod quiescere, & quòd aer venti flatu moueatur, est argumentum: illud corpus quiescens illo tempore manet in eodem loco, & tamen cum vento moueatur, aer noua, & noua secundum se totum, ambitur superficie: non ergo superficies locus est, esset enim tunc in pluribus locis.

10. Ex cõueniẽtia loci & locati.

Decimò. Si superficies esset locus, tũc superficies ignis esset locus aeris, sed hoc esse nõ potest, nam ignis aduersatur aeri: locus autem naturalis rei est conseruatiuus, non ergo est superficies. Quòd si dicas, quòd est locus naturalis: quia communicat in vna qualitate. Nihil valet responsio, nam hac causa facilius corrumpentur inuicem, quàm duo contraria elementa, quia minor est pugna, & minor resistentia. Duo autem omnino contraria magis durãt: quia ratione duarũ qualitatum contrariarum, & licet vna agat, altera defendit, & resistit.

11. à motu grauium.

Vndecimò. Si superficies, puta aquæ, locus esset terræ, terræ partes moueretur ad illam superficiem aquæ, & lapides. & reliqua grauia: at hæc prorsus ad centrum descendunt, non igitur superficies est locus.

12. Quia vnũ corpus duo haberet loca.

Duodecimò. Quia vnum corpus duo haberet loca, imò plura, quia est corpus partim in aere, partim in aqua, partim in terra collocatum, at nullus dicet, nisi ꝙ in vno est loco: superficies tamen multæ sunt, & distinctæ. Hæc sunt præcipua argumenta, quæ contra sententiam Aristo. fieri communiter possunt. Pro huius quæstionis determinatione respondetur aliquot conclusionibus.

1. Cõclusio cõtra Proclum.

Prima conclusio. Spacium illud non potest esse talis substantia, quam Proclus constituebat, probatur. Si talis substãtia est, vel est incorporea, vel corporea. Si incorporea, non poterit extensa esse, & profunda cum locato: hoc enim corpori inest. Si corporea, quantitatem ergo habet, penetrabiturq; cum corpore quolibet: at duorum corporum penetratio naturæ non conceditur, vt alibi probandum est, non igitur est spacium illud substantia.

2. Cõtra Philop. 1. Ratio.

Secunda conclusio. Spacium illud non est sola quantitas, aut dimensio realis, vt imaginabatur Philop. probatur. Si illa esset quantitas vlla realis, vtique penetraret se cum corpore locato, quod etiã admittit Philop. Sed quod id non possit esse, probat Themist. Nam sequitur, quòd duo corpora se possent eodem modo penetrare.

Si enim dicatur non posse, quæro, Aut id prouenit ratione qualitatum, aut ratione solius substantiæ aut ratione quantitatis. Ratione qualitatum esse non potest, quia multæ se penetrant in eodem subiecto, nam albedo, dulcedo, humiditas, frigiditas, in vnico lacte simul sunt. Non ratione substantiæ, quia substantia de se penetratur cum substantia, vt fõrma cum materia, anima cum corpore. Id igitur prouenit ratione quãtitatis, quòd si quantitas non obstat secundum opinionem hanc, profectò duo corpora se penetrabunt.

2. Ratio.

Præterea secundò. Si illud spacium quãtitas est, datur iam accidens sine subiecto, quod sine dubio magis est absurdũ, quàm dicere locum esse superficiem, imò illud est impossibile.

Respondet Philop. quòd illa quantitas semper est cũ corpore locato aliquo. Ista responsio nulla est, nam vel est in eo, vt in subiecto inhæsiue, vel non. Si non, iam est idem inconueniens, si autem sic, cùm postea eadem quantitas maneat recedente illo corpore, datur vnum accidens, quod migrat de subiecto in subiectum, quod profectò difficilius sustinetur, quàm nullum esse locum non est igitur tale spacium locus.

3. Concl.

Tertia conclusio, iudicio meo, probabilis est opinio, asserens illud spacium vacuum secundum se locum esse, nec in oppositum video rationem demonstrantẽ. Non enim admittit ista opinio tale spacium

cium vacuum vnquàm dari, quin sit repletum corpore, tamen in re esse tale spacium vacuum secundum se. Nec facile hoc negare possunt qui extra cælum ponunt spacium inane, & qui dicunt deum posse vacuum facere.

1. Ratio.

At non obstante hoc, est argumentum contra opinionem hanc. Vel illud spacium, secundum se est aliquid, vel nihil. Si nihil, non ergo locus est. Si aliquid tunc vel substantia, vel accidens, & recurrunt argumenta superiora.

Solutio eius & cõfutatio solutionis.

Quosti dicat, esse quid priuatiuum, nempe quòd potest recipere secũdum se: tunc argumentor. Vel illa potentia est aliquid, vel nihil, & semper argumentum procedit, donec conuincat illud esse nihil.

Possem ego respondere argumento, quod est quid priuatiuum habens potentiam, vt repleatur: Verum ista potentia non est in ipso, cùm sit priuatio sola, sed in corpore, quod illud replere potest, quidquid tamen dicatur, re vera difficultas manet.

4. Concl.

Quarta conclusio omnium opinionum facilima, & quæ minus patet calumnijs est Aristotelica, quod locus sit superficies continentis, & modo communiter est recepta, & iuxta eã nos procedemus in sequentibus, & conabimur argumentis omnibus propositis satisfacere.

Superficies dupliciter considerat.

Ad primum est aduertẽdum, quòd superficies dupliciter potest considerari, Vno modo, vt superficies est, & sic non est aliud, quàm latitudo sine profunditate. Altero modo, vt terminus est totius profunditatis ante se, & quòd huic accidit hac consideratione dicitur toti accidere corpori, vndè tactum dicimus inter corpora fieri, cùm tamen sit secundum superficies: tamẽ non est tactus ratione superficierũ, vt superficies sunt, sed vt profunditatis, & cuiusliberet dimensionis termini sunt.

Modò respondeo ad argumentũ, quòd corpus nõ est in loco ratione superficiei, vt superficies solùm est, sed vt totius vltimus terminus est. Ob id totum corpus in loco est, & locus tangens, totum corpus locatum dicitur tangere: & sic respõdet Alber. tract. 1. ca. 10. & sumpsit ex Auicen. hanc solutionem.

Ad secundum duplex ęqualitas.

Ad secundum respondeo ex Auerro. Com. 77. quòd duplex æqualitas est, & secundum dimensionem, & secundum cõtinentiam. Locus quidem non est æqualis æqualitate dimensionis, quia sic haberet profunditatem: sed est æqualis secũdum continentiam. Nec hoc est esse æquale tantùm in superficie, quia (vt diximus hic,) superficiem, vt terminus est totius corporis, consideramus.

1. Solutio.

Secunda solutio.

Aliter respondet Alber. tract. 1. c. 7. dicitque, quòd locus etiam habet profunditatem, non aliam à profunditate locati, sed eandem, Verùm locati est intrinseca, quam vocat per essentiam, loco est extrinseca, quam vocat secundum effectũ, quatenus illa superficies externa, quę locus dicitur, cum ipso locato vnum totum ambitum, & circunscriptum constituit, & vnum est centrum corporis locantis, & locati vt superius diximus.

Ad tertiũ Locus vltra superfiiiem ad dit. immobilitatem

Ad tertium respondet S. Thom. suprà text. 41. Pro cuius intellectione aduerte, quòd locus non solùm est superficies cõtinens: sic enim non differret à vase, sed vlterius addit immobilitatem, quòd sic contineat, vt sit immobilis, & fixus. Hæc autem immobilitas est secundum distantiam quandam à partibus mundi, & secundum situm, qui distantia immobilis est, vt hic situs, & distantia, quam ego à cælo habeo, & à reliquis omnibus non mutatur, sed quoquo tendam, situs, & distantia alia erit. Locus igitur est superficies continens cum certo situ, & distantia. Et ratione huius, locus mutari nõ potest, nec vllo modo cum re ipsa discedere, sed ipse manet re non manente.

Respondeo ergo ad argumentũ: ꝙ superficies, vt talis est, mutatur ad subiecti mutationem: at cùm distantia, & situs, q̃ ad loci naturam requiritur, sit eadem, & non varietur, locus immobilis est. Non enim esse in loco est contineri, sed sic cõtineri, cum distantia, & situ determinato, & immobili. Solutio notanda est.

Ad 4.

Ad argumentum quartum non oportet respondere, quia de loco cęli fiet quęstio paulò pòst, & id examinabitur.

Ad 5.

Ad quintũ responsio facilis est, admittendo superficies additas superficieb⁹ nõ augere profundum, & locum esse superficiem. Tamen neganda est consequentia, quòd

quòd non pertranseatur distantia. Debebat enim Philop. aduertere, quòd spaciũ, quod pertrañsitur, lõgum est, & locus etiam longus est; non enim est simpliciter indiuisibilis, ob id spacium transitur. Nec via secundum profunditatem, sed secundum longitudinem consideratur, & peragitur: nõ fit enim localis motus per profundum, sed per longitudinem.

Ad sextũ. Ad sextum respondeo, quod vas, & locus potest esse mensura profunditatis: sed non est opus, quòd per profũditatem, & distantiam aliam à corpore, ꝙ in loco est. Mensuramus enim profundum, quia ex corporibus receptis in vase cognoscimꝰ, quantum distẽt extrema vasis, qua distãtia postea à quocunque corpore particulari abstracta, postea mensuramus singula corpora. Sicut qui duos digitos distantes poneret, & aliquo corpore cognosceret quantum distarent: posteà distantia illa à corpore tali cognita, & abstracta mensuraret quidquid inter digitos esset.

Ad sept. Ad septimum argumentum: Respondeo veras esse illas experientias omnes, quod non intrat vnum corpus, nisi aliud egrediatur, nec potest vnum egredi, nisi aliud intret: & verum est causam esse, nè detur vacuum, sed non dari vacuum est dicere, nè partes continentis simul iungantur: non quòd sit aliquod spacium, secundum se vacuum, cum non sit aliud spacium, quàm corpus intermediũ, quo ablato, opus est, si: spacium inter duo extrema, si non aliud esse potest, extrema iunguntur.

Nota. Hinc apparet, quòd cùm extrema fortia sunt, non potest egredi corpus, nisi aliud succedat, vt in clepsydra: quòd si debilia, statim iunguntur, vt in vtre: quòd si fortia sunt, tamen fit magnus impetus, vt corpus egrediatur, nec ita facilè aliud intrare potest, rumpitur continens, qua causa sæpe rumpuntur bombardæ, quia ab aere nõ ita facilè repleri possunt, igne fortissimè egrediente.

Quòd si re vera illud spacium esset, dicat mihi Philoponus, cur saltem per paucum temporis non datur expers corporis, cùm tam stupenda fiant in natura, ne vacuum maneat. Signum ergo est non esse aliud spacium prẹter corpus egrediens, quo deficiente, ab alio succurri debet. Atque hæc solutio in via Aristotelis est tenenda: sed iam dixi, quòd opinio Aristotelis probabilitatem habet, non necessitatem.

Ad octauũ. Ad octauum dico, quòd quantumcunque spacium intelligatur inter duo latera vasis non intellecto corpore aliquo in particulari, non tamen sequitur, quòd sit tale spacium præter particularia corpora. Mathematicus enim separat quidem, & abstrahit triangulum à corpore, non tamen ob id triãgulus est in re aliquis, qui sit præter particulares.

Dicit enim Themist. & Simpl. & benè quòd ex eo, quòd in illo vase omnia corpora, quæ recepta sunt, vidimus æqualia, indè in communi sumpsimus certam distantiam inter illa latera abstrahendo à particularibus corporibus: Et sic argumenta Philop. manẽt soluta, saltem probabilioribus solutionibus, quàm sit ipsius opinio concedentis penetrationem, & transmigrationem accidentis in plura subiecta.

Superest ad alia quæ proposuimus argumenta respondere.

Ad nonũ. Ad nonum ergo aduertendum, quòd diximus solutione ad tertium, quod locus non solùm est continens, sed distantiam, & situm dicit. Est autem hoc obseruandum, quòd vnitas, vel pluralitas locorum non ex sola superficiei vnitate, vel pluralitate est sumenda, sed præcipuè ab ipsa distantia, & situ. Potest enim esse, quòd plures sint superficies, & succedant aliæ alijs: non tamen multiplicetur locus, quia manet eadem distantia, & situs, Et contra, mutato situ, mutatur locus, etiam perseuerante superficie.

Nota quõ locus cõcludat distantiã ad pũcta cęli. Nec propterea dicimus solam distantiam locum esse, est enim superficies etiam, vt dicetur posteà. Dico igitur ad argumentum, quòd si solam nos diceremus superficiem locum, tunc mutata essent loca: at locus superficies immobiliter continens est, & donec manet superficies aliqua, cùm eodem tamẽ situ, idem est locus: non tamen esset locus si nulla esset superficies ambiens.

Ad decimum. Ad decimum diximus iam de loco elementorum in prima quæstione. At circa dispositionẽ hanc, & constitutionem ele-

Nota de locis & cõstitutione elemẽtorum. elementorum aduerte, qood illa elementa coniuncta sunt, vt locus, & locatum, quæ contrarietatem habent, sed nõ multum actiuam, & destructiuam; sicut ignis & aer, communicant enim in calore, quę qualitas est actiua valde; quod si contrarietatem habent, id est, in sicco, & humido, quæ non multum actiua sunt, ob id melius conseruantur, quàm ignis, & aqua. Vlterius. terra cum aqua in frigiditate conueniunt, quæ actiua multum est; at in humido & sicco pugnant, quæ non sunt valdè destructiua. Aer verò, & aqua, quamuis in calore & frigiditate pugnent, non tamen est admodum intensus calor aeris, vt possit corrumpere aquam frigidam; nec frigiditas aquæ prẹualere potest contra magnitudinem aeris. Vide igitur, quàm conuenienter, & pro conseruatione cuiusque propria sint disposita elementa.

Ad vndecimum. Ad vndecimum Alber. tract. 1. cap. 11. notat, quòd quantò corpus magis proximum est cælo, tantò est calidius; quantò autem magis elongatur, tanto frigidius est. Hinc est, quòd ignis est calidissimus; aer minus calidus; aqua frigida: centrum terrę frigidissimum. Notat vlterius, quòd corpus tendit ad locum naturalem prẹcipue, vt conseruetur; vnde fit, vt vbi magis cõseruari possit, & magis viget virtus cõseruatiua, illuc tendat. Cumq; ignis magis conseruetur prope cælum, cùm ipse calidissimus sit, ideo tendit semper vsque ad cælum; & aer consequenter vsq; ad ignem, qua ibi suum habet calorem non ita vehementem. At terra non ad aquæ superficiem tendit, quia licet locus sit naturalis, non tamen ibi virtus ipsius conseruatiua residet, sicut in centro, propter maximam elongationem centri à cælo; ob id ad centrum tendunt grauia.

Solutio. Alberti.

Contra Albertũ. Sed contra hoc est argumentum. Nã quo tendit lapis, vel est locus naturalis, vel non. Si non: non est motus naturalis: Si verò est; ergo præter locum aquæ alius est naturalis. Quòd si dicas esse locum partis naturalem, non valet. Nam qui locus est totius, idem & partis. Præterà. Si superficies aquæ locus est naturalis; iam descensus lapidis versus centrum esset violentus, quia elongatur per eum lapis à loco naturali. Est autem motus violentus, per quem corpus magis à naturali loco elongatur. eadem solutione Alebr. vtitur Iandu. q. 7.

Solutio. Authoris. Mihi videtur esse dicendum, locum terrę naturalem esse sub aqua, & aere ita, vt nunquam super aquam, aut aerem esse possit, vbicunq; sit: ita aqua sub aere est, vbicunque sit. Si igitur lapis deorsum descẽdit in centrum, ex eo est, quòd aerem, vel aquam sub se inuenit, & locum habet sub ipsis; & sic descendit aqua, dum aerem inuenit sub terra, quousq; terram attingat; & aer statim ascendit, cùm ab aqua occluditur. Et hæc doctrina obseruãda est.

Ad duodecimũ. Nota, quę sunt vnũ in aliquo gẽne, posse esse plura in alio. Ad vltimum respondetur ex 5. Meta. c. de vno; vbi dicitur. Quæ sunt vnum in vno genere, sunt plura in alio genere, & quæ sunt plura in vno, in alio genere vnum sunt. Vt vna domus dicitur in ratione figuræ, cùm tamen multæ sint substantiæ, ita multæ superficies, & discontinuæ in ratione superficierum faciunt locum vnum, & continuum in ratione loci. Cõtinuus enim locus dicitur, cùm cõtinui partes omnes nulla intermedia amplectitur: & sic manent argumenta soluta, quæ contra Aristot. facta sunt. Hæc de quæstione.

An locus formaliter sit superficies.
Quæstio. IIII.

Rõ difficultatis. HOC dubium mouetur propter Latinos qui exactiꝰ, omnia perquirere solent. Est aũt difficultas; cum locus non sit tantùm superficies, sed qd aliud, an forma & natura loci cõsistat in alio, an in superficie.

Prima sentẽtia lãd. Circa hoc Iandu. q. 5. dicit, in loco duo esse. Alterũ est ipsa superficies, & hoc est subiectum loci. Alterum est virtus cõseruatiua, & hoc est ipsiꝰ forma. Adeo, quòd tota natura loci sit ista virtus; superficies enim subiectum est, non de natura eius, vnde infert, locum esse in secunda specie qualitatis.

1. rõ. Iand. Hanc sententiam probat primò. Locus definitur per superficiem, vt per subiectum, cùm sit accidens; accidentia autem per subiectum definiuntur; igitur aliud quid locus est præter superficiem. Non videtur autem quid aliud locus sit, nisi

nisi illa virtus conseruatiua.

Secunda. Secundò. Quia sursum, & deorsum sunt contraria loca; & contrarietas non est in superficiebus, sed in qualitatibus: ergo locus qualitas est.

Tertia. Tertiò. Quia locus conseruat locatũ; hoc aũt qualitati potius, quàm superficiei inest; ergo qualitas est. Hæc Iandu.

Secunda sententia Scoti. Altera est opinio Scoti, Quodli. 11. quę communiter est opinio realiũ. Hi dicunt, locum dupliciter considerari. Vno modo materialiter, & sic superficies est. Altero modo formaliter, & sic relatio est: hęc autem relatio est alia continentiæ, qua locatum continet, & alia distantię, quam habet vt sit immobilis, ad mundi partes, vt superius diximus.

Probatio Scoti. Probatur hæc opinio. Locus est superficies cum tali relatione duplici, sed superficies contrahitur per talem relationem, vt sit locus: ergo locus formaliter est relatio: nam constituens, vt determinans, formæ locum habet.

Tertia sententia. Tertia est opinio quorundam Modernorum, qui dicunt locum esse in prædicamento Vbi; & probant: Probatio. Quorum sunt cædem species, sunt idem genus: sed locus, & Vbi easdem habent species, puta, sursum & deorsum: ergo sunt idem genus. Minor probatur; nam maior cum consequentia nota est; quia ad Vbi respõdetur per sursum & deorsum: vt vbi est ignis? sursum, vbi terra? deorsum. Vlterius, etiam de loco prædicantur: omnis locus aut sursum, aut deorsum est, dixit, Aristo. tex 30. Hæc sunt aliorum dicta, & rationes.

Prima cõclusio cõtra land. Probatur primo. In hoc tamen sit prima conclusio. Locus non est qualitas essentialiter. Hæc est contra Iandu. & quanquam satis est certa, probatur tamen. Aequalitas, & continentia sunt passiones saltẽ fluentes à natura loci, & forsan differentiæ ipsius: sed qualitatem nulla sequitur æqualitas, & continentia; hæc enim quantitatis propria sunt; non ergo locus est qualitas.

Secundò. Prætereà. Si locus esset qualitas conseruatiua, vtique susciperet magis, & minus; quod falsum est. Locus enim non est magis locus, sed maior locus, quod quãtitati conuenit. Attende aũt, quod nõ negamus esse qualitatem conseruatiuam in loco. Est enim; sed dicimus non esse illam essentiam loci, sed proprietatem adiunctam, & comitantem locum ratione subiecti, in quo illa superficies, quæ locus est, inest.

Secunda conclusio cõtra Scotum. Secunda conclusio. Locus formaliter non est relatio aliqua. Hanc eisdem argumentis probo. Quia re vera, locus, vt locus, non esset æqualis; & locus, vt locus, non esset in prædicamento quantitatis, contra Aristotel. In re enim formale inspiciendum est. 1. Ratio.

Secunda. Sed pręcipuum esse arbitror argumentum nostrum contra illam Scoti distinctionem. Peto enim, an essentia tota loci sit relatio; an superficies cũ relatione. Dicerẽ, ꝙ sola relatio, videtur omninò non recipiendum. Si ergo est superficies cum relatione, locus profectò esset vnum per accidens, quia ex duplici prædicamento componitur, puta, ex quantitate, & relatione. Non ergo distinguere oportet vnũ materiale, alterũ formale, & quod absurdius est vtrumque in recto prædicare de loco, vt ipsi faciunt dicentes, locus est superficies, & locus est relatio.

Tertia cõclusio cõtra tertiã sententiã. Tertia conclusio, Locus non est prędicamentum Vbi. Hæc conclusio ex declaratione vtriusque, puta loci, & ipsius Vbi nota fiet.

Perpende igitur, quod sicut albũ esse, et albedo differunt, ita quodãmodo Vbi, & locus. Albũ esse, est effectus ipsius albedinis, eò enim, qđ albedo in subiecto cõsideratur, fluit albũ esse. Ita intellige; locus est superficies continens; Vbi, est esse in loco, & contentum esse à loco. Vnde dicebat Gilber. Vbi, est circunscriptio corporis à circunscriptione loci proueniens, id est, Vbi, est circunscriptio passiua à loco circunscribente proueniens. Vt ergo aliud est Roma, aliud esse Romę; aliud classis, aliud esse in classe; sic Vbi, aliud est à loco.

Quarta cõclusio. Quarta conclusio. Locus (formaliter loquendo) est superficies, non quęcunqi, sed corporis continentis immobiliter.

Primum fundamẽtum. Pro declaratiõe aduertendum, multò aliter se habere naturam substantiæ à naturis accidentium. Substantię natura est absoluta, nõ completa per aliquid, quod non sit substantia. Accidentium verò natura incõpleta est; à substantia enim pendet, & in substantia perficitur.

Quomodo differant essentia substãtiæ, & accidentiũ.

Vnde

Vnde sequitur vnum notãdum, quod cùm substantiæ naturæ non dependeant ab alio extra se; omnia sua genera, & differẽtias habet in se, quę sunt pariter substantia.

At accidentia, cùm à substantia dependeant, nõ habent in se completam naturam, nec omnes differentias in proprio genere habent, sed dependenter à substãtia, & à subiecto habent.

Prædicamenta accidẽtium distinguũtur penes substãtiã. Hinc est, ꝙ Arist. 4. Meta. c. 2 Prædicamenta penes substantiam distinxit, & li. 7. cap. 5. docet accidentia definiri per additamentum, id est, per differẽtiam extra proprium suum genus; & sic definimus communiter passiones proprias per subiecta, nec aliter definiri possibile est.

Secũdum fundamẽtum. Ex hoc etiã sequitur secundum fundamentum, quòd non omne id, ꝙ in definitione proponitur vt determinans, est forma rei essentialis, & ei interna, cum differentiæ in accidentibus à subiectis sumantur; vt simitas est nasi curuitas, nasus cõtrahit, sed non ob id simitas est formaliter nasus. sed est curuitas, & tota ipsius essentia est talis curuitas, puta nasi.

Non omne ꝙ in definitione ponitur vt determinãs, est forma essentialis. Nota essentiam loci. Sic pari modo dico, locus definitur ꝙ subiectum: subiectum loci est tale corp⁹, quod continet rem immobiliter, vt declarabitur postea. Locus autem est huius corporis superficies prima, essentia tamen loci formaliter superficies est, contracta quidem differentia materiali subiecti, sicut in definitione simitatis. Vndè locus non est relatio, sed superficies habẽtis relationem ad locatum.

Nota secũdo. Locus est quantitas formaliter. Et proinde locus quantitas est formaliter; nam cùm differentia à subiecto sumitur, non est constituenda res in prædicamento talis differentię, vel potius eius, à quo sumitur differentia, sicut simitas non est in prædicamento, vbi nasus, sed in qualitate formaliter.

Nota quomodo à subiecto sumãtur differentiæ accidentium. Et vt exactius intelligas, non dico tibi, quòd ipsummet subiectũ sit differentia, sed quòd penès ipsum sumatur differentia. Differentia enim est modus accidentis ad tale subiectum ita, vt subiectum sit, quod complet differentiam; & demum perinde iudica de loci definitione, ac de definitione simitatis, & alterius proprij accidẽtis in abstracto. Et hæc sunt nota tu digna.

Solutio argumentorum. Ad primũ Iandun. Superest, vt soluamus argũmenta. Ad primum Iandu. responsio est, quòd non tantùm superficies est locus, sed talis superficies, puta, corporis continentis; nõ tamen, quòd sit virtus conseruatiua. Nec locus definitur per superficiẽ, vt per subiectum, sed vt per genus, sicut simitas per curuitatem. Nec locus est, vt album: est enim abstractum locus, non concretum: Abstracta autem per propria genera definiuntur.

Ad secundum. Ad secundum dicimus, Sursum & deorsum esse loca contraria, sed non ratione qualitatum. Sic enim essent contraria actiua, & passiua inter se, quod falsum est; sed sunt contraria, quia oppositas habent distantias, & situs; & ob id sunt termini motuum diuersorum corporum, puta, grauium, & leuium. Sunt etiam cõtraria ratione qualitatum; sed non propterea sequitur, quòd essẽtia loci sit qualitas; sicut ignis, & aqua cõtraria elementa sunt ratione cõtrariarum qualitatum, sed non ob id elementa ipsæ qualitates essentialiter sunt. Argumentum certè est satis debile.

Ad tertiũ. Ad tertium pari modo respondeo. Locus conseruat quidem ratione qualitatum, quas habet; sed non ipsa qualitas locus est. Et sunt multę instantię circa argumenta ista, quę aduertẽti vel minimũ nota erunt.

Ad argumentum Scoti. Ad argumentum Scoti respondeo, quòd relatio illa contrahit, sed se tenet ex parte subiecti ipsius loci. Locus enim est superficies continentis, & talem relationem habentis; ob id locus non est relatio, sed superficies. Et iterum nota solutionem, quia argumentum Scoti traxit multos in suam sententiam propter vim apparentem, sed iudicio meo puto non esse doctrinam certam, & peripateticam.

Ad vltimum. Ad vltimum dicendum est, quòd sursum, & deorsum sunt in loco, & sunt in Vbi, sed æquiuocè, sicut acutum in ferro, & in voce. Vox enim acuta, & gladius acutus, non tamen idem vox, & ferrum; sursum, & deorsum sic sunt in loco. Locus enim est superficies continentis, hæc autem est continentis sursum, aut deorsum.

Vbi verò, est esse in loco, hoc est, aut

esse sursum, aut deorsum; vnde vt differunt loc?, & esse in loco, ita locus sursum & deorsum differunt ab esse sursum in loco, aut esse deorsum. Quare cùm dicimus ignis tendit sursum, terra deorsum, tunc significant locum; cùm verò dicitur ignis sursum est, terra deorsum est, significant Vbi. Ob id non sunt in re eædem species, ac consequenter non sunt idem Locus, & Vbi. Ex prædicamentis constat.

An locus sit im mobilis.
Quæstio. V.

Quib? rōsilibus veteres asseruerint locum esse immobilem.

ANtiqui locum esse immobilem cognouerunt, vt referunt Simplic. Themist. & Philopo. vnde inter suppositiones loci, vnam posuit Eudemus, locum esse immobilem Et meritò, vt dicit Themist. quia locus est terminus motus localis. Termini autem est immobilem manere; aliter vix attingi posset.

Præterea, quia moueri, est locum mutare; quòd si locus mutaretur; profectò, qui per se mouetur, locum non mutaret. At quomodo locus sit immobilis, non omnes conueniunt.

Primum argm̄ locū nō esse immobilem.

Vndè circa hanc quæstionem est argumentum in oppositum. Locus est accidēs corporis alicuius mobilis, puta, ipsius cōtinentis; sed omnia accidentia mouentur ad motum subiecti; locus igitur mobilis est.

Secundū.

Secundò. Cælum est locus ignis, tamen mobile est. Et vnum elementum locus est alterius; at elemēta mobilia sunt, ergo & locus.

Tertium.

Tertiò. Si locus immobile quid esset, à Physico non consideraretur, qui mobilia speculatur; at Physici est de loco disserere; est ergo mobilis.

1. Sententia Iandu. ex Auerr.

Aduertendum, quòd circa loci immobilitatem duo sunt modi dicendi. Alter est Iandu. q. 6. sequentis Auerro. com. 41. locum mobilem quidem esse non per se, sed per accidens ad motum subiecti: sed immobilem dici dupliciter. Vno modo, quia ad motum corporis, quod in loco est, non necessariò mouetur, sed manet locus recedente corpore. Altero etiam modo, quòd non mouetur illo motu, quo mouetur corpus ad ipsum locum. Non est sicut albedo, quę mouetur aliquo modo motu tendentis ad albedinem. Non sic locus, sed ipse manet; corpus est, quod ad ipsum mouetur; nec locus versus locatum tendit. Ita explicat loci immobilitatem; & videtur Philo. priori modo explicare. Et non est dubium hanc doctrinā esse veram. Est enim locus sic immobilis, vt non moueatur ad corporis motum. Cum enim cum corpore locato mouetur; iam non loci, sed vasis obtinet rationem. Idē Phil.

Alij verò longè melius aliam maiorē loci immobilitatem ponūt, vt nullo modo moueri possit, idem perseuerans, & est opinio Realium, & sumunt eam ex S. Thom. supra tex. 41. dicunt vnumquemque locum habere certam quandā distantiam à mundi partibus, qua variata non est idem locus; & qua manente idem est locus, etiam mutatis superficiebus continentibus, & secundum hanc relatiōem distantiæ locus est immobilis prorsus. Nā licet recedat cum corpore continente superficies, iam nō est idem locus, vbicunque sit, quia non habet eandem distantiæ relationem, quæ loci vnitatem præcipuè facit; & sic explicant loci immobilitatem. 2. Sēcētia p̄stantior ex D. Th.

Et re vera mihi placet hæc immobilitas: aliter enim oportebat dicere, quod si ego quiesco hic, & mutatur superficies, quod non sum in eodem loco; quod non est concedendum. Vt ergo dicar in eodem loco perseuerare, oportet loci immobilitatem prorsus constituere.

At contra horum sententiā solent duo fieri argumenta. Primum est. Illa relatio distantiæ, quæ est in superficie continente, est accidens in subiecto existens; ergo mouetur ad motū subiecti, & ita est mobilis per accidens; imò sequitur, quòd etiam si quis non moueatur, quòd loca omninò mutentur, mutatis superficiebus quia mutantur relationes, & succedunt nouæ relationes ex parte subiectorum, quæ multa succedunt. Primū argu. contra sententiā D. Thom.

Ad hoc respondeat subtiliter profectò Reales, quòd illæ relationes mutantur in indiuiduo mutatis subiectis, & superficiebus continentibus; non tamen mutantur in specie: quia omnes sunt ad eundē termi- Solutio.

terminum distantiæ, & sufficit ad vnitatem loci numeralem, quòd sint relationes distantiæ eiusdem speciei, & ad eundem terminum, & consequenter sic non mouetur ad motum subiectorum; nam in specie eadem manet relatio.

Secūdum arg. cōtra D. Thom.

Alterum sit argumentum. Quia, dato casu, quòd cælum mutaretur, profectò ego manerem in eodem loco isto, si non discederem ab eo; & tamen relatio mutaretur, quia iam partes mundi mutatæ essent.

Solutio quorūdā.

Ad hoc respōdent, quòd non est opus intelligere has orbis partes veras, sed imaginarias; quod est dicere; relatio distātiæ non est opus, quòd sit, & sumatur à polis mundi his, sed à polis, & partibus, à quibus imaginamur aliquid distare; & hæc semper restat, quantumcunque mutentur corpora cęlestia, & orbis partibus, ita dicūt Reales locum esse immobilem, ac mihi hæc opinio placet, nam, re vera, locus videtur sic esse immobilis, ita vt variari nequeat.

Solutio authoris.

Sed tamen non est dicendum, quòd locus sit talis relatio distantiæ; nec quòd in loco relatio includatur, vt quæstiōe præcedenti ostendimus contra Scotum, sed quòd illa immobilitas sumatur penes eūdem modum sic se habēdi, nempè, quòd superficies sic se habet, vt talis modus se habendi non sit alibi: at hunc modum se habendi explicamus per relationem distantiæ, non tamen, quòd sit re vera illa distantiæ relatio. Et credo sine dubio hoc esse admodum rationabile. Quis enim credet esse relationem realem ad terminos imaginarios, nisi illa relatio non esset, nisi imaginaria ad loci immobilitatē explicandam?

Ad 1.

Ad argumentum igitur primum respondeo, quòd superficies quidem mouentur ad motum corporum, tamen illa fixio, & immobilitas, quæ per dstantiam explicatur, eadem manet, etiam superficiebus succedentibus pluribus.

Ad 2.

Et eodem modo respondetur ad secūdum. Corpora enim mouentur, & elemēta: id tamen, quod loci rationem facit, non mouetur, & hoc etiam docet Aristo. qui cælum, locum immobilem vocat, quia quantumcunque moueatur circulariter, illum tamen situm, & velut distantiam non mutat, & hoc est testimonium contra Iandu. & Auerroem, quòd de hac immobilitate, quam S. Thom. exponit, sit Aristoteles intelligendus, cùm dicit, locum esse immobilem.

Ad 3.

Ad tertium dicimus ex Simplic. in principio lib. quòd locus, quamuis sit immobilis, à Physico consideratur, vt est terminus motuum corporum naturalium. Quæ enim Physicus considerat, sat est, quod aut mobilia sint, aut ad motum habeant ordinem.

An res incorpore æ sint in loco.
Quæstio. VI.

BReuiter à nobis hæc difficultas est dererminanda, vt saltem explicatiōem terminorum habeamus, & nudam duntaxat veritatem. Non enim loci præsentis est eam omni ex parte discutere, cum sit potius quæstio Theologica.

Dupliciter aliq̄d ē in loco, definitiuè & circū scriptiuè.

Aduertę igitur, quod dupliciter apud Theologos, dicitur aliquid esse in loco. Vno modo definitiuè, altero modo circū scriptiuè. Id definitiuè est in loco, quod sic est alicubi, quòd extra illum locū non sit. Sic enim in suo quisquis est loco, vt ibi existens non sit in alio. Hoc enim est definiri, vel esse definitiuè in loco, esse loco alicui præsentem secundum suam propriam substantiam: vt Angelus hoc modo potest esse in loco, tum est præsens loco alicui per suam præsentiam, cum ibi operatur. Quid sit esse definitiuè.

Nota

Nec est esse definitiuè in loco, vt aliqui putant, quòd sit aliquid totum in aliquo toto. & totum in qualibet parte, sicut anima est in corpore, quia est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte: hoc enim non est ratio formalis existendi in loco definitiuè. esse sic alicubi, quòd non sit simul alibi: hoc enim est definiri loco, & terminari loco, vt diximo, siue sit totum in toto, & totum in qualibet parte, siue non. Vnde anima non dicitur esse definitiuè in aliqua sui corporis parte, vt, v.g. in pede, quia etiam simul est in manu: at in toto corpore est definitiuè; quia non est alibi.

Quid sit esse in lo-

Esse autem circunscriptiuè, est sic esse in loco, vt non solùm non sit alibi, sed etiam

co circunscriptiuè. iam commensuretur loco; vt vbi vna est pars, non sit alia; & pars locati parti loci respondeat, sicut corpora in loco sunt circunscriptiuè; habent se ergo, vt superius; & inferius. Quidquid enim est circunscriptiuè in loco, est etiam definitiuè; non tamen, quod est definitiuè, est circũscriptiuè; nam incorporea esse possunt in loco definitiuè, sed non circũscriptiuè, vt modò dicetur.

1. Conclu. Est ergo prima conclusio. Gloriosus Deus est quidem in omni loco; & vbique, sed tamen, nec circunscriptiuè, nec definitiuè est alicubi, sed alio modo. Hæc est nota. Non enim est circunscriptiuè, quia non est diuisibilis, vt circumambiatur loco, & pars parti loci respõdeat; nec est definitiuè, quia vbique est, & in toto mundo, & extra mundum, nullo definitus termino, nullo circunscriptus spacio. Modus itaque existendi Dei in omni loco est potius vocandus incircunscriptus, & indefinitus, secundum essentiam, præsentiam, & potentiam.

2. Concl. Secunda conclusio. Angeli, licet incorporei, in loco esse possint definitiuè, sed non circunscriptiuè. Definitiuè quidem, quia sic alicubi, quòd non sit simul alibi; dum enim in cælo sunt, non sunt in terra, & dum in hoc terræ loco sunt, simul alibi non sunt; nec in omni loco esse possunt, vel in pluribus simul locis, nisi fortè per diuinam potentiam. Sed circunscriptiuè non sunt, quia non habent quantitatem, nec corpulentiam, & inde prouenit, quòd non sic occupent locum, vt partes partibus loci respondeant, vel circunscribantur, imò in puncto possunt multi simul Angeli esse.

3. Conclu. Tertia conclusio. Sola corpora in loco sunt, tam definitiuè, quàm circunscriptiuè, per se: at ipsorum partes, & accidentia per accidens, quia in ipsis totis sunt. Et de hoc modo existendi in loco Aristotel. loquitur in præsenti: & ad Physicum, de hoc tantum pertinet tractare. Sic enim in loco esse, ratione quantitatis fit, & similiter ratione motus, qui corporibus inest naturalibus. Et ita est intelligendus Aristotel. cum dicit. incorporeas substantias non esse in loco. At de his satis.

An vltima sphæra sit in loco.

Quæstio VII.

DVbium hoc præcipuũ est in hac materia propter summã ipsius difficultatem. Sunt. n. varię sententiæ insignium Philosophorum, qui rem fecerunt difficilem. Quantum ego potuero, conabor sententias aliorum ex locis proprijs proponere fideliter, atque discutere.

Rõ difficultatis. Causa ergo huius difficultatis est, qd cùm vltima sphæra alicubi sit, & motu locali moueatur, absq; dubio ei debetur locus aliquis, cum tamẽ non habeat extra se aliquid continens, & circundans, & iuxta Arist. talis debeat esse locꝰ, nõ videtur esse in loco; vel saltẽ alterius rõnis locum habebit; & quis hic sit, quæritur in præsenti. In hac parte, quid Arabes, qd Græci, quid Latini sentiant, aperiam; & quod mihi probabilius est, proponam.

1 sẽtentia Alphara. & Auẽp. Apud Arabes fuit res hęc varia. Auẽp. & Alpharabius, vt refert Auerr. Com. 43. fuerunt in hac snia, qꝯ aliter debetur locꝰ corporibus motis rectè, puta, sursum, aut deorsum; & corporibus motis circulariter. Ratio sumitur ex diuersitate lineę rectę, & circularis. Linea recta de se imperfecta est, & additionẽ patitur; quare si terminari debet, est per aliquid extra lineã, qꝯ ipsam vlterius abire non sinat. Linea verò circularis perfecta est, nec patitur additionẽ, ob id non indiget aliquo terminãte extra se, sed solũ terminatur per id, qꝯ intra se ambit, quia ipsi cõmensuratur. Hinc dicunt, quod corpori, quod mouetur per lineã rectã, debetur locꝰ ambiens extra. & sic talia corpora sunt in loco circunscribente extra. At corpori circulariter moto solũ debetur locus intra: Sic aũt est conuexum corporis contenti; & sic putant sphæras superiores esse in inferioribus, vt in locis, non ècontra.

No. differentiam inter corpora, quæ mouẽtur motu recto, et illa quę circulariter.

Not. qui locus vtri que illorum corporum debeatur.

Refellitur hæc sententia. Ista sententia subtilis est, sed non mihi placet. Primò est contra Arist. qui inferiores orbes in superioribus cõstituit in tex. 46. Præterea quia isti fugientes difficultatem, quomodo vltima sphæra sit in loco, non incidunt in aliam; nam cælum lunæ nõ erit in loco, nisi in igne; ignis in aere; aer in aqua; aqua in terra; iam terra non habebit locum vllum.

Secun-

2. Sententia est Auicen. Secunda sententia est Auic. 2. suffi. c. 8 quòd vltima sphæra non est in loco vllo modo: dicit tamen, quòd non mouetur localiter, sed motus ipsius est ad situm, & ita contra Aristot. habet motum esse aliquem, qui non est ad substantiam, nec ad quantitatem, nec ad qualitatem, nec ad locum, puta, illum, qui est ad situ, & talis est motus circularis.

Refellitur hæc sentẽtia. Ista sententia non est recipienda, cùm sit contra Arist. & præterea est vna ratio cõtra ipsum: quia situs essentialiter claudit locum, vel certè supponit locum, vt partes rei situentur in loco. Est enim situs ordo partium ad locum: non igitur situm potest habere, nisi simul locum.

3. Sententia est Auer. Tertia sententia est Auer. com. 43. planè absurda. Dicit cælum esse in loco per suum cẽtrum; nempè, quia centrũ suum habet in loco: & ita fatetur cęlum per accidens habere locum, imò ait (quod perus est) quòd talis locus per se competit corporibus circulariter motis.

Ratio Auerr. Ratio Auerr. est: quia per id res habet locum, per quod habet firmitatẽ, & immobilitatem; at per cẽtrum firmitatem habet, quatenus idem semper manet; per id igitur locum habet.

Secundũ Auerro. aliud est moueri cælum secundum subiectũ, aliud secundum formam. Notat autem, quòd cælum totum per se mouetur nõ secundum subiectum, sed secundum formam. Vocat moueri secundum subiectum, cùm totum cælum moueretur mutando centrum, vel ad vnam partem, vel ad alteram partem; & hoc non fit. Semper enim circa idẽ centrum mouetur cælum. Vocat moueri secundum formam: quia nouo, & nouo modo se habet secũdum omnes sui partes cum centro. Quod apparet, si lineis ipsum cælum diuidas per centrum, videbis nouo modo se habere cælum, dũ mouetur ad ipsum centrum: permutantur enim lineæ, & succedunt alię alijs, & hoc est moueri, vt ipse ait, secundum formã. Sed non mihi placet hæc sententia, & sanè miror aliquos fuisse, qui hanc receperint, vt Iand. q. 9. Alber. tract. 1. cap. 13. est tamen hęc opinio omninò reijciẽda. Primò: quia (vt S. Tho. rectè obijcit) centrũ non est aliquid cæli intrinsecũ: nec enim est pars, nec totũ, nec accidens ipsius; nõ igitur per ipsum potest dici esse in loco.

Reijcitur sententia Auer. tanquam absurda. 1. Ratio contra Auerr. Secunda. Præterea: quia centrũ est indiuisibile; hoc aũt nõ est in loco. Præterea cùm esset idem centrum omnium orbium, per idẽ essent corpora diuersa in loco, & ita essẽt in eodem loco, nam Auer. concedit quoque; quòd reliqui inferiores orbes sunt in loco in superioribus per se, vt circulares sunt, & ratione motus proprij sunt ꝑ centrũ in loco, quæ sanè omnia sunt paradoxa, & malè secum consentiẽtia. Adde quod ex Græcis Aristot. interpretibus nullus vnquã est, qui vel innuere videatur aliquem hominum fuisse in hac sententia, nedum Arist. Tertia.

Quarta. Præterea. Quia, si ob id per centrũ essent in loco, quia per ipsum habent immobilitatem, eadẽ ratione ianua per cardinẽ, & per anchoram nauis essent in loco; nõ igitur videtur, qꝯ cælũ dicatur esse in loco, quia centrum ipsius sit in loco. Hæc dicunt Arabes, & malè.

4. Sententia Them. Græci verò non omnes etiam conueniunt. Themist. enim dicit, quòd vltima sphæra, quæ secundum Arist. est octaua, non est in loco secundum superficiẽ conuexam, sed secundum concauam, & est in septima sphæra sibi proxima, quæ est Saturni. Vnde conuexum penultimæ; est locus vltimæ secundum concauum.

Explicatur sentẽtia Them. Quo autem modo id fiat, attende. Si diuidas sphæram Saturni in multas portiones, similiter & sphæram vltimã: videbis, quomodo cuiq; portioni superioris respondet portio inferioris. Et vlteriꝰ, cùm inferior sit tardior, in eadem parte, & portione inferioris, succedunt variq, & multæ portiones superioris; & ita partes videntur mutare locum. Ista est fideliter sententia Themist.

Et quamuis aliquid habeat probabilitatis, non tamen placet, quia (vt dicunt Philop. & Simpl.) non potest esse, quòd idem sit locatum alicuius, & locꝰ eiusdẽ: at sphæra septima, est in vltima, vt in loco: non igitur vltima erit in ipsa, nisi vt in locato, & velut in materia.

5. Sententia Alex. Altera snia fuit Alex. qui (vt Simpl. refert) dixit vltimã sphærã nullo modo esse in loco, nec per se, nec per accidens, nec moueri localiter; vnde motum illum noluit localem esse. Quis autem motus esset, non explicuit, vt dicit Simplic.

Reijcitur hæc sententia. Hęc sententia in hoc nõ videtur vera, qꝯ neget cælũ vllo modo esse in loco, cùm sit quod-

ſit quoddam corpus: & in eo, quòd motum cæli localem eſſe negat, nõ enim videtur quis alius eſſe poſſit.

6. Sẽtẽtia Simpl.

Simpli. fatetur quidem nullo modo in loco eſſe, & tamen concedit motũ eſſe localem, & tunc eſt noua alia difficultas, quomodo ſi localiter mouetur, in loco non eſt.

7. Sẽtẽtia Pſelli & D. Thom.

Vltima ſentẽtia inter Græcos, eſt Pſelli, quam breuiter docet, nempe, cælũ vltimum eſſe in loco ſecũdum partes: quia nẽpe partes in loco ſunt. Quod ſi petas, quis eſt locus partium, dicet, q̃ vna eſt locus alterius, ſed non locus actu, quia ipſi continua eſt, ſed locus potẽtia, quæ ſententia, abſq; vllo dubio, eſt etiam S. Tho. tex. 43. & clarius 45. vbi docet vnam partem, locum alterius in potentia, & continere & contineri ab altera: & quod ratione harum partium mouetur, & mutat locum ipſa vltima ſphæra.

Hæc ſententia proximè videtur ad veritatem accedere, quanuis non omninò euacuet difficultatẽ, quia ſi vna pars locus eſſet alterius, cùm ſemper ſit cõtinua illi, nũquàm altera mutaret locum, & ſic nõ moueretur cælũ, nec mutaret locum ſecundũ partes, quãuis reſpondere poſſit mutari diſtantiã & modum, quem partes habẽt ſub illa relatione, vt antè diximus, ſed hoc nõ explet intellectũ omninò. Præterea: Quia etiam ſi eſſet cõtinua pars, ad huc non videtur locus, cùm non vndiq; locatũ ambiat. Præterea, non video quomodo actu moueatur localiter, & locum habeat potentia.

8. Quæ eſt Phil.

Philop. & hi, qui locum ponũt ſpaciũ, ab his anguſtijs liberati ſunt, cũ locum, vltimæ ſphæræ dicant eſſe ſpacium occupatum ab ipſa. Et hoc argumentũ de cælo fuit vnũ ex his, quæ poſuit Philop. cõtra Ariſto. Et re vera (vt diximus,) ſpaciũ illud, vt aliqui ponebant, nõ eſt omninò improbabile. At poſtquàm illud excluſimus, cũ Ariſt. quid mihi videatur proponam. Si hoc ſecundum veritatẽ examinemus, nõ eſt ſaltem tãta difficultas. Nam nos ponimus cælum empyreũ omniũ ſupremum immobile, quod etiam cognouit Plato, & alij veteres, vt eſt videre apud Simp. q̃ id etiã aſſerit, in digreſſione de loco nõ lõge à principio, vbi etiã ait illũ eſſe locũ, vbi Deus optimus ijs, q̃ digni ſunt,

Sententia Author. Nota de cælo Empyreo ad mentem veterum.

cõmunicat ea, quę ſunt p̃ ſe ſpectanda, & in hoc primũ mobile eſt, vt in loco, ipſũ tamẽ, cũ nõ moueatur, nõ eſſet tantũ incõueniens ſi qs diceret nõ eſſe in loco: at ſecundũ Ariſt. q̃ cęlũ primũ mobile videtur poſuiſſe, maior eſt difficultas. Et re vera, dico vel opinionẽ. D. Tho. eſſe verã, vel nullo modo eſſe in locõ ſecundũ Ari. vt ait Alex. & Simp. imò hæc videtur eſſe doctrina Ariſt. tex. 28. vbi cõtra Zenonem dicit, locũ primũ non eſſe alicubi, vt in loco, ſed vt ſanitas in ſubiecto toto, ita primus locus, qui cælũ illud eſt. Et in hoc reprehenduntur antiqui ab Ariſto. q̃ locum in loco volebant collocare dicentes, omne ens eſſe in loco. Et ratio poſtiſſima pro hac ſentẽtia Alex. & Simp. hæc eſt. Si in loco eſt, vel eſt ſecundũ ſe, vel ſecundũ aliud, vel ſecundum accidẽs. Secũdum ſe non, vt notum eſt. Secundum aliud, minimè, quia ſecundum aliud in loco eſt, quod ſecundum ſui partem in loco eſt, vt explicat Ariſt. Cælum autem non habet in loco partem vllam, niſi in potentia, vt dicit S. Thom. ſed hoc non eſt habere locum, aut certè non actu locum. Quod enim in potentia eſt, abſolutè non eſt, aut (vt dicit Themiſt.) quia eſt in ſphæra ſub ſe, & hoc iam reiectum eſt. Nec habet locum ſecundum accidens, cũm non ſit in eo, quod eſt in loco per ſe, non igitur in loco eſt. Nec mireris, cum primus ſit omnium locus, quòd non ſit in loco.

Vltimũ cęlũ nõ eſt in loco ſecũdũ Ariſt.

Ratio, qua probatur vltimũ cęlũ nõ eſſe in loco ſecũdũ Ariſt.

Quòd ſi dicas, quomodo corpus non eſt in loco aliquo? Reſpondeo, quod nec ipſi Philoſophi, qui dicunt eſſe in loco, dant locum, niſi per accidẽs, ſi ergo non miraris, quòd locum non habeat per ſe, & contentus es cum loco per accidens, profecto non debes mirari, quod nullum locum habeat, nam dicere, quod locum habet per accidens, magis eſt verba afferre, quàm dare in re locum aliquem: talis enim modus exiſtendi in loco ſerè nullus eſt.

Obiectio. Solutio.

Attende tamen, quòd quamuis in loco non ſit, ſi tueamur opinionem Alex. & Simp. localiter tamen mouetur. Vt enim localiter moueatur, non oportet quòd ſit in loco, ſed quòd circa locum ſit. Eſt enim motus ad locum, & eſt motus circa locum.

Vltimũ cęlũ quis nõ ſit in loco tamẽ mouetur localiter.

Quòd ſi dicitur eſſe alicubi, id eſt, vt dicit

dicit Ariſto. contra Zeno. quia in aliquo eſt, ſed non vt in loco, ſed vt in contẽto, vel alicubi dicitur eſſe, non quòd in loco ſit, ſed quod circa locum ſit, hoc mihi rationabile ſatis videtur, vel certè ſequaris D. Thom. opinionem, non eſſe per ſe in loco ſecundum ſe totum, ſed eſſe in loco, ſecundum partes, eo modo, quo explicat D. Thom. & vidimus. Et hæc de loco probabiliter ſecundum Ariſtotelem ſint ſatis.

De concordia quadam ſcitu digna, omnium opinionum de loco.

Quæſtio VIII.

Opinio cuiusdã Neoterici cõcilians omnes opiniones, & oẽs facile diſſoluẽs difficultates de loco.

MACTENVS Ariſtotelis opinionem de loco defendimus, vt potuimus; quòd pauciores, & minores, quàm cæteræ aliæ opiniones videretur pati difficultates. At vero cuiuſdam recentioris extat valdè probabilis opinio, quæ omnes quodammodo opiniones conciliat, & omnes difficultates diſſoluit; & omnes loci proprietates; & quæ de ipſo dicuntur, ſine magna difficultate tuetur; quam quidẽ ea de cauſa ad finem vſque volui reſeruare, quod ſit quaſi omnium dictorum de loco Epilogus quidam, & compendiũ: & eo quidem libentius feci, ne vllius rei, quæ vtilis eſſe poſſet, cognitionem lectori denegarem.

Hæc igitur conſtituit duplicem locũ. Alterum intrinſecum rei, quòd ſit quantitatis quoddam proprium ad eam conſequens, quod vocamus ſpacium; alterum extrinſecum locum, de quo locutus eſt Ariſtoteles.

Diſtinctio loci. 1. Locus alius verus, alius imaginarius.

Pro cuius opinionis intelligentia erit hæc notanda diſtinctio loci. Locus alius eſt verus; alius imaginarius. Imaginarius quidem eſt, vt extra Cælum ſpacium illud imaginarium, quod ibi quiſque imaginari poteſt. Et vacuum etiã hic in Mundo, ſi eſſet, imaginarius eſſet locus, imaginarium videlicet ſpacium; poſſet etiã imaginari ſuperficies vacua.

2. Imaginarius locus duplex, fictus, vel abſtractus ex

Eſt autem notatu dignum: locum, ſeu ſpacium imaginarium bifariam nos poſſe conſiderare. Vno modo, vt ſit res ficta omninò, & fingamus eſſe, quod non eſt, vt extra cælum, vel in vacuo, vt diximus.

Altero modo, in communi abſtrahendo ab hoc, vel illo ſpacio vero ſingulorum corporum, ſpacium in communi totius mũdi, in quo modò ſunt corpora, abſtrahendo, inquam, ab hoc, vel illo corpore; & hæc conſideratio non eſt ficta, ſed vera. Siquidem abſtrahentium non eſt mendacium, vt ait Ariſtot. Nam, vt huic corpori, hoc ſingulare, vt proprium ſpacium conuenit, ita in communi corpori conuenit ſpacium in communi, & ita conſideramus hoc ſpacium abſtractum in communi non habito reſpectu ad ſubiecta ſingularia; ſicut Mathematicus conſiderat quantitatem in abſtracto. Sic ergo imaginamur illud ſpacium in communi totius mundi, tanquam quieſcens, id eſt, abſtrahendo à motu eiuſdẽ, & à particularibus ſubiectis: & in communi ſimiliter in eo diſtantiam conſideramus, & ſitum in communi, & ſingularium partium eius poſitionem, omnia abſtrahendo in communi, vt Mathematicus figuras. Sed dices: quomodo omnes ſic abſtrahunt, etiam ruſtici & imperiti, qui ſolo ſenſu iudicant. Reſpondeo cauſam hanc eſſe; quia per ſenſum non facile cognoſcitur numeralis differentia accidentiũ eiuſdem ſpeciei. Vt verbi gratia, ſi modò aqua calefiat vt vnum, & poſteà frigefacta iterum calefiat vt vnum, neſciet ſenſus iudicare, an ſit idem numero calor, qui anteà, an diuerſus numero; ſolum licet ſibi videri idẽ, id eſt, eiuſdem gradus. Sic etiam, cũm flat ventus, ſemper putat idem eſſe numero medium lumen, cũm tamen ſit numero in alio, atque alio aere ſuccedente diuerſus; licèt æqualis, & ita ſimilis, vt putet ſenſus idẽ eſſe numero. Ita omninò accidit in ſpacio, cũ videatur æquale manere ſemper, mutatis corporibus, putat eſſe idem numero, cũm non ſit idem, niſi ſpecie, & æqualitate tantùm. Atq; eò magis ſic putat, quòd viſus exteris quieſcentibus, & fixis; vt, verbi gratia, lateribus vaſis, vel ambitu cęli, & à latere ad latus, videt ſemper eandẽ diſtantiam etiã numero, putat idem quoque medium eſſe numero, id eſt, ſpacium. Et hinc eſt, quod ſpacium in communi omnes ſic abſtrahunt, quia vident illa accidẽtia in communi remanere; nam quamuis mutetur ſpacium hoc

ſingularibus.

Dubium.

Solutio.

tamen manet spacium, & æquale spaciũ,

3. Verus locus duplex intrinsecus & extrinsecus.

Verus autem locus est duplex. Alter intrinsecus rei ipsi; alter extrinsecus. Extrinsecus quidem est circumambiens ipsum corpus locatum, videlicet, corpo cõtinẽs, aut eius superficies vltima, de quo locutus est Aristoteles. Intrinsecus verò locus rei, est spacium illud ipsum, quod ipsa res verè intra se occupat, secundum suammet corpulentiam.

Quid est spacium intrinsecum corporis.

Hoc autem spacium, si petas, quid est. Respondetur esse proprium quoddã cõsequens ad ipsam quantitatem, quantitatis videlicet ipsius extensionem. Consequitur autem hoc spacium tanquam proprium quoddam ad quantitatẽ, sicut ad motum consequitur tempus. Nam vt in quantitate successiua se habet tempus ad motum, illum mensurans; ita in permanente quantitate, se habet spacium illud consequens quantitatem, ad ipsam quantitatem.

Nota, an distinguatur spaciũ à quãtitate.

An verò spacium illud, seu extensio distinguatur ab ipsa quantitate realiter, vel formaliter, vel ratione, non magnoperè refert. Eadem enim est difficultas de tempore, an distinguatur realiter, vel formaliter, vel ratiõe ab ipso motu. Et quod de tempore respectu motus dixeris; idem de hoc spacio, seu extensione respectu quantitatis dicere poteris: & quicquid illorum dixeris, vel realiter distingui, vel formaliter, vel ratione, probabiliter dixeris, vt in motu, & tempore.

Est aũt hoc spacium vnicuiq; quantitati suum propriũ, sicut vnicuiq; motui sua propria temporis successio, & mẽsura propria, & particularis. Et vbicunque sit corpus, locum semper idem habebit suum intrinsecũ hoc numero spaciũ. Et totius mundi spacium cõmune est, sicut vna est vniuersalis totius temporis mensura vniuersalissimi motus.

Quod sit spacium intrinsecum.

Esse autem hoc intrinsecum cuiusq; corporis spacium, negari non potest, vt videtur; quia inuicem sese mutua consequentia inferant. Nam si corpus est, spacium est, & si verũ spacium est, in eo corpus est.

Ita vt si extra cælum vnus homo collocaretur, verè diceretur esse in suo loco, in spacio scilicet illo ipso proprio sui corporis: & si in vacuo medio similiter collocaretur corpus ibi in medio vacũo intra ipsum corpus verũ esset spaciũ, quod ipsum corpus proprium occuparet, cùm circumambiens intra ipsum corpus esset solum spacium imaginarium.

Imò verò ne intelligi quidem corpus, vel quantitas posse videtur sine spacio, nisi redigeretur ad punctum.

Et rationes pleræque Philoponi hoc ipsum spacium intrinsecum, & quantitati propriũ ostẽdunt, sed nõ separatum, vt ipse ponebat, sed in reb. ipsis inhęrẽs tanquam proprium earum accidens.

Extrinsecus locus triplex. Proximus, remotus, remotissimus.

Rursus extrinsecus locus triplex est. Vel proximus & immediatus, videlicet ipsa superficies concaua corporis cõtinentis: Vel distans, & remotus, videlicet, corpus aliud; vel superficies ad certam distantiã circumambiens, vt verbi gratia, cùm aliquid est in cubiculo, cubiculum est illius locus, & latera ipsa cubiculi: vel domus, inter quæ continetur. Aut etiam remotissimus locus est, quo modo Aristoteles omnium locum dicit esse cælum, quòd omnia ab ipso continentur. Et partialis est etiã locus extrinsecus, in quo res esse dicitur quandoque, vt homines sunt in terra, & in tecto, quòd pedibus solũ tangunt. Et totalis locus, vt pisces in aqua, cùm vndique circumambitur.

Proprietates omnes cõstãt, & difficultates dissoluuntur à loco.

Ex hac igitur distinctione loci, & locorum diuersitate, omnes prorsus difficultates, quę de loco proponuntur, facilimè dissoluuntur; & quod plus est, iuxta communem modum concipiendi omnium hominum, cùm de loco loquũtur, ita mens quiescit cuiusque.

Quædam enim proprietates loco illi intrinseco conueniunt, videlicet spacio ipsi vero; quædam aliæ spacio, & loco imaginario ficto, vel abstracto; aliæ vero extrinseco loco, nempè superficiei; aliæ proximo loco, vel remoto; aut remotissimo, aut tamijs, quàm illis locorum differentijs. Eadem tamen sub aliqua diuersitate conueniunt sub illa, videlicet, quæ differunt inter se: quòd quidem breuiter enumeratione quadam de singulis ostendamus.

Ex quibus etiam apparebit istius opinionis, quæ omnia sic concordat, & saluat probabilitas. Nam quia alij conabãtur vnitantùm ex dictis locis omnes loci tribuere

tribuere proprietates; ideò in magnas cogebantur aliquando.

Prima proprietas loci.

Primæ ergo omnium proprietates loci, potissimæ, & maximæ sic apparent. Quarum prima est: ipsum corpus esse in loco, igitur est in loco non solùm extrinsecè in ambiente, aut in loco secundum extimam superficiem, sed secundum se totum, est in loco, & eius partes etiã internæ, sunt in partibus loci.

Secunda.

Secunda. Sic dicitur corpus occupare locum, & occupare spaciũ, & partes corporis partes occupare spacij; et sic dicimus, hoc est in hac parte spacij, illud in altera, & partes corporis respondere partibus spacij, &c.

Tertia.

Tertia proprietas constat. Locum esse æqualem locato non maiorem, nec minorem. Nam quamuis secundum superficiẽ dicatur, superficiem concauam locantis esse æqualem vltimæ superficiei locati; tamen vera æqualitas & perfecta loci (vt omnes intelligunt mente) est de toto ipso corpore. Vt si diceremus, hoc corpus esse alteri æquale, quia æqualem quantitatem habent, vel æquale spaciũ occupat vterque secundum omnem dimensionem: nam alia est æqualitas lineę ad lineam, alia superficiei ad superficiẽ, alia corporis ad corpus.

Quarta.

Quarta. Locum continere locatum. Nam hoc ad superficiem quamuis commodè referri possit; tamen verius, & perfectius continet, quod secundum totam corpulentiam continet; vt dicimus, lumen contineri in aere; & virtutem in herbis; & tempus continere omnia, & animam contineri in corpore; & formam in materia, &c.

Quinta.

Quinta proprietas ex præcipuis, quòd omne corpus sit in loco, & quod est (vt videtur) eodem modo, quia locus cõuenit. Quia corpus quantum est, nec in loco solùm extrinseco, sed intrinseco: nè absolutè cogamur dicere, cælum nõ esse in loco, vel eius locum esse centrum; quę duo sanè sunt absurda, & paradoxa, & præter communem sensum hominum: sed non est in loco extrinseco ambiente, vt recte in hoc ait Aristoteles; est tamẽ in loco, & spacio intrinseco sibi.

Aliæ proprietates.

At verò è contra hæ aliæ proprietates, videlicet, Locum circumscribere, & ambire locatum; potius conueniunt externo loco, videlicet superficiei corporis ambientis; quamuis de intrinseco spacio dici posset quodammodo circumscribere locatum in se existentem. quæ potiùs cõueniunt loco extrinseco. Prima.

Secunda.

Item, locum non esse aliquid intrinsecum locato, sed esse aliud à locato; quãuis & hæc conueniat non solùm superficiei, sed spacio; nam est aliud etiam à locato, & à quantitate, si non re, saltẽ formaliter, vel ratione.

Tertia.

Tertia item. Locum non posse esse sine aliquo locato, sed posse esse sine hoc, vel illo; cuius quidem proprietatis secunda pars solùm extrinseco loco superficiei conuenit, nempè, posse esse sine hoc, vel illo locato eandem superficiem. Cõuenit etiam loco imaginario, & abstracto, tamen prima pars non posse locum esse sine aliquo locato; verùm etiam est nõ solùm de superficie, sed de intrinseco spacio loci cuiusque corporis proprio.

Quarta.

Quarta. Locum verò esse immobilem, vix potest extrinseco superficiei loco cõuenire, cùm etiã ipsa superficies moueatur & mutetur vnà cum corpore: nec verò eadem manet numero distãtia ad cęli latera, idemue respectus numero superficiei, ipsa mota. Sed dicitur immobilis secundum speciẽ, vt diximus, quia videlicet illa, vel altera superficies in tãta distãtia, & cõsimili respectu ad mundi partes, & cæli latera succedit. Et ita dicitur manere locus immobilis secundum speciẽ, abstrahendo, inquam, in communi locũ, et distantiã, vt diximus. Hoc eodẽ prorsus modo, hoc conueniet spacio proprio cuiusque corporis: nam eo moto, aliud succedit in eius locum cum consimili respectu ad cæli latera, & æquali distantia, & erit loci proprietas in cõmuni abstracti, non in singulari. Sed præterea immobilem dici meritò alia ratione poterit. quia non potest spacium proprium cuiusque rei separari ab ipso corpore, vel quantitate, cuius est proprium.

Nota.

Quamuis hęc profectò proprietas immobilitatis loci videatur, (vt illã solemus cõcipere) propria esse loci tantùm imaginarij, spacij videlicet imaginarij, quod imaginamur, vel extra cælum, vel etiam intra corpora, quasi quiescens semper, & immobile (vt diximus) abstrahendo à motu,

motu, in quo succedunt alia corpora, in cuius partibus sic imaginamur similem semper, & eundem situm cum equali distantia, & respectu ad cæli vltimã superficiem quiescentem, si sit intra cælum, vt in illo dicto secundo modo loci imaginarij, id est, veri, sed abstracti à motu, & subiecto, & si sit extra cælũ respectu ad alias partes ipsas eiusdemmet spacij imaginarij fictitij, vt in primo modo fictitij videlicet loci, & spacij imaginarij. Et vtroq; modo concipimus immobilitatem, vel abstrahendo, vel in illo ficto.

Quinta. Quinta. Differentię etiã sursum & deorsum; antè, & retrò, consimilibus respectibus, sicut immobilitas conueniũt, vel superficiei, vel spacio vero corporũ, vel imaginario abstracto, vel fictitio.

Sexta. Sexta. Moueri localiter sic etiã intelligimus, id est, pertansire spacium illud imaginarium, vel abstractum, quod plenum est, vero spacio alicui⁹ corporis huius, vel alterius. Aut pertransire superficiem concauã corporis, intra quod aliud mouetur, vel extremam superficiẽ, si supra illam fiat motus. Sic etiam dicimus corpora moueri ad locum, id est, ad superficiem alterius corporis continentis. Nam in descẽsu semper nouã, & nouam superficiem acquirunt corporis ambiẽtis, quæ sit terminus motus illius; sicut etiam imaginarium illud, vel abstractũ occupat spacium, quod anteà alterũ corpus occupabat, quod terminus etiam illius motus localis dici meritò potest.

Septima. Rursum dicimus esse homines in platea ciuitatis, vel foro tanquã in loco partiali; nã ex alia parte aere ambitur, & solis pedibus plateam contingit. Pisces aũt sunt in aqua, vt in totali loco extrinseco, sed remoto, in vltima proxima aquæ superficie tanquam in proximo, &c.

Denique, vt vno verbo omnia cõplectamur, illa posita loci distinctione, intrinseci & extrinseci; veri, & imaginarij, fictitij, & abstracti in communi; proximi, & remoti; partialis, & totalis; omnes difficultates dissoluuntur, & omnes penè opiniones conciliantur, & Aristotelis prętereà opinio defenditur, ita, vt sit locutus de loco extrinseco tantùm. Quòd si cui sola Aristotelis placet opinio, liberũ ei esto iudicium. Ac de hac materia sit satis. Iam de vacuo, quod loco opponi videtur, quid dicat Aristoteles, videamus.

CAPVT VI.

Eodem autem modo existimandum. Tex. L.

Tracta. de vacuo. Ad Physicum pertinere agere de vacuo.

POSTQVAM de loco dixit, nunc de vacuo disserit, ac primò ad Physicum pertinere de vacuo tractare, an sit vel non; & quomodo sit, seu quid sit, vt de hoc proponit. Ostendit aũt, in quo assimiletur loco. Vt enim locus, & esse, & non esse videbatur ex rationibus oppositis, quæ circa ipsum afferebantur; ita & vacuum, & videtur esse, & non esse ex his, quæ circa ipsum dicunt. Et hoc est, quod dicit, quòd (incredulitatem, & fidẽ similem habet) id est, esse, & non esse simile videbitur, quãuis (vt notat Philop.) nõ eodẽ, prorsus modo. Nam locus apparenter videtur non esse, vacuum verò necessariò.

Ratio. Statim probat Physicum oportere de vacuo tractare. Nam vacua cũ loco coniunctionem habent. Antiqui enim locũ, vacuum, plenum idẽ esse putabant, subiecto quidem, sed non ratione. Nam id, quod corporis susceptiuum erat, locum vocabant; cùm corpus aliquod actu habebat, dicebatur plenum; cùm verò corpore vacabat, dicebatur vacuum. Ratio igitur non est eadem, sed in re idem sunt.

Incipere autem oportet considerationem. Tex. LI.

Intentũ Arist. in hac disputatione.

TRia se consideraturum à principio proponit. Primum ea, quæ dicunt affirmantes vacuum. Alterum ea, quæ dicunt negantes. Tertium ea, quæ communiter vacuo inesse videntur secundum communem opinionem. Incipit tamen ab his, qui negant esse vacuũ, ipsosque repræhendit eò, quòd probantes esse vacuum, non argumentati sunt cõtra intentionem principalem eorum, qui posuerunt vacuum, sed argumentati sunt contra id, quod illi ex alio errore dixerunt, & iste fuit Anaxagoras. Aduerte, quòd qui vacuum ponunt dicunt esse ipsum quoddam spacium distinctum à corporibus sensibilibus, in quo nullum est corpus sensibile.

Quod malè impugnatur vacuũ, qui illud negãtur.

Error quorundã ponentiũ vacuũ, putãtiũ aerẽ nõ esse corp⁹.

Istorum quidam habebant alium errorem, nihil esse nisi corpus sensibile. cumq; aliquod vas experirentur, in quo solùm esset aer, putantes aerem nihil esse, dicebant vacuum.

Quibus rationibus cõtra alij, vt impugnarẽt vacuũ, probabãt aerem esse corpus.

Qui benè erat impugnaturus sententiam, oportebat probare nullum esse tale spacium, non autem occupare se in probando aerem esse corpus, hoc enim non est intentum impugnare, at Anaxagoras hoc fecit.

Impugnabat vacuum, probando aerẽ esse corpus. Probabat autem duplici experimento. Alterum est, quòd vtres pleni aere, ligato ore, fortiter resistunt ponderi, & non comprimentur partes, sicut cùm os apertũ est, igitur aer aliquid est. Alterum ex clepsydra, quæ si eius orificium superius claudatur, cùm plena est aere, non recipit ipsam aquam, si verò aperiatur, ingreditur aqua, aer igitur resistens aliquid est.

Aestimantes autem omne. Text. LII.

Causa erroris illorũ veterũ.

PONit id, quod errantes Philosophi dixerunt, non autem ex intento, nẽpè credebant, nihil esse nisi sensibile corpus, ob id putabant aerem non esse, cùm non sentiretur, ac cõtra illum talem locum vacuum non esse.

Qua via & modo debeat impugnare vacuum.

Statim ponit quid oportebat eos probare contra ponentes vacuum. Nempè, nullum esse spacium inter duo corpora, distinctum à corporibus, quod spacium diuidat corpora, & seiungat, ne continuẽtur, vt putabant Democri. & Leucip. siue spacium sit separabile, id est, siue actu nõ habeat corpus, siue habeat. Et vlterius, quòd nec extra cælum aliquod sit continuum spacium. Denique absolutè debebant probare nullum esse corporum interuallum distinctum à corporibus, & nõ debuerunt sistere in probando aerem esse corpus.

Hi igitur non secundum portas. Tex. LIII.

Nota quod sit puerbiũ, ad portas occurrere.

CONcludit, hos sic impugnantes nõ occurrere problemati secundum portas, id est, non directè, & ad intentum procedere. Qui verò vacuum ponunt, & affirmant, magis directè procedunt: probant enim, quod intendunt directè.

Quinq; argumenta eorũ, q vacuum destruebant.

Sunt autem horum quinq; argumenta, quorum vnum est, ex motu locali, siue sit augmentatio, siue latio. Cùm enim motus sit, quod mouetur, vel recipitur in aliquo pleno, vel recipitur in aliquo vacuo. Si in vacuo recipitur, habetur intentum. Si verò recipiatur in pleno ita, vt penetretur cum corpore, sequitur, quòd corpus minimum recipiet adæquatè maximum, quod falsum est. Patet sequela: Demus, quòd plenum pedale recipiat corpus pedale adæquatè, tunc qua ratione primum plenum se penetrauit cum hoc corpore, vtrumq; se iterum penetrabit cum altero pedali adæquatè, & iterum cum alio, cùm non sit differentia vnius plenì, & alterius, tunc primum spacium pedale continet adæquatè tria, aut plura corpora pedalia, ergo continebit vnum corpus tripedale adæquatè, quia si partes continet, continebit totum. Hoc autem falsum est, nam licet vnum corpus cum alio penetretur, tamen maius cum minore non adæquabitur.

Melissus igitur & ostendit. Tex. LIIII.

Confirmatio ex Melisso.

CONfirmat motum recipi in vacuo ex Melisso, ob id enim Melissus negabat mundum esse mobilẽ, quia si moueretur, oportebat dare vacuũ, quod ipse dicebat non esse, quare immobile vniuersum posuit, tanquàm consequens ex motu sit vacuum, at cùm re vera motus sit, dandum igitur vacuum est, & Melissus daret, si motum poneret.

Vno igitur modo demonstrant. Tex. LV.

HOC

2. ab experientia. HOC vnum esse horum argumentum dicit. Alterum est ex quadam experientia, experimur enim, q̃ si dolium sit vini plenum, & vinum totum in vtres infundatur, tunc in eodem dolio erunt simul vtres, & vinum, hoc autem non aliundè prouenire videtur, nisi quia datur vacuum intra vini partes, & posteà comprimitur illud vacuum in vtribus, & minorem occupat locum ipsum vinum, est igitur vacuum: de qua experientia inferius.

Amplius autem argumentatio.

3. ex augmẽtatiõe. TErtium argumentum est ex viuentium augmentatione. Quod enim augetur, est, quia in se recipit cibũ, & alimentum, quod quidem corpus est, tunc illud augmentum non potest recipi cum corpore, & pleno, aliter esset penetratio, recipitur ergo in vacuo, & ita vacuum erit.

Testimonium autem & illud. Tex. LVI.

Quartum. QVartum argumentum ponit etiam ex experimento ductum. Vas enim plenum cinere, tantum aquę capit, & plus cum ipso simul cinere, quãtum capiebat cùm sine cinere, hoc igitur non posse videtur fieri, nisi intra corpora detur vacuum, ratione cuius ipsa comprimantur corpora.

Vltimũ argumentũ. Vltimum argumentum facit ex Pythagoreis. Hi enim dicebãt causam, quare corpora, quæ consequenter se habent, & vnum est post aliud, non confunduntur inter se, & fit vna massa, eã esse, quia inter corpus, & corpus mediat vacuum, & hoc etiam in numeris ponebant. Vnũ enim cum alio non confunditur propter intermedium vacuum, & hoc vacuum dicebat ingredi ad ista sensibilia per cœlum ex illo magno vacuo, quod est extra cælum, & est velut spiratiõ quædam.

Vbi nota, quòd vacuum aliquãdo est minus, aliquando est maius. Et sicut corpus animalis dilatatur, cùm recipit spiritum, contrahitur, cùm emittit, ita cùm multum vacuum sit intra cælum, velut spirando recipitur ab illo vacuo, quod est extra cælum, emittitur verò cùm contrahuntur corpora hæc, sic isti imaginabantur.

Est igitur argumentum hoc sumptum à diuisione, & corporum inter se separatione, & disterminatione, quod non videtur esse aliter posse, nisi vacuum inter ipsa sit corpora.

CAPVT VII.

Ex quibus igitur alij quidem dicunt. Text. LVII.

Quid sit vacuũ. Antiquorũ opinionẽ, & cur sic definierunt. COncludit hoc esse & ea, quæ dicũt negantes vacuum, & ea, quæ dicunt affirmantes. Ad determinandum tamen, q̃d circa hoc dicere oporteat, definitionem nominis accipit. Describebant autem sic: Vacuum est locus, vbi nihil est. Aristo. autem vult reddere rationem harum duarum particularum. Primo quare, vbi nihil est, dicitur. Causa, inquit, ratione, & syllogismo nota est. Hi enim omne eus corpus esse putabant, & non corpus, & nihil, idem. Vndè si vacuum est, vbi non est corpus, profectò vacuum est, vbi nihil est, perinde que est dicere, vbi nihil est, ac vbi corpus non est

Descriptio vacui Antiquorũ. Vlterius. Putabant corpus omne, aut esse graue, aut leue, quæ corpora sunt tãgibilia. Vndè syllogismo etiam sequitur, vacuum esse, vbi non est graue, nec leue. Declaratum ergo est, quid per, nihil, intelligatur.

Declarat deinde, quare dicatur, locus. Et dicit, quòd nisi ita dicatur, punctum erit vacuum, quia in eo nec est corpus graue, aut leue, benè igitur additur illa particula, locus.

Nota. Nec exstimes, quòd hic reprehẽdit Antiquos, quasi ex ipsorum descriptione sequatur, punctũ esse vacuũ, quod alij interpretes putãt, & sanè abs q; ratione. Nã & ipsi antiqui describẽtes dicebant, locũ esse vacuum, vt patet ex descriptione posita (locus, vbi nihil est.) Sed solùm in his verbis Aristo. declarat partes descriptionis, & reddit causam, vt notum satis est.

Att a-

Attamen videtur dici vacuum.

Tex. LVIII.

Alia vacui descriptio VErba hæc sunt inferentis ex dictis vnam vacui descriptionem, puta, Vacuum esse non plenum corporis tangibilis, seu corporis grauis, aut leuis, quod idem est. Et quia definitio vacui nondum est finita, colligit duas has particulas, vt addat aliam.

Dubium. Et ita dubitat. Si vacuum est non plenum corporis tangibilis, si in tali loco esset color, sonus, aut alterius sensus sensibile, an esset vacuum.

Solutio. Respondet cum distinctione, quòd si illud esset adhuc susceptiuum corporis tangibilis, esset vacuum, sin autem minimè. Ac si dixisset, integra descriptio vacui est. Vacuum est locus carens corpore tãgibile, aptus recipere tale corpus. Et ista est expositio horum textuum, quæ notanda est.

Nota. Cõpleti vacui definitio. Dubium. Solutio ex Them. Dices, quid per calorem intelligit? Respondeo cum Themist. & Philop. omissis alijs, quæ dicuntur hic, quòd non intelligit purum accidens, sed corpus non graue, nec leue, sed habens aliud accidens sensibile, quale cælum est, & tunc spaciũ cæli non est vacuum, licet ibi non sit graue, aut leue, ob id tertia particula additur in descriptione.

Alio autem modo. Tex. LIX.

Tertia vacui definitio. DEscriptionem vacui vniuersaliorem aliorum ponit, puta, in quo nulla est corporea substantia: reprehendit id, quod aliqui circa hoc dicebant, Nempè, materiam esse vacuum, cùm non sit vlla substantia corporea. Isti autem non rectè dicebant. Nam cùm vacuum locum esse ponerent, tale debet esse vacuum, vt ab eo possit res separari, sicut à loco, at non potest res sine sua cõsistere materia. Vt ergo materia non est locus, sic nec vacuum.

Materia nõ est vac.

Quoniam autem de loco. Tex. LX.

QVid de vacui existentia ipse Arist. sentiat, proponit, dicitque, quòd de vacuo sit dicendum, patere per id, quod de loco dictum est. Nam si vacuum esset, locus esset corpore priuatus, at locum dictum est esse superficiem cõtinentis solam, non spacium aliquod à corporibus distinctũ, hinc colligitur non esse vacuum. Nam hi, qui ponunt ipsum, tale ponunt, quale impugnatum est superius, puta, spacium præter corpora, quę in eo sunt.

Explicat Arist. quid sentiat de vacui existẽtia. videlicet nõ esse vacuũ. Primò.

Quapropter vacuum videtur aliquid esse. Tex. LXI.

Secundò. OStendit vacuum ob id constitui, vt sit locus. Nam non est alia ratio, nec finis, aut vtilitas, in quam vacuum esse videatur, nisi vt sit locus. Et vlterius, eadem ratione probatur, & locus, & vacuum. Vt enim locus probatur quid aliud à corporibus succedentibus per motum diuersorum in eodem loco succedentium: Ita similiter probatur vacuum distinctum esse spacium à corporum spacijs, gratia enim motus, locus ponitur ab aliquibus, & gratia eiusdem motus ponitur vacuum ab alijs. Itaque non est differẽtia loci, & vacui apud hos, quod enim idem vocant vacuum, & cõstituunt, alij locum faciunt. Si ergo locus talis non est, vt hi ponunt, nec igitur vacuum erit, cùm non differant inter se ista.

Nulla autem necessitas est. Tex. LXII.

Soluit rationes ꝓpositas ꝓ vacuo. RAtiones propositas pro vacuo incipit diluere, ac dicit, non oportere vacuum esse propter motum. De motu enim alterationis id notum est, nam potest in pleno esse alteratio secundum qualitates. Vndè reprehendendus est Melissus, qui, ne daret vacuum, negauit omninò motum, cùm tamen vacuum non sit necessarium ad alterationis motum.

Ad primũ. Ostendit etiam, quòd nec ad motũ localẽ sit necessarium vacuũ. Nam corpus cùm mouetur, non quidem in pleno, nec in vacuo recipitur, sed locũ acquirit per id,

id, quod cedit illi corpus aliquod. v. g. cũ piscis mouetur per aquam, non recipitur in aqua penetratiuè, nec in vacuo aliquo sed illi cedit aqua, quia tantum separatur, quantum corpus ipsum est, quod est in aqua.

Nota 1. Aduertendum est autem, quòd rationes istæ probant esse vacuum sine aliquo corpore, & iuxta id solutiones sunt, non esse necessarium tale vacuum.

Nota 2. Vocat verò Aristot. reuolutiones cõtinuorum in humidis, quia cùm lapis, vel aliud corpus aquis immittitur, aqua circulos quosdam facit, vt notum est. Alij aliter hoc exponunt, sed ita dicit, & bene Sanctus Thomas.

Contingit autem & densari. Tex. LXIII

Ad 2. SOluit argumentum secundum de vtribus, de qua tamen re fusè agit in 25. Sect. Probl. 8. de quo etiam vide Vicear. Hic, qui ait, se id esse expertum, & dicit, quòd non est opus dare vacuum ad istam corporum constrictionem, sed ꝙ aliæ partes, quę subtiles erant in corporibus illis extrahãtur, vt vinũ habet quosdam poros subtiliori aere plenos, aut aqua ipsa habet etiam partes aeris in se, cũ constringitur in vtribus, extrahitur aer. Sicut spongia constringitur, & minus occupat spacium, non propter vacuũ, quod sit in ea, sed propter aquæ, quam habebat, expulsionem.

Ad 3. Respondet etiam ad tertium argumẽtum de augmento. Et primò reprehendit ipsum argumentum, quod procedit de augmento per susceptionem alimenti, ac si non cõtingeret aliter res augeri, & maiores fieri. Dicitque etiam per alterationem, & corruptionem fieri accretionem, vt patet, cùm ex aqua fiat aer, tunc enim aer maior fit, & non susceptione alimenti. Similiter cùm ex aere fit ignis.

Nota. Non autem intelligas hic de vero augmento fieri sermonem, hoc enim solùm est viuentibus: sed de accretione quacunque, qua corpus maius fit, quàm antè erat.

Omninò autem de augmentatione.

Retorsi. Arist. in aduersarios argũ. de augmẽtatione, & cinere.

ARgumentum igitur de augmentatione, & de cinere iterum retorquet in illos, & ipsos suis argumẽtis conuincit, & quatuor absurda ponit, ad quorum aliquod necesse est eos reduci, qui propter augmentum viuentium ponunt vacuum.

1. Inconuenientia. Secundũ. Tertium. Quartum.

Inconuenientia sunt hæc. Primum, quòd non quælibet pars viuentis augeretur, quod falsum est. Alterum, quòd alimentum non esset corpus. Tertium, quòd duo corpora se penetrarent. Quartum, quòd totum corpus viuentis esset vacuum.

Quo autem modo reducantur ad vnum ex his, sic attende. Si, vt augeatur viuens per alimentum, requiritur vacuum cùm quælibet pars quantumcunque minima corporis augeatur, profectò totum corpus erit vacuum, quòd si neges, quãlibet partem augeri, incidis in primum absurdum, si verò concedas augeri, aut dabis vacuum totum, aut si non, alimentum, quod corpus est, penetrabitur cum corpore, aut alimentum non erit corpus. Vide quàm subtiliter retorsit argumentum contra eosdem.

Ad experientiã de cinere.

Idem dicit de cinere. Cùm enim cinis aquam recipit, totus cinis est madefactus, vt patet, quòd si, vt reciperet aquã, opus erat vacuo, totus cinis esset vacuus, aut non totus cinis reciperet aquam, aut aqua non esset corpus, aut si esset, penetratio esset. Vndè concludit, quòd per vacuum volebant isti soluere difficultatem communem de augmento, quomodo sit sine penetratione. Et re vera nihil soluerunt, nec intentum demonstrarunt.

Nota. Aristoteles autem nihil de augmento dicit, quia id erat admodum arduum, & satis erat pro præsenti ostendere rationem non concludere.

Nota 1. circa explicationẽ tex.

Circa literam aduertendum esse ordinem mutandum, vt illud verbum (aut totum) cum verbis sequentibus, quibus absurdum illud quartum continetur, legas, ante verbum illud (dubitationem) & sic est sensus clarissimus, & facilis.

2. Notãdũ circa illud cineris argumẽti.

Aduertendum præterea circa illud de cinere, quòd Aristo. Proble. sect. 25. q. 8. id quæsiuit. Est autem solutio, quòd cinis habet poros, qui repleti sunt aere, non enim est admodum compressus, quin aeris in se partes admittat, & aer expellitur ab his partibus ratione aquæ. Aqua etiã euaporatur ex parte. Vnde ex euaporatione aquæ, & aeris expulsione, & cineris cõpressione, ratione aquæ, euenit, vt duo simul recipiantur, & capax sit ipsum vas.

Tertium notandũ circa argumentum argumentatiõis viuentium.

Aduertendum tertiò circa augmentũ, quamuis non sit præsentis loci id tractare, quòd in quolibet membro nostri corporis sunt pori, & vacuitates plenę spiritu subtili, aut humore aliquo. Sanguis autem, qui alimentum est proximum, in minutissimas diuiditur partes, atque cedente spiritu, vel illo, quod parum occupabat, coniungitur cum particula nostri corporis solida per iuxtapositionem; & illa particula alterat sanguinem, & conuertit in se; si fuerit caro, conuertit sanguinem in carnem; si os in os; si neruus in neruum; & similis in similem; & tunc, prẽter illam mutationem, qua sanguis in partem viuentis conuertitur, quæ dicitur nutritio, ipsa pars, & membrũ acquirit maiorem quantitatem aliquando; & talis est augmentatio. Vnde fit augmentum absque vacuo per receptionem alimenti in poros, recedentibus ijs, quæ occupabant poros, & per appositionem alimenti ad partes solidas, quæ poros continent; & sic nulla est penetratio. Et hoc sufficiat de hac materia augmẽtationis: difficillima enim est, & alterius loci.

CAPVT VIII.

Quòd igitur ea, ex quibus. Tex. LXIIII.

Probatur non dari vacuum.

INCIPIT multis argumentis contendere non esse sic vacuum, vt isti ponunt, puta separatũ, ab omni corpore, & in quo nullum actu sit corpus; de hoc enim vacuo modò disputat.

Primum argũ.

Est autem primum argumẽtum, quo probat vacuum non esse causam efficientem motus, vt Philopo. exponit; nec antiqui hoc ponebant, sed tantùm dicebãt esse vacuum propter motum; tamen ex doctrinæ abundantia id Aristot. probat, vt vniuersaliter vacuum extirpet. Ratio est; Motus naturales determinati sunt, & à causis determinatis procedunt, puta, grauitate, aut leuitate: at vacuum cùm nihil sit, indifferens est ad vnum, & ad alterum: non ergo vacuum efficiens est motus naturalis. Si igitur non est motus causa, nullius est causa; & ita nõ erit causa efficiens.

Amplius si est aliquid. Tex. LXV.

Secundũ.

SEcundum facit argumentum, quo probat, vt dicit Philop. nec esse causam finalem motus. Nam si demus vacuum spacium, & ponamus mobile in vacuo; re vera, non erit ratio maior, quare ad hoc, quàm ad illud spacium moueatur, cùm totum sit eiusdem rationis; & sic nihil propter ipsum mouebitur: imò sequitur, quòd manebit potius. Et adhuc nõ videtur, cur debeat magis manere hic, quàm alibi, cùm in vacuo non sit differentia vlla. Eandem rationem applicat loco sursum, & deorsum. Cùm enim hi, qui vacuum ponunt, locum esse dicant, ipsum sursum, aut deorsum debẽt distinguere; hæc autem differentia in vacuo non videtur quomodo assignari possit, cùm vacuum vniforme sit.

Et quonam modo inerit.

Tertium.

TErtium facit argumentum, si vacuum esset locus. (Nam posset qs dicere, quòd vacuum non est causa, sed esse id, in quo recipiatur corpus motum, vt in loco.) Argumentatur. Si in vacuo est aliquod corpus, tum in ipso erit, vt in toto quodam permanente, id est, penetrabitur cum ipso quiescente; hoc enim est esse in toto permanẽte. Hoc autem esse non potest, quia pars existens in toto, haberet locum per se, & in actũ: quod falsum est. Non enim pars, & totum eodem modo locum habent. Quo autem pacto id fiat, diximus iam superius; nam ambiretur pars vndique ab illo spacio penetrante, & locum actu haberet. Colligit, quòd cùm vacuum; locus esse non possit, non erit, cùm si esset, futurum esset locus corporum.

Accidit autem dicentibus. Tex. LXVI.

Quartum argũ.

QVartum facit argumentum. Si vacuũ esset, res vndiq; vacuo circũuallata quiesceret, cùm æqualiter se haberet, omni ex parte. Patet. Nam ob id terram hi immobilem dicunt, quia similiter se habet, id est, æqualiter distat ab vniuersis cæli partibus, cùm sit centrum; nec magis est, cur huc, quàm illuc moueatur. Similiter se haberet corpus in vacuo constitutum: vnde istis Philosophis, qui vacuum propter motum ponunt, oppositum euenit: vacuum enim ponentes, motum auferunt.

Primum igitur, quoniam omnis motus. Tex. LXVII.

Quintum argũ.

QVintum facit argumentum, & intendit probare, quòd si esset vacuum, nullus esset motus. Supponit tamen vnum. Duplicem esse motum, alterum violentum, alterum naturalem. Violentus est contra naturam, & inclinationem rei, vt cùm motus lapidis fit sursum, aut ignis deorsum. Naturalis est secundum rei naturam, vt motus leuium sursum, grauiũ deorsum. Inter hos duos motus, is qui secundum naturã est, prior est, quàm is, qui cõtra naturam rei est. Ex quo sequitur, quòd si non esset motus naturalis, non esset violentus: & qui aufert naturalem, aufert omnem motum, quia aufert naturalem, & violentum: non enim est motus alius, præter hos. Probat hoc supposito: quòd qui ponit vacuum, omnem motum auferat, quia aufert naturalem; & qui hunc aufert, ex supposito, aufert omnem.

At verò natura quidem quomodo erit.

Si vacuũ, & infinitũ poneretur, nullus esset locus naturalis.

ARgumentum igitur hoc est, quo probatur non esse motum vllum naturalẽ supposito vacuo, & supposito infinito, quale isti ponunt. Motus naturales differunt per sursum, & deorsum: at in infinito non est sursum, aut deorsum, vt in lib. 3. dictum est.

Præterea. In vacuo cùm nihil sit, & priuatio quædam, non sunt differentiæ vllæ, sicut nec ipsius nihili: ergo vacuo, & infinito posito, nullus est naturalis motus. Cùm verò motus naturales differentias habent, vacuum non est profectò.

Nota.

Est etiam aduertendum, quod de solo vacuo etiam procedit ratio, & de solo etiam infinito per se. Litera facilis est.

Amplius nunc quidem mouentur. Tex. LXVIII.

Sextum argũ.

SExtum argumentum facit de motu proiectorum, vt cùm lapis, aut sagitta sursum mittuntur. Dubium enim esse potest in tali motu; cùm lapis est in medio motu separatus à proijciente, à quo feratur, & sustineatur, quo minus redeat deorsum, imò maiori impetu fertur, quàm cùm deorsum venit.

Huius redduntur duæ causæ. Altera est quorundam Philosophorum, qui dicebant aerem succedere in spacio, quod post se relinquit sagitta, ne detur vacuũ, & ex citissimo cõcursu aeris sagittã percuti, & vlterius mitti, & sic consequenter: & est hoc quod dicit, ferri per antiperistasim, quod vertit Boet. contrarij circumobsistentiam.

Nota. De motu proiectorũ à quo fiat.

Altera causa erat aliorum, ob id ferri, quia aer primò à proijciẽte percussus; secũ fert sagittã, alias partes aeris diuidens suo impetu, nec finit sagittã deorsum tẽdere. Hoc modo exponit Themist. Quidquid sit, siue hoc, siue illud, quod posteà lib. 8. examinabitur, ad motum proiectorum, aliquod corpus in spacio est necessarium; in vacuo autem nihil est: igitur per vacuum non fiet motus.

Amplius nullus vtique poterit. Tex. LXIX

Septimũ argũ. Si vacuũ esset, nec esset motus, nec quies naturalis.

SEptimum argumentum facit, & est attendendum, quo probat, nec esse motum naturalem, nec quietem naturalem. Si vacuum est, tunc cùm nõ sint differentiæ vacui, non magis res in vna parte, quàm in alia sistet, & ita mouebitur in infinitum, quod est contra rationẽ motus naturalis. Si verò quiesceret alicubi, non

non potest alia ratione id fieri, nisi quia ei opponitur corpus fortius impediens ipsius motum; sicut cælum opponitur igni, ne transeat ad vlterius vacuum. Quod si ita est, iam quies non naturalis, sed violenta est, cùm non sit quies in illo vacuo, nisi ob impedimentum.

Amplius autem nunc quidem. Tex. LXX.

Octauum argũ. Si vacuũ esset, moueretur corpus nõ magis in vnam partem, q̃ in aliam.

OCtauum facit argumentum. Ob d vacuum ponitur ad motum, vt cedat corpori moto: sed vacuum omni ex parte cedit: ergo, re vera, corpus non magis ex hac, quàm illa parte mouebitur; imò in omnem partẽ feretur; quod est impossibile, nisi in omnes suas diuidatur partes, quod etiam est impossibile. Et hoc argumentum magis probat de eo, quod naturaliter mouetur.

Amplius autem, & ex his. Tex. LXXI.

Nonũ argumentũ. Si vacuũ esset, motus localis esset in instanti.

Vis rõnis Arist.

NOnum facit argumentum, & est admodum considerandum. Huiusmodi est breuiter. Si motus localis esset per vacuum, esset in instanti. Consequens est falsum, cùm motus secũdum locum sit successiuus: igitur nec potest esse per vacuum.

Sequela sic probatur. Si mouetur aliquod mobile per spacium aliquod in aliquo tempore, & iterum idem mobile per aliud æquale spaciũ mouetur aliquo tẽpore, quanto minus resistit spacium vnũ, quàm alterum, tanto minori tẽpore mobile mouebitur per illud. Vt si per aquã mouetur in hora, & aer est in duplo subtilior aqua, & minus resistens; idem spacium aeris transibit in media hora; & si adhuc minus resistit, in minori tẽpore. Sed vacuum nihil resistit: ergo non tempore motus fiet per vacuum. Patet. quia quanta est proportio spacij resistentię ad spacij alterius resistentiam, tanta est proportio tẽporum, quibus motus per spacia peraguntur: Sed plenum ad vacuum nullam habet resistentiæ proportionem, cùm nihil resistat: ergo nec tempus habebit proportionẽ. Debet igitur in nõ tempore motus per vacuũ fieri: si enim in tẽpore fieret, esset iam aliqua proportio; nã tempus quantumcunq; minimum proportionem habet ad tempus quantumcunq; maximum. Notanda est ratio.

Ad literã aũt descendamus. Proponit igitur primò duplici ex causa vnum motum esse altero velociorem, aut tardiorem. Vno modo, cùm idem est spacium, tamen mobilia diuersa sunt, vnum altero fortius, quia aut grauius, aut leuius: et tunc fortius mouetur citius; velocitas hæc ex mobilis virtute prouenit.

Explicatio textũ.

Duplicẽ vnus motus est velocior altero.

Altera causa est, quæ ad præsens facit. Cùm mobile est idem, spacia vero æqualia quidem, sed diuersa, quia alterũ magis, alterum minus resistit; & tunc citius fit motus per spacium minus resistens, vt in qua proportione sunt resistentiæ, sint & tempora, quibus motus peraguntur.

Quæ spacia magis resistant, quæ minus.

Explicat autem, quæ spacia magis resistant. Hæc sunt duo. Cùm eiusdem quidem rationis sunt, id magis resistit, quod mouetur contra mobile, vt cùm aer, vel aqua contra mobile mouetur. Vlterius cùm diuersæ rationis sunt, & manent, ac quieta sunt, tunc quod subtilius est, & facilius diuiditur, minus resistit; semper tamen resistentia est quocunque modo.

Id autem, in quo est A, mouebitur per B.

Exemplis explicatur ratio supposita.

SVpposito fundamento, argumentum ponit vtendo exemplis. Et nota literam, quòd idem est dicere, in quo est A, & in quo est B, & reliqua, ac dicere ipsum A, aut ipsum B. Argumentum est. Sit A, mobile, quod moueatur per spacium B, quod sit aqua; in tempore C, puta hora; & idem mobile A, moueatur per spacium D, quod sit aer subtilior aqua, in tempore E, supposito tamen, quod spacium vtrumque sit æquè longum; Tunc quanto subtilior est aer, quàm aqua, tanto minus tempus erit E, quàm C, vt si in duplo subtilior, tempus erit in duplo minus, vt si illud erat hora; hoc erit media: & sic consequenter, quanto minus resistit, & quanta est propositio resistentiæ spaciorum, tãta est proportio temporũ. Et hæc est maior propositio argumenti cum sua probatione, & declaratione.

Addit minorem. Sed vacuum nullam habet

habet proportionem cum spacio pleno, sicut Nihil cum ente proportionem nõ habet, & nihil cum numero: ergo nec tẽpora habebunt vllam proportionem; & sic oportet, quòd sit non tempus, in quo mouetur per vacuum: si enim esset tempus, esset iam proportio vlla: in instanti ergo fit motus.

Si enim quatuor excedunt tria vno.

Ad nihil nõ est ꝓportio.

OStendit, quòd ad nihil nõ sit proportio: & ratio hæc est. Vt sit proportio ad aliquid, debet includi ab alio, & vltra id, aliquid vlterius. V.g. proportio est vnius ad quatuor; nã quatuor includunt vnum, & vlterius, tria. Similiter quatuor ad duo est proportio, qa includunt duo, & vlterius alia duo. Quatuor ad tria est etiã proportio, quia tria, & vnum claudunt: at quatuor nullã habet proportionem ad nihil: nec linea ad punctum, cùm non sit punctum vlla lineæ pars. Cùm igitur vacuum nullã habeat resistentiam, in nulla erit proportione ad plenum: quia non resistentia nõ est in proportione ad resistentiam: ita ergo erit in tempore, erit nulla proportio, quod non esset, nisi vnum esset non tempus, & instans, in quo oporteret motum fieri per vacuum.

Sed si per subtilissimum in tanto tempore. Tex. LXXII.

Decimũ argum. si motus fieret per vacuum, æquè velociter moueretur aliquod corpꝰ per plenum, & vacuũ.

DEcimum facit argumentum, quo probat, si motus fieret per vacuũ, quòd æquè velociter mobile aliquod moueretur per plenum, ac per vacuum; quod impossibile apparet.

Sequela probatur. Demus tempus, in quo mouetur per vacuum (cùm in instãti non sit motus,) & sit horæ pars quarta: demus etiam, quòd moueatur per aliquod plenum, per vnam horam: tunc, dum mobile per vacuum mouetur, puta: per quartam horæ, mobile per plenum, transiuit aliquam pleni partem: igitur in eodem tempore transitur plenum, & vacuum.

At quia posses dicere, nõ est tantũ plenum, quantum est vacuum; si vtrumque esset æquale, non posset id fieri; tũc procedit vlterius argumentum: Demus spacium aliquod æquale vacuo, & demus illud, quod per horam peragitur; tunc subtilius fiat duplo illud, peragetur per mediam horã: fiat vlterius quadruplo subtilius, sine dubio peragetur per quartam horæ, in quo etiam tempore vacuũ peractum est; ergo in eodem tempore æquale spacium plenum vnum, alterum vacuum peragentur. Hæc est ratio.

Explicatio testꝰ.

Litera perpendenda; nam verba priora potius ad rationem præcedentem referenda videtur, vt notat Alex. Ponit ꝓpositum argumenti. Demus vnum spacium vacuũ, sit F, æquale spacijs illis plenis superioribus D, & B, si tale spacium in tempore transitur, sit G, hoc quidem tẽpus, quãuis minus sit, quàm E, in quo plenum transitur, saltem aliquam habebit proportionem: quòd si aliquam habet proportionẽ; sequitur, quòd A, mobile transibit illo tempore, quo vacuum transitur, aliquam saltem partem ipsius D, pleni, & sit K. Iam colligitur, quòd illud plenum æquali tempore cum vacuo peragetur; ex quo sequitur plenum, & vacuum æquali in tẽpore pertransiri, quamuis æqualia non sint spacia.

Transibit autem si etiam sit quippiam.

VLterius probat, quòd æquale spacium plenum, & vacuum æquali tempore transibit: & quærit, quòd posito pleno illo, quod tempore maiori transitur, quàm vacuum, quod plenum erat D, & tempus ipsius E, sit aliud spacium plenũ subtilius tanta proportione, quanta tempus vacui, G, excedit tempus illiꝰ pleni E. Tunc re vera, si A, mobile feratur per tale spacium, mouebitur in tẽpore, G, & non in alio; quod, G, vacui erat tempus, & ita plenum, & vacuum æqualia, tempore æquali peragentur.

Dubitabis. Nam ista ratio videtur petere falsum: petit enim, quod sit plenum subtilius altero pleno in tãta proportione, in quanta tempus vacui est ad tẽpus pleni, & è conuerso; hoc autem debuit probari, quod esse possit. Dicitur è conuerso, quia magis subtile medium minori tempore, & minus subtile maiori tempore

Dubitatio contra rationem Arist.

pore pertransitur, contrario enim modo se habet magis, & minus in tempore, & subtilitate.

1. Solutio Auer.

Ad hoc dubium respondet Auer. quòd subtilitas dupliciter potest cõsiderari. Vno modo secundum se, & sic in infinitum procedit ipsius diuisio, & sic in quacunque proportione sumi potest. Altero modo vt est in aliquo corpore naturali, & sic nõ procedit in infinitum, quod exemplo intelliges. Calor dupliciter consideratur. Vno modo vt calor, & sic diuiditur in infinitum eius intentio. Altero modo, vt ignis dispositio, & sic certus requiritur calor: ita de subtilitate.

Reijcitur sol. Auer.

Sed hæc ratio non sufficit profectò. Nam subtilitas sola non est medium, sed subtilitas in corpore: si igitur hæc diuidi semper non potest, nec medium erit in quacunque proportione.

2. Sol. Iãd.

Iandu. q. 10. dicit, quòd Aristot. sumit duas proportiones, puta, motum esse per vacuum, & corpus diuidi in subtilitate, ac diminui in proportione quacunque, & ex his conditionaliter infert impossibile, puta, quòd si ista darentur, sequeretur quòd motus esset ita velox per æquale vacuum, sicut per plenum, quod cùm sit impossibile, sequitur, quod illud vtrumque est impossibile.

Reijcitur sol. Iand.

At verò, minus satisfacit ista responsio, nam vt sequatur vnum impossibile, sufficit vna antecedentis pars impossibilis. Et ita dicet aduersarius, quòd illa propositio est impossibilis, quòd in tanta ꝓportione sumatur corpus, in quanta est tempus vacui ad tempus pleni.

3. Solutio S. Tho.

S. Thomas dicit, quòd sumat illam propositionem, quæ licet non habeat verum in aliquo corpore particulari, tamẽ in communi loquendo de quocunq; corpore verum habet. Sed, quia vniuersale in particularibus reperiri debet, dicerem esse hoc in comuni, vt ait D. Thom. intelligendum tamen per intellectus operationem, vt sit sensus, imaginari possumus corpus in tanta proportione subtilius, in quanta proportione tempus vacui se habet ad tempus pleni: tamen non est imaginabilis proportio vacui ad plenũ, & sic nec quòd eodem tempore fiat motus per vacuum & plenum.

Manifestũ igitur est, quòd si erit. Text. LXXIII.

Si vacuũ esset, sequeretur in tẽpore æquali trãsiri vacuũ & plenũ.

INfert conclusionem ex ratione præcedẽti, nempè quòd sequetur in tempore æquali vacuum, & plenum trãsiri, si detur spacium in tanta proportione subtilius altero, in quanta proportione tempus vacui minus est tempore, quo peragitur plenum.

Ratio autem, quare id sit impossibile, hæc inquit, est. Quia motus ad motum est proportio, sicut temporis ad tempus, quod est mensura motuum, quando motus, & tempus finita sunt, aliter non est proportio: at plenum, & vacuum nullam habent proportionem: non ergo motus & tempus in vtrisque esse potest: aliter haberent proportionem. Nam (vt dictum est) quanta est proportio temporis ad tempus, tanta est resistentia ad resistentiam spaciorum.

Quatenus igitur differunt. Tex. LXXIIII.

Vndecima rõ sequeretur minus & magis graue, vel leue in æquali tempore moueri.

COlligit rationes duas præcedentes esse sumptas ex parte diuersorum spaciorum, nempè pleni, & vacui; aliam rationem colligit ex parte mobilium, quæ est vndecima in ordine, & talis est. Si per vacuum motus fieret, sequeretur, quòd minus graue, & magis graue, seu minus, & magis leue æquè velociter mouerentur. Hoc autem falsum est: nam experientia docet, grauiora, & leuiora non æquè ferri per plenum, cum figuram æquam habent: multum enim facit figura ad motum: ergo, & in vacuo talis debet obseruari differentia. Sed, quòd nõ sit ita, probat: Grauia, & leuia, ob id citius, vel tardius feruntur, quia magis, vel minus resistentiam medij vincunt: non enim libertate, sed necessitate ferũtur: ergo vbi nulla est resistentia, omnia æquè velociter ferentur; quod impossibile videtur.

Quòd igitur si vacuum est. Tex. LXXV.

Con-

Concludit istis accidere oppositum illius, quod intendunt. Ipsi enim propter motum localem ponūt vacuum separatum à quocunque corpore, vt sit locus corporum mobilium, & ex hoc ipso sequitur quicquam moueri localiter non posse, vt probatum est.

An si esset vacuum, motus esset in non tempore.

Quæstio. IX.

Sensus quōnis.

MEritò ista difficultas examinatur cùm Aristot. ita fortiter aduersus Antiquos id demonstrare videatur. Et vt sensum quęstionis intelligas aduertendum, quòd Aristot. loquitur de illo vacuo ab Antiquis concesso, puta. de dimensionibus distantibus, in quibus nullum esset corpus, sicut si imaginareris inter cælum, & terram nullum esse corpus, sicut modò oculis apparet, sed esset distantia & dimensio quędam. Et de tali vacuo est conditionalis quæstio apud nos, & apud Antiquos absoluta quæstio, An motus esse possit successiuus per tale vacuum.

1. notandum dicitur de quo vacuo loquatur Aristot.

2. Notandum quid intelligat Arist. per non tempus.

Aduertendum secundò, quòd per non tempus, intelligimus instans indiuisibile, & non, vt aliqui fugientes difficultatem volunt, puta, breuissimum tempus, cùm expresse Aristot. de instanti loquatur. Vt enim, inquit, non est vlla prorsus proportio inter vacuum, & plenum, ita nec in tēpore, quo peraguntur, perinde debet esse vnum non tempus. Si enim tempus vacui esset quantumcunque minimum, haberet proportionē vllam ad tempus pleni, vt dicit text. 73. quod non admittit Aristot. Quęstio est igitur intelligenda de instanti.

3. notandum.

Aduertendum. etiā, quod supponimus quòd mobile mutet locum, vt si est in cælo, quòd perueniat ad terrā; & quærimus, an id fiat in instanti. Et est quæstio, vel ex suppositione si vacuum esset, vel absolutē, apud nos, qui fatemur per Dei absolutām potētiam vacuum dari posse. Hic est igitur quæstionis sensus.

Quid videatur Arist. docere circa quæstionem.

Circa quam difficultatē Aristote. videtur docere in præsenti, quòd per tale vacuum mobile vtique in non tempore, id est, in instanti moueretur, vt ipsius ratio manifestat.

Notandum verò, quòd fundamenta Aristot. sunt duo. Alterum est, quòd graue magis, aut minus, propterea ratūm velocius, aut tardius mouetur, quia magis vel minus vincit resistentiam medij ita, vt si non esset resistentia, non esset iste excessus velocitatum, imò, idcirco successiuè, & in tempore mouetur, quia resistētia est aliqua medij, & ex hoc sumitur. Alterum principium est, quòd tanta est proportio temporis, quanta resistentiæ solius medij ita, vt vbi nulla resistentia, nullum tempus sit. Cumq; in vacuo nullam poneret resistentiam, cùm nullum ibi sit corpus, collegit ibi motum futurū in non tempore, & in instanti. Hic est totus neruus huius doctrinæ.

Cuomodo Auerro. defendat Arist. Nō. Triplicem resistentiā in motu.

Auerr. digres. com. 71. hoc defendit, ac declarat, quòd debet intelligi in motibus naturalibus grauium, & leuium, vbi tota resistentia est ex parte medij. Notat autem, quòd est triplex resistentia in motu.

Prima.

Prima ex parte situs, sicus Sol in oriēte habet diuersum situm ab occidente, & ratione huius non potest in instanti moueri ab intelligentia ad occidens.

Secunda.

Secunda est ex parte mobilis, vt cùm proijcimus lapidem sursum, hic resistit mobile, etiam si esset vacuum, similiter cùm animal progreditur, resistit grauitas corporis, & dicit, quòd de his mobilibus non loquitur Aristot. quia cùm habeant aliam resistentiam à medio, non erunt motus ipsorum per vacuum in instanti, quamuis oppositum docet Iandu. q. 14.

Tertia.

Tertia est resistentia ex parte medij, & hæc sola inest grauibus, & leuibus naturaliter motis, & si talia per vacuum mouerentur in instanti mouerentur.

Hanc sententiam sequitur Alber. tractat. 2. cap. 7. Paul. & Bur. & Grego. 2. sent. dist. 6. q. 3. artic. 2.

Opposita sententia Diu. Tho. Philopo. &c.

Opposita sententia est S. Thom. super text. 75. & Philop. in longa sua digressione, hac re hoc loco, vbi affert multa notatu dignissima, & Sco. 2. dist. 2. q. 9. & Auic. & Auempac. Dicunt enim motum per vacuum futurum in tempore. Fundamenta huius sententiæ sunt. Dicūt enim, velocitatem non solùm sumendam ex spacio, sed

sed ex ipsa virtutis, puta grauitatis, & leuitatis intensione ita, vt ex se tantæ virtuti tanta respondeat velocitas nullo medio impedientre: & hanc velocitatem vocat naturalem Auempac. reliquam verò quæ à subtilitate medij sumitur, accidētalem. Nec solùm grauitatem, aut leuitatem penes resistentiam mensurant, sed penes intrinsecum gradum intensionis.

Duplex velocitas in motu naturalis & accidētalis.

Probatur sententia D. Thom. 1. Ratio.

Quòd autem motus per vacuum in instanti non fiant, probatur. Demus vacuū à cælo in terram, & colūna sit fixa in terra vsque in cælum, tunc si lapis in instanti à cælo in terram descendit, vtiq; in vno instanti transibit omnes partes huius columnæ sibi correspondentes, quarū quęlibet potest illi esse locus, vnde in vno instanti erit in locis innumeris: quod re vera est inimaginabile.

Secunda.

Præterea si in instanti descendit: ergo erit verum dicere, nunc lapis est in cælo, & immediatè post hoc erit in terra. Quæro an in eodem instanti, in quo est in cælo, sit in terra, vel in alio. Si in eodem, hoc clarè dici non potest. Si in diuerso, cùm non sint duo instantia, quin mediet tempus, necessario intercedet tempus, in quo transibit ad terram. Hæc est sententia horum Doctorum.

Sententia Author. q sequitur D. Thom.

Vt autem, quid mihi in hac parte videatur, aperiam, existimo cum S. Tho. nō fore motum in instāti, sed successiuè, non solùm in vacuo illo Aristot. puta pro dimensionibus solis sumpto, sed in vacuo purè priuatiuo. Nec ego aliud vnquam potui, aut credere, aut intelligere, & vix aliud imaginari potest.

Vbi nota, quòd præter illam resistentiam medij, & præter intensionis grauitatis, vel leuitatis differentiam, quæ faceret velociorem, vel minus velocem motum, etiam in vacuo esset resistentia intrinseca mobilis ipsius, sola dimēsio spacij nulla interueniente qualitate, puta subtilitate, aut densitate, resistit, & distantia ipsa extremorum opposita resistit, quo minus fiat in instanti.

Quid sit dicendum ad ratiōes Aristot.

Vnde respondetur, Aristotelis rationibus: quod plenum, & vacuum non sint comparabilia in resistentia ex parte qualitatum; tamen est alia resistentia ex parte dimensionum, quia longius spacium ratione longitudinis, resistit, & secundum hanc resistentiam, proportionem habēt. Minus enim multo resistit solum spaciū & sola distantia extremorum, quàm distantia cum grauitate, & leuitate.

Aristoteles autem contra Antiquos benè procedebat in suis rationibus. Illi enim nullam in vacuo resistentiam ponebant, & ita contra hos argumenta procedunt. Si enim nulla prorsus resistentia esset, in instanti fierer, at non potest spaciū esse, & vacuum sine resistentia, nec aliter (vt videtur) potest intelligi. Quis enim concedet, quòd per vacuum ita cito venit à cælo in aerem, & in terram mobile, vel tam cito sicut à tecto isto vsq; ad solum? sic ergo cum D. Thom. existimo dicendū, non in instanti, sed in tempore in vacuo motum esse futurum.

Dubium.

Dubitatur. Si medium resistit etiam mobilibus naturalibus, videtur, quòd patiantur aliquam violentiam.

Solutio D. Thom.

Respondet S. Tho. & benè, quòd non est inconueniens id concedere, nam cùm mouentur, sunt extra loca sua naturalia, & tendunt in propria loca, quid mirum, si patiantur violentiam aliquam à medio, quod locus est ipsorum non naturalis? ob idque, cùm magis accedunt ad loca, fortius mouentur, quasi magis proxima loco proprio.

CAPVT IX.

At verò per se considerantibus. Tex. LXXVI.

12. Ratio Ratio Ar. cōtra vacuū separatū, & cōiunctum simul.

PRosequitur vlterius, probare non esse vacuum, & hæ rationes communes sunt, & contra vacuum separatum & cū corporibus coniunctū. Et ratio intendit probare, quòd si esset tale vacuum, & dimensio præter corporum particularium dimensiones, esset quidem penetratio dimensionum, quæ nullo modo fieri potest. Et argumentum dignum est Aristotele, quo reducere conatur, & probare hoc per sensum, quoad fieri potest. Si corpus aliquod materiale non potest se cum altero penetrare, sed vnum cedit alteri: at vacuum est eiusdē rationis cum corpore: ergo non potest se penetrare, cum corpore aliquo.

Maio.

Maiorem ostendit ad sensum. Sumatur corpus cubicum, vel alterius figuræ, ligneum, aut ferreum, & immittatur aquę, tunc experimur aquam illi cedere. Similiter fit in aere, quamuis id non sit sensu ita manifestum.

Minor probatur, quia vacuum est dimensio quædam, sicut cubus: quòd si cubo cedit corpus, ita cedet vacuo, & non poterit per illud se penetrare.

Obiectio. Solutio. Dices cubus est ligneus, & habet reliquas qualitates, non vacuum. Reijcit hoc quia cubus non ratione qualitatum cum aqua non se penetrat, nec illi corpus cedit, vt ligneus est, sed vt quantus, adeò, quòd si sola quantitas illi relinqueretur, ei cederet aqua, vel aer. Cùm autem vacuum talis sit quantitas, vtique cedent ei corpora,

Quòd verò cubo propter quantitatem cedat aqua, sensu acutissimè probat. Videmus enim, quòd aqua cedit illi pro modo quantitatis ipsius, si enim triangulare est, & aqua triangularis fit, similiter secũdum alias figuras, igitur ratione quantitatis id prouenit. Hoc est breuiter argumentum Aristo. quo probat, nec esse vacuum separatum, cum quo corpus penetrari possit, nec coniunctum, cum quo sit penetratum, & est duodecimum argumentum in ordine.

Expositio textus. Literam perpende. Inquit, enim primò, quòd opinio vacui, si consideretur, verè vacua, & futilis videbitur. Ac primò maioris probationem ponit, quòd corpori cedat corpus, dicens: quòd omne corpus habens translationem, id est, mobile sic se habet, quod medium & corpus, per quod est aptum natura ferri, illi cedat, nisi sit aliqua condensatio: tũc enim non est opus, quòd rumpatur tale corpus, sed quòd ad minorem quantitatem se contrahat, cum verò non est densatio, latera rumpuntur, in quæ subintrat corpus.

Ostendit autem quomodo cedat corpus, dicitque, quòd si fuerit terra, & graue cedit descendendo deorsum, si ignis sursum: si aer, cùm est aliquid suppositũ impediens aerem ne ascendat, cedit ad latera, quia rumpitur, & separantur partes, similiter in aqua. At vacuum non posse cedere inquit, cùm nõ sit corpus: oportet ergo, quòd alterum corpus, quod in vacuo est, ipsi penetretur, quod esset, sicut si cubus penetraretur cum aqua, nec ei cederet. Vt autem hoc fieri nõ potest, ita nec illud.

At verò cubus tantùm habet magnitudinem.

Occurritur obiec. Posset quis dicere, quòd cubus est corpus ligneum, aut ferreum, aut alterius materiæ, idcirco, aqua cedit illi. Hoc reijcit, nam aqua cedit ob quantitatem ita, vt si qualitates omnes ab ipso separarentur, & relinquerentur, corpus mathematicum tantam magnitudinem occuparet, sicut modò, cùm aqua propter molem, & quantitatem illi cedat: Quòd si tunc, inquit, in vacuo constitueretur, re vera, non differret ab ipso. Quod est dicere, Si partem vacui sumamus talis figuræ, non differret ab ipso cubo sic sumpto: cùm igitur hoc non penetretur cum corpore, nec vacuum penetrabitur. Vide quomodo mathematicus locus deberetur, si existerent, de quo diximus in hoc libro quæstione 1.

Amplius autem manifestum.

Tex. LXXVII.

13. Argũ. Decimumtertium argumentum facit, quo subtiliter probat non oportere constituere aliquas dimẽsiones præter ipsa corpora, in quibus recipiantur corpora, siue illæ sint aliquando à corporibus separatæ, siue non: & argumentum est huiusmodi. Si cubus esset separatus à materia sensibili, & alicubi poneretur, non oporteret pro tali corpore dimensiones, & interuallũ constituere, cùm eiusdem rationis sit tale interuallum, & vacuum cum ipso cubo: ergo nec oportet ponere modò aliud spacium, & vacuum, etiam si qualitates sensibiles habeat: nam quantitas de se impassibilis est, id est, nullam dicit qualitatem sensibilem ex natura sua, quamuis eis sit coniuncta: non ergo oportet ponere, præter ipsas quantitates corporum sensibilium, alias dimensiones distinctas, in quibus recipiantur.

AM-

14. Argũmentum. Hic textus apud nullum Græcum inuenitur, & à quibusdam prætermittitur, tamen à D. Tho. Alberto, & Auerr. cæterisque Latinis exponitur; & est conueniens præcedentibus, vt sit vltimum argumentum. Si tale vacuum, & spacium esset, aliquo sensu distingueretur: nullo tamẽ sensu id distinguitur: non ergo est. Quia autem posset dici, quòd propter similitudinem cũ spacio, & quantitate corporum sensibilium non apparet distinctum. Hoc reijcit: nã etiam si vnus sensus non discernat, alio discerni posset: vt si pisces essent ferrei, id est, cęrulei eiusdem coloris cum aqua, & visus discernere non posset, tactus tamẽ distingueret. Hoc autem non fit in illo spacio; & si, re vera esset, sensu perciperetur: quantitas enim sensibilis est.

An sit vacuum. Quæstio. X.

Primũ argumentũ quod sit vacuum. Quæstio hæc, cùm tam fusè ab Aristotele sit disputata, breuiter est examinanda propter aliquot tantùm argumẽta, quæ fieri solent. Nam videtur esse vacuũ. Primò, cùm mundus finitus sit, videtur extra cælum distantiam esse, præsertim secundum nos, qui tenemus, posse Deum alios extra hunc modum producere: est ergo illa distantia absque vllo corpore: vnde oportet vacuum esse.

Secundũ. Secundò, si folles sumantur vndique complicati, & orificium follium immiteretur vasi optimè occluso vndique, vt non possit ingredi aer, & latera follium eleuarentur: tunc vel intra folles oportebat esse vacuum, quia non esset, vnde aer ingrederetur: quòd si aer vasis intraret in folles, oportebat vas relinqui vacuum, quia non esset, qua aer in vas ingrederetur.

Tertium. Præterea tertiò. Sumatur vas fortissimum plenum aqua calida, & sit optimè conclusum, tunc applicetur frigidissima, vel congelabitur aqua, vel non. Si non; videtur absurdum, cùm agens naturale suam actionem faciat necessariò. Si sic, tunc aqua minorem occupabit locum propter condensationem, & manebit reliqua pars vasis vacua.

Quartũ. Quartò. sumantur duo lapides plani, & vnus sit alteri suppositus; tũc ex æquo superior eleuetur, cùm aer non possit in totum illud spacium, quod lapis occupabat, intrare ita citò, dabitur p aliquod tẽpus vacuum. Multa sunt alia argumenta huiusmodi.

Primum notandũ. Vacuũ dicitur dupliciter. Respondetur, tamen notando primò, quòd vacuum dupliciter sumitur. Vno modo, pro dimẽsione illa separata à corpore, in quo actu nullum sit corpus. Altero modo, pro spacio cùm priuatione cuiusque tam accidentis, quàm substantiæ, quale esset, si Deus auferret aerem, & reliqua quæ sunt inter cęlum, & terram, his extremis relictis. Et quamuis vtrumque vacuum sit de potẽtia absoluta Dei, tamen loquendo Physicè.

Prima cõclusio. Sit prima conclusio, quòd vacuum illud pro dimensione, nec est, nec esse potest, quia (vt diximus) non est concessum naturali potentiæ, vt sit accidens sine subiecto, cui inhæreat, & vlterius, cũ hoc oportebat penetrationẽ corporum admittere.

Secunda conclusio. Sit secunda conclusio: quòd vacuum etiam corpore priuatum, id est, spacium, quod nullum habeat corpus, non est, nec esse potest, per naturalem experientiam, sed omnia spacia necessariò occupata sunt corpore.

Probatur conclusio multis ex periẽtijs. Hoc quippè multis experientijs conuincitur, quibus experimur res naturales circa motus proprios ferri, ne detur vacuũ. Grauia enim ascendunt, & sistunt super aerem, vt apparet de aqua in fistulis, absorto aere; & de aqua pendente in clepsydra; & in alijs multis, ex quibus est argumẽtum validũ, si vacuum esset, tũc maximè esset, cùm res naturales coguntur circa suos motũ naturales tẽdere; sed tunc non est, vt experientia monstratur: ergo nunquam: hinc videmus concursum aeris fortissimum in bombardis, ne detur vacuum, & ingentia pondera leuari minimo instrumento eadem causa.

Dubium. Prima tũsio quorũdam. Dices, quare vacuum semper natura abominatur, ita, vt nec minimo tempore dari possit? Aliqui dicunt, quia esset superfluum, at in natura nihil est superfluum, nihil ociosum. Sed ista ratio non videtur conuincere; nam si illud tale vacuum multo tempore perseueraret, vtiq; non esset concedendum; cùm autem sit tẽpore breuissimo, ac statim natura succurrat;

currat, non videretur propter hoc magnum inconueniens.

Secunda responsio secundũ Arist. Secundum Aristot. ratio est clara, quia non est interuallum aliquod, nisi ipsum corpus, quod est inter latera continẽtis; vnde non possunt illa manere distantia, nisi sit corpus aliquod inter illa.

Tertia responsio. Arist. At cùm esse possit per diuinam potentiam tale interuallum, non solum per dimensiones aliquas reales, sed etiam per priuationem, quamuis modò occupatũ sit, tenemur dare aliam aliquam rationẽ. Existimo esse dicẽdum, contiguationem corporũ omnium inter se esse maximam naturæ dispositionem, ita, vt sicut continua pars alteram sibi cõtinuam suo motu trahit, ita contiguum trahit sibi contiguum, cùm aliud corpus succedere non potest. Atq; hæc corporũ contiguitas est secundum naturam vniuersi, & à virtute causarum vniuersaliũ dependens in inferiora hæc deriuata, vt inde virtus eorum per hæc media gubernetur, & fiat ille virtutis contactus causarũ superiorum per media corpora: nam si vacuum esset intermedium, intercipieretur illa virtus in ipso vacuo cõtactus virtualis causarum superiorum. Nec ego aliam possum inuenire rationem.

Nota. Ex quo fit, quòd isti motus, & effectus, qui ad vitandum vacuum euenunt, nõ sunt censendi violenti, vt quòd grauia ascendant, leuia descendant, & similia. Hæc enim, quamuis videantur non esse secundum appetitum particularem ipsarum rerum, sunt secundum ordinationẽ orbis vniuersi, & magis est naturale id, quod ratione totius, quàm quòd ratione partis euenit.

Ad primum. Ad argumentum primum respondetur, quòd etiam si sit extra cælum illa imaginatiua distantia, non tamen dicitur vacuum, quia naturaliter nullum corpus ibi potest esse. à Theologis vocatur inane.

Ad secundum. Ad secundum dicẽdum, quòd illo casu non eleuarentur latera follium, quòd si multa adhiberetur vis, rumperentur absque dubio, quòd si rumpi nõ possent, non possent separari.

Ad tertiũ Ad tertium, admitto, quòd aqua infrigidaretur, & congelaretur; hoc tamen non potest esse sine vaporum subtiliorũ exhalatione, qui replerent locum relictum ab aqua.

Ad quartum. Ad aliud respondeo, quòd in illo casu vnus lapis traheret alium, quòd si parum obliquè eleuaretur vn⁹, vt posset aer subintrare, tunc non esset difficultas.

Aliqui dicunt ex Arist. 2. Animæ, tex. 113. quòd duo corpora dura non possunt perfectè coniungi, quin mediet aer, vel aqua, & ita multi credunt. Sed parum hoc refert ad propositum. Existimo tamen cum Philop. idem, quòd si perfectè plana essent, coniungi possent; communiter tamen non sunt perfectè plana, & ideò aliud asserit Aristot.

Quòd igitur non sit separatum vacuum. Tex. LXXIX.

Argũmũ primũ ex raro, & denso, quo quidã ꝓbabãt dari vacuũ. POstquam vacuum separatum nullum esse probauit, quorundam argumentum proponit, qui vacuum probabant eò, quia rarum, & densum sunt. Dicebant enim, Si vacuum nõ esset, non contingeret condensari quicquam, quia aliter non fit dẽsatio, quàm per vacuum: at impossibile est non esse cõdensationem; nam sequeretur vnum ex his inconuenientibus.

1 Aut quòd non esset motus localis. Quomodo enim corpus trãsiret per corpus, nisi esset densatio aliqua.

2 Aut si motus est sine densatione, mũdus fluctuabit, hoc est, corp⁹ mobile mouebit vnam partem spacij in locum vlteriorem, & illa aliam, & illa aliam iterũ, donec totus mundus moueatur, & egrediatur suos limites; & item per quietem regrediatur, sicut mare fluctuat vndarum motu.

3 Quòd si hoc non est, sequeretur aliud incõueniens, quòd si modo aliquod corpus crescit, vt cùm ex aqua fit aer, alibi opus sit, vt aliud corpus decrescat, puta, tantùm aeris fiat aqua, ne totus mundus fluctuet: Quòd si ista non contingere possunt, oportet dare vacuum intra corpora, ratione cuius condensentur, & ita dicebat Xuthus Philosophus; non enim condensationẽ aliter, quàm per vacuum fieri putabat.

Si

Si igitur rarum dicunt. Tex. LXXX.

Disputat Arist. contra ſic ponentes vacuum. IMpugnat modò hanc sententiã, quæ vacuum intra corpus ipsum ponit, & distinguit, dicens. Aut isti ponũt multa vacua separata, aut vacuum non separabile. Si separata; iam impugnatum est, non esse vacuum separatum. Si verò non separabile, minus malè dicũt.

Nota qd sit vacuũ separatũ, & non separatũ secundum Simpli. Quid autem per hæc duo vacua intelligat Simpl. exponit. Dicit, quòd per vacua separata intelligit, quòd intra corpus sit aliquod vnum vacuum continuũ magnum, ratio cuius densatio fiat; per vacuũ verò nõ separatum, intelligit, quòd sint multæ particulæ vacui dispersæ per totum corpus; & tunc est sensus, cùm dicunt vacuum esse propter rarum, vel ponunt vnum vacuum in vno corpore, vel multas particulas vacui.

Reijcitur. Hæc expositio mihi non placet; quia si hoc esset vacuum non separatum, cur dicit Aristo. hoc esse minus impossibile, cùm vtrumque æquè sit impossibile?

Expõ D. Thom. S. Thomas aliter exponit, per vacuum separatum intelligi vacuũ sine vllo corpore: per non separatum, vacuum cõiunctum cum corpore, & hoc meritò dicitur minus impossibile; sed vult etiam S. Thomas, quòd posteà rationes, quæ sequuntur, sint contra vacuum non separatum, quæ tamen re vera non videntur correspondere.

Quare conuenio quidem cum Sancto Thoma in declaratione vtriusque vacui, sed dicendum vlterius, quòd inconuenientia, quæ posteà infert Aristot. sunt contra primum vacuum separatum: Nã ad condensationem, non videtur sufficere vacuum separatum, ob id Aristot. ipsum dimittit.

Dicit ergo Aristo. quòd ad rarum ponebant isti, aut multa vacua separata, id est, inter corpora multos poros inanes; vel ponebant non separata vacua, id est, poros refertos aliquo corpore, quod minus est impossibile; dicit iam probatum esse, non esse vacuum separatum, cùm probatum fuit non esse locum habentẽ spacium aliquod de se distinctum à locatis, nisi solam superficiem continentem.

Si verò non separabile. Tex. LXXXI.

Quatuor inconuenientia, quæ tale vacuũ cõsequũtur. HOc est alterum membrum diuisionis, quam textu præcedenti exposuimus; statim ponit inconueniẽtia quatuor, quæ sequuntur ex eo, quòd in raro vacuum ponũt, nec aliter rarum esse posse, quàm per vacua illa separata, & inania intra corpus.

Primũ. Primũ, quòd vacuum non esset, nisi propter motũ sursum tantùm; quia, cùm rarum sit leue, & hoc sursum moueatur, vacuum non erit causa motus omnis localis, nisi tantùm sursum.

Secundũ. Secundũ, quòd vacuum non esset causa motus tanquam id, in quo mobile existit, sed tanquam id, quod fert mobile, sicut aer inclusus in vtre fert id, quod ei coniungitur, ita vacuum fert mobile. Hoc autem modo vacuum nõ potest esse causa motus, nam nullo modo potest ferre ipsum corpus, cùm nullus sit locus vacui: nec vacuum ferat, nisi ad vacuum, & tunc non ferret, cùm sit illud ipsum et iam vacuum, nec vtriusq; sit discrimen.

Amplius autem quomodo in graui. Tex. LXXXII.

Tertiũ. TErtium ponit inconueniens. Nam grauis nulla erit causa, qua feratur: densum enim est, nec vacuum intra se habet.

Quartũ. Quartum inconueniens. Si vacuum est causa motus, quo magis aliquid fuerit vacuum, velocius feretur: vacuum ergo ipsum velocissimè ferretur; at vacuũ impossibile est moueri, & ita non poterit comparari velocitas ipsius, quia esset in non tempore, sicut nec per vacuum motus fieri potest, vt dictum est. Non enim comparantur motus vacui, & per vacuũ cum motu pleni, & per plenum; & ita oportebat in non tempore motus esse locales, quod impossibile est.

Quoniam autem vacuum quidem Tex. LXXXIII.

Cùm

Ad argumenta de raro, & denso.

CVm vacuum esse negauerit, dicit, quòd incõuenientia tria illata videntur sequi: nisi enim sit dẽsitas, aut motus non erit, aut vniuersum fluctuabit, aut fiat illa æqualis mutatio corporum.

Prima obiectio.

Posset quis dicere, cõdensationem esse sine vacuo, per expulsionem corporis subtilis inclusi intra corpus densandum, vt dictum est. Hoc reijcit, dicitque non sufficere. Nam illud corpus expulsum sibi proximum mouebit, & hoc aliud, donec totus orbis fluctuet.

Secunda obiectio.

Dicet quis, potest esse motus absque fluctuatione, nempè si circulariter moueatur res, quia tunc non mutant loca.

Solutio.

Hoc etiam excludit, quia non semper res circulariter mouentur, sed aliquando sursum, aliquando deorsum.

Nota.

Aduertendum autem, quòd Arist. probat rationes has & inconuenientia, quæ sequuntur, nisi densatio sit, & rarefactio: tamen nõ probat opus esse vacuo ad cõdensationem, & rarefactionem.

Nos autem dicimus ex suppositis. Tex. LXXXIIII.

Sententia Aristo. de rarefactione.

SVam sententiam de rarefactione exponit, quæ breuiter primò in hoc cõsistit, quòd raritas, & densitas sunt duæ contrariæ qualitates eductæ de potentia materiæ, sicut & aliæ. Cùm autem aliquid condensatur, aut rarefit propriè, non est quia expellatur aliquid, aut ingrediatur aliquid, vel quòd partes coniungantur inter se, vel separẽtur ratione vacui; sed quia educitur de potentia materiæ talis qualitas, raritas, aut densitas, ita vt subiectum mutetur, sicut cùm fit calidum, aut frigidum.

Nota.

Antiqui enim nullã partem rei in rarefactione, vel densatione mutari dicebant, sed solũ magis appropinquari, aut remoueri inter se. Aristote. verò non sic, sed cùm rarefit, aut condensatur aliquid, totum mutatur, & partes mutatione accidentali recipiẽdo qualitatem eductam de potentia materiæ, quod apparet, quia in raro quælibet pars est rara, quòd si rarum solùm esset per partium separationem inter se, partes vtiq; manerent densæ, quod falsum est, vt apparet in his, quę rara sunt, & maximè in elementis. Hoc autem posterius magis declarabitur.

Expositio tex.

Literam perpẽde: repetit enim primò ex his, quæ dicta sunt in lib. 1. Physi. quatuor propositiones de materia.

Prima propositio.

Prima est. Vna est materia contrariorum, id est, id, quod recipit vnum cõtrarium & alterum recipere potest. Et notãdum, quod hic, vel de ipsa materia, vel de subiecto intelligi ista possunt: nam vt materia se habet ad formas ipsas substantiales, ita subiectum ad accidentia.

Secunda.

Secunda propositio est. Cum aliquid fit, non ex nihilo fit, sed ex potentia in actum educitur: vt aer fit ex eo, quod erat potentia aer: & actu calidum ex eo, quod erat potentia calidum.

Tertia.

Tertia. Materia non est absque vllo contrariorum, id est, absque vlla forma, siue hac, siue illa, tamen ratione, & natura distincta est, & separata à qualibet forma.

Quarta.

Quarta. Vna numero est materia contrariorum, id est, idem prorsus, quod antè erat album, modò est nigrum, nec est alia substantia; & cùm ex aqua fit aer, eadem prorsus materia, quæ erat aqua, facta est aer, nec quicquam illius deperditum, aut de nouo acquisitum. Hæc quatuor principia supponit ad declarandam rarefactionem, & condensationem, quæ cuilibet Physico debent esse iam nota.

Est autem, & corporis materia, & magni.

Eadẽ est materia magni, & parui.

APplicat principia. Cùm ergo materia sit eadem contrariorum, ac magnum, & paruum corpus contraria, & diuersa sint, eadẽ erit vtriusque materia, & subiectũ; sicut igitur cùm ex aqua fit aer, eadem prorsus manet materia, & id, quod in ea erat in potentia, actu fit; ita & cùm ex paruo magnum, & ex magno paruum fit, semper est eadem materia in potentia vtrumque.

Nota primò.

Est notandum, quod ex magno fieri paruum, est densari: ex paruo magnum, rarefieri.

Nota secundò.

Notandum etiam, quòd rarefactionẽ coniunxit cum mutatione aeris ex aqua, & densationem cum mutatione aquę ex aere, vt intelligas, sicut in illis mutationibus quoad substantiam manere semper eandem materiam, nec deperdi, nec de nouo adiungi, sed solùm esse per eductionem de potentia in actum: ita esse in mutationibus quoad magnitudinem, & paruitatem, quæ condensatio & rarefactio sunt: nihil etiam in his de nouo subintrat, nec recedit, sed solùm ex potentia in actum fit eductio, & ita fit in alijs densationibus, & rarefactionibus, quæ sunt absque generatione substantiæ ipsius.

Vt enim ex frigido fit calidum.

Exẽplis explicat Arist. sententiã suã Primum.

VTitur duplici exemplo Aristo. ad id explicandum: Alterũ est de calido, & magis calido. Cùm enim aliquid ex potentia calido fit calidum, nil ab extrinseco aduenit, sed id, quod erat potentia, idem omninò fit actu. Vlterius, cùm ex minus calido fit magis calidum, idem quod calidum erat, fit magis calidum, ita eadem materia, quæ erat rara, fit densa, & ẽcontra, sui mutatione ex potentia in actum, & non quia partes recipiant inter se aliquod vacuum, vel eijciant.

2. Alterum exemplum est. Si sumamus partem circumferentiæ circuli maioris, & faciamus ex ea circulum minorem, tũc id, quod antè erat curuum, fiet magis curuum, non accepto alio curuo, sed totum, quod erat curuum, factũ idem est magis curuum: Ita in magno, & paruo, raro, & denso idem. Quod rarum antè erat, fit dẽsum, & quod erat densum, rarum, & non per vacui interpositionem partibus non mutatis, vt illi Philosophi volebant. Et nota exemplum de circulo: linea enim circuli sic se habet, quòd non solùm ipsa est curua, sed & quælibet ipsius pars, & similiter tota fit magis curua, & quælibet ipsius pars. Sic de raro, & denso.

Amplius sicut circuli. Tex. LXXXV.

Repetitur idem exẽplum.

IDem exemplum de circulo repetit adeò, vt aliqui textum hunc non esse Aristotelis putent ac proindè ab alijs interpretibus prætermittitur, legitur tamen à Philopono, nec est omninò reijciendus, cùm à D. Tho. etiam & alijs recipiatur. Dicit igitur, quòd linea curua dũ magis curua fit, non aliud fit magis curuum, nisi quod erat curuum: & ignis est calidus, & albus totus, & non solùm ipse, sed & partes. Ita de raritate.

Nota.

Notandum, quòd albedo tribuitur igni, sicut alij colores elementis, non quia proprij colores sint, sed similitudine quadam, vt dicitur lib. de coloribus. Subiungit duas proprietates rarorum corporũ, puta, leuitatem, & mollitiem: densorum verò grauitatem, & duritiem. In ferro autem, & plumbo has duas oppositò se habere modo docet, nam plumbum est grauius, nõ tamen ita durum, ferrum autem durius, non tamen ita graue.

Nota.

Cuius ratio est, quia plumbum est admodum terrestre, & id, quod aqueum est, minus habet digestum, & concoctum, at ea de causa minus resolutũ, cùm sit mollius, sed grauius est, sicut limus ante concoctionẽ, & carnes grauiores crudę sunt. Ferrum autem habet aqueum concoctũ, idcircò durius est, & minus graue, quia magis resolutum.

Ex dictis igitur manifestum est. Tex. LXXXVI.

Epilogus disputationis de vacuo.

COncludit, nec esse vacuum separatum, id est, sine corpore: nec simpliciter, id est, extra corpora: nec in raro, id est, intra ipsa corpora: nec esse vacuum in potentia, id est, cum corporibus coniunctum, licet distinctum ratione ab illis, vt exponit Philop. Nisi quis, inquit, vtatur æquiuocè vocabulo vacui pro causa motus, tunc enim graue, & leue dicet vacua, quæ sunt causa motus lationis: durum autem, & molle sunt causa alterationis cuiusdam, puta, passionis, vel impassionis: nam molle cedit diuisioni, durum resistit, ob id hæ qualitates dicuntur potentiæ vel impotentiæ, vt dictum est in prædicamento. Quasi dicat, vacuum, qualiter explicatum est, nullum est, nisi quis vocabulo hoc aliquid aliud, quod sit, velit significare, & ob id concludit dictum esse quomodo sit vacuum, & quomodo non sit.

Quid

Quid sit condensatio, & rarefactio, & ex quibus causis, & Quomodo fiat, Ex quo constabit, An sine vacuo esse possint.

Quæstio XI.

TRIA breuiter in hac difficultate præstabimus. Plenior siquidem tractatio de rarefactione, & condensatione, non est præsentis speculationis. Primùm quid rarefactio, quid condensatio sint. Secundò, quibus ex causis proueniant. Tertiò, quo modo fiant. Ex quibus facile constabit esse posse sine vacuo isto Antiquorum.

Quid sit condensatio, & rarefactio.

Circa primum aduertendum, quòd condensatio non aliud est, quàm motus quidam in densitatem, sicut rarefactio motus in raritatem: cùm autem raritas, & densitas qualitates quædam sint: fit vt rarefactio, & condensatio alterationes sint, nam alteratio motus est in qualitatem.

Quid sit rarum & densum.

Rarum autem dicitur id, quod parum materiæ sub multa continet quantitate: è contra, densum, quod sub parua quantitate multum continet materiæ. Hoc autem apparet, cùm ex stuppa fit ignis, illa enim materia stuppæ, quæ sub parua erat quantitate, postea sub magna ignis quantitate est, ac raritatem recipit.

Duplex est rarefactio & cõdensatio. Propria, & impropria. Quid impropria.

Est autem aduertendum duplicem esse rarefactionem, & condensationem, & propriam, & impropriam. Impropria est, quæ fit absque mutatione, & alteratione aliqua partium rei, sed solùm per approximationem, vel partium separationem, sicut spongia, cùm eiecta est aqua, vel aer, condensata dicitur, cùm verò plena est aere, vel aqua rarefacta est: talis autem densatio, & rarefactio non fit absq; corporis externi intromissione, vel expulsione: & hæc mixtis inest frequenter: elemẽta enim, saltem ignis, & aer non habent hanc densationem, vel raritatẽ. Antiqui itaq; non cognoscebant, nisi hãc solùm cùm hoc discrimine, quòd illi ponebant intra corpora vacuos poros: nos verò plenos subtiliore corpore, & sic diximus superius cinerem condensari.

Quid propria.

Alia est condensatio, & rarefactio propria, & hæc non fit corporis alterius expulsione, vel receptione, sed mutatione ipsius subiecti ex potẽtia in actum, vt sicut quod erat calidum, fit frigidum, non quia ab intrinseco quicquã recipiat, sed quia materia, quæ erat in potentia frigida, fit actu frigida, ita fit rara, & densa actu ex eo, quod erat in potentia, vt dicetur paulo post.

Tribus ex causis prouenire potest rarefactio, & condensatio. Prima ca.

Hæc igitur densatio vel rarefactio tribus ex causis prouenit. Prima est alteratio secundum calorem, & frigiditatem, calefactio enim rarefactionis est causa, frigefactio verò condensationis, non q̃ ipsa calefactio sit rarefactio, aut frigefactio condensatio, sunt enim alterationes diuersæ. Sed quòd ex illis istæ sequantur, vt ex causa.

Varia huius causæ experientiæ. Prima.

Sunt aliquot experientiæ. Primò, videmus igni appositas castaneas, & oua, & glandes [illegible] no impetu rumpi, & proijci, quod non fit, nisi quia cùm ista ventosa sint, ipsorum aer intus inclusus à calore rarefit, ac rarefactus maiorem petit locum, quem extra quærit.

Secunda.

Præterea, experimur aquam frigidam minorem partem ollæ occupare, calefacta verò ollam excedere.

Tertia.

Similiter vtres, & pilæ plenæ aere, si cùm igni apponantur, optimè comprimũtur, accedenti maximè resistunt, quia aer rarefactus latera continentis fortiter occupat, ac extendit.

Quarta.

Similiter, si olla optimè calefacta interius, posteà vertatur, ita vt os deorsum aquę superficie occludatur, ascẽdit aqua, quia aer illic inclusus, rarefactus calore præcedenti, totam illam occupabat, posteà aquæ frigiditate densatus minorem occupat locum, ac partẽ ollæ deserit prope os, quod proximum est aquę, hunc autem locum aqua ascendens occupat. Sũt etiam aliæ passim experientię, quibus solam calefactionem, & frigefactionem rarefactionis, & condensationis causam esse percipitur.

Secunda causa.

Altera causa est generatio. Cũ enim inferiora elemẽta ex superioribus fiũt, vt ex igne aer, ex aere aqua, ex aqua terra, condensatio est, cũ verò ẽcõtra ex inferioribus superiora, rarefactio est: & hoc satis est experiẽtia cõpertũ. Videmus enim fumum ex ligno procedentẽ, & vapores aquæ multò maiorem locum occupare.

Experientiæ secundæ causę.

In

Nota.

In hac generatione interuenit etiam alteratio secundum calorem, & frigiditatem, sed quia talis alteratio est coniuncta cum generatione substantiæ, dicimus, & attribuimus generationis causam rarefactionis, & densationis ad differentiam primi modi, quo sola alteratio sine generatione substantiæ causa est rarefactionis & densationis. Et quia post generationẽ ex vi ipsius formæ solet magis vel minus densari materia, vel rarefieri.

3. Causa.

Tertia causa est motus localis. Hic enim densationem facit, ex nimia enim partium compressione fit aliquando dẽsatio, & sic aer ex ventorum motu condensatur, quo cessante rarefit. Hæ igitur sunt causæ, quibus condensatio, & rarefactio prouenìunt.

De modo, quo fiãt rarefactio, & cõdẽsatio.

At circa modum, quo fiant; aduertemus Aristo. esse hanc, quæ tibi sufficiet pro præsenti. Quòd densatio, & rarefactio fiunt, quia sicut materia fit calida, vel frigida, non recepto aliquo extrinseco, sed quia erat potentia calida, & frigida: ita materia est in potentia ad maiorem vel minorem quantitatem, & cùm maior fit, vel minor, ,ppriè ex eo fit, quia erat potentia, non quia ei aliquid intromittatur, & inde est rara, & densa.

Nota.

Est autem considerandum, quòd sicut ex materia educitur calor, qui tamen nõ erat in ea actu, nisi tantùm potentia, ita educitur maior quantitas, vel minor quãtitas, vbi non erat nisi potentia, vt enim de nouo calor in eadẽ materia, ita de nouo maior, vel minor quantitas producitur. Raritas autem, & densitas qualitates sunt admodum cum quantitate coniunctæ ita, vt ipsam sequantur.

Rarefact. & cõdensatio, non fiunt sine acquisitione, vel diminutiõe in quantitate.

Vndè quantum ego existimo, (imò ita est secundum Aristotelem) non fit mutatio secundum raritatem, vel densitatem, quin aliquid quantitatis deperdatur, vel acquiratur de nouo: loquor autem de propria condensatione, & rarefactione.

Secundum tamen Auerroem, qui tenet materiam semper habere coniunctã quantitatem sibi, vt nunquam de nouo acquiratur vel deperdatur, nec tota, nec vlla quantitatis pars, dicet, quòd in condensatione, vel rarefactione non deperditur quicquam quantitatis, aut acquiritur, sed aliter, & aliter se habet, & probabile hoc est.

At nos qui quantitatem non in sola materia, sed in composito constituimus, ac ipsam deperdi, & acquiri diximus, non reputamus incõueniens dicere, quòd sicut in remissione caloris, & intensione aliquid caloris deperditur, vel recipitur, vt probauimus posteà, ita in ista rarefactione, & condensatione circa quantitatem. Imò cùm ex generatione prouenìunt, sicut cùm ex aqua aer, vel ẽcontra fit, probabiliter etiam dicitur tunc tota quantitas mutatur, & noua acquiritur sub eadem manente materia. Re enim corrupta, vt probabilis ait opinio omnia ipsius accidentia corrumpuntur: de hoc tamen alibi latius dicemus. Satis sit de quæstione hac. Alius etenim est eius proprius disputandi locus. Ex dictis liquet ad rarefactionem, vel condensationem non esse necessarium vacuum, vt antiqui Philosophi putabant, sed sine vacuo fieri posse.

An formæ intendantur additione partium gradualium.

Quæstio. XII.

Sẽsus quęstionis.

HAEC quæstio circa tex. 84. moueturvbi Aristoteles docet magis calidum fieri ex minus calido non adueniente calido nouo. Pro sensu autem quæstionis aduerte, quòd intensio non aliud est, quàm motus, quo, vna forma, fit perfectior in eadem parte subiecti: vt cùm albedo, quæ in manu erat, fit perfectior, vt secundum eam manus magis, & magis dicatur alba.

Primũ notandũ quod sit intensio.

Qualitas dupliciter potest augeri.

Dixi autem, in eadem parte, nam aliqua qualitas dupliciter potest augeri. Vno modo secundum quod plures partes subiecti informat, vt cùm calor crescit, & dilatatur per aliquod continuũ successiuè calefaciendo plures subiecti partes, & talis dicitur extẽsio formæ. Altero modo augetur in eadẽ parte subiecti acquirẽdo maiorem, & maiorem vim, vt cùm calor in manu existẽs fit maior, & maior, & tale augmentũ intensio dicitur: oppositũ verò decrementum remissio.

Differunt ergo intensio, & remissio formæ

Nota quo differunt intensio, & extensio formæ.

formæ ab extensione & diminutione eiusdem, hæc enim sumuntur secundum plures vel pauciores partes quantitatiuas subiecti, illa verò secundum perfectionem maiorem, vel minorẽ in eadem parte subiecti, potestq; esse, vt simul fiant intensio, & extensio, imò intensio, & diminutio.

Explicatur magis sensus qõnis.

Semper tamen obseruandum est, hos esse valdè diuersos motus. In præsenti autem loquimur de intensione & remissione, & petimus: An cùm intenditur calor, noua aliqua caloris particula producatur supra calorem præexistentem? in remissione verò corrumpatur, an non sic, sed semper eadem qualitas sit absque acquisitione, vel deperditione alicuius partis qualitatis.

Prima sẽtentia.

In hac difficultate sunt quatuor sententiæ principales. Prima est Burlei, quam sequitur Duran. 1. Senten. distinctione decima septima, quęstione octaua. & Gofredus, vt recitat Sanctus Thomas, 1. Senten. distinctione decima septima, quæstione secunda, articulo secundo. Dicunt in intensione calorem præcedentem corrumpi, & nouum generari, & produci, similiter de alijs qualitatibus, vt cùm ex paruo calore fit maior, & intensior, calor iste remissus corrumpitur, & nouus intensior producitur, similiter in remissione corrumpitur intensior, & producitur remissior.

Rõ huius sentẽtiæ.

Huius sententię pręcipua ratio est. Intensio, & remissio sunt motus; ergo ex contrario in contrarium tendunt terminum: sed termini contrarij simul esse nõ possunt, ergo calor, qui erat remissus, & calor qui erat intensus, cùm sint termini motus, simul non sunt, sed vnus corrumpitur altero accedente.

Exemplũ Durandi.

Exemplum ponit Duran. sicut in motu locali semper sunt loca diuersa, & vnus corrumpitur, altero succedente, ita in formis, secundum quas est intensio, & remissio.

Secunda sentẽtia Ægid. & Greg.

Altera sententia est Aegid. lib. 2. q. 14. & Gregor. 1. Senten. distinct. 17. q. 4. art. 1. Hi in forma accidẽtali considerant duo: Alterum essentiam ipsius formæ: Alterum existentiam, puta, ipsam actualem inhærentiam in subiecto, vt albedinis essentia est ipsius natura, & substantia, inhærentia verò in subiecto ipsius est existentia, ita in alijs qualitatibus.

Dicunt ergo, quòd intensio, & remissio non fit per additionem vel ablationẽ aliquam in essentia qualitatis, & formæ, sed eadem prorsus est qualitas intensa, quæ erat remissa absq; acquisitione, vel deperditione, intensio autem, & remissio tantùm fit secundum existentiam, & inhærentiam, hæc enim suscipit magis & minus.

Probant ex 8. Meta. tex. 10. vbi dicitur, quòd essentiæ formarum consistunt in indiuisibili, vt vna non sit maior, & minor, vt ternarius vnus non est alteri maior: si igitur hoc ita est, non potest esse additio, vel ablatio in essentia. Prima ratio.

Præterea, quia natura rei est in certo gradu naturæ: non ergo suscipit magis, & minus: hæc enim incertitudinem faciunt. Secunda.

Tertia sẽtentia Scoti.

Tertia sententia est Scoti, 1. Sent. dist. 17. q. 3. quam sequuntur Nominales, putat qualitates intendi additione nouæ qualitatis, vt calor intensior fit, quia nouus calor producitur, & cum calore præcedenti coniungitur, & vnitur in eadem subiecti parte. Vndè differt à Burleo; quòd Burle. dicit priorem qualitatem nõ manere, Scot. verò, quòd manet cum sequenti, & fit vnus calor intensus, in remissione verò perditur aliquid caloris, & residuũ manet, donec fiat totius ꝓditio.

Prima ratio.

Hæc sententię probatur primò. Ita se habet augmentum intelligibile, sicut sensibile: sed sensibile fit partium additione ergo intelligibile. Vocat augmentum sensibile, quod fit in extensione, vt cùm aqua additur aquæ, & cùm calor extenditur per subiecti partes, constat autẽ hoc fieri productione nouarũ partium Vocat augmentum intelligibile, quòd fit in eadem parte secundum intensionem.

Et argumentum est, quòd sicut cùm extenditur calor nouus, & nouus calor ꝓducitur, in diuersis tamẽ subiecti partib⁹, ita etiã cùm intẽditur, ꝓducetur vtiq; nou⁹, & nouus calor in eade tamen parte.

Secunda ratio.

Secũdò. Motus realis terminũ habet realẽ ad quẽ, distinctũ à termino à quo, ergo calor qua intẽsione acquiritur nõ est idem calor, qui præcessit, sed pars de nouo producta, ita erit in remissione.

Tertiò,

Tertia ratio.

Tertiò. Non fit transitus de cõtradictorio in contradictorium sine acquisitione alicuius realis, vel deperditiõe; sed cùm calor intẽditur, vel remittitur, subiectum ex non intenso fit intensum, & ex non remisso remissum; ergo in remissione, vel intensione noua qualitas acquiritur, vel deperditur.

Quarta sententia S. Thom.

Quarta sententia est S. Thom. Prima secundæ, quæst. 51. art. 1. ad 2. & Secunda, Secundę, q. 24. ar. 5. quem sequuntur plerique viri docti in 8. Metaphy. Dicit, quòd cùm qualitas remittitur, aut intenditur, nihil de nouo acquiritur, nihil de nouo deperditur, sed eadem omninò manet intensa, & remissa; solũ intensio consistit in hoc, quòd magis est radicata in subiecto, remissio verò, quòd minus est radicata. Esse autem radicatam magis vel minus, non est aliud, quàm quod magis sit educta, vel minus, ex potentia in actũ.

Explicatio sentẽtiæ eiusdẽ

Nota. In quo sit posita radix intentiõis & remissionis, & de duplici indifferẽtia formæ.

Vndè radicem intentionis, vel remissionis ponunt in indifferentia formę, secundùm quam magis, vel minus potest educi de potentia subiecti.

1

Sunt enim aliquæ formæ accidentales indifferentes, vt non magis vni, quàm alteri insint subiecto, vt albedo indifferens est, vt niui, vel cigno, vel alteri insit, & hæc indifferentia accidens facit commune.

2

Sunt etiam aliquæ indifferentes, vt à subiecto abesse, vel adesse possint; & hæc indifferentia facit qualitates separabiles.

3

Sunt tandem aliquæ indifferentes, vt plus minúsve perfectè à subiectis participari possint, & hæc indifferentia ipsas facit intensibiles, & remissibiles.

Vndè prouenit illa indifferentia formæ.

Hæc autem indifferentia aliquando prouenit ex diuersa natura subiectorum; vt calor ignis est intensior, aeris remissior, quia natura ignis talem petit calorem, aeris verò talem.

1

Aliquando prouenit ex diuersa dispositione eiusdem subiecti, vt melidum magis, ac magis comprimitur, fit albior; quia deperdit humidum, & magis disponitur ad calorem.

repetitur sententia D. Thom.

Hæc est sententia fideliter exposita, in qua dicitur intẽsionem, vel remissionem fieri per maiorem, vel minorem in subiecto radicationem, siue id fit propter naturam subiecti, siue propter maiorem, vel minorem dispositionem.

1. Rõ pro D. Thom.

Probatur primò. Si intensio fieret ad ditione gradus ad gradum, quæro, cum illi gradus vnam faciant formam, vel illud vnum erit compositione, vel continuatione, vel subiecto. Non compositione: quia in accidenti non est compositio, nisi generis, & differentiæ, aut actus, & potentiæ quales non sunt illæ, quæ ex diuersis gradibus sunt, præsertim cùm sint eiusdem rationis, & neuter se habeat, vt determinãs, aut vt determinatum. Nec erunt vnum continuatione, cum illa graduum vnio non sit secundum quantitatis partes. intensio enim in vnica fit parte. Nec erunt vnum subiecto, quia quę sic sunt vnum, sunt distincta specie, vt albedo, & dulcedo in lacte: cũ ergo nõ possint vnam formam facere, non sic erit intẽsio.

Secunda.

Secundò. Ille gradus de nouo productus, vel est eiusdem speciei, vel diuersæ. Non diuersæ, nam duo gradus caloris nõ differunt specie; si ergo sunt eiusdem speciei, differunt numero: at duo accidentia numero tantùm differentia in eodẽ subiecto adæquatè esse nequeunt, cum numerica accidentium distinctio à subiectis sumatur: non ergo sic intensio fieri potest.

Tertia.

Tertiò. Stat formam indiuisibilem magis, & minus suscipere: ergo non fit per additionem, vel ablationem. Antecedens probatur. Visio est indiuisibilis operatio, & intellectio, & stat has intendi, & remitti, dum obiectum magis, vel minus comprehenditur: non igitur illo modo intensio, & remissio fiunt. Hæ fuere de intensione opiniones.

1. Fundamentum. Explicatio terminorum ad quæstionem.

Pro huius quæstionis determinatione quorundam terminorum explicatio est maximè aduertenda, quæ apud Philosophos in hac materia solent occurrere, præsertim apud calculatorẽ Suyset. Termini autem sunt, hi gradus formæ pars gradualis, non gradus latitudo formæ.

Quid sit gradus formæ.

Gradus formæ est illud minimum formæ quoad intensionẽ, quod potest actu per se manere in aliquo subiecto; sicut vocamus minimum in extensione, quod per se potest existere ab alijs partibus separatum, ita vocamus intensione, vel remissione graduum quo remissior nõ potest per se actu in subiecto esse.

Pars verò gradualis formæ est, quie-

Quid sit pars gradualis.

quid formæ, quod non potest ob eius remissionem actu per se esse; sicut in extensione quantitatis, sunt particulæ ita minimæ, vt non possint esse per se, nisi cum alijs continuæ; ita in forma intensa sunt caloris particulæ ita remissæ, vt non sint vnquã per se, & has vocamus partes graduales. Vnde in vno gradu sunt plures graduales partes, qa est diuisibilis in infinitum in potentia.

Nota duplices partes in qualitate.

Et vt facilis intelligas, debes imaginari in calore, vel in alia qualitate intensibili duas magnitudines. Altera est secundum quam plures subiecti partes informat, & hæc intensionis magnitudo dicitur, quæ ei externa est, à subiecto proueniens. Altera est, secundum quã in se ipsa fortior est, vel debilior; maior aut minor. Dicimus enim plus albedinis inesse lacti; quàm saccharo, & talis magnitudo dicitur intensionis, cuius partes, quę actu possunt existere per se in subiecto, gradus dicuntur; quæ verò non possunt per se existere, nisi cum alijs coniunctæ, quæ inexistentes dicuntur, & in potentia graduales vocamus.

Quid sit nõ gradus formæ.

Non gradus formę dicitur illud quod non est forma, sed est in potentia proxima, vt sit forma, ita vt sit verũ in eo dicere, tunc non esse formam, sed immediatè post illud erit forma; non gradus caloris est, quod sic est calori proximum, vt immediatè post illud calor sit.

Quid sit latitudo formæ.

Latitudo autem formæ est quantitas extensionis formæ simul cum quantitate intensionis. Vt si sit aliqua forma in aliquo subiecto intensa, & extensa, tota illa ipsius extensio cum intensione formę latitudo dicitur

Nota.

Et ne decipiaris existimans solam magnitudinem intensionis dici latitudinẽ, sed vtranque simul, & de latitudine hac scripserunt aliqui multa.

2. Fundamentum. Duplex latitudo formarũ, vniformis & difformis

Aduertendum secundò, quòd latitudo ista formarum est duplex, quædam vniformis, quædam difformis. Vniformis est, cùm sic est forma extẽsa per aliquam quantitatem, vt in singulis ipsius partib. sit ęqualiter intẽsa, vt si demus particulã ignis, latitudo huius caloris est vniformis, quia in omnibus partibus illius calor est æquè intensus.

Difformis verò est, cum sic est extensa forma, vt non sit in omnibus illius quantitatis partibus æqualiter intensa, vt si demus lignum calidum, cuius partes quædam sint alijs calidiores.

Duplex latitudo difformis.

Latitudo difformis subdiuiditur in vniformiter difformem, & difformiter difformem. Vniformiter difformis est, cum etiamsi forma sit inęqualiter intensa per omnes partes, quantitatis tamẽ excessus, quibus vnus gradus excedit alium, sunt æquales. V.g. sit lignum habens decem particulas, in prima calor sit, vt vnum; in secunda, vt duo; in quarta, vt quatuor, & sic consequenter, est difformis tota latitudo, cum sit intensio inæqualis: Sed vniformiter, quia excessus partium inter se sunt ęquales; nam in tãto excessu duo excedunt vnum, quanto, duo tria, & tria quatuor, & quatuor quinque. Difformiter verò difformis esset, si excessus essent inæquales: vt si in vna esset, vt vnum: in secunda, vt tria: in tertia, vt sex; in alia, vt octo, & sic consequenter.

Latitudo difformiter difformis adhuc duplex.

Latitudo difformiter difformis iterũ subdiuiditur in vniformiter difformiter difformem, & difformiter difformiter difformem. Dicitur vniformiter difformiter difformis ea, in qua quamuis sint partes inæqualiter intensæ, & quamuis excessus sint inæquales, tamen proportiones excessus sunt ęquales ita, vt in eadem proportiõe excedat vna aliam, in qua altera alteram; vt si prima pars sit, vt vnũ altera, vt duo; tertia, vt quatuor; quarta, vt octo; & sic consequenter. Talis latitudo difformis dicitur propter inęqualitatem intensionis, sed difformiter, quia excessus sũt inęquales, & vniformiter, quia seruant eandem proportionem. At si eadem proportio non seruaretur, tunc latitudo prorsus esset difformiter difformiter difformis; hæc sunt valdè obseruanda pro intelligentia multorum, quæ in Physica occurrunt.

1. Conclusio contra Burle.

Pro determinatione igitur quæstionis propositæ, sunt aliquot proponendæ conclusiones, quarum prima sit. In intensione nõ corrũpitur qualitas remissa, nec intensa in remissione, vt dicebat Burle.

Prima ratio.

Hæc conclusio probatur primò. Quod corrumpitur, si accidẽs est, aut corrumpitur à contrario, sicut calor à frigiditate, aut defectu conseruantis, vt lumen in ac-

re, extincta lucerna; aut ad corruptionem subiecti; nã destructo subiecto, destruũtur ipsius accidentia: sed illa qualitas remissa non corrumpitur à contrario, quia intensa qualitas, & remissa non sunt cõtrariæ, cum sint eiusdem speciei: nec corrumpitur ex defectu conseruantis: nam adhuc manet ipsum agens intendens; nec ad corruptionem subiecti, cum semper subiectũ in tota intensione maneat: non ergo corrumpitur; si enim corrumperetur, ab aliquo ex his vtique corrumperetur.

2. Ratio.

Præterea secundò. Si remissior qualitas corrũperetur in intensione, & intensior produceretur, sequitur, quòd in instanti per primũ sui esse qualitas tota fit, & non successiuè. Patet. In quocunq; instanti est verum dicere, dum intensio fit, nunc est qualitas intensa, & ante nõ fuit talis; pero, an tota illa in illo instanti sit producta, an pars ante illud fuerit. Hoc dici non potest, nã ante hoc instans erat remissa, & ita debuit corrumpi: si ergo tota illa in instanti producta est, iam tota qualitas per primum sui esse incipit, nec successiuè facta est, quod est contra Arist. vt dicetur inferius.

3. Ratio.

Præterea tertiò. Si in remissione corrũpitur intensior qualitas, & producitur remissior, sequeretur, quòd contrarium per se produceret contrarium. Patet. Demus, quòd sit calor, vt sex, & incipiat remitti a frigido; tũc frigidum destruet totum illum calorem, & producet remissionem, vt fatetur: ergo frigidum producit calidum, vlterius si statim totum illũ calorem destruxit, ad quid alium produxit, cum etiam corrumpere illum debeat? profectò hęc opinio indigna videtur Philosopho.

Argumentum Burl. soluitur.

Nec argumentum ipsius quicq̃ concludit; nam calorem remissum, & intensum dupliciter cõsiderare possumus. Vno modo, formaliter, vt intẽsus, & remissus est, & sic opponuntur; & sunt termini intensionis, & remissionis, & cum remissus est, intensus nõ est, & ecõtra. Altero modo, materialiter consideratur pro ipso calore, & sic non opponuntur, nec corrumpuntur: Quod est dicere, calor, qui erat remissus, manet in intensione, sed non manet remissus, sic manet pas caloris, qui erat intensus, sed non manet ita intensus; sicut cum quantitas minor fit maior, & econtrà, quantitates manent, sed quòd fit maior, vel minor nõ manet. & ita soluitur argumentum ipsorum.

2. Concl. contra Ægidiũ.

Secunda cõclusio. Intensio, vel remissio non fit tantum secundum existentiã, vt imaginatur Aegid.

1. Ratio.

Ista conclusio probatur. Primò, quia cum existentia dependeat immediatè ab essentia, non potest intelligi, quomodo si ipsa essentia consistat in indiuisibili, non consistat etiam existentia.

2. Ratio.

Præterea, quia adhuc ipsa existentia est quædam entitas, & natura: debet ergo in indiuisibili consistere.

Tertia.

Vlterius, quia petimus, an per radicationem, vel additionẽ suscipiat ista existentia magis, vel minus: remanet enim eadem difficultas.

4. Ratio.

Præterea, quia supponit opinio distingui realiter essentiam, & existentiam, cuius oppositum posteà nos ostendemus.

3 Concl.

Tertia conclusio. Non fit intensio, aut remissio per maiorem, vel minorẽ in subiecto radicationem tantùm, hęc sine dubio facilius intelligitur, quàm opposita opinio, Quis enim intelligit radicari magis, vel minus aliquid in subiecto nullo prorsus acquisito, aut deperdito? fit quidem ista radicatio, sed per hoc, quòd plures, vel pauciores qualitatis gradus sunt. Et ita consentio cum D. Thoma, in intensione fieri maiorem radicationẽ, sed tamen hanc fieri per additionem gradus alicuius de nouo producti.

Nota.

Nec (vt existimo) huius oppositum voluit S. Thom. quamuis multi ipsius discipuli id putent, contra quos probatur cõclusio, præter argumenta Scoti, quæ sunt optima, superius posita.

1. Ratio.

Primo ex Aristot. hoc text. 84. dicit, sicut ex non calido fit calidum, ita ex minus calido magis calidum; tam enim calidũ, quàm magis calidum ex potentia educuntur; sic ergo argumentor ex hoc. Cum magis calidum fit, calor qui erat potentia, educitur in actum; ergo producitur. Fit ergo intensio per productionem noui caloris, sicut remissio per deperditionem.

Secunda.

Præterea Cum fit aliquid magis calidum, verè mutatur per mutationem, quę non erat ante: ergo acquisiuit aliquid, quod ante non erat.

3. Ratio. Præterea. Magis radicari, vel est, quod difficilius remoueatur à subiecto; vel ꝓ qualitas plures subiecti partes informet; vel econtra, quòd plures gradus qualitatis, & partes sint in singulis partibus subiecti. Non primum, quia sunt qualitates intensissimæ, facilè tamen mobiles, vt febris ephimera, & rubores ex verecundia. Non secundũ, quia illud est extendi, non intendi; erit ergo tertium.

4. Concl. Qũo fiant intensio & remissio. Quarta conclusio. Intensio, vel remissio fiunt per acquisitionem, vel deperditionem partium gradualiũ qualitatis circa eandem subiecti partem, manentibus semper remissis gradibus cum alijs in intensione, & similiter in remissione, manẽtibus illarum partium gradibus, quę erãt in intensa, aliquibus eorum partibus deperditis: & in hoc consentio cum Scoto.

1. Nota. Qũo proceditur intensiõe. Notanda tamen hic duo. Alterum est, quòd cum intenditur aliqua qualitas, vel remittitur, nõ proceditur per gradus, vt in singulis instantib. singuli gradus producantur, sed per partes graduales; sicut in extensione formæ, postquàm ignis in primo minimo est introductꝰ, postea successiuè extenditur per minima cõiuncta; nec alia minima subit, nisi paulatim, qa cum sint coniuncta; cum primo non dabitur minus minimo per se; ita in diminutiõe paulatim, & successiuè fit, donec ad vltimum aliquando perueniatur, & illud iam simul corrumpitur.

Hæc ergo sic intellige suo modo in intensiõe, & remissiõe: dato enim vno gradu intensio successiuè fit per partes graduales aliorum graduum; similiter in remissione, donec perueniatur ad vltimum gradum. Dictum autem est, quòd inter gradum, & partem gradualem intersit.

2. Nota. Qualis addito gradus fiat in intensiõe. Alterum annotandum est, quòd cũ dicimus intensionem fieri graduum additione, non intelligas, quòd ista additio est propria, quasi addamus calorem aliquem, qui erat alibi actu, vt cum aquæ aquam addimus; sed est impropria additio, quia id, quod additur, erat ibidẽ, cui additur, sed in potentia; educitur tamen in actum. Et hoc est quod ibi dixit Aristo. quòd non fit calidum, aut magis calidum adueniente calido, puta, in actu præexistenti, sed educto ex eadem potentia in actum.

nota.

Superest vt ad argumenta in oppositũ respondeamus. Ad primum Aegi. dico, ꝓ essentia duplicìter sumitur. Vno modo ꝓ quidditate, quæ per definitiõem explicatur. Altero modo pro ipsa entitate, & ipsa re. vt essẽtia albedinis dicitur id, quod albedinem constituit in esse, & natura albedinis, dicitur etiam ipsa albedo. Igitur essentiæ, vt quidditatem dicit nõ fit additio, nec diminutio, sed certa est, & indiuisibiliter consistit; nam vnica est qualitatis cuiusq; definitio, siue sit intensa, siue sit remissa: at ipsi entitati fit additio. Ad 1. Aegidij, & ad secundum. Duplicìter sumitur essentia.

Explicatur. Lineę quidditati nõ fit additio: vnica enim est ipsius natura: at ipsi lineæ partes possunt addi, & detrahi. Alij solent hoc idem aliter dicere, quòd essentia suscipit partes similares, sed non dissimilares. per hoc patet etiã solutio ad secundum argumentum ipsius sententiæ.

Ad primum pro opinione illorũ, qui opinionem D. Thomæ secus intelligunt de sola radicatiõe, sine additione graduũ, dicendum, quòd gradus multi, faciunt vnum intensione, sicut plures partes aquæ, vnum faciunt continuatione, per quantitates partium, quæ ad vnum vniũtur; sic plures gradus eiusdem qualitatis faciunt vnum intensione, per hoc, quòd cum sint eiusdem speciei, sub vna, & eadem subiecti quantitate, submittuntur, & penetrantur, ac vnicam formam, latitudinem, & magnitudinem intensionis habentem componunt: & sic possumus dicere; quòd compositione sint vnũ, non compositione extensionis, sed intensiõis vnius formæ. Ad 1. pro opinione illorũ, q. opinionẽ D. Thom. secus intelligunt.

Ad secundum dico, quòd ille gradus est distinctus numero imperfectè, quod est dicere. Gradus vnus distinguitur numero ab alio, quãdo est in potentia, & alter actu. Similiter respectu actionis, quia talis gradus producitur hac productiõe, non autem ille, qui erat ante. Similiter respectu temporis, quia præcedens aliquando fuit, cum non fuit, quæ producitur. Ad 2.

Perfectè tamen numero non distinguitur, quia postquam productus est, & est in actu, vnicam actu formam cum altero facit, sicut etiam partes continui vnum efficiunt continuũ. Nec Metaphysici dicunt contra hoc quicquam; nam cum dicitur, duo

duo accidentia numero differentia non possunt esse in eodem subiecto, intelligũt duo accidentia actu existentia, & de differentia perfecta numero.

Ad 3. Ad tertium similiter patet solutio. Nã visio intenditur, sicut & aliæ qualitates per additionem, imò, & accidentia spiritualia, vt intellectio, & volitio, & habitus in anima existentes; quamuis enim extẽsionem non habeant, tamen intensionẽ habere possunt in subiecto. Non enim partes intensionis, sunt partes extensionis, nec his necessariò indigent; taliaque accidentia habebunt intensionẽ, sed nõ latitudinem, quia latitudo vtrunq; claudit, vt diximus, ac satis de quæstione hac.

CAPVT X.

Tractatio de tempore.

Consequens autem est ad ea. Tex. LXXXVII.

Intẽrum Aristot. POstquã de motu, infinito loco, & vacuo disseruit, nũc tandẽ de tempore facere sẽrmonẽ aggreditur. Est enim tempus mensura rerum sensibilium cõmunis. Duo autem tractanda proponit. Alterum, an sit, alterum quid sit, nã quale sit ex ipsius natura semel percepta facile erit cognoscere.

At circa an sit, prius disputatiuè procedit, ac rationibus exteris, quæ logicæ dicuntur, (vt notant Themist. & Simplic.) contendit probare ipsum non esse. Nam quamuis tempus esse sit certissimum, est tamẽ adeò difficile cognitu (vt dicit Philop.) & rationes in oppositum fortes, vt videatur ex parte non esse.

Quid sint logicæ rationes. Aduertendum, quòd logicæ rationes sunt, quæ ex communibus principijs, & probabiliter, non necessariò procedunt, & probant: non enim faciunt scientiam, sed opinionem, vt alibi diximus.

Quòd igitur omnino non sit, aut vix. Tex. LXXXVIII.

INcipit rationes proponere, quibus tẽpus non esse probatur. Inquit autem, rationes probare vix, & obscurè tempus esse. Quod dicit, quia rationes non conuincunt ipsum non esse, cum demonstrationes non sint, sed difficultatem faciunt, & persuasionem, vt non ita facilè, & distinctè tempus appareat esse. An sit tẽpus.

Est autem prima ratio huiusmodi. Cuius partes non sunt, nec ipsum est, aut entitatem, & substantiam habet: sed temporis partes non sunt: non ergo tempus est. Minor probatur, nam reliqua sunt nota. Temporis partes sunt præteritum, & futurum: ex præterito enim tempore, & futuro componitur quodcunque tempus, quod in infinitũ procedit, & semper accipitur: id est, totum ipsum tempus, quod interminabile est, ex præterito, & futuro constat. At neutrum horum est: præteritum enim non est, futurum nondum est: Ergo partes totius temporis non sunt. 1. Rõ ꝓ non sit tempus.

Notandum, ꝓ dicit, Totum tempus, quod infinitum accipitur. Nam tempus in particulari non semper ex duplici hac parte constat, vt præteritum per se; futurum per se; tamen tempus totum, quod in fluxu est, ex duplici hac parte constat. Nota.

Ad hæc autem omnis rei. Tex. LXXXIX.

2. Ratio. ALteram facit rationem. Quæcunque res diuisibilis, & plures partes habens, si esse debet, necesse est, vt aliquam sui partẽ, quæ sit, habeat, quando non omnes habere possunt: sed nulla pars temporis est: igitur nec tempus est. Maior est nota. Minor probatur. Præteritum, & futurum sunt partes temporis, & nulla his est. Obiectio.

Dices tu, non sunt istæ omnes partes, nam nunc præsens, est pars temporis, & illud modò est. Solutio.

Reijcit hoc Arist. probando nunc non esse temporis partem, sic probat. Pars mensurat totum, quia toties replicata totum adæquat: similiter pars cõponit totum cum alijs partibus: at nunc non mensurat tempus, nec ex multis nunc componitur tempus: ergo non est pars tẽporis.

Aduertendum enim, quòd sicut punctum

Nota quo se habeat nunc ad tempus.

ctum in linea indiuisibile quid est, ita nūc in tempore: nam quod præsens est, non potest esse diuisibile: si enim diuisibile esset, cum sit successiuum, vtiq; partem haberet præteritam, partem futuram, iamque non esset totum præsens, & nunc; q̃ igitur præsens est, indiuisibile est. Et sicut linea ex punctis non componitur, nec puncta partes sunt lineæ, sed continuatiua lineæ partium; ita nec nunc est temporis pars, sed partium temporis, puta, præsentis, & futuri continuatiuū: & hoc intendit ratio hæc.

Amplius autem, & ipsum nunc. Tex XC.

Probatur nō esse ipsum nūc. Et primo, q̃ non sit aliud, & aliud in tempore.

CONuertitur ad ipsum nunc, & contendit probare, quòd non sit, & q̃ difficile sit percipere, an ipsum sit: & ratio huiusmodi procedit. Si esset nūc, aut esset vnum, & idem per totum tempus, aut aliud, & aliud ita, vt vno destructo succedat aliud: sed neutrum videtur posse dici: non ergo est. Probat, quod nō sit aliud, & aliud ostendendo, quòd non corrumpatur nunc, quod alias dici potest instans.

Vis rōnis Arist. qd' nunc non possit corrūpi, nec in seipso, nec in alio nunc.

Et ratio est huiusmodi. Si corrumpitur ipsum nunc, aut corrumpitur in altero nunc, quod sit simul cum illo, aut corrumpitur in seipso, aut corrumpitur in sequenti nunc; quia omne, quod corrūpitur, in tempore corrumpitur: nullo autem modo ex his corrumpi potest.

Prima pars argumenti.

Primò, non corrumpitur in alio nunc, quod sit simul, quia nunc non est extra tempus: vt ergo duo nūc sint simul, id est quando est vnum, quòd sit alterū, debēt duo tempora esse simul, vt duo dies. aut duæ horæ: sed hoc impossibile est, nam nunquam duo tempora sunt simul, nisi cùm vnum est pars alterius, vt dicimus, nunc est talis hora, talis dies, talis mēsis, talis annus simul: ad hoc autem sufficit vnū nunc: sed duo tempora diuersa, quorum vnum non includatur in altero, simul esse non possunt. Si ergo nūc ipsum corrumpitur, non corrumpitur in alio nunc quod sit tunc, & simul: sicut ego lectiōem lego in hoc tempore, ita, vt lectio & tempus simul sint.

2. Pars.

Probat secundo, quòd non corrumpatur in seipso: quia cum ipsum est, tū est: non ergo possibile est, vt tūc dicatur corrumpi.

3. Pars argumenti.

Probat, quòd non corrūpatur in nunc sequenti: & petit suppositionem, quòd duo nunc non sint simul, & in mediata, quin mediet tempus, sicut nec duo puncta, quin mediet linea; hoc enim postea in lib. 6. probandum est; dicitur igitur. Si nunc corrumpitur in nunc consequenti, cum inter ipsum, & hoc mediet tempus, consequenter sequitur, quòd in illo tempore durabit tale nunc. sunt autem infinita nunc in qualibet particula tēporis: erit ergo simul vnum nūc cum alijs, qd̃ esse non potest: ergo nullo modo nūc ipsum corrumpi potest: & ita non erunt diuersa nunc per totum tempus. Hæc ratio subtilis est, & notanda: & aduerte expositionem, nam primam argumēti partem multi non attigerunt.

At verò neque semper idem. Tex. XCI.

Probat nū posse esse vnū nunc in solo tēpore. 1. Ratio.

OStendit alteram principalis argumenti partem, quod non sit vnicum nūc per totū tempus. Omne finitum, siue ad vnū, siue ad plura, id est, secundum vnam dimensionem, vt linea: aut secundū plures, vt superficies, & corpus, vno termino solo non potest esse terminatum, sed duobus ad minus: at tempus accipi potest finitum, vt dies, hora, mensis: ergo ad minus erunt duo termini in tempore, & sic duo nunc, sicut in linea duo terminantia puncta.

Amplius si simul esse. Tex. XCII.

2. Ratio.

PRobat secundò, non posse esse vnū nunc. Sequeretur enim, quòd quæ facta sunt ante mille annos, & quæ modò fiunt, simul essent secundum tempus. Patet: nam illa sunt in eodem tempore simul, nec est vnum altero prius, quæcunque in eodē nūc temporis facta sunt: si igitur vnicum est nunc in toto tempore, nihil erit prius, nihil posterius, sed omnia simul secundum tempus.

De

De his igitur, quæ insunt ipsi. Tex. XCIII.

Quid sit tempus est valdè difficile cognoscere.

CONcludit satis dubitatum esse circa esse ipsius temporis: posteà ad quid sit, cōuertit se, ac docet, quid sit tēpus, difficile esse cognoscere, & difficultatis causa est duplex. Altera ea, quæ Antiqui de tempore dicunt: non enim omnes conueniunt. Altera est ex rationibus positis circa an sit: nam ex illis videtur temporis natura esse solùm secundū intellectum; vt dicit Philopo. cùm ipsius partes non sint. Incipit autem aliorū sententias proponere.

Antiquorum opiniones de tempore duæ.

Quidam dixerunt, tēpus esse motum circularem cæli. Alij dixerunt esse ipsum cælum, & sphæram. Impugnat autē dupliciter eos, qui motum circularem dixerunt esse tempus. Primò. Pars temporis est tempus, sed pars circularis non est circulatio: ergo circulatio non est tempus.

Prima & secunda ratio, qd' motus cēli non sit tempus.

Secundò impugnat. Si essent plures cæli, tunc essent plures circulares: essent ergo plura tempora simul, quorum vnum nō est pars alterius: quod est impossibile.

Nota.

Dicit Philopo. quod quamuis plures essent mundi, vt finxit Democritus, adhuc vnicum esset tempus pro omnibus, & vna communis duratio; sed hoc posterius magis examinabitur.

Hanc opinionem de circulatione Alexan. & Theophrast. tribuunt Platoni, quamuis Simplic. ipsum defendat.

Vniuersi autem sphæra. Tex. 94. & 95.

Ratio, qua quidam existimabāt cælum esse tempus.

ADsecundam opinionem se cōuertit, ac rationem ponit opinionis; nempè, quia omnia continentur in tempore, & omnia continentur in sphæra cælesti, inferebatur, sphæra cælestis est tempus, quam opinionē Aristo. negligit impugnare dicens, esse adeò irrationabilem, vt non opus sit cōtra eam quicquam inferre. Et meritò, cùm aliter dicantur res esse in sphæra, aliter in tempore. In sphæra enim, vt in loco communi, in tempore vt in mensura vniuersali actionum, & motuum.

Reijcitur hæc sententia vt absurda.

Dubium primum.

Istam sententiā tribuit Simpl. Pythag. Dices, quis defectus est syllogismi. Respondent Philop. & Auerr. quòd est in secunda figura ex duabus affirmatiuis, sic enim est formandus syllogismus. In sphæra sunt omnia: in tempore sunt omnia: ergo tempus est sphæra.

Solu.

Dubium secundū.

Dices rursus, cur non formabitur in tertia figura, & videbitur bonus in darapti? Dico, quòd debet formari in secunda, quia concludit vniuersaliter. Et quāuis in tertia esset, adhuc non deberet sic concludi, sed sumēdo totale extremum. Sed de hoc satis: pertinet enim ad libros priorum Logicæ.

Solut.

Proponit tertiam sententiam, quam Simplic. tribuit Stoicis, nempè quēlibet motum esse tempus, quamuis possimus dicere, quòd nullam sentētiam dicat, sed tantùm, quòd tēpus videatur esse quiddam motus, & mutatio, quamuis non sit circularis. Quod reijcit dupliciter. Primò. Motus, & mutatio sunt tantùm in suo subiecto, & vbi est suum subiectum, non alibi: at tempus in omnibus est, vt tempus, & duratio ista vbique est: non ergo tempus motus est aliquis. Hic est tex. 95.

3 Sētia, omnē motum esse tempus.

Prima rō circa hāc sentētiā, quòd nō sit motus circularis.

Amplius autem mutatio. Tex. XCVI.

Secunda ratio.

ALteram ponit rationem. Motus tardior, aut velocior dicitur: sed tempus non est tardum, aut velox: non ergo est motus. Probat minorem: nā velox, & tardum tempore mensurantur: velox enim, quod in pauco tempore multum transit; tardum quod multo tempore paucum facit, & transit spacium: at tēpus non mensuratur tempore.

Nota.

Dicit autem, quòd tēpus nec vt quale, nec vt quantum, tempore mensuratur. Vocat tempus quantum, ipsum absolutè consideratum pro duratione; vocat quale, pro duratione hac, vel illa, puta hyemali, vel æstuali; nocturna, vel diurna.

Tēpus quidem vnū altero breuius, aut longius dicitur, nō tamen velocius, aut tardius. Celeritas igitur, aut tarditas non tēpori, sed motui in ordine ad tempus inest.

Nota.

Est aūt notandū, quòd hic iam incipit indagare, quid tempus sit. Et quoniam determi-

determinaturus erat, quòd tempus esset aliquid motus, præmittit non esse motũ, postea addit, non esse absq; motu. Est autem methodus bona dicendi.

CAPVT XI.

Quòd igitur non est motus. Tex. XCVII.

Concludit tẽpus non esse motum ex dictis. At quia indifferenter vtitur vocabulo motus, & mutatiõis cũ tamen superior sit mutatio, quã motus dicit, q̃ in præsenti parum refert dicere motum, aut mutationẽ; intelligimus enim hic motum, pro quadam successiua mutatione.

Licet tẽpus nõ sit motus, est tamẽ aliquid ipsius motus.

Postquam autem probauit non esse tẽpus motũ, probat esse aliquid ipsius motus, & ratio consistit in hoc. Tempus non percipimus, nisi in aliqua percepta mutatiõe, & motu: tempus igitur aliquid est motus. Antecedens ponit, dicens (cùm non mutamur secũdum intelligentiam,) id est, cum intelligentia nullam apprehẽdimus mutationem, vt declarat Philop. & alij communiter, quòd postea exponit per disiunctionem illam, vt dicit Simpli. (aut latet nos mutari) scilicet cùm mutationem aliquam non apprehendimus, tempus non percipimus.

Exẽplo id probatur.

Probat antecedens exemplo, & ratione. Exemplum est de dormientibus. Qui dormiunt enim non percipiunt tempus, in quo dormiunt, sed nunc, in quo inceperunt somnum, coniungunt cum eo, in quo expergiscũtur: nec tempus medium cognoscunt, quia non perceperunt vllam mutationem.

Adducit dictum quoddam fabulosum de his, qui apud heroas in Sardo dormiunt, narrat Simpli. cùm Sardi capti essent à Græcis, in antro inuentos esse nouem Herculis filios mortuos, ita tamen benè aromatibus conditos, vt viderentur dormire, & hos vocat heroas. Dicit autem Philop. quòd qui malè habebant, ferebantur ad hos, qui statim magno somno corripiebantur, ita vt euigilantes non perciperent tempus longum somni.

Quicquid autem sit de hoc, rei veritas est certa, dormientes non percipere somni tempus.

Narrat Eudemus historiam cõuenientem proposito. Dicit quosdam post epulas nocturnas dormiuisse per totam illam noctem, & sequentem diem, & noctem illius diei. Quidam, qui expergefactus nocte sequẽti, ex stimans esse illam eandem noctem, quæ dormire incepit, iterum cõtinuauit somnum vsq; ad diem tertium, quem cum primo copulauit, non distinguens secundum.

Ratiõ id probat.

Ratione id probat. Si vnicum esset nũc tunc non esset tempus, vt si hoc nunc esset tantùm, non esset tempus post hoc: ergo qui non discernit, nec apprehendit nisi vnum nunc, non percipit tempus.

Concludit, quòd cùm anima nõ percipit mutationem aliquam, & variationem aliquorum, sed hæret fixa in vno: sicut qui contemplantur, & ex gustu fixi manent, non percipiunt tempus: tempus ergo aliquid est ipsius motus.

Quòd igitur neque motus, neque sine motu. Tex. XCVIII.

CVM igitur tempus non sit motus, sed aliquid motus, dicit oportere inquirere, quid sit ipsius motus. Repetit autem quantum dependeat apprehensio temporis ex apprehensione motus, dicens, quòd si nullus apprehenderetur motus exterior, sed esset quis in tenebris constitutus, tunc non apprehenderet tempus nisi per mutationem aliquam, nempè, si secundum animam moueretur cogitando, aut imaginando, tunc enim ex cognitione mutationis factæ perciperet tempus. Sicut etiam, cùm tempus percipimus, etiam motum factum percipimus, vt tempore horæ percepto, motum lectionis percipimus: prius tamen per motum tempus perceptum est. Cùm igitur tempus absque motu non sit, nec sit ipse motus, erit ipsius aliquid.

Nota apprehensionẽ tẽporis oriri ex apprehensione motus.

Quoniam autem quod mouetur. Tex. XCIX.

Quid

1. Fundamentum Arist. Motus & tempus continuitatẽ & prius, & posterius habent ab ipsa magnitudine.

QVid sit tempus determinaturus accipit duo. Primum est motum, ac tempus cõtinuitatem, ac prius & posterius habere ab ipsa magnitudine, & spacio ita, quòd motus continuus est, ac prius habet, & posterius propter magnitudinem, & spacium, quo fit: tempus autem propter motum. Dicit igitur, quòd mouetur localiter à quodam loco, & magnitudine in aliam mutatur: cumque omnis talis magnitudo, in qua mouetur aliquid, continua sit, motus etiam continuus erit, ac tempus similiter propter motum. Sequitur enim tempus motum, & motus magnitudinem.

Nota 1.

Aduertendum hic, quòd loquitur de motu regularissimo, cuius passio tempus est, qualis motus est primi cæli, vt dicemus inferius: ac ob id dicitur quãtus motus, tantum tempus.

Nota 2.

Attende etiam, cùm dicit, motum accipere continuitatem à magnitudine, nõ intelligas tantùm ab ea: plura enim necessaria sunt, vt dicem⁹ in libro 5. sed magnitudinis continuatio vnum est ex necessarijs ad motus continuitatem, quod sufficit pro præsenti, vbi supponimus vnicum esse mobile, quod etiam requiritur ad continuitatem motus.

Prius autem, & posterius in loco.

Prius, & posterius in motu fiũt à magnitudine, & in tempore à motu.

OStendit etiam, prius, & posterius esse in motu à magnitudine. Magnitudo quidem habet prius, & posterius positione, secundum quòd habet quãsdam partes priores, quasdã posteriores, tanquam locus; locus habet positionem, vt dictum est in prædicam. Motus autem suum prius, & posterius secundario habet, nempè ab ipsa magnitudine proportionaliter, & correspondenter; vt id sit prius motus, quod est in priori magnitudinis, id posterius motus, quod est in posteriori parte magnitudinis. Tẽpus autem habet prius, & posterius correspõdenter à motu: prius enim est temporis, in quo fit prius motus; posterius verò tẽporis; sub quo posterius est motus. (Alterum enim, id est, tempus sequitur alterum ipsorum, id est, motum per magnitudinem sequitur.)

Prius. & posterius in motu sunt idẽ cum motu licet ratione differant.

Addit tamen vnum notatu dignum, q̃ prius, & posterius, in motu sunt idẽ re cum motu, tamen ratio ipsorum diuersa est. Nam motus, vt motus, solùm est actus entis in potentia; q̃ habeat prius, & posterius, hoc ei accidens est, quatenus motus ab extremo vno in alterum procedit, vel per aliquam magnitudinem fit. Vbi vide sententiam nostram, quam proposuimus libro 1. de motu, non consistere motus in communi accepti essentiam in fluxu continuo, sed in processu formæ ab agente, vel agentis in formam, siue etiam patientis: Quod est dicere; esse actum entis in potentia, prout est in potẽtia, quamuis motus propriè acceptus includat successionem, & fluxum successiuum, vt ibi diximus.

At verò & tempus quidem cognoscimus. Tex. C.

Secundũ fundam. Tẽpus est aliquid motus, & tunc percipitur cũ prius, & posterius mot⁹ percipitur.

ACcepto in primo fundamẽto motum habere prius, & posterius; accipit vnum alterum, puta, tẽpus esse aliquid motus, non motus secundũ se, sed vt prius, & posterius habet. Inde enim optimè colliget definitionem tẽporis. Probat autem quod dictum est: quia tunc determinatè percipimus tempus, cùm cognoscimus, & percipimus motum: non quidem, vt actus est entis in potentia, sed vt prius, & posterius habet.

Explicatur. Cùm lectio, vt actus quidam est, percipitur, non definitè tempus cognoscitur: at cùm in lectione id, quod præcessit, & id, quod secutum est consideratur, tunc tempus impensum percipitur.

Nota in quo cõsistit apprehensio tẽporis.

Hoc igitur est, quod dicit Aristoteles, quòd cùm intellectus percipit duo nunc, vnum sub ratione prioris, & alterum sub ratione posterioris, tunc percipit temp⁹: nam cùm percipit extrema ac distinguit, & medium extremorum distinguit. Est autem tempus, quod inter nunc clauditur. At quia supponit Aristot. id tempus esse, quod terminatur nunc, dicit id verum esse, & supponi debet absque vlla in præsenti probatione.

Quando igitur tanquam vnum. Tex. CI.

Idem explicatur magis.

PRosequitur explicare, tunc percipi tempus, cùm prius, & posterius in motu percipiuntur, dicitque. Cùm ipsa nunc non distinguimus, sed vt vnũ apprehendimus, tunc tempus non percipimus. Similiter, cùm vnum nunc est, & non ad prius, & ad posterius relatum percipimus, non adhuc tempus appræhendimus: quasi tunc tempus appræhẽdamus tantùm, cùm in motu prius, & posterius percipimus. Colligit ex his definitionem.

Definitio tẽporis.

Tempus est numerus motus secundũ prius, & posterius. Quasi dicat, non est aliud tempus, quàm prius, & posterius simul ipsius motus. Clarius. Tempus est illa motus successio, & fluxus secundum prius, & posterius. Est enim quedã quantitas motus, quæ quantitas consistit in prioris, ac posteriori s fluxu. Vnde tẽpus motui inest, vt numerabile quid est, secũdum prius, ac posterius. Imò, est id, quod motum facit numerabilem secundum prius, & posterius. Et hoc pro præsenti sufficiat: declarabitur enim hoc magis in futura quæstione hac de re.

Signum autem est. Tex. CII.

Tempus esse numerum.

SIgno quodam à posteriori ostendit, tempus numerum meritò dici, nã numero mensuramus, quod plus, minúsue est: replicando enim vlnas, aut palmas, mensuramus. Cùm igitur tempore mensuremus motus partes, & mensurabiles sint, meritò tempus quidam dicitur numerus.

Numerus duplex, numerãs, & numeratus.

Quis autem sit numerus, explicat, dicens. Numerum esse duplicem. Et numeratum, qui in ipsis rebus est, ratione cuius tales sunt numerabiles: vt numerus numeratus hominum, est numerus in ipsis formaliter existens, ratione cuius sunt numerabiles; sicut est linea mensurata illa, quæ in corpore aliquo inhærens ipsum reddit mensurabile secundum longitudinem. Alter est numerus numerãs, puta, ille, quem anima appræhendit abstractum ab omni materia, vt cùm ternarium, quaternarium, & alios in se consideramus.

Tẽpus est numerus numeratus

Cùm igitur tempus numerus sit, non est numerans, sed numeratus, puta, existens in ipsis partibus motus, ratione cuius motus numerabilis est formaliter, secundum prius, & posterius. Nec idem est numerus numeratus, & quo numeramus, id est, numerans, vt magis in quæstionibus elucidabitur.

Et vt motus semper alius. Tex. CIII.

MAgna est horũ sex textuum difficultas, & interpretũ varia expositio. Proponã id, quod mihi magis ex Arist. mente visum fuerit. Tempus igitur numerum prioris, & posterioris motus dixerat, modò tempus successiuũ quid, sicut & motum, esse docet.

Tempus est successiuũ, sicut & motus.

Inquit ergo. Sicut motus alius est, & alius, id est, partes habet succedentes diuersas, ita similiter & tẽpus. At ne quis, ob id, tempus non esse vnum arbitraretur, dicit, totum tamen esse idem; quamuis enim partes alias, & alias habeant, totum tamen vnum est.

Et reddit rationem. Quia vnicum est nunc re, licèt diuersum ratione. Sensus est. Prius, & posterius, quæ temporis partes sunt, diuersa inter se, vnum tamẽ cõtinuum faciunt, cùm copulentur vnico nunc, quod est finis prioris, & principium posterioris; sicut punctum in medio lineæ. Ad huius loci declarationem, facit tex. 121. qui posteà sequitur.

Nota.

Ipsum autem nunc tempus metitur. Tex. CIIII.

Quõ se hẽat nũc ad tẽpus.

DVo explicat de nunc ipso, & quomodo se habeat ad tẽpus, & quomodo vnum sit. Ita igitur se habet ad tempus, quòd ipsum metitur.

Primò notandum.

Notandum verò, quòd tempus est numerus quidam habens duas vnitates. Altera est primus motus. Altera est posterius motus. Cumque ista distinguantur duobus nunc, possumus dicere; Tempus esse numerum duorũ nunc, alterius prioris, alterius posterioris, non quòd ex ipsis duobus nunc tantùm, quæ indiuisibilia sunt, tempus componatur, vt arbitratus

tratus est Themistius: hoc enim esse nõ potest: esset enim nunc pars temporis: sed componitur ex nunc terminãte partem priorem motus, & terminante altero partem posteriorem motus ita, vt tẽpus sit numerus ipsarum partium distinctarum per diuersa nũc. Et hoc est, quod dicit, nunc, vt habet rationem prioris, & posterioris, meritur tempus.

Secundò not.

Notandum secundo, quòd cùm tale nunc sit sicut vnitas in numero: vnitas autem multiplicatione sui numerũ metiatur: per vnitates enim numeramus quemcunque numerum: optimè per huiusmodi nunc priora, & posteriora, quæ vnitatum rationem habent, tempus metimur, quod numerus quidam est.

Ipsum autem nunc est quidem, vt idem.

Nunc est idem cum tẽpe, sed rõne diuersum.

EXplicat modò, quomodo nunc sit idem in tempore, & dicit quodammodo non esse idem: vt enim aliter, & aliter se habet, id est, quantum ad ipsum esse, & rationem ipsius non est vnum, & idem in tempore composito ex priori, & posteriori: quantum tamen ad subiectum, & rem ipsam, idem, & vnum est: Quasi dicat, est vnum re, ratione tamen non vnum, nec idem.

Ratio.

Hoc autem exemplo explicare nititur, quod & sit exemplum, & sit argumentũ. Dicit igitur, quod motus sequitur magnitudinem, & tempus motum, vt dictũ est. Modò superaddit, quòd punctum sequitur mobile, quòd fertur, & per quod in motu prius, & posterius cognoscimus. Vt enim mobile aliter, & aliter se habet in spacio, distinguuntur prius, & posterius in motu.

Similitudo ergo inter punctũ, & mobile hæc est, quòd punctum vnum est re, continuans diuersas partes mobilis; ratione diuersum, prout cùm vna, vel altera sumetur: est enim vnius principium, alterius verò finis. Ita mobile vnum est in diuersis spacij partibus, ratione diuersum, vt hic & alibi est; sicut Sophistæ dicunt. Coriscum esse alium, cùm est in foro, & alium, cùm est domi.

Tam ergo punctum in diuersis partibus mobilis, quàm mobile in diuersis partibus spacij re est vnum, & idem, ratione verò non vnum, nec idem.

Ipsum autem nunc sequitur id, quod fertur.

Nunc in motu se hẽt sicut mobile.

APplicat modò exemplum, & primò assimilat nunc mobili ipsi. Vt enim mobile aliter, & aliter se habens motum distinguit in prius, & posterius, sic etiam nunc ipsum, vt numeratur cum priori, & numeratur cum posteriori tempus facit, & per ipsum tempus cognoscimus. Quod est dicere. Sicut mobile motus est causa, dum per diuersas spacij partes procedit, sic & nunc temporis est causa, dum numerabilem motum facit procedendo à priori in posterius: duo enim nunc, & prius, & posterius, vt diximus, faciunt tempus.

Iterũ concluditur in tẽpore esse idem nũc re, distinctum ratione.

Est igitur idem nunc re, quatenus prius, & posterius re vnum sunt cum motu, & motus vnus est, ob id, & nunc vnum erit subiecto, tamen ratio diuersa est. Nec vnum nunc, est formaliter, nam in ratione numerabilitatis, in quo consistit ratio temporis, & ipsius nunc, plura sunt nunc, vnum numerabile prius, alterum numerabile posterius, seu alterum accipitur pro parte posteriori, alterum cum priori numerabili, vt dictum est.

Et notum maximè hoc est.

Obiectio in Arist.

ATquia posset quis dicere, nõ esse simile nunc mobili, quia per mobile cognoscitur motus in communi, & motus localis per id, quod localiter fertur, cùm mobile sit compositũ, & hoc aliquid: at motus non est hoc aliquid; est autem compositum notius: de nunc verò non sic.

Solutio.

Hoc remouet Aristoteles, dicens; esse etiam nunc magis notum: semper enim per ipsum cognoscitur. Vnde concludit nunc ipsum aliquo modo esse idem, aliquo modo non, cùm sit simile ei, quod fertur, & mobili. & hoc est primum exemplum.

Explicatur adhuc solutio Arist.

Et vt ipsum perfectè intelligas, nota similitudinem clarè esse hanc. Vt mobile sumptum in spacio multipliciter facit motum, ita nunc in numeratione sumptum dupliciter, puta, prius, & posterius, facit tempus, non quòd sit idem nunc ratione, quod sumitur in priori, & posteriori: sunt enim diuersa; sed re idem, & vnum est, quatenus prius ipsum, & posterius non sunt separata, sed in vnico motu continuantur.

Vnde nō est tanta vnitas nunc, & mobilis: est enim maior mobilis, cùm sit intrinseca, ipsius verò nūc extrinseca à motu, sed est vnitas proportionalis. Et admodum nota hanc expositionem: non enim opus est confugere ad imaginationum fluxum ipsius nunc per totum tempus, sicut puncti per lineam, sic enim doctrina non esset vera, sed imaginatiua. Et præterea, quia sic tempus, vt continuū, consideratur, hic autem vt discretū consideratur, vt satis patet ex ipso contextu, ego sanè ita intelligo.

Manifestum est autem, quòd etsi tempus non sit. Tex. CV.

Tēpus dependet à nunc, vt motus à mobili.

OStendit dependentiam temporis à nunc, sicut motus à mobili. Inquit, si non esset nunc, non esset tempus, nec nunc tempus non esset. Iterumque cōparat nunc mobili, ponit hęc duo, motū, & mobile, ex altera parte tempus, & nunc; & ostendit simul esse tēpus cum nunc, quia motus, & mobile simul sunt; numerus ergo motus, & numerus mobilis simul erunt. At tempus est numerus motus; nunc autem quidem nō est numerus mobilis, quia nō est nisi vnum mobile; erit tamen vnitas mobilis, quæ pars est numeri; simul ergo erunt nunc, & tempus, sicut mobile, & motus.

Et continuum est tempus ipso nunc.

Tēpus cōtinuatur ipso nūc, sicut linea puncto.

OStendit modò vnitatē ipsius nūc alia via, puta; quia assimilatur pūcto continuante lineæ partes, ac ob id præsupponit tempus continuari ipso nunc, ac vnitatē ab eo habere. Prius enim, & posterius vnico medio nunc cōtinuata vnum sunt.

Vnde etiam in hoc assimilatur nunc mobili. Nam ab ipso etiam sumitur motus continuitas, & vnitas, nō ab ipso quidem se vno modo habente; sic enim non esset motus, sed quies; sed ab ipso aliter, & aliter se habente, & faciente prius, & posterius.

Nunc est idē re in tge rōne diuersū, sicut punctum in linea.

Cùm igitur nunc continuet temporis partes, vt punctum lineæ partes, erit idē re, ratione diuersum, sicut & punctum, quod est principium vnius, & idem re finis alterius partis: est igitur vnum nunc in tempore, siue tempus consideretur in ratione discreti, siue in ratione cōtinui, vt expositum est, & per duo exempla.

Sed cùm sic quidem. Tex. CVI.

Obiectio.

SVbtiliter respondet ad obiectionem. Cùm enim dixisset vnicum nunc esse re, & duo ratione, sicut punctum, posset quis dicere, An cùm dicitur, tempus esse numerum ipsorum nunc, sumamus vnū nunc re, & duo ratione, & sit numerus duorū ratione, sicut numerus duorum punctorū ratione.

Solutio.

Hoc remouet dicens, tempus esse numerum duorum nunc re, sicut si esset numerus duorum punctorum extremorum lineæ; nam sicut, si non esset, nisi vnum punctum re, quamuis essent duo ratione, non esset motus, ita si non esset nisi vnicum re nunc, non esset tempus: vt igitur succedat tempus, & sic plura nūc re sunt necessaria, sicut sunt plures partes, puta prius, & posterius.

Et insuper manifestum est. Tex. CVII.

Nunc nō est pars temporis.

EX hoc autem, quòd tempus continuum est, & nunc ipsius continuās, colligit non esse partem temporis, sicut nec punctum lineæ, nec diuisionem ipsius motus. Vocat diuisionem id, quod partes motus continuat, quod indiuisibile etiam est, & ab alijs vocatur muratum esse, de quo latius dicetur libro sexto.

Vnde concludit, quòd sicut linee pars linea est, & punctum non est linea, sic nec nunc est tempus, cùm non sit ipsius pars, sed accidit tempori, id est, est terminus ipsius, vt exponit Philop.

Si tēp. sumatur, vt qd discretū, nūc se habet, vt eius pars.

At si tempus in ratione discreti consideretur, & vt numerus est, tūc nunc numerat, & est pars, sicut vnitas numeri. Hoc tamen si sumatur cum ipsis partibus, quarum sunt nunc numeri, cum ipsis enim debent computari, & tunc tempus numerus est duorum nunc, prioris, & posterioris, vt exposuimus supra tex. 104.

Nota.

At nō, inquit, est numerus tempus, sicut numerus decem hominum, & aliorum, id est, numerus numerans, qui potest multis applicari, sed est numerus numeratus ipsorum nunc, quod etiam supra docuerat.

Hunc esse sensum horum textuum existimo nec mireris si nullum expositorem in totum sequor: ex omnibus enim, quæ diligenti textus inspectione, probabiliora mihi visa sunt, collegi.

CAPVT XII.

Quod igitur tempus numerus motus est. Tex. CVIII.

Explicatur definitio temporis.

INsert ex dictis, tempus numerum esse motus secundum prius, & posterius: sic autem esse numerum, vt sit continuū, cum sit numerus motus continui, sicut numerus partium continuarum, continui & rationem habet. Vndè nec omninò discretum, nec omninò continuum est, sed vtriusque rationē participat: ex his autem vult concludere aliquas proprietates temporis.

Licet omnis numerus habeat minimum scilicet vnitatē, nō tū habet omnis numerus numeratus.

Supponit autem, quòd numerās simpliciter, id est, numerans, & numeratus etiam, qui ex discontinuis componitur, habet minimum: nam dualitas ad summum vnitas est minimum numeri. At quidam numerus numeratus, puta, qui est partium continuarum, sicut numerus duarum partium lineæ continuarum, talis, inquit, numerus aliquo modo habet minimum, aliquo modo non. Nam qua parte discretum est, minimū habet, cum vsque ad dualitatem possit decrescere: qua verò parte continuum est, minimo caret, cùm diuisio continui in infinitum procedat versus minus.

Sic igitur erit tempus. Ratione discreti, minimum habet: 'est enim dualitas prioris, & posterioris: at ratione continui, non habet minimum.'

Proprietas temporis. In ratiōe discreti habet minimū nō tū in ratione cōtinui.

Manifestum autem est, & propter quid velox. Tex. CIX.

Secunda proprietas tēporis. Cōpetunt vocabula cōtinui & discreti.

OStendit aliam temporis proprietatem. Qua parte enim discretū est, vocabula sibi discreti vendicat: dicitur enim multū & paucum. Qua verò parte continuum, vocabula, & continui attributa: dicitur enim longum, dicitur breue etiam tempus. Velox autem, & tardum non dicitur: id enim velox, & tardum dicitur, quod mensuratur tempore, vt superius dictum est: At tempus non mensuratur altero tempore extra se: non igitur tardum, aut velox dicitur.

Et idem etiam vbique simul est. Tex. CX.

Tertia proprietas idē est vbique tempus.

TErtiam temporis proprietatem aperit, puta, esse idem vbique, id est, respectu eorum, quæ sunt in tempore, vt idem est modo annus, & talis ratio apud omnes simul. Non enim modò ad hos, postea ad illos tēpus idem peruenit, sed idem est pro omnibus, quæ sub illo sunt, & simul. At temporis partes nō sunt idem, & simul, sed quædam succedunt alijs diuersis recedentibus.

Probat hoc. Quia tempus est numerus numeratus ipsorum nunc, cùm ergo diuersa succedant nunc, diuersum succedit tempus: sicut numerus numeratus diuersus est pro diuersitate rerum numeratarum, quamuis numerus numerans, & formalis idem sit pro omnibus tali specie numeri numerabilibus.

Amplius autem vt contingit. Tex. CXI.

Quar-

Apprietas eo modo quo reuertitur idē motus, reuertitur idē tēpus.

QVantum aliud habet tēpus. Quòd sicut regreditur idem motus, ita regredietur idem tempus. Regreditur quidem idem motus specie, qui factus est, sed non idem numero: vt redit eadem deambulatio, eadem cæna, idem prandium, non numero, sed specie: ita idem dies, idem ver, eadem tempora regrediuntur, non tamen numero, sed specie eadem.

Non solùm autem motum
Tex. CXII.

5. Tēpus cōtingit mēsurari motu, & motu tēpore.

SVbdit aliud temporis attributum, quod motu mensuratur. Contingit enim tempore motum, & motu tempora mensurare: nam dicimus multum temporis, vel paucum temporis, in quo multa, vel pauca facta sunt. Sed differenter ad inuicem mensurantur: nam tempore metimur motum, tanquàm mēsura ipsum mensurabile, sicut qui pecunia mensurat singulos equos: at cùm motu tempus mensuramus, est sicut cùm mensuram mensurabili mensuramus, vt qui vno equo mensuraret pecunias multiplicando.

Et hoc rationabiliter accidit.
Tex. CXIII

Ratio 5. Apprietatis

SVbdit rationem, quare tempus mēsuramus motu, & motum tempore. Quia sicut se habet motus ad tempus, ita magnitudo, & spacium ad ipsum motum. Contingit autem spacium motu, & motum spacio mensurare: nam aliquando cognoscimus viæ factę distantiam per motu factum, vt cùm quis deābulando defessus est, sentit viam longam esse factam. Aliquando etiam ècontra, motum distantia mensuremus, & spacio, vt cùm quis à Neapoli Romam venit, per distantiam ipsam cognoscit tantùm lusse motum. Cùm igitur sic motus, & magnitudo se habeant, eodem etiam modo tempus, & motus se habebunt.

An tempus sit numerus motus secundum prius, & posterius.

Quæstio XIII.

NON ab re erit, intermissa textus expositione, circa temporis naturā parùm immorari, est enim difficilis valdè. Aliquot itaq; argumenta, vt veritas elucescat, proponemus.

Et primò contra ipsius existētiam sic. 1. argum.
Cuius partes non sunt, nec ipsum est: at temporis partes non sunt: non ergo erit ipsum. Minor patet. Nam nunquam de tempore est, nisi nunc indiuisibile, quod non est pars. Præteritum, aut futurum non sunt, dum talia sunt: nam quod ipsorum est, instans est tantùm.

Secundò. Si tempus esset, vtiq; corruptibile esset: ergo cùm corruptio sit in tempore, tempus corrumpetur in tempore, ac duo tempora simul erunt. Iterū peram de alio tempore, in quo tempore corrumpatur, & cùm debeat esse in alio, dabitur processus in infinitū: non ergo tempus est: nam incorruptibile esset: & sic non esset successiuum. 2. argum.

Tertio contra definitionem. Tempo- 3. argum.
ris partes continuantur t rmino communi: igitur cōtinuum est: non ergo debuit definiri per discretum.

Præterea, quòd tempus sit numerus, vel est eius forma, vel non: Si non, vt quid definitur per numerum? Si sic, ergo tempus est in genere, & specie quantitatis discretæ, contra Aristo. in prædicam. Cōfirmatur argū.

Quòd si dicas illū esse numerum partium continui, ob id continuum est. Hoc non valet: nam si sic est tempus discretū, sicut numerus duarum partium lineæ continuæ, profectò malè definitur per numerum, sic enim quodlibet continuū numerus est. Obiectio. Solutio.

Quarto. Illud prius, & posterius, quod in definitione temporis ponitur. Vel est prius, & posterius spacij, & hoc non, quia tale est permanens, sicut spacium. Vel est prius, & posterius motus, & sic iam tempus esset motus, cùm sit aggregatum ex partibus motus. Vel tandem est prius, & posterius ipsius temporis, & tūc tempus definiretur per tempus, & idem per suas partes quantitatiuas, vt linea est numerus partium lineæ. Quartum.

Quinto. Dicitur, quòd tempus est mē- Quintum.
sura, mensura vt dicitur 10. Meta. est indi-
uisibi-

uisibilis, & minima: at tempus diuisibile est, & longissimum: non ergo est mensura.

1. Sētentia Strat. circa definitionē tēporis.

Circa hoc Strato Philosophus discipulus Theophrasti, vt dicit Simpli. existimauit non benè tempus per numerū definiri, cùm sit quid continuum, ideoque ipse sic definiebat. Tempus est, quantitas in actionibus. Cuius sensum hunc esse arbitror. Sicut corpora habent dimensionem aliquam, & longitudinem, secūdum quam ipsius corporis partes possumus permanentes sumere; ita motus, & operationes, habent extensionem quandam, non eam, quæ corporum est, sed durationis cuiusdam, secundum quam habent partes non permanentes, sed successiuas, ac fluentes: & talis quantitas, & duratio tempus dicitur, ita Strato sentiebat.

2. definit. Plotini.

Aliter definiebat Plotinus, puta, Tempus est vita animæ in motu transeunte ex alia in aliam vitam. Cuius sensum existimo esse: quòd tempus est successio trāsiens apprēhensa tamen ab ipsa anima ita, vt non sit tempus, nisi cùm anima totam succession em simul intelligit, & percipit: ac ob id vitam animæ vocabat in motu transeunte. De hoc tamen inferius dicemus.

3. sentētia Alber. de Saxonia, & Nominalium.

Alber. Saxo. q. 14. Tempus esse motū existimat, ita, vt res vna, sit vtrumq;, quāuis diuersis vocabulis significata, quam opinionem sequuntur Nominales, fugiētes enim distinctiones realium, omnia idem esse volunt, & solam vocabulorum differentiam faciunt: at verò vtrumque extremum fugiendum est. Vt enim distinguere, quæ non sunt distincta, vitiū est: ita non minus est vitium idem affirmare, quæ eadem non sunt.

1. fūdamētū. Motus duplices habet partes, alias à mobili, alias à spacio.

Pro determinatione aūt sit primū fundamentum. Quòd motus geminas habet partes, quasdā à mobili, quasdā à spacio, & latitudine, in qua sit motus. Verbi gratia, mouetur animal cùm progreditur, hic motus, cùm quoddā sit accidēs in ipso mobili inhęrēs, est extēsum extensione subiecti, sicut albedo cùm corpori inest: & secundū has partes diuiditur motus, diuisione mobilis, vt alia sit pars motus, q̄ est in capite, alia quæ in manu, alia quæ in alijs corporis partibus. Hę autē partes simul sunt, vt cùm vna est, altera sit.

Partes motus q̄ gueniūt à spacio, non sunt simul, sed sibi inuicē priores, & poster.

At cùm aliquid mouetur per spacium aliquod, quia in spacio sunt partes diuersæ, priores, & posteriores, euenit vt motus per tale spacium factum habeant partes correspondētes spacio priores, & posteriores.

Sed non sunt partes motus, sicut partes spacij: nam prius, & posterius in spacio permanentia sunt: at in motu non, sed in mutatione consistunt, quæ fluit, & non permanet.

Nota. Radix prioris, & posterioris in motu.

Radix ergo prioris, & posterioris in motu, est prius, & posterius in magnitudine, sed alterum est vnum prius, & posterius, puta motus à priori, & posteriori magnitudinis.

2. fūdam. Ex priori & posteriori in motu prouenit successio quę dā variabilis.

Sit secundū fundamentum. Hoc prius & posterius motus, quod in successione per spacium consistit, ac inde fluit, efficit, & causat quandam durationem variabilē, vt alia sit duratione successionis prioris, altera posterioris: & hæc talis duratio, & dimēsio quædam ac extensio prioris, & posterioris motus, tempus est.

Vndè aduertendum, quòd tempus duratio est, non quæcunq;: est enim duratio quædam semper manens, nec variationē habens, sicut si fingeres hoc nunc indiuisibile manens, & non fluens, & talis duratio non est tempus, sed dicitur æternitas, ab antiquis tempus separabile: est autem tota simul.

Nota differentiam æternitatis & temporis.

Non sic tempus, sed est duratio succedens, nec vno modo stans: ob id dicitur, est duratio motus prioris, & posterioris, id est, duratio semper mutabilis, & in eodem non permanens. Vndè tempus est effectus motus: & prius, & posterius in tempore, quæ secundum durationem sunt, ex priori, & posteriori motus consurgunt, quæ in successione circa spaciū consistunt. Motus ergo prius, & posterius successionem dicunt, temporis verò dicunt durationem, est enim tempus duratio variabilis.

3. fundam. Numerus duplex, numerans & numeratus. Numerus numerās est cōis ex se omnibus rebus.

Sit tertium fundamentum. Numerus duplex est. Et numerans, qui formalis dicitur: & numeratus, qui materialis vocatur. Numerus numerans, est abstractus à materia quacunque: vt ternarius secundum se, & quaternarius, & similes. Numeratus verò est cōtractus in materia. vt numerus hominū, numerus lapidum.

Dific-

Differunt autem numeri hi, sicut figura abstractè considerata, & figura in materia aliqua.

Res sunt in re formaliter numerabiles p numerũ numeratum, nos vero numeramus eas per numerũ numerãtẽ

Aduertendum præterea, quòd numerans, cùm abstractus sit, communis est omnibus rebus, vt ternarius secundum se, communis est lapidibus, hominibus, & alijs: at numeratus non, sed solùm illis inest, in quibus est, sicut ternarius hominum in ipsis est, & ternarius lapidum in ipsis lapidibus.

Vlterius, cùm numerus numeratus sit in ipsis rebus, fit vt per ipsum formaliter sint numerabiles. Vnde sicut albedo in pariete, ipsum facit visibilem: ita numerus in ipsis rebus, ipsas facit, vt numerari possint, ob id numeratus dicitur.

At qui abstractus est, non facit ipsas res numerabiles, imò per ipsum numeramus res, quatenus res numerantes sub aliquo numero, quem mente habemus, complectimur, ac ob id talis numerus numerans dicitur.

Tẽpus est numerus, numerat.

Tempus ergo (vt dictum est) non numerus abstractus, sed numeratus est, puta, numerus partium motus prioris, & posterioris.

Not. Numerans numeratus duplex.

Aduertendum tamen diligenter, quòd numerus numeratus duplex est. Alter, cuius vnitates, & partes discretæ sunt in quãtitate, vt numerus hominum, numerus lapidum, & similium: & talis numerus non est tempus, cùm tempus continuum sit. Alter est, cuius partes discretæ sunt qualitate, licet non quantitate, vt dicimus numerum partium eiusdem continui, cùm partes et heterogeneæ sunt: cùm enim similares sunt, non faciunt vllum numerum propriè, talis numerus est tẽpus: nam tempus essentialiter dicit fluxum, & variationem partium præcedentium, & subsequentium.

Cur tẽpus dicatur numerus prioris ac posterioris in motu.

Ac ad explicandam hanc varietatem, dicitur numerus motus prioris, & posterioris, ac si dicatur. Est quantitas, & duratio quædam varias habens partes, puta, priores, & posteriores: & ita tempus consequitur motum, qua parte motus ex diuersis partibus constat, puta, priori, & posteriori, & non quatenus motus similaris est: nam partes motus, motus sunt, sicut partes temporis, tempus,

At in essentia sua tempus hoc habet, vt secundum diuersas partes fluat: ob id numerus dicitur, sed non numerus in indiscretione quantitatis, vt dicemus adhuc in solutione argumentorum.

1. cõclusio Tẽpus est.

His igitur suppositis sit prima conclusio. Tempus est, & non est motus, sed est aliquid motus. Quòd tempus sit, satis ex communi omnium cõsensu patet. Quòd verò non sit motus, (præterquàm quod manifeste id docet Aristoteles,) probatur.

Tẽpus nõ esse motũ probatur primo.

Quorum species, & differentiæ sunt diuersæ, & ipsa sunt diuersa: sed motus & temporis differentiæ sunt diuersæ, similiter & species: ergo & ipsa diuersa sunt. Minor patet de differentijs. Nam tempus non dicitur velox, aut tardum, motus sic. Præterea. motus sursum, aut deorsum dicitur: non tempus. De speciebus patet. Nam augmentatio, alteratio, latio, species sunt motus, sed non temporis.

Secundò.

Præterea secundò. Quia tempus, & motus diuersas habent definitiones, vt notum est: sunt igitur diuersa.

Tẽpus licet nõ sit motus, est tã aliquid motus.

At quamuis non sit motus, aliquid tamen motus est, puta, ipsius passio, est enim illa extensio prioris, & posterioris motus secundum durationem. Et meritò motus passio ponitur: nam tempus cùm variationem dicat, adiungitur naturæ, & accidenti, cuius esse variationem patitur, qualis res est motus.

2. cõclusio Tẽpus est duratio. faciẽs partes in mutatione cõtinua.

Secunda conclusio. Tempus duratio quædam est, non quæcunque, sed partes habens in mutatione continua consistẽtes: differt enim duratio, quæ æternitas est, hæc enim tota simul est, nec partes habet, sed in indiuisibili cõsistit; at tempus partes habet, vt sæpè dictum est, ac ob id optimè ab Aristotele dicitur numerus, quo explicaret partium variationem & diuersitatem.

3. cõclusio

Tertia conclusio. Tempus est mensura formalis motus.

Nota duplicẽ esse mensurã.

Aduerte duplicem esse mensuram. Altera est formalis, quæ mensurata dicitur. Altera mensurans, quę actiua dicitur.

Mensura formalis est, quæ inhærens alicui ipsum facit formaliter mensurabile, aut numerabile, sicut linea huic ligno inhærens, ipsum facit formaliter mesurabile, id est, vt mensurari possit, & hæc ratio

ratio mensurę inest cuicunque quantitati respectu sui subiectij; eo enim, quo subiectum quantum est, vel discretum, vel cõtinuum, mensurabile, aut numerabile est formaliter; sicut partes per albedinem formaliter sunt visibiles.

Mensura mensurans est, qua sumpta, vt quadam regula certa alia extra se mẽsuramus, vt vlna; vel palmo mensuramus alia quanta.

Quo differant hęc duo gna mensurę. Primò.

Differt autem vtraq; mensura, quòd formalis est in eo, cuius est mensura, cùm sit illius accidens, & forma; at mensurãs est extrinseca rei numeratę, cùm non sit illi inhærens.

Secundo

Vlterius, formalis inest cuicunq; quantitati: omnis enim quantitas subiectum facit mensurabile; at mensurans non inuenitur in omni quantitate, sed in certa, quæ sit parua, & minor re mensurata, vt sui multiplicatione mensuretur, vt palmo mensuramus quantitatem magnam spacij, tota ergo spacij quantitas mensura est formalis, nam mensurabilem facit totam pannum; at parua quantitas mensurans est.

Vtrunque genus mẽsuræ inest tempori.

Aduertendum igitur, quòd vtraque mensura inest tempori. Primò tamen formalis: ipsum enim est, quo formaliter motus mensurabiles sunt secundùm prius, & posterius; at mensurare inest parti temporis, quæ assumitur, vt certa quantitas ad mensurandum totum motum. Vnde diebus, horis, annis, mensuramus ipsa multiplicando, quòd si aduertis tempore & mensurante mensuramus motum ratione temporis, vt mensuræ mensuratæ; sicut quantitate actiua aliqua mensura mensuramus totum subiectum quãtum, ita tempus vitæ alicuius, tempore quodã mensuramus. vtraque enim mensura est tempus.

Tamen communiter, & vniuersaliter tempus est mensura formalis motus, id est, nec ipsum motus formaliter redditur mensurabilis, & numerabilis secundum prius, & posterius; & per hæc patet cõclusio, & sunt ista valde notanda.

Ad 1.

Possumus igitur respondere ad argumenta, ex quorum solutione adhuc magis ista clara fient. Ad primum facilis est solutio; dicimus enim tempus esse; nam res successiuæ, & quarum natura non est permanens, non sunt, neq; existunt sicut res permanentes: harum enim partes omnes simul sunt: at rerum successiuarum non est vlla tota pars: id enim naturæ ipsarum repugnat, sed sat est, quòd aliquid cõtinuatiuum partium ipsarum sit; licet enim tempus prius, & posterius non sint secundum se tota motio, est tamen nunc vtrumq; cõiungens, & terminus vtriusque, & hoc sat est ad ipsius existẽtiam affirmandam.

Ad 2. Varię sententiæ de termino corruptionis ipsius nunc. An sit intrinsecus vel extrinsecus. 1. Sententia Simpl.

Ad secundum, inuenio aliquos dicendi modos. Aliqui dicunt, quòd nũc temporis corrumpitur in seipso, per vltimum sui esse, vt sit verum dicere, nunc modò est, cum ipsum est, tamen immediatè post hoc non erit; nec ex hoc sequitur, quod sit cum corruptum est, vt patet. De tempore autem consequenter oportet dicere, quòd tempus corrumpitur in suo vltimo nunc, vt dies in vltimo nunc, & quæcunque alia pars temporis, & sic per vltimum sui esse definit, vel primum non esse: non tamen oportet, quòd nunc corrũpatur in alio nunc, nec tempus in alio tẽpore; & sic dicit Simpli.

Secũda sẽtentia Alexãd.

At Alex. 3. Meta. ca. 5. tex. 17. dicit, tempus non corrumpi, nec generari; similiter ipsum nunc, quod idem dicit hic Albert. tract. 3. cap. 1. dicit non corrumpi aut generari nunc, sed incipere, aut desinere esse.

Explicatur quomodo corrumpatur nunc.

In cuius declarationem aduerte: quòd non quidquid est, quod ante nõ erat: nec quidquid est, & postea non erit, est generabile, aut corruptibile; non enim valet consequentia: hoc non erat, & modo est: ergo generatũ est: nam generatio, & productio, & motus ipse de nouo sunt, & ante non erant sæpè, tamen non est facta generatio alia generatione, nec motus alio motu: esset enim processus in infinitum, vt docet Aristo. lib. 5.

Si igitur motus non fit, nec generatur, (nã est ipsum fieri, nec generari: & tẽpus est cum motu.) Nec tempus generabitur, aut corrumpetur, quamuis desinat esse, vel incipiat esse. Vnde non oportet aliud tempus constituere, quo fit, & fiat tẽpus; sicut nec est alia mutatio, qua fiat mutatio, quòd si tempus desinit, vel incipit esse secundum partes, & nunc, id est, quẽadmodum dixi prius. Hæc obserua.

Ad tertiũ

Ad tertium attẽde, quòd tempus non est numerus partium quantitatis discretione, sed qualitate partium: Quòd est dicere. Non sic tẽpus numerus est prioris, & posterioris, quasi hęc in quantitate discreta sint, sed in qualitate, cum alia ratio prioris, alia posterioris sit. Quòd autem sic est numerus, est continuum quantum & tale est tempus: vnde Stationis definitio in re non est diuersa ab Aristo. definitione, cum motus quantitas illa sit tempus, tamen exactior est definitio Aristot. quæ explicat; in quo tempus formaliter consistit, puta in duratione variabili: non ergo ad quantitatem discretã, sed ad cõtinuam tempus reduci debet, vt dictum est in prædicam.

Dubiũ, an tẽpus sit numerus prioris, & posterioris illius q̃ est pars ipsius motus, primo modus dicendi.

Ad quartum, vna occurrit difficultas, An, cùm tempus dicitur numerus prioris, & posterioris motus, ibi prius, & posterius sint ipsius motus partes ita, vt tempus non sit aliud, quam duæ partes motus; An non sic, sed quòd tempus, sit alia quantitas præter prius, & posterius motus. Communiter enim videntur dicere interpretes, tempus esse illum numerum duarum partium motus: quod videtur inconueniens, nam tunc idem erit prius, & posterius temporis, & motus, & eadem continuitas, cum tamen text. 104. aliud prius, & posterius in tempore, aliud in motu, aliud in magnitudine ponatur: similiter de continuo.

Secũdus.

Alij dicunt, quòd tempus est quantitas quædam, & nõ partes motus: ponuntque motum habere quantitatem continuam, ratione cuius partes habet, & prẽter hanc ponunt tempus, Plures alij sunt modi dicendi, quos omitto. at secundùm nos res est manifesta, qui superius propriam diuisibilitatẽ assignauimꝰ temporis, motui, & spacio, & omnes illas ostendimus esse inter se distinctas.

Solutio D. Tom.

Vnde respondeo, ad argumẽtum eum S. Thom. text. 191. quòd prius, & posterius quę in definitione temporis ponuntur, sunt ipsius motus in ordine ad spacium. & hoc non tollit motum habere alias partes à spacio: nam definitur tempꝰ per subiectam, & genus; sicut qui dicit risibilitas, est aptitudo hominis ad risum, ita tempus est numerus motus prioris, ac posterioris, ac si clarissimè dicas, Tempus est quædam duratio, & velut longitudo mouentis se per partes diuersas priores, ac posteriores spacij alicuius, & loci..

Ad quintum, facilis est solutio: mẽsura enim mensurans est, quæ debet esse certa, indiuisibilis, id est, minima, & pauua, non tamen mensura mensurata: hæc autem primo tempori conuenit, vt declaratum est in conclusione tertia. Hactenus de quæstione hac. Ad quintum.

An sit vnicum nunc in toto tempore.

Quæstio. XIIII.

Sensus qõnis.

Circa titulum aduerte, quòd sicut lineæ partes puncto indiuisibili copulantur, ita etiam partes temporis quodam indiuisibili continuantur, quod dicitur instans, aut Nũc. Est autem difficultas, an vnicũ sit instans per totum tempus ita, vt nõ sit aliud tempus, quàm vnicum instans aliter, & aliter se habens. Et in hoc difficultatem facit Arist. qui tex. 104. docet nunc esse in tempore, sicut vnũ mobile in motu, S. Tho. 1. p. q. 10. artic. 4. ad 2. & Alber. lib. de quatuor coæquæuis. q. 3. articu. 12. videntur asserere esse vnicum Nunc per totum tempus. Prima sententia D. Thom.

Discipuli autem S. Tho. explicant ipsum in hac sententia, quam sequitur Capre. 2. d. 2. q. 7. sic eam explicans, dicit, q̃ in linea est pũctum intrinsecum, & est aliud extrinsecum. Intrinsecum est, quod in ipsa est linea continuans eius partes, & huiusmodi sunt multa pũcta in linea. Aliud est extrinsecum, quòd suo motu lineam totam facit, & hoc vnicum est per totam lineam. Dicitur autem extrinsecum, quia non est in linea, vt continuans, cum sit per totum: nec est pars, cum sit indiuisibile. Ita dicit in tempore, esse nunc intrinsecũ continuans partes ipsius, & hoc non vnũ, sed multa sunt: est aliud extrinsecũ, quod non est aliud, quàm præsentia mobilis facientis tempus, quatenus est sub mutato esse, & indiuisibili motus, & tale vnum est per totum tempus. Hæc autem non secundum imaginationem tantùm ponunt isti doctores, sed etiam in re: imò dicunt motum distingui realiter à tempore, sicut à mobili, Quomodo explicant aliqui D. Thom.

Ista explicatio sententiæ D. Tho. non pro- Reijcitur

Ista expositio.

probatur. Nam nõ potest percipi, quæ res sit illud punctũ extrinsecum, nisi ipsamet linea; nam quod dicitur punctũ suo motu lineam facere, id locũ habet in imaginatione tantùm: nã multis probat Arist. li. 6. punctum separatũ moueri non posse. Quòd si sumas punctũ existens in corpore mobili, cui videtur responderi linea tanquam spacium, illud punctum non facit lineam illam, imò presupponitur puncto, sicut spacium mobili. Quòd si sumas punctum aliquod separatum, impossibile est quòd faciat lineam: non enim in vllo genere causæ non quantum, & indiuisibile, potest facere diuisibile: non igitur tale punctum est, nisi per imaginationem Mathematicam.

Vnde consequenter nunc non potest esse vnum, nam præsentia mobilis nõ est formaliter nunc, quãuis sit eadem, nõ tamen ob id, vnum nunc est. Nam si sumas mobile, vt est sub motu, sicut nunquã est sub vnica parte motus, nisi sub alia, & alia, & sub vno, & alio mutato esse, ita non est semper sub vnico nunc. Adde quòd si vnum nunc esset per totum tempus procedens, iam tempus esset ex nunc solis cõpositum, nam ideo Arist. docet punctum si sit separatum, non posse moueri per lineam aliquam, quia linea tunc esset compositа ex punctis, punctum per lineam gradiens non tangeret, nec mutaret aliud, quàm puncta.

Aliæ varię sentẽtiæ quomodo sit vnũ nunc in tempore.

Quamobrem existimo non esse vnum formale nunc per totum tempus, sed plura, & plura, quod expresè docet Aristo. 3. Meta. c. 5. tex 17. in fin.

Ad id aũt, quòd Arist. dixit, esse vnum nunc, respondet Simpl. quòd ob id instãtia, & nunc secundum se vnum dicuntur, quamuis plura sint, quia non habent, per quid distinguantur, vt sola considerantur. Scot. lib. 3. Meta. loco citato, dicit esse vnum specie, non numero. Themist. dicit esse vnum subiecto.

Sententia Authoris

Existimo ergo esse dicendum, sicut in textu exposuimus, quòd cõparatio Arist. in hoc consistit, quod mobile diuersis in partibus sumptũ spacij motus est causa, ita nunc sumptum in priori, & in posteriori facit tempus, non tamen q̃ sit prorsus idem nunc ratiõe, sed subiecto, id est, quòd non debet multiplicari subiectum cum nunc, sed idem subiectũ est, nunc tamen multiplicatur formaliter. Non enim est tanta vnitas mobilis in motu, quanta nunc in tempore, cum illa sit maior, quia ipsum mobile est subiectum, quod vnũ est: at nunc ab ipso subiecto vnitatem habet. Hæc est etiam sententia Græcorum: nec oppositum reperitur in S. Tho. vt etiam ex discipulis ipsius aliqui cõfitentur. Cõsensio authoris cũ sententia Græcorum, & D. Tho.

Circa distinctionem temporis à motu non opus est ex professo id contendere. Sat est, quòd tẽpus non realiter à motu, sed ratione, sicut motum à mobili distinctum ponimus, & omnes ratiões oppositum probantium non conuincunt, nisi hanc formalem distinctionem: nam hæc sufficit, vt res habeant diuersas definitiones, sint in diuersis prædicamentis, & generibus, possint inuicem separari, vt multoties dictum est. quamuis contraria etiã opinio sit probabilis. Ad textum redeamus, nam quæ circa temporis naturã restant; in processu ipso examinabimus. Quo differat tempus à motu.

Quoniam autem tempus est mensura motus.

Tex. CXIIII.

Quid sit esse in tẽpore.

POstquam explicuit quid sit tempus, explicat, quid sit esse in tempore, & quæ dicantur esse in tempore. Primò, explicat quid sit motum esse in tempore, & hoc ex definitione: cum enim tẽpus sit numerus, & mensura motus, non erit aliud motum esse in tempore, quàm motum mensurari à tempore ita, vt ipsi tanquam mensuræ subdatur, vt sicut tẽpus partes habet non simul, ita etiam ipse motus.

Quo motus mensurẽtur à tempore.

Intermittit autem, quomodo motus mẽsuretur à tempore: & loquitur de mẽsura mensurante, de qua diximus, q. 12. Dicit, quòd motus aliquam partem mensuramus parte certa temporis postea per illam mensuramus totum motum multiplicando: sicut in cõtinuis sumimus vnã partem lõgitudinis certam, puta, vlnã, & hanc multiplicando, totum spacium mẽsuramus; ita tempore certo partem motꝰ mensuramus, puta, die, aut anno, aut mẽse, & postea talem partem multiplicando totum motum mensuramus.

Ostendit autem, quid mensuretur in

Quid mēsuretur in motu.

motu. Dicit duo in motu mensurari. Alterum est ipsius quantitas, quam à spacio habet. Alterum est ipsius esse, (nam ens successiuum est) ob id totus motus tempore mēsuratur: vnde ob id in principio textus dicit, tempus mensuram esse motus, & moueri. Per motum, intellexit esse motus; per moueri quantitatem ipsius, quam habet, dum fit in magnitudine, vt explicat S. Tho. Est igitur motum esse in tempore, ab eo mensurari.

Manifestum est, quòd & alijs. Tex. CXV.

Quid sit n vniuerum esse n tēpore.

HInc colligit in vniuersum esse in tempore non aliud esse, q̄ mensurari à tempore, & habere successionem, & mutationem cum ipso tempore, quod est mēsura successiua, & mutabilis. Hoc autem probat distinguendo duplicē sensum, qui potest esse huius, q̄ est esse in tempore, & excludendo illorum vnū.

Esse in tēpore potest facere duplicem sensum.

Esse in tempore potest facere hunc sensum; Esse, quando tempus est: Vt illa dicantur esse in tempore, quę sunt, cū tempus est. Alter sensus est, vt esse in tempore sit, sicut esse in numero.

Nota.

Dupliciter autem aliqua dicuntur esse in numero. Vno modo, quia partes, vel accidentia ipsius sunt, vt par, impar, & vnitates in numero sunt. Altero modo, qa à numero continentur, & numerantur, puta, quia numerus ipsorum dicitur esse vt denarius hominum, & aliorum.

Tripliciter potest dici aliq d esse in tēpore.

Vnde possumus colligere, tripliciter posse dici esse in tempore. Vno modo esse, cum tempus est. Altero modo, esse partem, aut passionem temporis. Tertio, à tempore mensurari. Dicit, quòd duobus vltimis modis aliqua dicuntur esse in tēpore: nam tempus numerus quidam est: ob id, sicut in numero, sic etiam in tempore aliqua dicuntur esse, nā nunc, prius, posterius tanquam aliquid temporis in ipso dicuntur esse. At reliqua omnia, quę in tempore esse dicimus, vt in mensura quadam in ipso sunt successiua tamen, sicut res in loco permanenti.

Manifestum aūt, & quòd nō est. Tex. CXVI.

Excludit primum modus quo dicebat res esse in tempore, quia sunt, cū tempus est. Dicit, quòd sicut non dicitur esse in loco, aut in motu esse, cùm locus, aut motus est; sic nec esse in tempore: nam sic possemus dicere, quòd cælum est in grano melij, quia est, cùm hoc est, imò quodlibet esset in quolibet.

Excluditur primus modus esendi in tempore. Primo.

Vlterius probat. Nam esse in tempore, cùm tempus est, profectò est quid accidentale: accidit enim, quòd tempus sit illud, cùm res est: & accidit rei, quòd tempus tale sit: similiter de loco, & motu: at esse in tempore dixit cōnexionem necessariam, vt vnum non accidat alteri: habet enim habitudinem ad illud intrinsecè, & necessariò sicut mensura ad mensuratū.

Quod est dicere; Si non esset aliud esse in tempore, quàm esse cum tempus est, accidentale hoc esset, & posset esse, quin tempus esset: at esse in tempore non sic, non enim potest esse id, quod est in tempore, sine tempore quodam, sicut nec mēsurantium sine sua mensura.

Quoniam autem est in numero. Tex. CXVII.

Quō se habeant ea, quæ sunt in tempore.

OStendit qualiter se habeāt ea, quæ sunt in tempore. Hæc enim continentur, & excedūtur à tempore sicut numerus excedit numeros minores, & vnitates sub se cōtentas. Hinc est, quòd nulla eorum, quę in tempore sunt, ipsi tempori ęqualia sunt, sed alicui parti tantū, aut præteriti, aut futuri, aut vtriusque.

Ratio

Et ratio huius superioritatis est, quia quæ sunt in tempore, continentur ab ipso, sicut quæ sunt in numero ab ipso: quæ autem in numero compræhenduntur, minora sunt ipso: vnde euenit, quæ in tempore sunt, omnia finita esse.

Res patiūtur à tempore.

Non solum autem à tempore excedūtur, sed ab eo patiuntur, quod probat ex communi dicto omniū. Nam dicere consuescimus, omnia tempore tabescere, & alia senescere, alia obliuisci.

Nota.

Et nota per hæc tria vocabula notari omnia, quæ in tempore sunt: nam tabescere, & corrumpi omnibus inest etiam inanimatis: senescere viuentibus: obliuisci hominibus. Hæc autem tempore adueniunt.

Dubiū, an sit generationis causa ipsum tēp⁹, sicut & corruptionis. Rō. Arist.

Dices, an tempus sicut est causa corruptionis, est ne generationis, vt causa pulchritudinis, & perfectionis circa talem, iuuentutis circa senectutem, recordationis circa obliuionem. Respondet, non; & causam dat. Quia tempus in motu consistit: motus autem recessus est à propria dispositione, quam res habet: ob id, quæ mouentur, magis ad corruptionem accedunt: & propter hoc tempus corruptionis potius est causa.

Obiectio. Solutio.

Dices tu, nónne etiā tempore res perficiuntur, & tempore aduenit sapiētia, & prudentia, vt quid tempus nō generationis causa etiam ponitur. Aduertēdum ergo, quòd nec generatiōis, nec corruptionis tempus solum causa est: effectū enim particulares hi à causis proueniunt particularibus, & tempus horum causa dicitur, quia in ipso fiunt, vt inferius in text. 128. dicit Aristot.

Nota, tēpus precise nec esse causam generatiōis, nec corruptionis.

At hoc interest inter generationes, & perfectiones, ac corruptiones: quòd generationes habēt sæpè causas determinatas, ob id non attribuuntur tempori; at corruptiones ex indeterminatis causis proueniunt, vt ruinæ, mutationes, & variationes aliæ, & hæc tempori tribuuntur, & ita dicit Philop.

Cur potiūs corruptionis, quàm generationis dicatur causa. Primo.

Adde etiam tu, quòd non solùm cùm causa indeterminata est, sed etiam corruptiones aliæ, quæ secundum naturā fiūt, tribuuntur tempori magis, quā generationes, quia motus cōtinuus, qualis tempus est, potius est causa corruptionis: nec verò perfectionis causa est, nisi quatenus inuenit rem dispositam, vt perfectioni sit proxima: tamen sua continuatione ab illa perfectiōe expellit rē, & in corruptionem impellit, ob id per se causa corruptionis dicitur, nō tamen solum tempus causa est, vt diximus, & patebit inferius.

Quare manifestum est.

Ea, quæ semper sunt, non sunt in tēpore.

CVm dixisset, quæ in tempore sunt; excedi, & superari à tempore, infert, res semper existentes non esse in tempore, cum non contineantur, nec superentur à tempore, qualis est Deus gloriosus, & Intelligentiæ. Adducit autem signum, quòd non patiuntur à tempore: non enim corrumpuntur, non senescunt, non tabescunt, sed vno modo se habent, vt docet, 1. cæli, tex. 100. dicit autem, quæ semper sunt, quatenus semper sunt: nam ista, quæ semper sunt, habent aliqua, quæ non sunt semper, vt sol mutat loca varia, & secundum hos situs, & mutationes tempori subditur.

Quid sit proptie esse in tēpore.

Ex quibus perfectè colligitur, quid sit esse in tempore, puta, mensurari à tēpore, vinci à tempore, pati à tempore, qua parte res mensurantur tempore, euenit, vt quæ faciunt, non possint, tota simul possidere: Vnde non est tota cæna simul, non tota lectio, sed pars expellit partem, pars expectat partem. Præterea, si vincūtur à tempore, non sunt perpetua, si à tēpore patiuntur, multis miserijs, varietatibus, ac mutationibus sunt exposita.

Quoniam autem tempus est mensura. Tex. CXVIII.

Quietem esse in tempore.

CVm dixisset quid sit esse in tempore, & motum esse in tempore, ostēdit modò quietem esse in tempore, per accidens tamen, id est, per aliud, vt explicat Philop. nempè, per motum: nam tantum esse quietem mensuramus tempore, mensurantes simul aliquem motū.

Obiectio.

Obiciet quis, quomodo, cum tempus sit quid motus, potest aliquid esse in tempore, quin sit in motu, non ergo quiescētia videntur esse in tempore.

Solutio.

Respondet, tempus non esse motum, sed numerū motus: ob id, potest aliquid quiescens esse in tempore, sicut etiam in numero, quin sit in motu. Subdit tamen, quæ dicantur quiescere: illa nempè; quæ sic non mouentur, vt moueri sint apta, vt iam dictum est: est igitur quies in tempore.

Esse autem in numero est esse.

Res aliæ sunt in tēpore secūdū motū, & quietem.

VVlt vlterius ostendere res alias esse in tempore, secundum motum, & quietem, ac propterea dicit, esse in numero est, quòd sit numerus rei illius, & quòd sit mensurabilis res per talem numerum. Si igitur numerus fuerit tempus, sic erit in tempore esse, quòd à tempore

pore mensuratur, & quòd tempus illius sit. Cum igitur tempus sit aliquid motus, mensurabit vtique quæ mouetur, & quæ quiescunt: quies enim priuatio motus est: Priuatiuorum autem eadem est regula.

Quare quod mouetur. Tex. CXIX.

Res non sunt in tẽpore rõe suarum quantitatum, sed secũdum quantitatẽ suorũ motuũ. Nota

CONcludit res ipsas, quæ mouẽtur, & quiescunt, non esse in tempore secũdum suam quantitatem, sed secundum quantitatem suorum motuũ. Cum tempus sit mensura motus, idem etiam de quiete, sed per accidens: illa aũt, q̃ nec mouentur, nec quiescunt, sed prorsus immobilia sunt, in tempore nõ sunt.

Notandum igitur, quòd motus per se in tempore est: ipsius enim primò tempus est mensura, per motum quies: per motum, & quietem substantiæ sunt in tempore.

Manifestum igitur, est. Tex. CXX.

Ea, q̃ non sunt qũo sunt in tẽpore.

OStendit ea, quæ nõ sunt, quomodo sint in tempore. Dicit quòd ea, quæ non sunt ita, vt non possint vnquam esse vt diametrum esse commensurabilem, & impossibilia, ista non sunt in tempore. Et ratio est, quia huiusmodi nullum habent ordinem ad motum, aut quietem, per quæ res in tempore sunt.

Quæ verò sic non sunt, vt possint esse, vel fuerint, vel futura sint, hæc in tẽpore sunt: qualia generabilia, & corruptibilia. Dat rationem: quia hæc superantur à tẽpore: nam maius est tempus his, quæ sic non sunt. Nam quæ erunt, exceduntur à tempore secũdum præteritum: quæ fuerunt, exceduntur secundum futurũ: quæ autem nunquam sunt, non vincuntur à tempore, ob id non dicuntur esse in tempore.

Eorum autem, quæ non sunt.

DIuidit ea, quæ non sunt, sed in tẽpore sunt, & à tempore exceduntur. Quædam fuerunt, vt Homerus: quædam erunt, quædam partim fuerunt, partim erunt, vt manifestum est. Vocat autẽ futurum ad vtrumuis, quia potest esse, & non esse. At ea, quæ nec sunt nec fuerunt, nec erunt, non continentur à tempore. Explicat autem, quæ sint ista. Ea nempè, quæ sic non sunt, vt opposita ipsorum semper sint: id est, impossibilia, quorum opposita necessaria dicuntur: neutra autem in tempore sunt, quia non vincuntur à tempore: illa enim semper non sunt, hæc verò semper sunt. At quorum opposita non semper sunt, qualia sunt contingentia, hæc generabilia, & corruptibilia sunt, & talia omnia à tempore continentur, & superantur, ac ob id dicuntur esse in tempore. Patet ergo motus, quietes, res mobiles, & quiescibiles, generabiles, ac corruptibiles in tempore esse.

CAPVT XIII.

Ipsum autem nunc. Tex CXXI.

Res diuersimodè sunt in tempore. Et explicatur illa differentia tẽporis. Quid sit nũc in prima acceptione.

DIfferentias aliquot explicat, quibus aliqua diuersimodè dicuntur esse in tempore, quę sunt sex, puta, Nunc, Aliquãdo, Iam, Nuper, Quondam, Repentè incipit autem ab ipso Nunc, duoque distinguit nunc. Alterũ est, cuius hucusq; meminit, & hoc duplici proprietate, & officio distinguit. Alterum est, quod est tẽporis cõtinuatio, id est, quo tempus futurum, & præteritum continuantur. Alterum, quod est terminus vtriusque, puta, præteriti finis, principium verò futuri. Discrimen autem ponit inter nunc, & punctum lineæ, cui etiam hæc duo competere videntur. Punctum tamen est quidem permanens, sed nunc nõ permanet, sed recedit cum ipso tempore.

Ne autem quis existimaret nunc tempus distinguere actu ita, vt duas partes tẽporis actu separatas faciat: id remouet, docetque non actu diuidere: sed potestate, quatenus si actu tempus diuidendum est, (quod quidem intellectu contingit, vt dicit Philop.) tunc in nũc esset diuisio facienda, sicut in puncto diuiditur linea. Occurritur obiectioni.

Ostendit statim hoc nunc, quod diuidit, & quod etiam vnit, vnicum esse, diuersum

uersum tamẽ ratione. Sicut in linea mathematico intellectu abstracta, punctũ, quod diuidit potẽtia, & punctum, quod vnit, aliud est ratione, sed vnum re: Ita, & nunc, vt continuat, vnum est: vt huius principium, illius finis est, ratione diuersum est.

Ipsorum igitur nunc, hoc quidem. Tex. CXXII.

Quid sit Nunc in secũda acceptione.

HAec est prior significatio ipsius nunc. Altera est, qua significatur tempus proximum præsenti nũc: quod enim parum distat à nunc præsenti, siue pręteritum sit, siue futurum, reputatur pro nunc; vt, nunc veni, nunc veniam dicitur, quia hodie veni, aut veniã: at tempus remotum non dicitur nunc, vt satis notum est.

Ipsum autem aliquando tempus est. Tex. CXXIII.

Quid sit aliquãdo

EXplicat secundam differentiã temporis, pura Aliquando. Dicit autẽ, quòd tempus determinatum non nunc præsenti, sed præterito, aut futuro; vt aliquando capta est Troia; aliquando erit diluuium. Cum igitur, Aliquãdo, sit tempus distans à nunc præsenti; alio nũc aut priori, aut posteriori determinatum, colligit, quod ab hoc nunc præsenti, vsq; ad illud, seu futurum, seu præteritum, erit tempus quantum terminatum, quod dicitur Aliquando.

Si verò nullum tempus. Tex. CXXIIII.

Dubium.

DVbium proponit, quod ex dictis suboritur. Si enim Aliquando est tempus determinatum alio nunc à presenti, cùm omne tempus sit Aliquãdo, videbitur omne tempus esse finitum, quod remouetur per interrogationem, dicendo motum esse infinitum, ac ob id tempus consequenter esse infinitum.

Solutio

Ad dubium autem (quantum existimo) respondet, dicendo, quòd si esset idem, Aliquando, sæpè sumptum, esset finitum tempus, cùm tamen sit aliud, & aliud, semper Aliquando, tempus erit infinitum: quòd autem sumatur, & sit nouum, & nouum. Aliquando, semper, ex motu patet, qui semper alius, & alius est. Consistit igitur eius solutio in hoc, quòd dato, quòd omne Aliquãdo finitum sit, semper tamen, & incessanter sunt noua, & fuerunt noua Aliquando, ob id tẽpus infinitum est.

Vtitur autem modo loquendi interrogatiuo pro affirmatiuo, vt sæpè solet. Nota 1.

Sed tamen Aristoteles ipse decipitur in hoc, motum, & tempus infinitum ponendo, vt latius dicemus, in lib. 8. vbi id examinabitur ex professo. Nota 2.

Quoniam autem ipsum nunc. Tex. CXXV.

Probatur tpis infinitas ex ipso nũc.

PRobat temporis infinitatem ex ipso nunc, nunc enim est principium, & finis: at hæc non habet respectu eiusdem, aliàs opposita secundum idem, vni inessent: sed respectu diuersorũ, præteriti quidem est finis, futuri principium.

Ex hoc patet, quòd semper tempus est in fine, & principio: nam est nunc, quod fururi est principium: non ergo desinit tempus, cùm semper sit in principio, est enim nunc quod principium est futuri, est autẽ tempus in fine, & principio. Sicut linea circularis concaua simul, & conuexa, ratione tamen diuersa, sed idem re: ita tempus in principio, & fine, quare idem sunt. Nota.

Aduertendum, quòd hoc falsum est: non enim omne nunc, est principium, & finis, sed datur, quod fuit principium, & non finis, cùm tempus inceperit, sicut in linea finita dantur puncta extrema, quæ sint principium, & finis, vt dicetur in libro octauo. Not. errorem in ratione Aristo.

Ipsum autem Iam. Tex. CXXVI.

Quid sit esse Iam.

EXplicat tertiam differentiam temporis, quæ est Iam. Iam enim dicitur futurum, aut pręteritum parum distans à nunc præsenti, vt Iam veni, lã legam, id est, parum est, quòd veni, parum restat vt legam.

Et nõ confundaris: non enim est Iam idem, quod Nunc in posteriori significatione, vt aliqui existimãt. Nunc enim dicit tem- In quo differt à Nunc.

cit tempus propinquum nunc præsenti: dicit autem ipsum, ac si esset nunc, id est, per modum præsentis significando: at Iam dicit propinquum, sed per modum futuri, vel præteriti: quæ verò distant à nunc præsenti, non dicuntur Iam, vt notum est.

Ipsum autem nuper.
Tex. CXXVII

Quid sit esse quondã nuper, repentè.

TRes alias temporis differentias explicat. Nuper dicit propinquum, nunc præsenti, præteritum tamen. Quondam, seu Olim, dicit præteritum distans. Repentè dicit tempus paruum, in quo facta est mutatio: quod quidem tempus adeò est paruum, vt propter ipsius paruitatem distingui, ac dignosci non possit quantum fuerit. Hæc omnia notissima sunt.

Mutatio omnis natura remotiua est.
Text. CXXVIII.

Qũo tẽp, sit causa corruptionis.

CVM ostendisset differentias, quibus existunt in tempore etiam, quæ nõ sunt, regreditur ad explicandum, quomodo tempus sit causa corruptionis. Dicitque quidam sapientissimum vocabat tempus, quasi in tempore scientiæ comparentur: at Pythagoras dictus Paro indoctissimum vocabat, quasi scientiæ pereant cum tempore: laudat autem magis hoc dictum: nam tempus magis per se causa est corruptionis, quàm generationis: quod probat ratione facta superius: Quia mutatio, vt talis est, remotiua est, & corruptiua magis: per accidens verò generationis causa est. Hanc rationem superius declarauimus.

Probat etiam signo. Videmus enim non fieri quicquam, nisi sit causa aliqua: at videmus corrumpi, nulla apparente causa, & tales corruptiones damus tempori, non quòd tempus sit causa illarum, sed quòd in tempore fiant, & causa particularis non apparet, sicut apparet in generationibus. Repete tex. 117.

Epilogus dictorum Aristot.

Post hæc epilogat quæ dicta sunt, puta, tempus esse, quid est tempus, & quot modis dicatur Nunc, & quæ sint aliæ temporis differentiæ, nempè Iam, Nuper & reliquæ prædictæ.

CAPVT XIIII.

His autẽ nobis sic determinatis.
Tex. CXXIX.

Omnẽ mutationem, & omnem motũ esse in tẽpore.

REpetit propositionem superius positam, vt modò ipsam probet. Est autem propositio. Omnis mutatio, & omnis motus est in tempore, ac tempore mensuratur: & quod mouetur, ac mutatur, in tempore mouetur, ac mutatur. Hanc probat duplici ratione. Prior est. Velocius, aut tardius in tẽpore sunt: at motus motu velocior est: igitur motus in tempore est. Minorem explicat, dicendo, quis motus sit velocior. Inquit, illum esse velociorem, qui citius fit, & peruenit ad eundem terminum, quàm alius: duplici tamen conditione. Altera, vt sit per idem spacium: nam si vnum mouetur ab A, in B, per arcum, alterum per cordam, licet tempus sit æquale, tamen velocius mouetur id, quod per arcum. Similiter est altera, quòd motus sit regularis. Nam etiam si sit eadem magnitudo prorsus, tamen vnum deformiter, alterum vniformiter mouetur, non ob id erit velocius, quia citius mouetur. Sunt enim alia pensanda, de quibus dicetur in libro 7. latius: hæc enim obiter tangit Aristot. & non ex professo.

1. Ratio

At verò prius in tempore est.

2. Ratio.

ALteram facit rationem. Prius, & posterius in tẽpore sunt: at prius, & posterius sunt à motu: motus ergo in tempore est. Quòd prius & posterius sint in tempore, probat: quia prius, & posterius sunt distantiæ ab ipso Nunc, sed Nunc in tempore est, nam distantia, & termini ad idem pertinent.

Explicat autem quòd alio modo prius, & posterius sunt in præterito tempore, alio in futuro. In præterito enim quod à nunc

nunc præsenti remotius est, prius dicitur, quod autem propinquius; dicitur posterius. At in futuro econtrà, quod remotius erit, dicitur posterius, quod magis proximum, prius. Hæc omnia etiam parum aduertẽti facilima sunt, & textus clarissimus.

An omnia entia sint in tempore.
Quæstio XV.

Rationes in oppositum.

Primum argũ

QVAESTIO hæc mouetur, ꝑpter aliqua, quæ videntur dubium facere circa dicta Aristo. Primò dicit. *Omnem motum esse in tempore. Videtur falsum; Motus cæli motus est: at nõ est in tempore, cùm non superetur à tempore: est enim ita æternus, sicut tempus, quod est ipsius passio.

Secundũ.

Secundò dicit. Omnem mutationem esse in tempore. Videtur etiam hoc falsum: nam mutatio substantialis est in instanti: similiter illuminatio, visio, & aliæ huiusmodi: non ergo sunt in tempore.

Tertium.

Tertiò dicit: Res esse in tẽpore ratione motus. Contrà: Esse rerum generabilium, & corruptibilium est mutabile, & variabile: ergo substat tempori, & experientia ostendit, quòd vitam rei, & esse, tempore metimur.

Quartũ.

Quartò circa id, quod dicit, Quę semper sunt, non esse in tempore. Contra. Differentiæ ipsius temporis de Deo prędicantur. Est enim nũc Deus, & fuit heri, & semper: ergo non erit in tempore.

Primum fundam, quid sit esse in tẽpore.

Aduertendum primò, (vt in textus explicatione docuimus) esse in tempore non solùm est, esse cùm tempus est, sed mensurari ab illo, superari ab illo, & pati ab illo. Mensurari autem ab illo, est se illi adaptare iuxta ipsius naturam; vt sicut partem post partem tẽpus habet, nec simul est totum, ita etiã quæ ab illo mensurantur, superari est, quòd sint minora, quàm totum tempus, ita, vt tempꝰ maius sit quocunque sub contento; & inde prouenit, quòd passibilia sint, & alterabilia, quæ sub ipso sunt.

Secundũ fundam. Tẽpus dimensiuũ.

Aduertendum secundò, quòd secundum Aristo. (vt paulò inferius dicemus) cùm tẽpus sit solùm in motu primi mobilis, aliter ipsum facit mensurabilem, aliter alios motus inferiores: similiter aliter est mensura motus illius, aliter horum inferiorum.

Primò tempus facit motum primi cęli mensurabilem, formaliter, & intrinsecè; sicut mea quantitas me formaliter facit mensurabilem, quia in me inest; reliquos verò motus facit mensurabiles extrinsecè, per hæc, quæ ipsi subduntur.

dè est mẽsura primi motus cæli, & aliorum motuum.

Accipe exemplum. Sume lignum magnum, & superpone spacio, tunc mensura lignum; mensurabis quidem spacium simul, quia ligni illius longitudo vtrumque facit mensurabile: sed differenter, lignum intrinsecè, spacium extrinsecè. Ita tempus, cùm sit primi motus passio, illũ facit formaliter mensurabilem; at reliquos motus extrinsecè, quatenus velut ipsi supponuntur: fiunt enim motus in tempore.

Exemplũ

Similiter intellige de mensura mensurante. Aliter enim tempus mensurat motum cæli, aliter horum inferiorum. Motum enim cæli mensurat intrinsecè, sicut pars totũ, at reliquos motꝰ extrinsecè, sicut vlna pannum.

Idem est de mensura mensurante.

Accipe exemplum, sit pannus aliquis, dupliciter mensurari potest. Vno modo vnica ipsius particula, quam multiplicãdo cognoscitur totius quantitas. Altero modo vlna externa multiplicata. Ita cũ motum cæli temporaneum mẽsuras, accipis horam, aut diem, quæ est pars illius moti quanti: at reliquos motus eodem die, aut hora mensuras, sed sicut per vlnã externam. Hæc admodum nota.

Exemplũ.

Aduertendum tertiò, quòd nõ solùm hic loquimur de motu locali, sed etiam de reliquis motibꝰ, puta, alterationibus, & augmentationibus. Hi enim etiam tẽpore mensurantur. At tempus non, nisi passio motus localis cælestis, ab Aristot. ponitur.

Tertium fundam.

His suppositis ad primum argumentum respondetur, quòd motus cæli non est mensurabilis, nec est in tẽpore secundum se totum, secundum Arist. sic enim infinitus est; est tamen secundum omnes partes suas, & tales à tempore superãtur, vnde quod de motu mensuratur, totum finitum est: mensurantur autem omnes partes copulatiuæ, sed non copulatim, vt loquar Dialecticè. Et est hæc sentẽtia Alber. Sa-

Ad primum.

ber. Saxon q. 55. & benè dicit, infinitum in enim immensurabile est, secundum se totum.

Ad secundum. Solutio Auerr.

Ad secundum Auer. com.129.quē sequitur Alber.tracta.3.c.15. dicunt, quòd mutatio dupliciter accipitur. Vno modo pro fine motus; vt cùm accipitur pro generatione solùm substantiæ, quæ est terminus alterationis: non enim quicquam generatur, nisi alterdtione precedente; similiter illuminatio pro productione luminis, quæ est terminus motus localis; nam dum sol fertur, lumen producit, & sic dicunt non esse in tempore. Altero modo accipitur mutatio pro toto motu cum termino, vt pro alteratione simul cū generatione, & illuminatio pro latione, cū luminis productione, & sic est in tempore; est enim successiua.

Reijcitur solutio Auer.

Ista responsio omninò mihi nō placet, nam generatio, & illuminatio sunt mutationes distinctæ à motu locali, & ab alteratione, vt notum est: debent ergo habere aliquam mensuram. Cùm enim dicuntur esse termini, non sic sunt termini, vt faciant vnum motum per se: sunt enim termini extrinseci: vnde latio cum illuminatione nunquam constituit vnicam per se speciem: præterea, quia dicimus generationes, & mutationes rerum temporaneas esse: fatendum ergo est in tempore esse.

Solutio authoris.

Ob id dicerem, quòd esse in tempore dupliciter cōtingit. Vno modo propriè, & adæquatè, & sic sunt illa, quæ successionem habent cùm tempore diuisibilem. Altero modo, velut inadæquatè, & talia sunt, quæ sunt in nunc temporis indiuisibile.

Nec existimes, quòd esse in nunc temporis est tantùm habere totum suum esse in vno nunc; hoc enim non sufficit, sed simul in nunc habere esse, & cum ipso nunc recedere: & sic istæ mutationes dicuntur esse in tempore, cùm in nunc tēporis sint.

Ad 3. ex Alberto.

Ad tertium Alber.tracta.3.ca.10. dicit substantias quantum ad esse physicū esse in tempore; Vocat esse physicum substantiam cum sensibilibus qualitatibus dispositam, puta, formam in materia sensibili; at non est vtcunque cum tempore, cùm sit permanens talis substātia; sed est nunc temporis, prout aliter, & aliter se habet in tempore; nam tales substantiæ aliter, & aliter se habent, cùm variabiles sint; at secundum essentiam, & definitionem suam non subdunt tempori.

S. Thom.

S. Thom. 1.p. q.10. art.5. dicit esse rerum corruptibilium, esse in tempore: cuius mentem, vt intelligas, considerare oportet, quòd in tempore esse, dupliciter contingit, loquendo non de nunc, sed de ipso tempore. Vno modo per se primò, & hoc est, quòd secundum se à tempore mensuratur, nec aliud esse potest, quàm motus, qui successiuus est. Altero modo, secundariò, & per aliud, & hoc est id, quod motui, & mutatiōi in se subditur, qualis est substantia corruptibilis: vnde in tempore quidem absolutè est, nec alia est ipsius mensura quærenda, sed non immediatè subditur tempori, nisi per actiones, & mutationes suas: dico mutationes suas, quia substantia cæli nō est in tempore, quamuis ipsius motus in tempore sit, quia non habet mutationem, nec alterationem aliquam circa suum esse.

Dupliciter aliqd est in tpe.

Ad vltimum dico, quòd Deus coexistit tēpori: similiter & Angeli, quia sunt quando tempus est, non tamen sunt in tempore, cùm in se successionem non habeant: præsertim Deus, qui nec in suo esse, nec in suis operationibus habet successionem in se.

Ad vlt.

Quòd si illi tribuimus differentias tēporis, id est, secundum modum nostrum intelligendi: & per tales differentias nō successionem, sed durationem volumus solùm significare, ipse tamen in æternitate indiuisibili est totus.

Angeli verò in Aeuo: Aeuum enim est mensura, qua mensurantur incorruptibilia, quæ tamen habent operationes successiuas, sicut Angeli, & cæli; reliqua sunt in tempore, vt dictum est.

Dignum autem consideratione. Tex. CXXX.

Proponit Arist. circa rationes tēporis duo dubia.

POstquam de tempore dixit, aliquot circa ipsum proponit dubitationes, quibus magis, quæ dicta sunt, explicātur. Est primum dubium, Cur tempus di-

pus dicatur esse vbique, puta in terra, in mari, & omni in loco. Alterum dubium est. An tempus sit extra animam ita, vt ipsius essentia nō depēdeat ab intellectu.

Ad primū, quō tēpus sit vbique.

Ad primum respondet, quòd cùm tēpus sit passio motus, ac motus sit vbiq; consequenter tempus vbique dicetur esse: in quocunque enim loco aliquis motus reperitur.

Vtrum autem cùm non sit anima. Tex. CXXXI.

Ad 2. dubium quō tēpus pendeat ab anima.

SEcundam soluit dubitationem, & rationem hanc facit. Si non est possibile esse, quod numeret, vel numerare possit, nec erit numerus, nec numerabile: at tempus numerus quidam est: ergo si nullum sit possibile numerans, nec tempus erit. Cùm autem intellectus, & anima rationalis sit id, cuius est numerare, si non sit vllus intellectus, non erit tempus, nisi quantum ad id, quod est, id est, nisi ratione motus, & durationis materialis.

Imò addit, quòd si non esset anima, nec esset motus, si motus sit ab anima, quod dicit propter Platon. qui existimabat motum cæli esse ab ipsa anima eius: tunc autem remota anima, remoueretur motus cæli, quo ablato reliqui auferentur. Vide igitur, quomodo tempus absq; intellectu non est numerabile.

An tempus sit ens rationis, vel reale. *Quæstio XVI.*

1. Sententia Auerr. absurda.

SEnsus quæstionis est, an ita tēpus dependeat ab intellectu, q̄ non sit, nisi existente intellectu. Circa quam difficultatem, quæ digna est contemplatione, Auer.cō. 131. dicit in motu esse duo. Vnum formale, & id numerus est. Alterum materiale, & id motus est. Ratione materialis tempus ab anima nō depēdet; at ratione formalis dependet; vnde est mediū ens, inter rationis, & reale, cùm partim in intellectu consistat, partim in rebus. hoc sequitur Iandu.q.27.

1. Ratio Auerr.

Ratio pro hac sententia duplex est. Altera est, quia tempus formaliter in numerato esse consistit: at hoc non cōsistit absque intellectu numerante: ergo tempus formaliter ab anima dependet.

2. Ratio.

Altera est, tempus, nec secūdum totum, nec secūdum partem existit vnquā, quod enim in re est, indiuisibile est: at aliqua pars diuisibilis, aut totum, non est, nisi per intellectum appræhendentē: ergo tempus ab anima dependet.

Reijcitur sententia Auerr.

At ista sententia est absque dubio intollerabilis, & est commētum quoddam nullum habens fundamentum, quàm meritò repræhendit Alber.cap.3. & 10. & in primis sunt rationes apertæ contra ipsam.

1. Rō contra Auer.

Prima, si tempus formaliter est ens rationis, ergo est in specie entis rationis; nam à forma sumitur species, & penes ipsum formale iudicium de re sumitur, cuius generis, & speciei sit: ergo non pertinet ad vllum prædicamentum, nec ad quantitatem: nam prædicamenta entia realia sunt formaliter.

2. Rō contra Auer.

Secundò. Si tempus formaliter est ens rationis, cessante in intellectu ipsius operatione actuali, non erit actu tempus, sed potentia, ita concedit Iandu. sed re vera, falsissimum est: In primis, quia tunc essēt motus locales, & aliorum generum: haberent ergo actu mensuram. Quis enim patitur audire, quòd motus elementorū non fierent in tempore actu, quod perinde est ac dicere, quòd non fierent in tempore, nisi quis sit actu compræhendens tempus? quod asserere indignum est philosopho: est enim tempus mensura physica, realis, sicut motus: sunt enim vtraq; passiones entis naturalis.

3. contra Auer.

Præterea, ergo si res est numerabilis ab intellectu, ergo aliquid est in rebus, ratione cuius sit numerabilis: sicut si paries est visibilis, aliquid est in ipso, ratione cuius sit visibilis: hoc autem, cùm sit reale, non destruetur, destructa potentia, vt quamuis visus destruatur, nō destruetur color, sed etiam in se: & ex se manet visibilis: non ergo destruetur destructo etiā intellectu id, ratiōe cuius motus numerabilis est: id autem tempus est: Nam tempus non est numerus numerans in anima, sed numeratus in rebus, puta, in motu: & hæc est ratio Alber.

4. contra Auer.

Præterea, quartò ex Arist. in prędicā. ad aliquid. Destructo sensu, & scientia, nō destrui-

destruitur scibile, nec sensibile: sed sic se habet id, quod est numerabile ad animã numerantem, sicut sensibile ad sensum, & scibile ad scientiam: ergo numerante ablato, non auferetur numerabile: Nec sat est dicere, quòd iam non erit numerabile; hoc tamen non aufert, quin sit id, quod est numerabile, & ratione cuius erat numerabile; vnde rectè dicit Simplic. digiti quinque essent, etiam si nullus vnquam numeraretur.

Quinta contra Auerr. Præterea quintò. Secluso, & semoto quocunq; intellectu, in motu est prius, & posterius, & ratio vtriusque nõ est eadẽ; ergo est tempus, secluso intellectu.

Sexta cõtra Auer. Sextò circa primam rationem oppositæ opinionis arguitur. Nam ex illa probatur, quòd omnis numerus est ens rationis, cùm numerabile sit, quòd si ens rationis est, iam discreta quantitas nõ est genus reale, quod est absurdissimum.

Septima contra Auer. Præterea, septimò circa alterã rationem. Nam ex illa etiam probatur motũ esse per intellectum, cùm nulla ipsius pars cõsistat, nisi tota simul per intellectum. Quis autem audebit motum, qui passio est potissima entis naturalis, & via est in formam realem, cõcedere ipsum esse ens rationis?

Sententia D.Tho. & Alber. & Simpl. Igitur dicamus nos cũ Alber. & S. Th. opuscu. de tempore, c.1. & in præsenti; q̃ tempus formaliter est ens reale, & hoc etiam egregiè fatetur Simpl.

Primum fundam. In cuius declarationem aduertendũ primò, cũ Simpl. q̃ in tẽpore duo cõsideramus. Vnũ, q̃ ipsius est essentia, & hoc est duratio quędam partium motus prioris, & posterioris. Alterum est, velut quædam passio, puta, numerabilitas quædã, & mensurabilitas partium. Essentia quidem tẽporis absoluta est, & ablato quouis intellectu, maneret: at passio respectiua est, & ad numerãtem refertur. Sed hoc duobus modis. Vel actu, vt cùm res numerata est, & mensurata: & tunc requiritur alterum terminum, & correlatiuũ numerantem, & mensurãtem: & ita ablato eo, aufertur esse numeratũ actu. Altero modo in potentia, est passio, id est, mensurabilitas ipsa, & numerabilitas, & hæc refertur ad numerum mensurantẽ in potentia, vt scibile ad scientiam. Quare, ablato eo actu mensurante, non auferetur rei mensurabilitas; ablata tamen potentia eius, si non esset possibilis numerus numerans, nec possibilis mensura mensurans, tunc nec esset potentia mensurabile, aut numerabile.

Aliud mẽ surans, & mensurãtum actu, aliud mẽ surabile potentia. Mensurabile, & numerabile, tum potẽtia, tũ aptitudine, seu nõ rẽpugnãtia.

Sed tamen adhuc esse mensurabile, & numerabile, bifariam intelligi possunt. Aut vt dicant potentiam physicã ad hoc, vt possint mensurari, & numerari, & hęc potentia si non esset possibilis potẽtia actiua, quæ posset mensurare, & numerare, absque dubio nulla esset passiua. Aut dicunt solam aptitudinem, vel non repugnantiam, & hæc aptitudo esset etiam, si nullus posset mensurare, vt cęlum est diuisibile, etiamsi nulla sit potentia naturalis, quæ illud diuidat: & species Solis est ex se apta; vt sit in plurib⁹ indiuiduis, nec repugnat ei ex se, etiam si per nullam causam naturalem id fieri possit.

Igitur potentia actiua ablata, aufertur potẽtia & passio numerabilitatis, & hoc est, quod hic dicit Aristoteles: licẽt ex se, & in se talis esset res, & eius essentia non potentiam habens, sed aptitudinem, ad id tantum, & non repugnantiam.

Et hæc doctrina benè consonat cũ his, quæ diximus aliàs. Quãtitatis enim natura in quadam formali ratione extensionis, aut discontinuationis partiũ consistit, passio est mensurabilitas, aut numerabilitas.

Secundũ fundam. ex D. Th. Aduertendum secundò cum S. Th. in præsenti textu, qui optimè notauit, quòd ista numerabilitas, aut mensurabilitas non dependet ab intellectu creato: hic enim non est rerum causa: sed ab intellectu primo, qui omnium est causa: Vnde quantumcunq; nullus esset homo, nullus intellectus creatus, adhuc res numerabiles, adhuc mensurabiles essent respectu diuini intellectus. Vnde antiqui numeros non dependentes à nobis, sed rerũ causas ponebant.

Nota. Quòd si Aristo. dicit, quòd si nulla esset anima, id est, si nulla esse posset, nullⁿ esset numerus, vt numerabilis, procedit ex suppositiõe, scilicet, quòd sola ipsa sit, quæ numeret, quidquid per animam nõ nostram solam intelligit, sed omnem intellectum lato sumpto vocabulo, vt patuit, cùm dixit, quòd etiam motus auferetur, anima ablata.

Nota.

Aduer-

Fũdamẽtum ex S. Th. & Al. Aduertendum tertiò, quòd tempus quantum ad suam totalitatem, vt contra suas partes distinguitur à nobis in dies, & annos, & omnes eas concipimus, non est nisi per intellectum, quia in re non habet partes has simul: si quas tales simul habet, id est, per intellectum apprehendẽtem aliquod tempus simul totum, vt diẽ, horam aut annum, non tamen hoc facit ipsum esse ens rationis: habet enim existentiam realem, quæ cum successiua sit non est sicut aliarum permanentium, vt habet omnes partes simul, sed per instãs, vel per aliquod indiuisibile sui. Et hoc fundamentum est ex Alber. cap. 10. & ex S. Thom. in præsenti.

In hocali quot ex discip. S. Tho. malè ipsum intelligunt. In quo aliquot discipuli eius, nescio an ipsius mentem perceperint: putant enim falso ipsum dicere esse ens rationis, cùm tamen id non dicat: dicit enim realiter existere, sed non habere totalitatem aliquam, scilicet respectu partium sic apprehensarum simul existentium, nisi per intellectum, & hoc quidem etiam de motu, & de quocunq; successiuo est verum, non tamen ob id colliges esse ens rationis: & hæc sentio de ista difficultate.

Ad argũ. Argumenta autem in oppositum ex dictis manẽt soluta: primum enim ex primo fundamento, secundum ex tertio soluuntur.

Dubitauerit autem aliquis.
Tex CXXXII.

3. dubium cuius motus sit numerus ipse tempus. Tertiam ponit dubitationem. Cùm enim tempus numerus motus sit, dubium est, cuius motus sit numerus. Sunt enim motus plures, puta, Alteratio, Augmentatio, Latio, Generatio: Respondet, quòd est numerus vniuscuiusq; quatenus motus est, non vt alteratio est, non vt augmentatio, aut latio: sed vt motus in communi, & simpliciter.

At ne quis putaret tempus esse numerum duorum motuum, id excludit, dicens, quòd est numerus vnius motus continui, sed cuiusque, puta, aut lationis, aut cuiusuis alterius: ita exponit Philop. & alij.

Sed est nunc motum esse, & aliud.

Quæstio. XVI.

4. dubiũ sit vnũ tẽpus. Quartam ponit dubitationem consequentem ex præcedenti. Si enim tempus est numerus cuiusuis motus, cùm sint diuersa mota, seu mobilia, vnum, & aliud, erunt etiam diuersi motus; & sic singulorum motuum erunt singuli numeri: erunt ergo plura, tamen æqualia simul, puta, si plures æquales motus simul sint. Et per interrogationem dicit non esse plura tempora simul, dicẽs. Tempora quæ simul sunt, & æqualia vnum esse, & idem: at quæ simul nõ sunt, tantùm specie vnum sunt, vt duo dies, duo menses, quæ simul non sunt.

Solutio.

Exẽplum. Ponit vnum exemplum notandum, si sint plures septenarij simul, lapidum, hominum, & equorum, hi quidem materialiter differunt, tamen idem numerus formaliter sunt: Sic plura sunt tempora materialiter secundum motuum plurialitatem, vnus enim latio, alius alteratio, vnus velox, alter tardus est: at tempus idem est.

An tempus sit vnum numero.

Quæstio. XVII

Quæstio hæc diligenti indiget contemplatione. Themistius duo argumenta facit contra Aristo. quæ insoluta reliquit nobis, quæ à nobis erũt examinanda, quorum primum est contra tex. 132. vbi dicit Aristote. tempus esse numerum aliorum motuum, non solũm localis, sed alterationis, & reliquorum, sic argumentatur. Quia illi motus non habent prius, & posterius, cùm non per spacium aliquod fiant, nam Arist. à spacio sumpserat prius, & posterius motus, cùm definiuit tempus. Alterum, cùm dicit, tempus esse idem, & vnum omniũ motuum: aut loquitur de identitate specifica, aut numerica: Si specifica, iam tẽpora duo simul sunt æqualia, & duo nũc: si de numerica, vnum numero tempus, quomodo in multis potest esse motibus subiecto differentibus?

1. argum. 2. argum.

Quod si in illis non sit, quomodo tẽpus est passio, & habitus motus, vt dixit tex. 130. Hæc Themist.

1. Sẽtentia D. Thom. De vnitate autem temporis inuenio quosdam asserentes esse vnicum nume-

10, in

Alb.Auer. tēpus est v nu num.

ro, in omnibus motibus: in vno quidem, puta, primi mobilis intrinsecè, in reliqs extrinsecè, vt dictum est superius, huius sententiæ est Alber. cap. 17. est etiam San. Thom. in tex. hoc vsque in finem libri, est Auerr. etiam quidquid velit Iandu. nam in comm. 132. dicit tempus esse numerum motus cuiusuis, sed differenter, nam motus primi est numerus, & forma ipsius, aliorum numerus tantùm: ac si dixisset illius motus esse intrinsecam mensuram, aliorum extrinsecam. Cùm igitur ille sit vnus motus, erit vnum tempus, nam non habet nisi vnicum subiectum; Et in comm. 133. dicit, quòd tempus esse idem potest intelligi dupliciter. Aut quod singuli motus habeant sua tempora, quāuis dependeant à primo: Aut quòd omnia referantur ad vnicum tempus primum, & non sit aliud, & hoc secundum approbat.

2.Gre. Iā. Phil. &c.

In opposita sententia est Gregor. 2. senten. d. 2. q. 1. & Ocha, cum nominalibus, & Iandu. quæst. 22. & (quod notandum est) Simpli etiam respondens argumento Themist. cuius sententiam explanabimus posteà. Hi omnes dicunt, tempora esse plura secundum pluralitatem motuum, ita vt quilibet motus suum habeat tempus. Videtur interdum etiam Philopo. huius opinionis, quamquam variè loquitur, vt patet, in Tex. 99. & 134. Aliqui autem Græci, vt Alex. Eudemus, & Iambicus in hac quæstione explicanda apertè videntur confugere ad decreta Platonis de Ideis.

1. Proba. à testimonio Arist.

Sed quia est à nobis partim sustinendum esse tempora plura, in motibus pluribus, probo id ex Aristot. & ratione. Ex Aristot. quidem primùm, text. 130. dicit tempus vbique esse, quia vbique motus reperitur, cuius passio, & habitus est tempus. Ex hoc collige, si tempus vnum est, non potest inesse pluribus motibus differentibus, quia id implicat, si non inest ipsis, non ergo erit, vbi motus sunt: nec dicitur ipsorum habitus, habitus enim inest.

Obiectio.

Quòd si dicas: sat est, quòd mensuret omnes motus, licet non sit in ipsis.

Solutio.

Hoc nil valet, nam non sufficit id, vt dicatur esse, vbi motus est, non enim mensura, puta, vlna, vbique dicetur esse, nec habitus dicetur propter mensurata extrinseca, quæ vbique sunt.

2. à testi. Aristot.

Præterea tex. 132. dicit tempus esse numerum cuiusuis motus. Quæro, An sit numerus numeratus, an numerans, Numerans non est, vt dicit Aristot, si numeratus; ergo non est distinctus, nec separatus ab ipsis motibus: debet ergo plurificari cum motibus: nam vnum numero impossibile est esse inhæsiuè in pluribus.

3. à testim Aristot.

Præterea, eodem text. vt dicebamus, dicit, quòd sicut plures septenarij vnus numerus dicuntur, ita est idem tempus: sed illa est identitas, & vnitas specifica cum pluralitate numerica: ergo talis erit vnitas tempus, alias exemplum esset ineptissimum.

1. ratio. p. eadē sent.

Sed ad rationes deueniamus. Sit primum argumentum. Vnusquisque motus habet suum prius, & suum posterius distinctum ab alijs: ergo & suum tempus. Consequentia est nota: Nam ex priori, & posteriori fit tempus. Atecedens est certissimum. Nam sicut sunt diuersa spacia, per quæ fit motus: ita diuersa erunt priora, & posteriora.

2. Ratio.

Secundò. Tempus consequitur motum, vt motus est, siue ille sit motus primi corporis, vel alterius. Hoc enim per accidens est: ergo vbicunque motus est, ibi suum proprium est tempus. Et hoc argumentum profectò conuincit. Quis enim potest intelligere, quòd motus primi mobilis, habeat tempus in se, & non motus aliorum orbium, cū si per aliquam potentiam auferretur illud primum, adhuc maneret tempus:

3. Ratio

Tertiò argumentor cum Aug. 11. confess. ca. 23. in illo prælio Iosue cessauit motus cæli per horas tres. Vbi videmus tēpus fuisse absque motu cæli. Per hoc autem cognoscimus hanc veritatem physicam motum illum non solùm habere in se tempus, sed etiam alios.

1. Conclu. Duplex est tēpus primum principale: alterū secūdariū.

Ob id existimo esse dicendum primò, quòd duplex est tempus. Vnum primum, & principale: alterum secundarium: Tempus primum est, quod aliorum est causa, & ipsa antecedit, quale est tempus cæli: fundatur enim in motu, qui omnium aliorum est causa, & tale vnum est, nec plura esse possunt, & de hoc negat

'nū tēp ri tēpus cimū, at secundarij plura. Nota.

gat Aristoteles duo æqualia esse simul.

Secundarium tempus est extrinseca duratio cuiusl bet motus, & hoc purificatur, & multiplicatur secundum multitudinem motuum, vt probatum est.

Et proculdubio S. Tho. & alij dicentes esse vnicum numero tempus, loquuntur de hoc primo & principali, & extrinseca mensura & communi omnium aliorum, quòd sit vniuersalissimum, & communissimum. Et sic est D. Thomas defendendus, & interpretandus: sic etiam viri plerique doctissimi, ex eius discipulis interpretantur.

2. conclu. Non vtimur tēpore secundario ad mensurandum.

Secundò annotandum, quòd quamuis ista tempora sint in ipsis motibus, tamen non vtimur illis ad ipsos mensurādos motus, sed tempore cælesti, & hoc, quia non sunt nota & manifesta. Scias enim quòd tempus nisi coniungatur cum aliquo sensibili, notū non est, vndè prouenit, quòd tempora aliorum motuum tunc discernimus, cum aliqua qualitate ex illo afficimur puta, quia mouentes defessi sumus, vel quid simile: At tempus cęli est notissimum propter lumen, quo fiūt dies, & noctes: ob id tali motu vtimur, p mensura mensurata, & mensurante motuum omnium aliorum eo modo, quem q. 4. explicui: ac ob id vnum esse tempus fatentur omnes, videlicet commune, & vniuersale, omnium mensura. tamen hoc non auferet, quin multa sint particularia tempora, hoc est particulares, & propriæ durationes singulorū motuum propriæ.

3. conclus. Tēpore primi cęli vtimur, p mēsura, p- ptet quatuor rationes.

Dicendum tertiò, quòd isto tempore cæli vtimur loco vtriusq; mensuræ, propter quatuor. Et quia notissimum est omnium, & quia maximè est vniforme, & regulare, & quia perpetuum est, & ita cōtinet sub se quodcunq; aliud, & quia cōmune est omnibus, nam assistit cuicunq; alij motui, & tempori. Mensura autē debet esse communis omnibus mensuratis, ac reliquas habere conditiones. Ob id ne mireris, si Aristot. tempus motui cæli tribuat, cùm illud sit mensura communis omnium motuum, quam communē mēsuram Physicus indagat, & contemplatur, & ob has etiam causas hoc solū vocari solet tēpus per antonomasiam: aliæ verò particulares durationes singulorū motuum propriæ non ita dicuntur quidem durationes, sed non tēpora absolutè nec simpliciter: & obserua istam doctrinam.

Ad argū. Themist.

Iuxta quam possumus respondere, ad argumenta Themist. nam alij non habēt aliud agumentum, quam doctrinam Aristot. sed iam ostendimus secundum Arist. mentē plura etiam particularia tempora esse, vnū tamen omnium primum.

Ad primū

Ad primum Themi. (licet non sit ad rem præsentem admodū,) dicitur, quòd in alijs motibus etiam est prius, & posterius, non penes spacium, sed penès latitudinem formæ. Vt diximus enim in præcedentibus, forma secundum quam est alteratio, & augmentatio gradus, & partes habet, aut intensionis, aut extensionis: at Aristot. explicuit de motu locali, quia id erat euidentius, vt dicit Simpli.

Generatio verò, & corruptio non habent prius, & posterius, quia substantia in instanti producitur: at Aristot. numerauit inter motus hosce. quia non est solicitus modò determinare, an sit instantanea, nec ne.

Ad 2.

Ad secundum dico, quòd tempus dicitur vnum numero, si primum est, dicitur autem absolutè vnum specie, sicut plures septenarij vnus sunt numerus, vt docet ipse Arist. & apparebit hoc in sequenti expositione. Et duo tempora prima numero simul non sunt, aut duo alia tempora, quæ non sint idem specie tempus.

Quoniam autem est latio. Tex. CXXXIII.

Tēpus esse mēsurā aliorū motuum.

VVlt ostendere, quòd tempus sit aliorum mensura, & supponit esse lationem, id est, motum localem, & huius vnam speciem esse circularem.

1. Supositū Secūdum.

Supponit secundò, quòd vnumquodque aliquo sui generis numeratur, & mēsuratur, vt decem homines vno homine, decem lapides vno lapide, decem vnitates vna vnitate.

Tertium.

Supponit tertiò, q tēpus mēsurat motū, & ipsum tēpus, & etiā motus mēsurat aliquādo tēpus, sed motus, qui tēpore iā determinatus est, sicut pānus mēsuratus vlna mensurat reliquū pannum. Dicit autem, quòd tēpus finitum mēsurat tēpus, id est, quædam pars certa temporis sumitur ad mensurandum totum tempus.

Ex his

Ratio.

Ex his cõcludit circularem cæli diurnam esse mensuram mensurantem, quia est primus, & maximè regularis, & ipsius tempus notissimum est, vt diximus quęstione præcedenti. Reliqui motus, & ipsorum tempora non sunt primò mensuræ, quia difformes, & irregulares sunt, cùm non habeãt continuitatem tantã, quantam cæli latio.

Quapropter, & videtur tempus esse.

Excusatio antiquorũ

EXcusat modò Antiquos circa naturam temporis, dicens, quòd ob id illi cæli circularem motum, existimabant tempus, cum illo mensuremus motum, & tempus: at re vera non est ille, sed illius numerus tempus.

Quõ sit verũ, oẽs res humanas esse in circulo, & in rota.

Declarat etiam dictum commune vulgi. Dicitur enim, res humanas esse in circulo, & in rota, ac etiam reliquas omnes res naturales. Et quodammodo benè dicunt: nam circulatio est mensura omniũ horum durationis, ob id finem, ac principium videntur habere simul, quod est in circulatione. Nec aliùd est dicere esse in circulo, quàm mensurari circulatione: hæc enim mensura est.

Imò & totum tempus circulatio est; nam sicut totum non est aliud, quã multæ mensurę simul sumptæ, vt multæ vlnę pannie st totus pannus, ita multæ circulationes tempus: loquitur autem de tempore omnium primo, & notissimo.

Dicitur autem rectè. Tex. CXXXIV.

Nota.

REgreditur ad explicandum id, q̃ superius dixit, plures septenarios esse eundem numerum; ac ponit documentum. Cùm aliqua conueniunt in aliquo ita, vt per illius differentias differant, non dicuntur idem in illo. Verbi gratia, Scalenus, & Isocheles non sunt idem triangulus, quia differunt per trianguli differentias; dicuntur tamen eadem figura, quia non differunt differentia figurę, imò sub vna illius differentia continentur.

Simile cur dicatur vnũ tẽpus.

Circulus, & triangulus non dicentur eadem figura, quia sub diuersis figuræ differentijs sunt: Sicut homo, & equus non dicentur idem animal.

At cùm non differunt differentia illius, sunt idem in illo, vt Scalenus, & Isocheles eadem figura: ita septenarius hominum, & leonum, non sunt idem septenarius, sunt tamen idem numerus.

Nota.

Ex hac doctrina vult Simpli. quòd intendat docere diuersa priora, & posteriora motuum dici idem tempus, nam tempus numerus est, & diuersa priora, & posteriora sunt sicut diuersi binarij, vnitas ergo temporis specifica est. Mihi itaq; hæc præ cæteris placet expositio Simplic.

Hæc de tempore, & de lib. 4.

FINIS LIBRI QVARTI.

IN QVINTVM LIBRVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

Mutatur autem omne, quod mutatur. Tex. I.

Intentio Arist.

QVID Aristot. intendat in hoc libro quinto, omnes vnanimes explicãt, puta, species motuum: ita dicunt Simplicius, S. Thomas, Auerroes, Albertus: cùm enim de his, quę motum in communi sequuntur, dixisset, puta, Loco, Tempore, Infinito, nunc de ipsius essentiali diuisione tractat. Ista autem intensio non est sic pręcisè intelligẽda, vt existimetur solùm de speciebus motus tractare, sed simul agit de contrarietate, vnitate, & alijs, quæ species motus sequuntur.

At quia species motus sumuntur ex motibus per se, nõ autem ex motibus per accidẽs: separat primò ea, quæ per se mouentur, à mobilibus incipiens, vt à clarioribus, vt dicit Auer.

Tex expositio. Primum Theorema, de triplici mobiliũ differentia. 1. 2.

Statuit igitur in hoc textu vnũ Theorema, in quo continetur trimembris diuisio mobilium. Quædam enim mouentur per accidens, nempè, quę ob id dicuntur moueri, quia sunt accidentia ei, quod mouetur per se, vt album currit per accidẽs, quia accidit, quòd equus currens sit albo: quo pacto motus rei potest attribui omnibus accidentibus illius rei in concreto,

Secundò. Quædam mouentur secundum partem, vt cum oculus sanatur, aut manus, aut pectus, absolutè dicitur, homo sanatur.

Nota differẽtiam inter ea, q̃ mouentur per accidens & per partẽ.

Nota verò differentiã inter hos duos modos, nam quod mouetur per partem, sic mouetur, vt eius pars verè per se moueatur; oculus enim per se sanatur, & caput. At id, ratione cuius mouetur per accidens, non per se mouetur: non enim albedini inest cursus per se, & ista est differentia, & non illa, quam dat Auer. quòd pars potest separata moueri, non autem accidens. Hoc enim licet aliquando sit verum, tamen sæpè partes non mouentur motu, quem habebant in toto, cum separatæ sunt: non enim oculus abstractus sanabitur.

3.

Tertiò. Quædam secundum se ipsa mouentur, vt ignis sursum mouetur, & animal secundum se ipsum augetur. Ista autem, quæ sic mouentur, distinguũtur secundum diuersitatem motuum. Nã quædam alterabilia secundum qualitatem, quædam secundum quantitatem augmẽtabilia: & iterum in his singulis sunt variæ species mobilium, secundum species motuum. Est enim in alterabili calefactibile, condensabile, rarefactibile, & alia huiusmodi. Similiter in augmentatione, in motu locali, & alijs, vt magis declarabimus in sequentibus.

Est autem, & in mouente similiter. Tex. II.

2. Theorema, de triplici mouentium differentia.

SEcundum constituit Theorema, in quo eandem prorsus distinctionẽ ponit in mouente, quam posuit in mobili, putà: Quędam mouent per accidens, vt quæ accidunt mouenti per se, vt albũ ædificat: Quædam per partem, vt homo percutit, quia manus percutit: Quædam per se primò, vt ipsa manus percutit, ignis calefacit, medicus sanat: & est satis nota distinctio.

Quoniam autem est quidem aliquid. Tex. III.

Quinque in quouis motu reperiuntur qui mouet, & mouetur tẽpus, & terminus à quo & ad quem.

TErtium constituit Theorema, vno tamen præsupposito. Scilicet; in motu quolibet esse quinq; Quod mouet, quod mouetur, terminus à quo mouetur, & in quem mouetur. Vt cum lignum ex calido fit frigidum ab aqua: vbi ista quinque inueniuntur. Aqua est

quod mouet: lignum, quod mouetur: frigidum, terminus ad quem, quia in ipso terminatur motus: calidum, terminus à quo: est etiam certum tempus, quo id fit. Ita etiam inuenitur in alijs motibus.

3. Theorema, motũ esse in eo in quo est.

Est igitur Theorema. Motus est solum in eo, quod mouetur: non autem in termino ad quem, hunc autem vocat, Formam, Locum, Tãtum. Per formam, substãtialem, & qualitatiuam: pro motu, generationis, & alterationis intelligit, vt notat Auerr. per locum, & per tantum, reliquos motus significat, vt dicit Simplic. nempè, localem, & augmentationem,

Sed est mouens, & quod mouetur. Tex. IIII.

TErminum non moueri dixerat, sed motum in mobili esse, ob id colligit, esse quod mouet, & quod mouetur. & in quod mouetur. Quasi dicat, esse alia, quæ mouent, & mouẽtur, diuersa à terminis ad quos.

Nota. Motus denominatiõẽ sumit à termino ad quem.

Hi autem non sunt adeò motus expertes, quin aliquid ad motum faciant: nam motus denominationem sumit à termino ad quem. Vt calefactio dicitur motus in calorem; licet procedat à frigido: & frigefactio, motus in frigiditatem, licet sit ex calido in frigidum: non enim à termino à quo denominatio est. Similiter corruptio est mutatio in non esse, quamuis enim sit ab esse, tamen quia tendit in nõ esse, corruptio dicitur: econtrà generatio à non esse in esse. Obserua igitur, cũ duo termini in motu sint diuersi, à termino ad quem motus denominatio sumitur.

Quid igitur motus sit, dictũ est. Tex. V.

Termini motus sũt immobiles.

MOtus definitionem se tradidisse docet, ac terminos non moueri dicit, quasi illis non insit motus definitio. Sunt enim accidẽtia per se, immobilia, vt scientia, albedo, & reliqua: esse autem formas immobiles per se, Metaphysici est ostendere, vt dicit Auerro. ob id prætermittitur probatio, sed supponitur.

Dubium.

Objicit tamen statim dubium. Nam qualitates, puta, albedo, calor, & similes, quæ dicuntur termini motus, sunt passiones, nam sunt de tertia specie qualitatis: at passio motus est: ergo motus est terminus motus, & ita est motus ipsius mutatio. quod postea ostendetur, fieri non posse.

Solutio.

Respondet ad hoc, has qualitates non dici passiones, quia motus sunt, sed tantũ quia termini motus sunt: vnde calor nõ est motus, sed calefactio, nec albedo, sed dealbatio.

Est autem, & in illis, & quod est. Tex. V.

Triplex diuisio termini quẽ, mobilis, & mouentis, & termini à quo.

TErminum ad quem, sicut & ipsum mobile, & mouens tripliciter diuidit. Nempè, in per accidens, in secundum partem, in per se: quod idem etiam in termino à quo intelligi potest. Sed dicitur per accidens, quod accidit termino per se: nam terminus per se est, in quẽ primò terminatur motus, vt in albedinem dealbatio: at quia albedo est visibilis, & intelligibilis, cũ dealbatur aliquid, dici potest, quòd est mutatum in quid intelligibile, sed per accidens.

Similiter in dealbatione, color est terminus, sed secundum partem, puta secũdum albedinem: & Europa est terminus secundum partem tendentis Athenas, quæ sunt pars Europæ: at dealbationis color albus terminus est per se.

Epilogus

Id etiam explicari potest in termino à quo, vt notum est.

Ex his epigolat ea, quę dicta sunt, nempè quòd tripliciter cõtingit moueri, & id ipsum etiam in mouente: & quod motus nõ in forma est, sed in mobili in actu: per formam autem modò intelligit, siue substantiam, siue qualitatem, locum, aut quantitatem, dicit D. Tho. quæ sunt motuum terminiad quos.

Quæ igitur secundũ accidens est mutatio. Tex. VI.

Ab Arist. reijcitur motus p accidens, & ideo de motu per se agendũ

AD mutationem per se conuertitur, omissa mutatione, & motu per accidens. Reddit autem rationem cur id fiat, dicens, quod motus secundum accidens est in omnibus, & omnium

nium, & semper. Per quę verba dat intelligere, motum per accidens ex parte terminni, & ex parte mouentis, & mobilis. Dicitur motus per accidens in omnibus, id est, in omnibus prædicamentis, vt dicit Simpl. & Alber. nam cum omnia prædicamenta in vno possint inueniri, per accidẽs moueri dici posſũt. Vt si homo currit, quantum currit, coloratum currit, filius currit, agens currit; & reliqua. Dicitur etiam, motus per accidens esse omnium, quantum ad terminum, quia omnia prædicamenta termini possunt esse p accidens. Dicitur, semper, vt vult Simpli. ac si dicat, quòd etiam res, cum non sunt, mouẽtur secundum accidens: vt corpus Petri mouetur ipso mortuo, ac ob id Petrus tunc per accidens moueri dicitur.

Est igitur sensus integer, quòd in motu per accidens, nec est determinatũ mobile, aut mouens, nec terminus, nec tempus: ob id ab arte reijciatur. Auerroes motum per partem, ob indeterminationem cum per accidens, coniungit.

At motus per se, non sic, imo inter terminos determinatos fit: est enim inter contrarios, aut contradictorios, vt ab albo in nigrum, & à non nigro in nigrum: à calido in frigidũ, & à non frigido in frigidum: à non aqua in aquam: & hoc inductione per omnes motus patet.

Dubium.

Posset quis objicere. Nam fit motus à medio, & ad medium, vt à fusco in albũ.

Solutio.

Respondet, quòd medium habet rationẽ duorum contrariorum quodam modo: relatum enim ad vnum, habet alterius rationem, vt fuscum respectu albi nigrũ est; respectu nigri, album est: & media chorda acuta dicitur respectu primæ, & grauis respectu vltimæ: ob id de medio, sicut de contrario iudicium haberi debet. Dicitur, quodammodo; nam medium non est perfectè contrarium, cum extrema in eo remissa sint, & forsan non in actu, sed in potentia; de qua postea dicetur.

Quoniam autem omnis ttansmutatio est. Tex. VII.

MVtationum numerum venatur, vt qui ex eis motus dicatur, ostendat. Ab ipso autem nomine mutationis, sumit in mutatione esse duo extrema: mutatio enim Græcè dicitur μετα βολὴ, quasi sit mutatio ex vno in aliud, & vnum post aliud; est enim vnum prius, alterũ posterius: est igitur mutatio ex vno in aliud.

Quod mutatio est, ab vno in aliud. Nota.

Quadruplex mutationis modus.

Hęc autem quadrupliciter intelligi potest, aut ex subiecto in subiectum, aut ex non subiecto in non subiectũ, aut ex non subiecto in subiectum, aut ex subiecto in non subiectum. Per subiectum autem, intelligit terminum, siue à quo, siue ad quem affirmatum, & positiuum, vt cum dicitur ab albo in nigrum; vterque terminus est subiectum. Per non subiectum, intelligit terminum negatum, vt non album, non ignis.

Tres esse p se mutationes.

Ex his igitur quatuor cõbinationibus tres dicit esse mutatiões. Illa autem, quæ est à non subiecto in non subiectum, non est per se mutatio: nam tales termini, nec contrariè, nec contradictoriè opponũtur, cum vterq; sit negatus: reliquę tres sunt, vt ordine declarabuntur.

Quæ igitur ex non subiecto est.

Quæ mutatio sit gñatio, & corruptio & quotuplex.

MVtationes duas, quæ inter terminos contradictorios fiunt, distinguit, dicens, quod illa quæ à non subiecto in subiectum est, generatio dicitur: quæ verò econtra, à subiecto in non subiectum, corruptio: differunt enim, terminis transmutatis.

Vtraq; autem est duplex, simpliciter & secũdum quid. Simplex generatio, aut, corruptio est, quæ est substantię alicuius, quæ verò accidentis, secundum quid est: Vt generatio albi ex non albo, secundum quid est: hominis verò ex non homine simpliciter: ita in corruptione. Et textus clarus est.

Si igitur id, quod non est. Tex. VIII.

INter has adhuc tres mutationes, nec generationem, nec corruptionem motum esse contendit. Facit autem rationem hanc priorem de generatione. Quod non est, non potest moueri: quod generatur non est: ergo quod generatur non potest moueri: generatio ergo non est motus.

Sumit autem tanquàm notum, quod non est, moueri non posse: distinguit tamen de quo non ente loquatur.

Triplex non ens.

Triplex enim est nō ens. Vnum, quod in compositione, vel diuisione intellectus consistit tantùm, qualia fictitia, & falsa, vt dicit Albertus, & hæc nullo modo mouentur. Alterum, non ens simpliciter, puta substātia in potentia, quæ opponitur actui simpliciter, vt ignis potentia, Leo potentia; & hoc est, quod non potest moueri, cum esse non habeat. Tertium est, non ens secundū quid: vt quod non est album, quod non est sanum, & tale non ens, cum sit ens aliquod simpliciter, moueri potest. At quia posset dicere, nōnne materia est, & ipsa generatur; igitur generatio motus est: Hoc reijcit, dicens, quòd quamuis maximè accidat esse generationem per accidens, id est, quātuis id, quod generatur per accidens, puta, materia, sit tamen id, quod simpliciter generatur, nempè, compositum non est: vnde respectu ipsius, generatio non est motus.

Expositio Auerr. reijcitur.

Vbi aduertendum. quòd Auerro. cum alijs rationem Aristotelis ita intellexerunt, vt velit dicere, generationem non esse motum, quia materia, quæ ipsius est subiectum, est non ens; quod autem non est, non habet motum. Sed mihi hoc non placet, quia diceret aduersarius, quod materia est, & est substantia, licet autem non ita perfecta, quæ tamen sufficeret moueri tali motu. Nec video, quomodo qui hoc diceret, impugnari posset: vnde enim habet, quòd ad quemcūque motum oporteat esse ens actu perfecto, cum tamen motus sit actus entis in potentia;

Vera expositio.

Ob id dico, quòd Aristoteles, per quod non est, non materiam, sed compositum, quod generari dicitur, intelligit; & tunc sensus est certissimus, & vetus, cum illud non sit, dum generatur, non potest moueri.

Nota. Generatio respectu materię est motus, respectu cōpositi nō est motus, sed mutatio.

Vnde patet, quòd si generatio ad materiam referatur, ipsius motus est: ac si ad compositum. quod propriè, & per se generatur, non motus, sed mutatio est.

Est enim hoc discrimen, quod notauimus in libro primo, inter alios motus, & generationem. Nam motus alij suum subiectum simpliciter denomināt: est enim homo, qui albescit, & aqua, quæ calescit. At generatio terminum per se nominat: homo enim, non materia, per se generatur. Et hoc est, quod hic docet Aristot. Id quod per se generatur, non moueri, nec ipsius respectu, generatio est motus: at si ad materiam referatur, negari nō potest, motum esse, cum sit passio quædam, & propria, ac vera.

Similiter autem, & in quiescente.

Quod generatio non sit quies.

OStendit etiam, quòd nec generatio est quies. Nam quod non est, quiesceret. Et denique absurda, quæ sequūtur ad hoc, quòd non ens moueatur, sequuntur etiam, ad hoc, quòd nō ens quiescat. Statim adhibet posteriorem rationem ad ostendendum, quod non est, non moueri, quia non est in loco, cum non sit in aliquo loco. Cum igitur generatur, non sit, non erit in loco, & sic non mouebitur.

Quod corruptio non sit motus, nec quies.

Quòd verò corruptio non sit motus, probat. Quia si corruptio motus est, generatio ei contraria motus esset, aut quies opponitur. At generatio nec est motus, vel quies: ergo nec corruptio.

An generatio sit motus. Quæst. I.

Argum. q̄ nō sit motus. Primum.

SEnsus quæstionis manifestus est. Videtur autem multis, generationem non esse motum. Primò: quia ita videtur docere Aristoteles in præsenti textu.

Secundū.

Præterea: quia motus est successiuus: at generatio est in instanti: non ergo motus est.

Tertium.

Præterà: Motus est inter contraria: at generatio est inter contradictoria: non ergo videtur generatio motus. Idem de corruptione.

Argum. q̄ sit motus. Primum.

In oppositum tamen facit, quia videtur actus entis in potentia, vt est in potentia: est enim actus materiæ existentia in potentia.

Solutio.

Nec valet glossa Simpli. quòd per ens in potentia intelligitur compositū, quod est in potentia. Hoc enim fictum est, cum Aristoteles dicat, ens in potentia, sub quo etiam materia compræhenditur.

Confutatio. Solutio.

Præ-

Secundū.

Præterea, quia potentia materiæ est vera potentia transmutabilis; ergo actus eius, vt talis est, motus est.

Primum fundam.

Pro resolutione huius difficultatis, notandum est, motum duobus modis accipi posse. Aut lato vocabulo, quo pacto definiuit Aristot. motum actum entis in potentia. Aut strictè, & propriè vt tex. superiori 8. quo reijcit generationē, & corruptionem à motu, per motum intelligens, quo moueri res dicitur, scilicet successiuè, quia spacium, vel forma, quæ acquiritur, habet latitudinem.

1. Conclu.

His positis sit prima conclusio. Si generatio, & corruptio ad materiam comparentur, sunt ipsius motus, & actus imperfecti, quibus venit in formas, ad quas est in potentia: sicut subiectum peruenit in accidentales formas per alios motus. At si ad id, quod generatur, aut corrumpitur, comparatur, motus non sunt, cum per eos non dicatur moueri, sed fieri id, quod generatur, vt diximus supra textū, nec successiuè, nec in instanti.

In cuius declarationem aduertendum primò, quòd de ratione motus in communi, non est successio illa temporanea, vt aliqui existimant: sunt enim veri motus in instanti perfecti, vt patet de illuminatione, secundū Aristotelem, & de coagulatione, & congelatione, quæ in instanti extenditur. Ratio motus in communi in eo tantùm consistit, quòd sit actus entis in potentia; successio verò ei aduenit, motui propriè dicto, & est ipsius quantitas consurgens ratione spacij, aut ratione extremorum, inter quæ fit. Nam cum terminis latitudinem habeant, & præterea sit resistentia, non potest transitus fieri in instanti perfectus ab vno in alterum, nisi cum in indiuisibili consistunt.

Differentia multiplex generationis ab alijs motibus. Prima.

Aduertendum præterea: Generationem differre ab alijs motibus multipliciter. Primò in subiecto. Nā generationis, & corruptionis subiectum materia prima est: hæc enim est, quæ permanet sub extrinsecis formis: at aliorum motuum subiectum compositum ipsum est.

Secunda.

Secundò, differt in terminis. Nam termini generationis, & corruptionis, contradictorij sunt: at reliqui motus sunt inter contrarios: fit enim motus ab albo in nigrum: at generatio ignis ex non igne.

Nota discrimen inter formas substantiales & accidētales.

Dices: quare hoc ita fit? Respondeo, maximè discrimen esse inter formas accidentales, & substantiales. Nam accidentales formę habent non solū repugnantia, sed determinatam repugnātiam, vt albū cum nigro, vel medio: calidum cum frigido, & similia. Hęc aūt determinata repugnātia cōsistit in hoc, quòd circa propriū subiectum, aut vna, aut altera inueniatur, nec absit vna, nisi adsit altera. At inter formas substantiales est repugnātia quędam, sed nō est determinata eò, quòd forma substantialis ex æquo cuilibet repugnat: nec circa materiam consequenter se habet, cum materia absque illis duabus, aut tribus esse possit.

Nota. 2

Ex hoc procedit vnum notatu dignū, quòd in accidentalibus formis est mutatio determinata. Cum enim in vnam tenditur, ex altera certa proceditur, vt ex albo in nigrum; & econtrà. At in substantijs hoc nō est: modo enim ignis ex aqua, modo ex aere, modo ex alio fit. Quod si in substantijs aliquando ex determinata forma proceditur, vt in viuentib. ex embrione, aut ex semine, non tamen econtra proceditur; neque est æqua vtriusque ratio.

Nota 3.

Hinc, etiam processit alterum notandum: quòd terminos in tali substantiarū mutatione sumamus penes contradictionem, & non penes formas positiuas, cum nō sit forma determinata semper, quam sumamus. At in accidentali motu, non solum per contradictionem, sed penes affirmationem terminos per se sumamus: & hæc est secunda differentia, & differentię ratio, & est notanda.

3. Differentia generationis ab alijs motibus.

Tertiò, differt generatio in mensura. Hæc enim instanti mensuratur: reliqui motus frequentius tempore, eo, quod quantitatem diuisibilem habeant. Ex his igitur patet, quid inter generationem, & reliquos motus differat, quę ob differentiam hanc dicitur ab Aristotele mutatio; at reliquos vocat motus nomine contracto, tamen in communi sumendo nomē motus, vt definitur in 3. Physicorum, motus dicitur etiam generatio, & corruptio, vt dictum est.

Ad 1.

Ad Aristotelem dico, solùm negare generationem esse motum illius, quod generatur, & motum propriè, non tamen respe-

Ad 2, respectu materiæ.

Ad secundum, negatur prorsus de ratione motus in communi esse successionem, vt diximus, sed est de ratione motus illius, cuius spaciũ, vel terminus, qui acquiritur, habet latitudinem cum resistentia, quem propriè & strictè ob id, motum vocamus.

Ad 3. Ad tertium dico, quòd motus propriè particulariter dictus, inter contraria fit, non tamẽ motus in communi sumptus: sic enim comprehendit etiam mutationem, siue inter contraria, siue inter contradictoria fiat. Sic autem sumitur in libro tertio: & sic nos generationẽ, & corruptionem dicimus motum, latè sumpto vocabulo, quia videlicet est verè actus entis in potentia.

Quoniam autem omnis motus. Tex. IX.

Quæ illarum triũ mutationum sit motus.

CONcludit ex tribus mutationibus dictis, vnam esse motum, puta, eã, quæ est à subiecto in subiectũ. Quę enim inter contradictorios terminos fiunt, mutationes dicuntur. Explicat autem, per subiecta, intelligere contraria, aut media, aut priuatiua, quæ affirmatiua significant, vt nudum, tenebrosum, mortuum, cæcum: quæ pro contrarijs reputantur.

Quotuplex sit motus.

Statim motum, qui à subiecto in subiectum fit, diuidit in tres species, in eum, qui secundum quantitatem, & eum, qui secundum qualitatem, & eum, qui secundum locum fit: quorum sufficientiam probat, diuidendo prædicamenta, & excludendo alia septem, ad quæ non est per se motus.

CAPVT II.

Secundum substantiam autem. Tex. X.

In substãtia, relatione, actione & passione non est motus.

INCIPIT à substãtia, dicẽs, non esse motũ in substãtia. Ratio est. Motus est inter cõtraria: at substantię nihil est cõtrariũ: in ipsa ergo non est motus. Similiter nec ad relationẽ; quia stat, inquit, vnũ relatiuũ acquirere relationem sine aliqua sui mutatione: vt si ego sum albus, & aliquis fit albus, acquiro absq; aliqua mei mutatione similitudinem: nõ ergo ad relationẽ motus est. Probat vlterius de actione, & passione. Si enim ista per motum acquirerentur, tunc motus ipsius esset motus, & mutationis mutatio: quod esse non posse statim probare incipit.

Dub. 1. Qũo in substantijs non sit contrietas.

Duplex tamen hic occurrit dubium. Alterum est; quomodo in substantijs nõ sit contrarietas, cùm elementa sint contraria. Præterea, vel loquitur de perfecta contrarietate, vel non. Si loquitur de perfecta, profectò, nec ad quantitatem, nec ad locum est motus; in ipsis enim nõ est perfecta contrarietas. Quòd si non loquitur, sed de oppositione quadam extremorum positiua, cùm in substantia inueniamus duas formas sic repugnantes, erit profectò motus. Sine dubio non est facile hoc soluere.

Senteatia Alexand.

Mouet dubium Simplicius, & Auerr. de eodem, & citat Alexandrum dicentẽ, elemẽta esse propriè contraria, eò, quòd existimat, qualitates esse formas substantiales elementorum. Ad Arist. aũt dicentem substantijs non esse contrarium, respondet, quòd dupliciter intelligi debet. Vno modo de substantijs compositis, & mixtis: his enim nõ inest contrariũ. Aut secundo, quòd nulla substantia est contrarium habens ratione materiæ, benè tamen ratione formæ.

Refellitur sentẽtia Alexandri. 1. 2.

Ista sententia, quamuis non sit in prẽsenti examinãda, mihi nõ placet. Primò, quia qualitates substantiam elementorũ existimat: & quod est passio, cùm forma confundit. Secundò, quia adhuc non declarat Aristo. Nam posset dici, quòd sufficit contrarietas in formis, vt fit in substantia motus; nam mutatio secundum formas fit.

Auerro. elementa contraria putat, sed ratione qualitatum. S. Tho. verò etiã ipsas formas aliquam contrarietatem habere docet, secundum quod substantiæ omnes inæqualitatem habent in perfectione substantiali.

Sed quicquid de hoc sit, non video, qd ad Aristotelem dicendum sit, quomodo in substantia non sit contrarietas, & sit in quantitate.

Auerr.

Refellitur sententia Auer.

Auer. dicit, sermonem Aristotelis esse probabilem, & posse dici, substantijs esse contrariũ. Sed hoc profectò non est rem soluere.

Dubij solutio vera. Nota.

Oportet igitur maximè perpendere, ꝙ etiam in prẽcedenti quæstione cẽpi dicere. Hic Arist. non vocare propriam contrarietatem, sed repugnãtiam duarũ formarum determinatam, quę est in qualitate, & quãtitate: nam à maiori in minorem, & econtrà determinatè proceditur, & à loco sursum in deorsum, & econtrà. At in substantijs non est ista determinata formarum repugnantia, vt diximus: ob id non fit inter contraria mutatio substãtiæ: & hoc nota.

Dub. 2. Qũo acquiratur relatio sine mutatiõe. Duplex relatiuorũ genus.

Alterum dubium est, quomodo relatio absq; mutatione acquiratur. Aduertę igitur, quod 5. Meta. c. 15. duplex relatiuorum genus ponitur ab Aristotele. Alterũ est mutuum, puta, quod ad terminum suum, & terminus ad ipsum mutua relatione reali referuntur; vt filius ad patrẽ, pater ad filium: album albo similitudine mutua refertur. Alterum est non mutuũ, quod non refertur vnum ad aliud, nisi qa hoc refertur ad ipsum: vt scibile non refertur relatione reali ad scientiam, sed ob id dicitur scibile, quia scientia refertur ad ipsum. De priori relatiuorum genere est sermo.

Circa quod notandum est, quod relatiuorum natura non solum est dependens inter se, sed etiam à fundamẽto, puta, ab alio accidenti absoluto, cum quo simul producitur, & destruitur.

Nota ex D. Thomq̃ ꝓducuntur relationes.

Notat verò S. Tho. vnũ dignum consideratione in præsenti. Quòd cùm producitur vnum fundamentum in virtute, & in radice producitur relatio: & cum insurgit alterum relatiuum, tunc consumatur relatio. V. g. cùm quis fit albus. iam in virtute, & radice fit similis: formaliter verò cum est alterum album: vnde cum aliud album fit, tunc insurgit similitudo in altero non per aliam mutationẽ, quàm illam, quæ erat ipsius fundamenti. Est enim dependens maximè relatio à fundamento.

Primum enim dupliciter contingit. Tex. XI.

Mul-

Qd ad motũ non sit motus, nec ad mutationẽ mutatio.

MVltis argumentis probare nititur, motũ non esse motus, nec mutationem mutationis. Primò tamen distinguit duplicem sensum, huius mutatiõis est mutatio, seu ipsius motus est motus. Alter est, ꝙ motus, & mutationis sit mutatio tanquã subiecti ita, vt motus dicatur moueri, sicut homo moueri dicitur, & alterari. Et hunc sensum reijcit, dicens, motum non esse corũ quæ subiecta sunt, sed potius ipse in subiecto est. Nec aliter id ꝓbare nititur, quia satis notũ est, motus non esse sic motum.

Sensus qõnis duplex, & reijcitur primus.

Aut ex eo, quòd aliquod aliud. Tex. XII.

ALterum sensum ponit. Nẽpè, quod mutationis sit mutatio, vt termini, ita vt sicut aliquod subiectum ex vna forma in aliam mutatur, puta, ex sanitate in ægritudinem, ita ex vna mutatione vniꝰ speciei in alteram formam, id est, in alterius speciei mutationem per se mutetur. Et ostendit, hoc fieri non posse, nisi per accidens. Perpendendus est sensus, nam ratio in litera est valdè obscura. Supponit itaque, quòd motus & mutatio quælibet inter duos terminos oppositos fit, differenter tamen: cõtrarios, si fuerit motus: contradictorios, si fuerit generatio, vel corruptio.

Prima rõ Arist. ꝙ ad motũ nõ sit motus, nec ad mutationem mutatio.

Facit ergò hanc rationẽ. Si ex vna mutatione in aliam mutatur aliquid, tũc ex terminis vniꝰ mutabitur in terminos alterius; vt postquam per sanatiõem mutatus est in sanitatem ex ægritudine. mutabitur ad aliam mutationẽ: sed postquam in vna mutatione mutatus est, non est opus ad aliam mutari, quia potest quiescere in ea: ergo per se nõ est mutatio ex vna mutatione in aliam.

Quasi dicat: Omnis mutatio ex suis terminis procedit per se, quibus positis, nõ est opus alia mutatiõe, alios habente terminos: quod si ponitur, id nõ est per se, vt dicemus.

Vlterius procedit. Si ab vna mutatiõe in aliam proceditur, erit hoc maximè in contrarijs mutationibus; sicut ab albo in nigrum mouetur, ita à sanatiõe in ęgrotationem: ꝙ si hoc est, vnum mouebitur motibus contrarijs. Nam per sanatiõem ab

ab ægro in sanum, per ægrotationem à sano in ægrum mouebitur, & hoc simul, quia quod mouetur, simul est sub termino à quo, & ad quem. Id autē impossibile est. Hæc est ratio Aristotelis paulò vberius explicata.

Addit tamen, quòd per accidens potest esse, quòd idem ab vna in aliam mutationē mutetur, vt si à sanatione in deābulationem mutetur, & ab obliuione in recordationem: & sic accidit vnam mutationem in aliam sæpè terminari, sed non per se.

Amplius autem in infinitum. Tex. XIII.

2. Ratio ad idem. SEcundam rationem facit ad idem, qua probat mutationem non fieri alia mutatione, nec motum alio motu: & ratio non minoris obscuritatis est in litera. Sic est componenda. Si generatio, aut motus fit per alium motum, hic etiam fiet per alium, & hic rursus per alium, cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius, eritque processus in infinitum.

Quo admisso, sequitur, quòd nullus erit motus. Et probat. Supposito, quòd res, dum fit, nondum est: tunc si res per motum fit: ergo nondum est, dum fit, sed secundum quid tantum est. Quòd si rursus motus etiam fiebat: ergo dum motus fit, non est: vlterius, si ille rursus alio motu fiebat, pariter non erit, dum fit. Sed nō datur primus motus, quo motus fiat: ergo nullus erit motus, aut mutatio. In infinito enim non datur primum.

Solutio 1a tionis. 2. Quòd si dicas, ista ratio non videtur bona: nam non datur secundum Aristo. primus homo, tamen reliqui homines dicuntur esse.

Cōfutatio Respondeo, quòd non est eadem ratio. Nam homo vnus non est subordinatus per se alteri, cùm possit absque illo consistere: at motus qui fit, est subordinatus motui, per quem actu fit, nec sine eo cōsistere potest. In his autem, quæ per se subordinata sunt, non potest esse talis processus. Nisi enim detur primum, impossibile est dare vltimum: vt si hoc lumen dependet ab illo, & hoc ab alio, & id à Sole, nisi vnū primum, non dabitur vltimū.

Amplius eiusdem est motus. Text. XIIII.

3. Ratio TErtiam facit rationem. Si motus fit motu, eadē ratione quiesceret motus, & corrumperetur motus alia corruptione. Nam cuius est vnum contrarium, est etiam alterum. Tunc si motus ipsius est corruptio, peto, vel corrumpitur, antequam sit: & hoc non. Vel postquàm est, & iam non est, & hoc non, quia quod non est, non corrumpitur. Vel cùm est: quòd si, cùm est, corrumpitur, tunc etiam generatur, quia motum esse, est motum fieri: ergo simul generatur, & simul corrumpitur, quod esse non potest: non ergo motus fit motu.

Amplius oportet materiam subesse. Tex. XV.

4. Ratio. QVartam facit rationem. Quod fit, materiam habet, vt patet. In eo, quod alteratur, est corpus, aut anima: similiter in eo, quod augetur, in alijsq;. Si ergo motus fit alio motu, oportet dare materiam, cum qua fiat, & iterū aliam pro alio motu, & aliam, quæ materiæ non sunt.

Nota. Notandum, quòd aliàs dictum est, forma non fit, sed compositum: non albedo, non nigredo, sed album fit & nigrum. Similiter in substantijs. Si igitur motus fit, non ipse, sed cum aliquo subiecto fit. Hoc autem nō est, nam subiectum est formæ, quę cum motu fit, non ipsius motus: non ergo motus alio fit motu, sed ipse est, quo alia fiunt.

Et rursus aliquid, in quod mouentur. Tex XVI.

5. Ratio QVinta ratio est. Terminus motus aliquid debet esse, in quod motus terminetur, vt in eo cesset, & quiescat: at motus, & mutatio nō est huiusmodi, vt in ea cesset motus: non ergo est per se terminus motus, sed aliqua forma manens.

Sexta

6. Ratio. Sexta ratio est. Quia si motus esset motus, esset vnius speciei vterque, vt generationis generatio: at hoc non fit: non enim est disciplinationis alia disciplinatio: non ergo motus ipsius erit motus, nisi sint motus alterius rationis præter assignatos: quod nullo modo verum est.

Amplius si tres species. Tex. XVI.

7. Ratio. VLtimam rationem facit. Si enim motus esset motus, vt termini, aut vt subiecti, tūc de alio vnus prędicaretur; vt loci mutatio alteraretur, & alteratio loco moueretur, quod nullus admisit.

Forsan ista nō est noua ratio, sed pars præcedentis. Nam postquam probauit per motum eiusdem speciei, non produci motum: ostendit modò, quòd nec per motum alterius speciei.

Motus moueri pōt per accidens, sed nō per se. Posteà docet, quomodo vnus motus moueatur, nempè per accidens, ratione subiecti, in quo est, quod accidit simul alio motu moueri, vt currens frigefit: at quia hoc est per accidens, dicit esse relinquendum: sermo enim est iam de motu per se.

Quoniam autem neque substantia. Tex. XVIII.

COncludit, cùm nec in substantia, neque in Ad Aliquid, nec in Actione, & Passione motus sit, cùm non sit contrarium in ipsis, solùm erit triplex species motus, ad Qantitatem, Qualitatem, & Vbi.

Nota ad tria prędicamenta non motum. Imponit autem nomina his, motus ad qualitatem dicatur alteratio. Explicat autem, se non de qualitate substantiali, qualis est differentia, loqui, sed de accidentali, qualis est prædicamenti quarti. Motus ad quantitatem, nō habet vnum commune nomen, tamen dupliciter nominatur. Si fuerit ad perfectam, dicatur Augmentatio, si ad imperfectam, dicatur Diminutio. Motus verò ad Vbi, non habet nomen, nec in cōmuni, nec propriū, at dicatur Latio, quamuis hoc vocabulum non conueniat, nisi his, quæ naturaliter mouentur, nec in ipsorum est facultate motum incipere, aut finire: ista enim propriè dicuntur ferri. At vocabulum extendatur iam ad quemcunq; motum secundum locum.

Duplex hic occurrit dubium. Alterū est, quomodo Aristoteles omisit alia tria prædicamenta, ad quæ videtur motus. Nam in situ motus est, à statione ad sessionem: similiter in habitu, à nudo ad vestitum: similiter in tempore ab vno in aliud. 1. dubium

Simpli. mouet dubium, & citat Theophrastum dicentem ad omnia prædicamenta esse motum. Ipse dicit, quòd Aristoteles omisit ista tria, quia sunt extrinseca subiecto: habitus enim, & tempus externa sunt. Solutio Simpl. ex Theoph.

Sed mihi non placet hoc. Nam locus etiam extrinsecus est, & debuit prætermitti. Præterea, quia situs non est omnino extrinsecus: dicit enim ordinem partium cum loco. Reijcitur solutio Simplicij.

Præterea dico, quòd aliud est, esse motum ad aliquid, aliud esse per se motum: Motus quidem est ad omnia accidentia, eò, quòd motu acquirantur; sed non est ad omnia per se motus, eò, quòd non omnia sint per se, & immediati termini motus. Et hoc est, quod Aristoteles docet; vnde ad situm non est per se motus, sed ad vbi, quod sequitur situs. Similiter ad tempus nō est per se motus, sed ad id, quod est in tempore. Ad habitum videtur per se motus: at quia habitus non est forma naturalis, sed artificialis, ab ipso Aristotele est prætermissus. 2. Vera solutio.

Alterum dubium est. Quare in qualitate non fuit duplex nomē, sicut in quantitate. 2. dubiū.

Respondeo, quia in quantitate reperitur contrarietas vna totum genus amplectens: puta, maius, & minus; perfectū, & imperfectum: at in qualitate non est vna communis contrarietas, sed multæ particulares: ob id vnum nomen fuit omnibus communiter impositum, puta alteratio: in quantitate vero duplex, augmentatio, & diminutio: At in particulari multa sunt nomina in qualitate, secundum multos motus contrarios. Solutio.

Quæ autem est in eadem forma. Tex.XIX.

Duplex alteratio nis diuersitas, altera simpliciter ex contrario in contrariũ. Altera secũdũ magis, & minus.

OStendit eam mutationem, quæ fit secundum magis & minus eiusdẽ formę, etiã esse alterationẽ, & fieri à contrario secundũ quid, vt quæ fit à minus albo in magis album; quæ verò fit ex nigro in album, fit à contrario simpliciter. Explicat autem quomodo quæ fit secundum minus, & magis fiat à contrario. Quia vbi est minus, ibi est permixtio cum contrario: nam minus album participat nigrum, ob id quod ex minus albo procedit, à nigro procedit. Dicit autem, quod cùm in minus tẽdit forma: vt cùm ex albo fit minus album, tunc tendit forma in suum contrarium: at cùm fit magis, nempè, ex minus albo magis album, tunc ex contrario tendit forma in seipsam. Quod est dicere; per remissionem tendit forma in suum contrarium: per intensionem ècontra, à suo contrario tẽdit in se ipsam: semper tamen motus hic alteratio est.

Immobile autem est. Tex.XX.

Tractat Arist de immobili, qd' triplexi

POstquam de eo, quod mouetur, & motu dixit, nunc de opposito dicere aggreditur, nempè, de immobili. Triplex autem statuit immobile. Primũ, quod non est capàx motus; vt intelligentiæ, & Deus. Alterum, quod ægrè mouetur; sicut saxum difficile mobile, immobile dicitur: & similiter homo, qui ob aliquam infirmitatem difficilẽ habet motum. Tertium, quod non mouetur, cùm potest moueri, nec est aliquod impedimẽtum, & tale dicitur quiescens: & quies non est aliud, quàm priuatio motus. Textus clarus est.

CAPVT III.

Post hoc autem dicamus. Tex. XXI.

De septẽ, quæ ad motu vnitatem, & pluralitatẽ cognoscendam sunt necessaria.

VOCABVLA aliquot ad ea, quæ mouetur, pertinẽtia, explicat. Hęc aũt sunt septẽ, Simul, Separatim, Tangere, Inter, Consequenter, Continuum, Contiguũ. Hæc enim omnia mobilibus, aut motibus competunt; ob id explicari oportuit, antequam motus vnitates. l. pluralitatem ostenderet; nam illa motibus pluribus insunt.

Similiter igitur dicuntur hæc esse secundum locum. Tex.XXII.

Quid sit simul.

INcipit explicare terminos, ac primũ ipsum, Simul dicens, illa dici simul secundum locum, quę in eodẽ loco primò sunt. Dicit, Simul secundum locum: nam etiam contingit esse simul secundũ tempus, quę in eodẽ sunt tempore. Dicit, in eodem loco primò, & proprio: nam quæ in eodem loco communi sunt, non ob id simul esse dicuntur.

Nota.

Aduertendum, aũt quòd duo corpora simul esse naturaliter non possunt: nõ enim in eodẽ loco primò sunt: at anima, & corpus simul dicuntur esse: similiter substantia, & ipsius accidentia. Hæc enim eundem primum locum occupant.

Quid separatim.

Explicat secundum vocabulum, puta, Separatim; ea dicuntur separatim esse, quæ diuersum habent locum primum; vt duo corpora dicuntur separatim esse.

Quid tangere.

Tangere autem dicuntur, quorum extrema simul sunt; vt duo corpora se tangunt, quorum superficies simul sunt absque aliquo intermedio. Similiter duæ lineæ, duæ superficies se tangunt, quę extrema simul habent.

Quid inter.

Inter autem id dicitur, in quod peruenit prius id, quod ab vno extremo, & contrario in alterum mutatur continuè, id est, cùm aliquid naturaliter mouetur continuè ab vno extremo in alterum. Id, quod antequam ad extremum oppositũ peruenia t, transit, id sit, id dicitur esse, Inter.

Nota.

Vnde concludit, quòd vbi est Inter, ibi ad minus sunt tria; duo extrema contraria, & id, quod inter ea dicitur esse.

Con ti-

Continuè autem mouetur. Tex.XXIII.

Quid sit continuè moueri.

CVm dixisset, id esse Inter, ad quod primò peruenit, quod ab vno contrario in aliud continuè mouetur, antequam ad vltimum contrarium perueniat: explicat quid continuè moueri dicatur; & quid contrarium in loco. Dicit, id continuè moueri, quod sine aliqua temporis interruptione mouetur, quamuis parum spacij interrumpatur, Ponit exemplum. Si quis pulset primam chordam, & immediatè pulset vltimã, talis motus continuus; quia, quãuis intermissa fuerit chorda media, tamen tẽpus non est interruptum. Similiter in alijs motibus, vt cùm quis ambulat, quamuis spacij aliquid intermittat, quia non totũ continuè tangit, tamen si nihil temporis intermittat, ambulatio cõtinua est. Hoc tamen posterius examinabitur.

Contrarium autem secundum locum. Tex.XXIIII.

Quæ sint loca contraria.

STatim explicat, quomodo loca contraria sint sumenda, vt inueniatur, quod interest: dicit, esse sumenda secundum lineam rectam: quæ enim maximè distant secundum lineam rectam, opposita loca sunt. Et hoc benè fit; nam linea recta est breuissima omnium, quæ ab vno puncto in aliud duci possunt: ob id ea maximè mensura est. Nam mensura est finita, & breuis. Diuersa igitur loca secundum lineas rectas sumenda sunt. Et id propriè dicitur Inter, quod mediũ est inter duo loca secundum lineam rectam distantia.

Consequenter autem est, inter quod. Tex.XXV.

Quid sit consequẽter.

EXplicat quintum vocabulum, puta, esse Cõsequenter; vt autem aliquid sit consequẽter ad aliud, multa sunt necessaria. Vnum est, quòd sit vnum principium, ad quod aliud consequenter dicatur. Quod autem est principium, non dicitur consequenter, sed id, quod post principium ponitur. Vt secundus dies lunæ consequenter se habet ad primum; & binarius ad vnitatem, & ternarius ad binarium: non autem econtra.

Requiritur præterea, quòd nihil sit eiusdem generis inter id, quod consequenter se habet, & id, ad quod consequenter se habet; vt vnus miles consequenter se habet ad alium, qui sibi est proximus. Dicitur, eiusdem generis, quia quamuis aliud sit intermedium, dummodo non sit eiusdem generis, adhuc dicetur consequenter; at vnus miles consequenter se habet ad alium, quando inter eos non mediat miles, licèt mediet lapis. l. aliud alterius rationis.

Esse cõsequenter varijs modis.

Præterea id, quod consequenter se habet ad aliud, multiplex est. Quod dam positione, cùm id, quod cõsequenter se habet, cõtinuum quid est: vt domus ad domum, linea ad lineam. Aliud natura, sicut vnus numerus ad aliũ. Aliud alio modo, sicut perfectione, vt elephãtus est cõsequens ad hominẽ in perfectione. Et est consequenter tempore, alijsque modis.

Contiguum autem est. Tex.XXVI.

Quid contiguum.

EXplicat, quid contiguum dicatur, puta, id quod consequenter se habet, & tangit: sicut duo corpora immediata se tangentia dicuntur contigua, inter quæ non est aliud.

Occasione autem huius regreditur ad ostendendum, quando reperiatur Inter, & medium, quamuis verba hæc videantur cum superioribus cohærere. Dicit, in motu esse Inter, nõ autem in generatione, & corruptione. Et ratio est; quia motus fit inter contraria, in quibus est medium: at generatio in contradictorijs terminis, in quibus non est medium: ob id illic est Inter, non autem hic.

1. Nota In motu est inter, nõ aũt in generatiõe, & corruptione,

Sed hic est dubium, nam 2. Metaph. tex.7. dicit, quòd inter terminos generationis media est generatio: & inter id, quod est, & id, quod nõ est, medium est, id, quod fit. Vlterius; quia non omnia contraria medium habent.

Aduerte igitur circa hoc, q̃ termini generationis non sunt puri contradictorij, aliâs enim ex nihilo fieret res. Vnde cùm dicitur

Nota 2. termini gñationis.

non sunt iure contradictorij. dicitur non homo, non ignis, & similia, non oportet intelligere, esse puram negationem, sed priuationem, quæ ponit potentiam propinquam in materia ad formam. Vnde non ignis est, quod non est ignis, sed est in potentia proxima, vt fit ignis.

Nota 3. quo detur mediu in cotrarijs, & priuatiuis. Aduertendum vlterius, quòd in contrarijs datur medium per participationē extremorum, & per remissionem; vt inter album, & nigrum est fuscum, & inter calidum, & frigidum in summo, datur remissus gradus. In priuatiuis verò datur medium, sed non eiusdem rationis cum extremis, sed per negationem extremorum: & sic generatio, & id, quod fit, est medium, quia nec est, quod est, nec quod non est.

Solutio. dubij. Modò ad dubium respondeo, quòd in Metaphysica locutus est de medio quocunque: at in præsenti tantùm de medio eiusdem rationis cum extremis: & hoc solùm est inter contraria, non inter terminos generationis. Loquitur autem de huiusmodi medio, quia hoc facit, ne termini sint consequenter se habentes; non autem quod alterius est rationis.

Continuum autem est quidem.

Quid continuum. EXplicat quid continuum sit, puta, contiguum quoddam, Nempè, id alteri continuum est, quod sic ipsũ tangit, vt vtriusque terminus vnus & idem sit, vt media linea alteri est cõtinua. Differt à contiguo: nam vbi contiguitas est, duo sunt termini se tangentes: at vbi continuitas, vnus est terminus: vt vnum punctum duas partes vnius lineæ continuat, & vna linea superficies, & superficies corpora. Ob id enim dicitur continuum, quasi vno termino contineantur, quæ continua sunt.

Hoc autem determinato.
Tex. XXVII.

Quæ sint apta, vt fiant continua, & quot fiat OStendit illa posse vnum continuũ fieri, quæ apta sunt, esse vnum totum, secundum contactum: quæ verò vnum totum fieri non possunt, vt lapis, & aqua, neque erunt vnum continuum. Fiunt autem vnum continuum, cùm vnicum habent communem terminum. At quia varijs modis vnicum totũ fit, multipliciter etiam continuum se habet. Quædam enim clauo, quædam glutine, quædam insitione, & tactu vnum continuum fiunt, & vnum totum. Sed non est hæc tam propria continuitas, sicut ea, qua continua sunt, quæ vnicum per se terminum habent: vt duæ aquæ, & ligni partes. modis cõtinuum.

Manifestum autem est.
Tex. XXVIII.

Cũ se habeat consequẽter, esse ad tãgere. COmparat consequenter esse, ad tangere, ac dicit illud esse superius. Omne enim, quod tangit, consequenter se habet: at non omne, quod consequenter se habet, tangit. Nam in numeris est consequenter, non tamen tactus: ob id consequenter se habere est ponendum inter priora ratione, id est, inter vniuersaliora tactu.

Cũ se habeat continuũ ad tangere. Comparat etiam continuum ad tactum, dicit, quod tangere superius est: nã omne continuum tangit, non tamen si tangit, continuum statim est; vnde insitio, & copulatio posterior est generatione, id est, particularior actu, cùm quę cõsita sint, tangant, non econtra.

In his verbis manifestat non loqui de propria continuitate, sed de illa, quæ clauo, glutine vel insitiõe fit: in his enim tactus est, non autem in vera continuitate. Nam tactus petit duo extrema, & terminos actu: in vera autem continuitate vnicus est terminus.

Quare si est punctum, & vnitas.
Tex. XXIX. & XXX.

Discrimẽ puncti & vnitatis. EX hac differentia concludit vnum. Quòd quamuis sit punctus, & vnitas separata realiter, vt alij voluerunt, adhuc non essent idem. Et ponit duplex discrimen. Alterum est, quod puncto inest tactus, vnitati autem tantũ consequenter se habere. Alterum est, quòd inter puncta debet aliquid mediare, puta, linea: in continuo enim duo puncta immediata esse nõ possunt: at inter vnitates non opus est, q̃ aliquid mediet: in numero

numero enim vnitas vnitati immediata est. Posteà in sequenti textu epilogat. Quæ esse hæc vocabula dixit.

CAPVT IIII.

Vnus autem motus dicitur.
Tex. XXXI.

De vnitate motuũ incipit agere Arist. vnitas generica. DOstquàm de motus speciebus dixit, nunc de vnitate motuũ disserit. Cùm autem vnũ multipliciter dicatur, fit vt vnus motus multipliciter dicatur.

Primò, dicitur vnus motus genere, qui est ad rem vnius prædicamenti. Vndè omnes alterationes, quæ ad qualitatem sunt, motus vnus genere dicuntur. Similiter omnes augmentationes, & omnes lationes, adinuicem tamen genere differunt, vt alteratio ab augmentatione, & augmentatio à latione: & denique hi tres motus inter se.

Vnitas specifica. Secundò, Motus est vnus specie specialissima, puta, qui est ad terminum vnius speciei specialissimæ, quæ cùm sub vno genere sit, iam amplius in species diuidi nequit. Et sic omnes dealbationes sunt vnius speciei, alterius verò denigrationes, & calefactiones, & similes motus specie.

Vnitas secundũ qd Tertiò, est vnus motus specie secundum quid, puta, cuius terminus est genus subalternum, partim genus, partim species, vt disciplinatio, quæ est motus in scientiam, scientia verò est species habitus, genus verò scientiarum. Similiter coloratio, & similes motus, qui ad genera subalterna sunt.

Denique terminus, ad quem est respiciendus, talisque erit vnitas motus, quales termini.

Dubitabit autem aliquis.
Text. XXXII.

Vnitas ex parte spatij. INtendit docere, præter dicta, adhuc in motu locali esse vnum inspiciendum, nempè vnitatem spatij. Quamuis enim ad locum, A, sint diuersi motus, si tamen vnus per circulum, alter per rectum fiat, diuersi specie, & non vnus censendi sunt.

Dubium. Hoc autem docet, proponendo dubiũ contra prædicta. Dubium autem est. Si idem punctum, puta, mobile, moueretur ab A, in B, an esset idem, & vnus motus semper, Quòd si hoc est, sequeretur, quòd circulatio, & motus rectus essent vnus specie motus, quia vterque potest esse ab A, in B,

An determinatum est.
Tex. XXXIII.

Solutio dubij. REspondet, non esse eundem specie motum, sed diuersum. Ex quo patet, non solùm in motu locali inspiciẽdum esse terminum, sed etiam spacium ipsum, vt vtrunq; sit vnius speciei, aut rectum, aut circulare. Suppositа autem vnitate spatij, terminus inspiciendus est. Cùm enim spacium specie differt, tunc nil prodest vnitas ipsius termini.

Simpliciter autem vnus.
Tex. XXXIIII.

Vnitas numerica. ALium quartũ vnitatis motus modum ponit, & hunc præcipuum, & simpliciter vnum vocat. Puta, quo vnus motus numero, & substantia dicitur, sicut singulares, & indiuidui motus.

Ad ostendendum autem, quis motus sic vnus dicatur, distinguit tria, quæ in motu sunt. Nempè, Quando, id est, tempus, in quo fit motus: Quod, id est, mobile, quod mouetur: &, In quo, id est, terminus, ad quem tendit motus. Reliqua, puta, terminus à quo, & mouens prætermittuntur, quia non sunt necessaria pro præsenti vnitate numerica: quãuis possumus dicere per, In quo, intelligi vtrunque terminum à quo, & ad quem, in quibus fit motus.

Horum autem genere quidem.
Tex. XXXV.

Quid requiratur ad vnitatẽ generis, speciei, & numericã. HIS tribus diuisis docet, ad vnitatẽ specificam & genericam sat esse, terminum inspicere, nec est necessaria vnitas temporis. Ita tereã. Ad motus con-

tus contiguitatem, sat esse vnitatem temporis: licet enim motus sint ad variasformas vnius mobilis, si tamē in vnico cōtinuo tēpore fiāt, possunt esse contigui: vt paulo inferius dicemus. At ad vnitatē simpliciter, & numericam motus, omnia ista tria conuenire debent, & vnitas temporis, formæ, seu termini, & mobilis.

Singula hæc explicat, dicens, quòd terminus debet esse vnus, & indiuisibilis, id est, vnus numero, nam vnitas numerica motus vnitatem etiam numericam termini ad quem, petit. Tempus etiam debet esse vnum, id est, non interruptum: cùm enim vel minimū motus cessat, iam vnus numero esse nequit. Similiter requiritur vnitas mobilis, quòd sit vnum mobile, vnum inquam per se, & particulariter. Vndè album, & Petrus non dicuntur vnum, quia subiecto, sed secundum accidens vnum sunt: similiter Petrus, & Paulus non sunt vnum, licet sint eiusdem speciei, nec si vterque sanatur, nempè, ex lippis oculis acquireret sanitatem, esset eadem sanatio numero, sed specie. Ad vnitatem enim numericam, & vnicum numero, & per se debet esse mobile.

Socratem autem secundum eandem. Tex. XXXVI.

De vnitate motus, qui prouenit ex vnitate temporis, ꝙ hæc etiam ad numericam requiratur.

AD vnitatem temporis regreditur, & dubium proponit. An si Socrates in hoc tempore sanetur, & iterum alio tempore sanetur post aliam ægritudinem, sit eadem sanatio numero. Ad quòd responder, quòd si idem numero, postquàm corruptum est, redire potest, erit eadem sanatio numero. Si verò non potest redire eadē numero, sed specie, tunc erit illa sanatio non vna numero, sed eadem specie. Quasi dixisset: Non est eadē sanatio illa posterior, quia prior corrupta est. Quod autem corruptum est, non potest idem numero reparari, vt volebat Plato.

Habet autem dubitationem. Tex. XXXVII.

Dubium Arist. An eadem numero forma, & de termino, An sit eadē sanitas,

CVM de motu dubitasset, an idē & vnus numero esset, qui diuersis sit temporibus, dubitabat modò de quæ diuersis est temporibus in eodem subiecto: similiter de alio quocunq; accidenti. Ex alia parte videtur, quòd non sit eadem: nam corpora subiecta mutantur secundū tempora: non ergo sunt eædem qualitates. Ex altera parte videntur esse eædem, nam si sanitas duraret per tres dies in vnico subiecto, absq; dubio esset eadem ergo quamuis in die medio fuerit destructa, & tertio die reparata, erit eadem sanitas: & ita erit motus, nec erit necessaria vnitas temporis.

ma esse possit diuersis tēporibus, idemne terminus motus,

Eadem enim ratio erit. Text. XXXVIII.

Quod etiam si eadem forma, vel terminus idē esset, tñ motus non esset idē numero diuersis tēporib.

TExtus difficilis est apud expositores, tamen sine dubio sensus est iste. Nempe quamuis esset eadem sanitas, & rediret idē terminus, motus tamē non esset vnus numero. Et dicit, quod si actus plures sunt, non ob id plures sunt. Potest enim vnus habitus plures actus producere: at si plures sunt habitus, tunc plures sunt actus. Ita motus est actus, terminus est, vt habitus. Non valet, quòd si vnus sit terminus, ob id vnus sit motus; nam ad eum locum plures motus reperi possunt. Benè tamen, si plures sunt termini, plures sunt motus. In quo docemur, vnitatem motus petere termini vnitatem, non tamen ita, vt existimemus è contra valere, si vnus est terminus, vnum esse motum.

Rāsio ad dubium.

At de dubio, An sit eadem sanitas, dicit non esse præsentis negocij id soluere. Sat est, pro præsenti scire, ꝙ siue vnus sit, aut plures; adhuc vnitas numerica motus nō colligitur, nisi adsit vnitas temporis. Et nota hanc expositionem.

Quoniam autem continuus omnis motus. Tex. XXXIX.

Quòd si motus est vnus numero, sit continuus, & è contra.

CVm ostendisset, qui motus esset vnus numero, ostendit modò numero vnum motum esse continuū, & e contra, continuum esse vnum numero; & ad continuitatem requiri eadem, quæ ad vnitatem numericam: ac ob id proponit, motum continuum esse simpliciter vnum: & è contra, simpliciter vnum esse continuum.

Ob-

Obiter tamen motum esse continuum probat, quia diuisibilis est, puta, in partes, quæ erant actu vnum, sicut diuiditur cōtinuum.

Statim declarat, qui motus cōtinui sint. Illi nempe, qui extremum, & terminum eundem habent, ac illi cōtinuari possunt qui vnicum communem terminum habere possunt, sicut in alijs continuis. Aliqua enim termino carent, ac ob id continuari nequeunt, vt res incorporeæ. Aliqua terminos habent, sed ineptos ad cōtinuationem, vt linea, & deambulatio: & æquiuoca, ac diuersæ rationis sunt. Quæ vero eiusdem sunt rationis, continuari possunt, ita etiam motus, qui eiusdem sunt rationis, ac communem vnum terminum habere possunt.

Contigui igitur erunt. Tex. XL.

Ad contiguitatem motus sat est solam tēporis vnitatem.

OStendit, ad contiguitatem motuum, sat esse temporis vnitatem quamuis sint diuersæ speciei, & generis. Vt si postquam quis cucurrit, immediatè sanetur, hi motus contigui sunt non tamen sunt continui, quia non habent vnum communem terminum. Requiritur igitur ad continuitatem, vltra temporis vnitatem, vnius termini communitas, quo contineatur motus.

Quapropter necesse est. Tex. XLI.

Quod regratur ad continuitatē motu.

COncludit ad continuitatem motus requiri vnitatem specificam termini, aliter enim non poterunt duo motus vnicum habere communem terminum. Opus etiam est, cum vnitate termini, & mobilis, vnitate etiam temporis. Hæc autem vnitas temporis est, vt non interrumpatur per aliquam quietem mediam. Cùm enim mobile in medio motuum vel minimum quiescit, & vacat à motu: impossibile est, quòd illi duo motus vnum continuum faciant.

Eius verò, qui est in specie non vnus.

OStendit etiam cum temporis vnitate esse opus vnitate termini specifica. Potest enim esse cum vnitate temporis motuum pluralitas. Qui igitur est vnus in specie, & tēpore, vnus simpliciter est, qui verò tantùm habet vnitatem temporis, hunc non est necesse, esse vnum simpliciter, id est, numero esse.

Vnitatem numericā mot. esse omnium maximā.

Ex omnibus colligit vnitatem quartam motus numericam esse simpliciter vnitatem. Hæc enim omnium aliarum, quæ dicta sunt, maxima est.

Amplius autem dicitur vnum. Tex. XLII.

De alia vnitate motus .i. pfectionis.

ALiam vnitatem motus ponit, nēpè, vt is, qui perfectus est, vnus dicatur siue in genere, siue in specie, siue numero: Idem enim est dicere; motum vnum, & totum, ac perfectum, sicut in alijs etiam rebus, quod perfectum est, vnum dicitur. Est autem motus perfectus qui ad suum terminū peruenit, in quem ordinabatur.

At ne quis putaret, imperfectum motum non esse vnum, nempè, eum, qui ad terminum nondum peruenit, addit esse vnum, quamuis minus vnum: est autem vnus, quia continuus est.

Nota ex D. Thom.

Not. benè S. Thom. quod dupliciter attenditur vnitas. Et in substātia rei, & hæc penes formam: res enim vna per vnam formam est. Etiam in quātitate: vt res est vna, quæ continua est. Hæc etiam duplex vnitas est in motu, & in substantia ipsius, & hæc est per terminū ad quem, qui motus est forma: & hāc vnitatem habet motus perfectus. Vnitas etiam est in qualitate motus per continuationem; & hæc etiam in imperfecto reperitur: ac ob id motus imperfectus & inconsummatus vnus dicitur.

Amplius autē aliter. Tex. XLIII.

Alia vnitas motus .i. regularitas & vniformitas.

ALiam ponit motus vnitatem, vt is dicatur vnus, qui est regularis & vniformis. Irregularis aliqua ex parte videtur vnus motus, aliqua ex parte non vnus: differt tamen à regulari, secundū magis, & minus. Nēpè, quia regularis est magis vnus, irregularis verò min-

Repeti,

Reperitur autem in quocunque genere, & specie motus regularitas, & irregularitas, in alteratione, & in augmentatione, & in latione.

Nota, hæc est vnitas in modo motus.

Aduertendum verò, quòd ista vnitas non est in substantia motus, nec in continuitate, quia hæc sunt etiam in irregulari, sed in modo motus: nam regularis vno modo se habet in omnibus suis partibus, at quoad velocitatem, & quoad spacium: & irregularis diuersimodè se habet, dum pars velocior altera est, aut diuerso fit spacio: ob id motus irregularis in textu diuisibilis dicitur, intellige secũdum modum, quia partes habet difformes, ob idque non tam vnus dicitur.

Irregularitatis autem differentia. Tex. XLIIII.

Duę radices irregularitatis motę spaciũ, & velocitas.

DVas radices ponit, ex quibus irregularitas procedit. Altera est spacium in motu locali, cùm difforme est: vt si quid moueretur per lineam tortuosam, & giratiuam, talis motus irregularis esset eo, quod partes non sunt rationis eiusdem. Altera est, cum stante eodem tempore, & eodem termino, & spacio, est diuersa velocitas, eò quòd mobile velocius mouetur per vnam, quam per alteram partem spacij, vt lapis deorsum mouetur velocius in fine, quàm in principio, ob id irregularis est: esset regularis, si per totum spacium eandem seruaret velocitatem.

Not. velocitas, & tarditas maior. vel minor: gratuitas, vel leuitas nõ efficiunt motus specie differentes.

Ex his concludit duo. Alterum est, quòd esse velociorem, aut tardiorem, nõ sunt species motus, nec differentiæ specificæ, cùm idem motus specie modò velocior, modò tardior, modò regularis, modò irregularis fit. Alterum est, quòd grauitas, & leuitas in eodem maior, vel minor, non faciunt motum differre specie: non enim differt motus plumbi deorsum à motu eiusdem, cùm vnus est per aerem, alter per aquam, quamuis hic tardè illic velociter feratur: nec differt similiter à motu lanæ, quæ maiori fertur grauitate.

Vnus igitur irregularis est. Tex. XLV.

Irregularis motus est minus vnus, q̃ regularis.

CONcludit, irregularem motum vnum dici, cùm continuus fit, sed minus vnum, quàm regularem: vt patet de illo motu, qui per spacium obliquum, & irregulare fit. Cùm autem fit minus vnus, habebit aliquid pluralitatis, nam vbi est minus, ibi est aliquid contrarij, vt quod est minus album, habet aliquid nigri: ita motus irregularis, cùm sit minus vnus, pluralitatem habet in modo, cùm non sit vniformis secundum omnes partes.

Dubium.

Dices, quomodo verum habet, quòd si aliquid est minus, ibi fit contrarium: nam contingit esse minus lumen sine cõtrario, lumen enim contrario caret.

Solutio.

Responsio, per contrarium esse intelligendum, aut verum contrarium, aut saltem priuatiuum, & tale in lumine est, vbi enim est minus lumen, ibi sunt magis tenebræ.

Motę specie differẽtes non possunt esse cõtinui.

Statim concludit Aristoteles, motus differentes specie, non posse esse continuos. Ratio est, quia omnis continuus aliquando esse regularis, aliquando irregularis potest: at motus compositus ex duobus specie differentibus, vt ex latione, & lanatione non potest esse vnquam regularis: ergo nec continuus: quod autem regularis esse nequeat, notum est: nõ enim potest partes vniformes habere.

An vnitas specifica motus sit tantùm à termino ad quem.

Quæstio II.

DIfficultas hæc est circa textum, 31. vbi Aristoteles vnitatem motus specificam ab vnitate termini ad quem specifica docet esse sumendam; contra quam sententiam videntur multa insurgere argumenta.

1. argum.

Primum est. Sequeretur, quòd motus ab albo in fuscum, & à nigro in idem fuscum essent eiusdem speciei: terminus enim ad quem, puta, fuscum idem est specie. At, re vera, illi motus videntur specie differre, quia magis differt à motu ab albo in fuscum motus à nigro in fuscum, quàm differat alius motus similis ab albo in fuscum, sed hic differt numero: ergo ille differet specie.

Secundũ.

Secundò. Sequitur, quòd augmẽtatio esset diminutio. Sequela patet. Moueatur aliquid ex bipedali ad tripedale, est augmentatio. Iterum moueatur aliud ex quadrupedali ad idem tripedale, est diminutio, idem tamen est terminus vtriusque motus ad quem, nempè, tripedale: erunt ergo eiusdem speciei; quod falsum est, cũ sint contrarij.

Tertium.

Tertiò. Eodẽ modo sequeretur, quòd duo motus locales essẽt eiusdẽ speciei, cum tamen sint contrarij. Patet; aer moueatur ad suam sphæram semel ex terra, & talis motus erit ascensus: Semel mouea tur ab igne, hic erit descensus, & tamen ad eundem locum, & terminum ad quẽ: erunt ergo ascensus, & descensus vnius speciei. Idem de aqua, quę ascendit à terra, descendit ab igne.

Quartum.

Quartò. Ascendat lapis motu violento vsq; ad locum A, descendat iterum naturaliter vsq; ad idem A. isti motus sunt ad eundem terminum; alter tamen naturalis, alter violentus est, qui videntur specie differre.

Quintum

Quintò. Ascendat lapis vsque ad aerem, iterum proijciatur vsque ad ignem; sequitur, quod isti motus differunt specie, quia termini ad quos, nempè ignis, & aer, differunt specie. Quod verò non differat, notum est; nam sequeretur, quòd motus qui est lapidis ad ignem, est compositus motibus specie differentibus; nã motus ille etiam fit per aerem, & ignem. Simile est, cùm descendit ab igne vsque in terram; transit enim per loca specie differentia.

Sextum.

Sextò. Item sequeretur, quòd motus ab albo in nigrum per fuscum, & alio per viride, & alius per aliud medium, essent vnius speciei, cum omnes sint ad nigrũ. Id autem videtur falsum; nã eodem modo sequeretur, quòd motus ad A, per circulum, et per rectum essent vnius speciei.

Septimũ.

Septimò. Moueatur aer vsque ad centrum; moueatur lapis vsque ad idem centrum; motus hi sunt ad eundem terminũ; at videntur differre specie; alter enim naturalis, alter violentus est.

1. Sũia Al. de Saxo.

Circa hanc difficultatem Alber. Saxo q. 6. dici, vnitatem specificam motus esse sumendam ex tribus simul, ita vt si vnum deficiat, motus differant specie: Nempè ex vnitate termini ad quem vltimati, & termini à quo, & medij formalis: ita vt cùm termini à quibus sunt differentes specie, motus sunt specie differentes, vt patet in quatuor argumentis propositis. Similiter cum media differunt, vt in sexto argumento: concedit enim illos motus specie differre, propter media diuersa; quod idem concedit Burleus, quamuis Paulus Venetus tex. 33. dicat, esse eiusdem speciei.

Nota.

Vocat autem Alber. terminum vltimatum illum, in quem per se tendit motus, vt cum lapis mouetur deorsum, licet sistat in aere: tamen ex se in centrum tendit; & per talem terminum est iudicandus motus. Vocat medium formale in motu locali, quod consideratur in ratione quanti, vt est rectum, vel circulare: q̃ enim sit aer, vel aqua, non variet motũ, dum vtrunque rectum, aut circulare sit.

2. Sũia.

Alij propter argumentum septimum, dicunt esse opus vnitate specifica mobilis: vnde ob id illi motus specie differũt, quia mobilia specie differunt. Intellige hos, cum mobilia differunt in ratione principij motus, puta, in ratione grauis, aut leuis: nam motus plumbi deorsum, & motus similiter deorsum lapidis non differunt specie, quia mobilia non censentur specie differre in ratiõe mobiliũ, cum vtrunque secundum grauitatem moueatur.

3. Authoritis Sũia.

Hęc sunt, quę dixerunt alij potius cõuicti argumentis, quàm doctrina Aristotelis. Et quamuis aliqua benè dicta sint, tamen non Aristotelis verbis consona, et citra regulam aliquam. Ob id existimo ad difficultatem sic esse dicendum.

1. Conclũ.

Sit igitur prima conclusio. Vnitas specifica motus à termino ad quem, non autem à termino à quo est sumenda.

Primò.

Hæc satis est expressa Aristotelis. Et probatur. Quia terminus à quo, & termi nus ad quem specie differunt: à duobus ergo specie differentibus non potest vnius speciei vnitas sumi: non ergo à termino à quo, & ad quem est sumenda species motus.

Præterea. A quo sumitur definitio; & nomẽ rei, ab eo sumitur species: sed à ter

mino ad quem nomen sumimus motui, & per ipsum definitur: ergo ab ipso sumitur species.

Tertio. Preterea, Quia motus in se non aliud est, quàm via, & processus ipsius termini ad quem: ab huius ergo vnitate sumi debet vnitas motus.

Quarto. Preterea, Quia dum motus crescit, recedit terminus à quo, & magis est terminus ad quē: motus ergo præcipuè in termino ad quem consistit: ab ipsius ergo vnitate vnitas motus sumetur.

2. Conclu. Secunda conclusio. Vnitas termini ad quem formalis; non autem materialis est inspicienda.

Nota quō termini ad quem debeāt accipi formaliter nō materialiter. Aduertēdum ergo, fieri posse, quòd re vnus sit terminus ad quem, tamen ratione sit duplex, si formaliter consideretur, puta, si comparetur ad suum terminum à quo, ad quem refertur. V.g fuscum si ad album comparatur, nigri rationem habet, si verò ad nigrum, albi rationem obtinet, vt dixit Aristot. tex. 6. ob id non est idem terminus ad quem in motu ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum, si terminus formaliter consideretur. Similiter locus aeris, re vnus est, tamen si ad ignem comparatur, deorsum est: si ad aquam, & terram, sursum: ob id motus ad aerē ex terra, & ex igne non habent eundem terminum ad quem formalem.

Quòd autem terminus formaliter sit considerandus, notum est. Nam, vt terminus est ad quem, refertur ad terminum à quo; & talis terminus ad quem ad talem terminum à quo. Huius consideratio fecit illos Doctores confugere ad terminos à quibus in vnitate motus, cum tamen non ab eis, sed à terminis ad quos, formalibus tamen, sumatur vnitas motus: & per hanc conclusionem soluuntur argumenta tria prima.

Ad 1. Ad primum enim concedimus, motus ad fuscum ex albo, & ad fuscum ex nigro specie differre, tamen negamus esse vnicum terminum ad quem formalem fuscum enim rationem duorum habet.

Ad 2. Similiter ad secundum. Tripedale enim habet rationem minoris quantitatis respectu quadrupedalis, & maioris respectu bipedalis; ob id non est idem terminus formaliter, cum & habeat rationem maioris, & minoris: ac ob id illi motus specie differunt.

Ad 3. Ad tertiū. Quamuis aliqui velint, illū ascensū aeris ab aqua, & descensū ab igne in suum locū, esse eiusdē speciei: mihi non placet: est enim vnus ascensus, alter descensus, quia magis differūt, quā duo ascensus, vel duo descensus eiusdē aeris.

Nota de motu mediorū elementorū. Igitur aduerte, quòd elementa media sicut non habent simplicē locum, ita nec simplicem motū omninò. Ignis quidem habet locū simpliciter sursum, ob id motus eius simplex est. Similiter terra deorsum: at aqua, & aer, partim sursum, partim deorsum, partim grauia, partim leuia sunt. Ignis respectu aer grauis est, & deorsum: aquæ verò respectu leuis, & sursum. Similiter aqua respectu terræ, & aeris. Cum igitur mediæ naturæ sint, geminos habent motus, & sursum, vt leuia, & deorsum, vt grauia, quamuis secundum vnam rationem non habeant nisi vnicū specie motū. Descēdit igitur aer ab igne, & aqua ab aere: ascendit tamen aer ab aqua, & aqua à terra. Et tales loci ratiōem habēt duorum formaliter: sursum enim, & deorsum sunt, si ad diuersos terminos à quibus comparentur.

3. Conclu. Tertia conclusio. Vnitas termini formalis, & vltimati est consideranda ad vnitatem hanc motus specificam.

Nota duplex terminus ad quem in motu: alter vltimatus, alter nō vltimatus. Aduertendum ergo, vt diximus, quòd terminus duplex est. Alter vltimatus, alter non vltimatus. Vltimatus is est, quem motus secundum se attingere posset, nisi ab extrinseco impediretur: vt mouetur lapis deorsum, vltimatus locus est centrū, quamuis impediatur ab alio loco. Similiter mouetur ad aerem violenter. Vltimatus terminus est vltimum, in quod naturaliter potest proijci, nisi vires, aut aliud impedirent. Non vltimatus verò est, quē attingit ob impedimentum aliquod, in quo alias non quiesceret; vt si lapis cadēs sistat in cathedra.

Potest etiam fieri, quòd aliquis sit vltimatus terminus alicuius motus, non autem alterius: vt si aer perueniat ad suum locum. similiter lapis. isti motus non habent eundem vltimatum terminum; nā aeri suus locus est vltimatus terminus, qa est motus naturalis; at lapidi non. Cùm enim sit motus violentus, vlterius posset procedere, & etiam inferius, quia, vt motus violentus est, in certum terminū habet. Et vltimus terminus est, quem potest attingere de potentia naturali, nullo existente impedimento. Ad examinandum ergo vnitatem motus, terminus vltimatus est inspiciendus.

Ad 4. Et per hoc soluitur argumētum quartum: cum enim lapis ascendit vsq; ad A, tunc non habet illum terminum vltimatum. Similiter cum naturaliter descēdit, terminus vltimatus centrum est: quamuis etiam possemus dicere, quòd ille locus A, ratione duplex est: est enim sursum, & deorsum respectu diuersorum.

4. Cōclu. Quarta conclusio. In locali motu medij vnitas formalis est attendenda. Dico formalem, vt si vnum est rectum, vel circulare, alterum similiter sit. Hæc est expressa Arist. vt visum est in textu.

No. medij tantū habetur rō in motu locali. Sed aduerte, quòd medium nō debet attendi, nisi in motu locali: quia quoties mutatur medium in motu locali, mutatur terminus vltimatus: & hoc est valde notandum. V.g. cum per rectum perueniatur ad A, & per circulum, A non est vtriusq; vltimatus terminus: nā circulus, vt circulus, non habet finiri in A, per se, cū terminum non habeat: & linea non habet secundum se, in A, finiri, cū recta est: sed vltimatè vltra circulū, pcedit. Quod ergo in A, terminetur, hoc per accidens est: ob id ex medio sumenda est vnitas. At in alteratiōe, cum ex albo proceditur, siue per fuscum, siue per viride, per se tenditur in nigrum, ob id hi motus sunt eiusdē speciei, & est Burlæi & Alb. Saxo. & contra Albertum, & sic soluitur argumētum sextum. Nam quintum ex conclusione præcedente solutum est. Terminus enim vltimatus lapidis non est aer, licet in eo sistat, ob id, & quando vsque ad aerē & quando vsque ad ignem proijcitur, motus sunt eiusdem speciei propter vnitatē termini vltimati.

Alb. tra. 3. ca. 3. Ad. 5. & 6.

5. Conclu. Quinta cōclusio. Vnitas specifica accidentalis motus, etiam à mobili sumi debet, vt mobile est.

No. dupliciter aliqua differunt inter se specie. Aduerte itaq;, dupliciter differre aliqua specie. Vno modo specie essentiali, cū secundum substantiam duo differunt, vt homo, & leo. Altero modo specie accidētali, cum secundum accidentia specie differentia, differunt; vt homo albus, & homo niger. Has duas differentias in motu inuenimus. Motus enim duo specie essentiali differunt. Cū in ratione motus differunt, puta, in terminis ad quos, vt motus sursum, & deorsū: accidentali verò differunt, cū per accidentia; quomodo violētū, & naturale faciunt motus specie accidentali differre, non autē essentiali. Possunt enim duo motus vnius speciei esse, alter naturalis, alter violentus: hæc enim accidentia sunt motus, non differentiæ, sicut album, & nigrū respectu hominis, & ad talem differentiam conducit mobile in ratione grauis, aut leuis.

Ad vltimum. Vnde ad vltimum argumentum dicitur, q̄ motus aeris ad centrum, & motus lapidis eiusdem speciei sunt essentialis: nam violentum, & naturale tantùm nō mutant speciem substantialem, cum terminus ad quem vnus est specie. At specie accidentali differunt, quia alterū mobile est graue, alterum leue. Aristoteles autē, dum de vnitate specifica loquitur, de specie loquitur essentiali, ad quā vnitas termini ad quē est inspicienda, vt dictū est.

An vnitas numeralis motus sumatur ex tribus, videlicet ex vnitate numerica termini mobilis, & temporis.

Quæstio. III.

Difficultas est circa id, quod Aristoteles docet ad vnitatem numeralem motus esse opus tribus, & vnitate numerica termini, & mobilis, & temporis, in quo occurrunt aliquot argumenta. Primum est. In textu enim 35 dicitur, ad vnum numero motum, terminum requiri vnum, & indiuisibilem, id est, vnum numero. In textu autē 41. dicitur ad continuitatē opus esse vnitate specifica termini; hęc videtur pugnare cum tex. 40. vbi dicitur, motum vnum numero esse continuum, & ecōtra. 1. Argum. Est igitur argumentum. Idem est motus vnus numero, & continuus: ergo si ad cōtinuationem terminus debet esse vnus specie, pariter ad vnitatem numericam, vel si ad istam debet esse vnus numero, etiam erit ad continuationem.

Secundò. Contra id, quod dicit, ad vnita-

nitatem, & continuationem motus debere esse vnicum mobile. In primis videtur contra ipsum Aristotel. text. 23. dicit enim, quòd motus primæ chordæ, & vltimæ in vnico tempore est continuus, & tamen mobilia diuersa sunt, puta diuersę chordæ.

Præterea. Ratione. Descendat canis à media regione aeris incessanter, & in media via moriatur: tunc motus hic continuus videtur: at mobilia specie differūt. Nam canis viuus est animatus, mortuus verò inanimatus. Idem argumentum est de gutta aquæ cadente, quæ in medio fit grando, & lapis.

Tertium. Tertiò. Contra id, quod dicitur motus diuersæ speciei non posse continuari, videtur falsum. Nam res diuersæ speciei continuas experimur in multis: primò de virga vna, cuius medietas aruit, & vitam amisit, reliqua manet viridis, & alterius speciei, & tamen ibi est continuitas. Præterea, de homine morienti sæpè, cuius pedes primò vita destituuntur, ac aliam formam habens substantialem, & tamen cum partibus animatis continui sunt. Similiter de circulo, & circumferentia, & semicirculo, & chorda, quę cōtinua sunt: curuum autem, & rectum, necnon linea, & superficies specie differunt. Præterea, de lapide, qui ascendit, & statim descendit: vbi videtur esse continuatio ascensus, & descensus differentium specie. Idem de pila, qua fit percussio, & repercussio.

Prętereà. Ponatur, quòd sit spacium ab vna parte circumferentiæ terrę, vsque ad alteram per centrum, vt sit velut quoddã foramen: tunc proijciatur lapis, sine dubio descenderet ad cētrum, & ascenderet ex alia parte, tunc esset motus hic ascensus, & descensus, & tamen continuus: res igitur specie differentes continuari possunt.

Quartum Quartò, est argumentum. Motus accidens quoddam est: sed accidentia vnitatem numericam habent à subiecto: ergo vnitas motus tantùm à mobili sumi debet, non à tempore, non à termino.

Quintũ. Quintò. Tempus vnicum est, & continuum, non interruptum nostris actionibus, cum sit in motu cæli, qui cōtinus est: non ergo oportet exprimere, ad vnitatem motus, opus esse vnitate temporis, cum semper vnum sit, nec plura esse possit.

Pro determinatione huius, sit primũ fundamentum. Aliud est, motus esse simul; aliud esse contiguos, vel consequentes; aliud continuos. Vt duo motus simul dicantur, opus est, vt eadem prorsus temporis parte mensurentur, siuè sint in diuersis mobilibus, siuè in vno: vt si modò quis deambulet, & modò quis calefiat, siuè idem, siuè aliud, motus hi simul esse dicuntur. 1. fundamentum. Aliud est motus esse continuos, aliud contiguos, aliud simul.

Contigui verò dicuntur, qui sunt in tempore continuo, non interrupto aliqua quiete, tamen non vna parte mensurantur, sed vna vnus, altera alter: & hoc, siuè in vno, siuè in diuersis mobilitas sit: vt si deambulem modò, & posteà cessante ambulatione, calefiam ita, vt nullum sit tempus medium, in quo non ambulem, aut calefiam: tunc isti motus contigui, seù consequentes, seù deinceps dicũtur. Potest autem vnus plus temporis durare, quàm alius, cum non eadem temporis parte mensurentur.

At continuus motus non est, nisi cũ vnus est terminus ad quem numero, & vnicum tempus, & vnicum mobile, vt dictum est, supra textum.

Sit secundum fundamentum. Ad motus continuitatem, non opus esse vnitate motoris, nisi ex accidenti, cum motor, & mobile idem sunt; nec opus est ipsius spacij continuitate. Aliquando enim motor, & mobile idem sunt, sicut cum aliquid se mouet: & tunc non potest vnicũ esse mobile, quia, & motor vnus sit. Aliquando motor, & mobile diuersa sunt, sicut in his, quæ ab alio mouentur: tunc autem dicimus, motus vnitatem nõ consistere in vnitate motus. Possunt enim plures esse, & motum vnum numero: vt de motu grani lato ab vna formica, & postea incessanter ab altera: & de motu illius facis, quæ ab vno, posteà ab altero fertur, vt diximus text. 40. 2. Fundamentum. Nota nõ requritur vnitas motoris neq; spacij ad vnitatem motus numericam.

Ratio autem huius est, quia motus in mobili, vt mobile est, non in motore, subsistatur, ob id suam vnitatem numericã iab ipso sumit.

Diximus etiam vlterius: quòd non opus est motº vnitati, & cōtinuitati: ipsa mac-

medij continuatione: vnde si lapis ab igne vsq; in terram caderet, profectò esset motus continuus: at elementa, per quæ transit, non sunt sibi continua.

Et huius ratio est: nam ad motum illa continuitas est necessaria, quæ sufficit ad vnitatem loci. Diximus autem, quòd potest esse, duas esse superficies in se, & discontinuitas, & in ratiõe loci esse vnum continuũ; vt si baculus sit in aqua, & partim in aere, duo illa vnum sunt in ratiõe loci, quia quamlibet locati partem ambiunt, nulla relicta, aut intercepta.

3. Fundamentum. Dupliciter aliqd. est idem numero. Sit tertium fundamentum. Esse vnum numero dupliciter contingit. Vno modo formaliter, & per identitatem: vt lignum hoc, & quælibet res singularis vna est numero. Altero modo extrinsecè, vt velut effectiuè, quia facit vnum numero; quomodo duæ partes eiusdem continui dicuntur vnum numero; non quòd sit vna altera, hoc enim esset, si essent vnũ priori modo, sed quia faciunt vnũ numero.

Hæc duplex vnitas in motu attendenda est, & intrinseca, & formalis: & hęc vnitas est in ipso toto motu, aut in singulis partib. per se. Est etiã altera vnitas, secundum quam duę distinctę partes vnũ numero dicũtur, quia vnicum continuũ faciunt.

1. Conclu. His igitur suppositis, sit prima cōclusio. Ad vnitatem intrinsecam motus, & formalẽ opus est vnitate mobilis numerica omnimoda, ita vt sicut hæc albedo est in tali subiecto, quo mutato, & destructo, iam non est illa eadem albedo: ita hic motus, qui in hoc subiecto est, non potest esse in altero subiecto.

Probatio. Hæc cōclusio nota est, quia cum motº sit accidẽs ipsius cōpositi, hoc destructo, pariter destruitur motus.

Secũda conclusio. Ad vnitatẽ alteram motus, id est, vt dicatur vnus, quia vnum facit motum continuũ, non opus est omnimoda vnitate mobilis.

Declaro. Sicut duę partes motus diuersæ vnicum motum continuum faciunt, ita potest esse quòd mobile nõ sit omninò idem, sed aliter sub vna parte motus, aliter sub altera se habet.

Inprimis enim, vt vnus sit motus, nõ debent esse diuersa supposita mobilia cum diuersis materijs, sicut Petrus, & Paulus: impossibile enim est, quòd horum sit vnus motus continuus. At cum non sic sunt diuersa, quòd materia sit eadem, vt cum recedente forma Petri succedit forma cadaueris, profectò non video, cur non possit esse vnus motus cōtinuus, si adsit vnitas temporis, & termini ad quem.

Nec talem diuersitatem mobilis, vbi est materia vna, censuit Aristoteles, impedire continuationem. Solùm enim hoc conuincit; quòd illa pars motus præcedentis mobilis non est pars motus sequẽtis, sed diuersa pars: tamen non ob id illæ duæ partes non erunt cōtinuæ, cum sint eiusdem speciei, & tempus vnum, & mobile secundum vnam sui partem, quod satis est vnum.

Multi tamen motum contiguum putant, vt est motus canis viui, & mortui, & guttę cadentis, vt diximus in tertio argumento: & quamuis hoc probabile sit, mihi saltem probabilius videtur, illos motus continuari, propter vnicam eandem materiam, cui cum inhęreant accidẽtia ista materialia, vt dicemus 1. de generatione, fit, vt licet denominatiuè compositum sit quod mouetur, tamen dum manet eadẽ materia, licet mutentur composita, non mutatur motus, sed id, quod à motu denominabatur.

Et videtur ratio huic fauere: nam cũ in hac eadem materia illo instãti, quo cãnis corrumpitur, sit verum dicere, nunc non est motus canis, & immediatè post hoc erit motus cadaueris, videtur, motº illos esse continuos, cùm vnico termino cõmuni copulentur. Adde, quod in quocunque instanti, & in illo mutationis, est verùm dicere, motus est: ergo motus illi continui sunt: aliter enim in instanti nõ conceditur, motus est, nisi quia cõtinuatiuum motus tunc est,

Ad singula tamen argumenta respondere oportet.

Ad primum. Circa illos textus Aristotelis dicimus, quod in textu 41. loquitur de continuatione faciẽda inter duos motus, & tunc dicit: vt duo motus continuentur, debent habere terminos eiusdẽ speciei: imaginatur enim, ac si essent diuisi, sicut duæ aquæ. Ita duo motus & hi continuantur, cum terminus à quo est eiusdem Ad 1.

iusdem speciei cum termino ad quem alterius: sic enim continuātur. At facta continuatione, vnicus terminus numero manet: & sic esse continuum, & vnum numero, idem est, & ad vtrumque vnus debet esse terminus numero ad quem.

Ad 2. Ad secundum respondetur, & primò ad illum locum Aristo. dico, non esse intelligendum de motu, qui in chorda est, nam vnius chordæ motus discontinuus est ab altero alterius, sed de motu pulsantis: chorda enim, vt spacium consideratur. Ad illud de cane, iam diximus in posteriori conclusione.

Ad 3. Ad tertium, sunt Thomistę, qui concedant, virgæ illius partes esse discōtinuas, tantum esse contiguas; similiter partes mortuas hominis cum partibus viuis nō esse continuas.

Sed ego non possum hoc mihi persuadere, cum manifestè contradicat sensui, imò, & ratiōi: nam cum partes viuę paulatim moriantur, cōcedere debent, quòd mortuę iterum continuantur cum mortuis, & sic sunt innumerę cōtinuationes, & discōtinuationes, quas ipsi possunt credere, ego non possum.

Vnde dico illas esse continuas, cū non differant specie perfecta, sed imperfecta: vna enim est velut alteri⁹ priuatio, & precessit continuitas, & deinde sunt continua continuatione materiæ, licet non continuatione formæ: Quòd si est, Aristoteles dixit, res diuersarum specierum non posse continuari, id intelligi sic debet, quòd cum duæ res diuersæ specie fuerint discretæ, & disiunctæ, nequeunt cōtinuari manentes sub suis speciebus.

No. optimū sensū Arist. Sunt igitur omnia illa tria continua, partes nempè virgæ, & hominis, & linea recta cum circulari: sed hoc nihil facit ad probandum motum esse continuum alteri diuersæ speciei cum perfecta specie differant.

Ad illud de lapide dicimus, quòd cum lapis sursum proijcitur, & descendit, parum quiescit in puncto descensus. Similiter de motu percussionis, & ratione illius quietis tempus interrumpitur: & ita illi duo motus non sunt continui, inter quos quies, quantumuis minima intercessit.

Ad illud de illo foramine, quidam nolunt concedere lapidem vltra centrum transiturum, quia ascensus, & descensus essent continui. Dico tamen, quòd dupliciter potest graue descendere. Vno modo naturaliter, cum secundum velocitatem suæ grauitatis descendit. Altero modo, violenter, cum impetus etiam ab extrinseco imprimitur: vt cum proijcitur ab aliquo deorsum, vel cadit ex magna distantia, tunc enim aliquid violentiæ quodammodo acquirit, propter rationem quam alibi explicabimus.

Dico igitur, quòd cum naturali tantū impetu descēdit, quiescet in centro: at cū violentè descendet, nō dubium, quin per aliquam distantiam vltra cētrum mouebitur, et postea regreditur: et tūc tales motus, nempè, descensus vsque in centrum, & ascensus à centro, erunt continui, non tamen erunt diuersæ speciei. Quia cū talis descensus sit violētus, debet ipsius terminus reputari non centrum, sed locus, in quem ob impetum fertur.

Nec est vllū inconueniens, ascensum, & descensum aliquando continuari, nō solum in casu allegato, sed etiam in alijs. V.g. proijcitur sursum lapis, aut pila, & dum sursum ascendit, antequā quiescat, ingens lapis deorsum cadens, ei obuiat, nec sinit quiescere, tunc videtur cōtinuus ascensus cum descensu.

Nota. Verum est, qd̄ si subtiliter hoc secundum exemplum consideres, inuenies, q̄ non est ibi continuatio vera: nam pila, cum ei occurrit lapis, quiescit in ipso lapide parum, id est, non mouetur motu proprio, sed motu per accidens, quatenus cum lapide i[illegible]o defertur: & sic non est descensus per se ipsius pilæ. Descensus autem, & ascensus per se eiusdem continuari nequeunt, nisi vterq; sit, aut violentus, aut vnus per se, alter per accidēs. Posset etiam dici illos motus facto foramine continuari materialiter, scilicet, secundum entitatem motus: sed non formaliter, vt motus sunt, quia secundum hanc ratiōem formalem, vnus est sursum, alter deorsum: & ita ratiō eorum formalis est discontinua, licet materialis ratio motus & entitatis ipsius sit continua.

Ad 4. Ad quartum. Respondetur, quòd non hic consideramus vnitatem numeralem extrin-

extrinsecam motus: hæc enim à subiecto est, secundum quam accidentia etiam genere diuersa, si eidem insint, vnum numero dicuntur: sed consideramus vnitatem intrinsecam ipsius in diuidualem: & hæc à tribus sumitur, vt dictum est.

Ad 5. Ad quintum dicimus, quòd totū tempus continuum est in se, tamen discontinuum vocamus, cùm quiete aliqua motus interruptus est. Cùm igitur duæ partes temporis sumūtur, in quibus est motus ita, vt inter illa sit medium tēpus, in quo quies fuit, illa plura tempora vocamus, & discontinua, licèt in ipso tempore intrinsecè non sit discontinuatio.

CAPVT V.

Amplius autem determinandum est. Tex. XLVI.

De cōtrarietate motuum. POSTQVAM de vnitate motus disseruit, nūc de eius contrarietate tractat, ac docet, qui motus cui motui, & quæ mutatio cui mutationi, & quæ quies cui quieti, & quæ quies cui motui opponantur, & contraria sint.

Quinque modi, qui hoc posset imaginari, motum esse contrariū motui.
1. 2. 3. 4. 5.

A motus tamen cōtrarietate incipit, quam diuisiuo argumento colligendam dicit. Facit ergo argumentum quinque partibus cōstans. Si motus contrariatur motui, tunc aut illi motus erunt cōtrarij, cuius terminus à quo vnius, est terminus ad quem alterius: vt motus à sanitate, & motus in sanitatē. Aut secūdò, quorum termini à quibus sunt contrarij, vt motus à sanitate, & motus ab ægritudine. Aut tertiò, quorum termini ad quos sunt contrarij, vt motus in sanitatem, & motus in ægritudinem. Aut quartò, quorum terminus à quo vnius, est cōtrarius termino ad quem alterius, vt motus à sanitate, & motus in ægritudinē. Aut tandem quintò, quorū termini à quibus, & ad quos inuicem sunt contrarij, vt mot⁹ à sanitate in ægritudinem, & motus ab ægritudine in sanitatem. Concludit, aut vnū, aut plures ex his modis habere cōtrarietatē: non enim aliter termini secūdum contrarietatem disponi possunt.

Est autem, qui ex contrario ei. Tex. XLVII.

Excludi-tur quartus mod⁹. INcipit excludere aliquos modos ex dictis, in quibus non est motuum cōtrarietas. Et primò excludit quartum, nempè, cùm terminus à quo, & terminus ad quem sunt contrarij. Et ratio est. Vnus, & idem motus non potest sibi esse contrarius: at motus à contrario in contrarium vnus est, puta, motus ab albo in nigrum; non igitur est sibi cōtrarius. Declarat tamen quòd, quāuis vnus motus sit à contrario in contrarium, id est, re, ratione tamen diuersitatem aliquā habet, prout ille mot⁹ est acquisitio termini ad quem, & deperditio termini à quo: & est accessus ad vnum, recessus ab altero.

Neque qui est ex contrario Tex. XLVIII.

Excludit⁹ 2. mod⁹. EXcludit secundum modum, nempè cùm termini à quibus sunt contrarij: & probat tripliciter in terminis à quibus non consistere motuum cōtrarietatem. Primò: quia possunt esse termini à quibus diuersi, & contrarij, & tamen vnus terminus ad quem: & ita motus illi propter terminum ad quem vnum erunt eiusdem speciei, & non contrarij: vt motus ab albo in fuscum, & à nigro in fuscum. 1. Ratio.

Nota. At quia hoc argumentum nil cōcludebat, quia posteà tex. 52. dicturus est, illos motus esse contrarios, & mediū induere rationem duorum, remittit se ad dicenda: & iterum secundò probat alio argumento, quòd potius in terminis ad quos contrarietas consistat, quàm in terminis, à quibus.

2. Ratio. Argumentum est. In his magis cōtrarietas consistit, quæ magis vigent, dum motus fiunt, & sunt: at dum motus sunt, fit accessus ad terminos ad quos, & recedunt termini à quibus: magis ergo est contrarietas in terminis ad quos: aliter enim motus contrarij, dum magis tendunt, minus essent contrarij.

3. Ratio. Probat tertiò. Quia à quo sumitur nomen & definitio, debet & sumi species, & contrarietas: id aūt est termin⁹ ad quem:

quem: non ergo, ex terminis à quibus, cõtrarietas prouenit.

Qui motus at cõtrarij, nẽpe 3. & 5. modo

Ex hoc colligit, duos modos contrarietatem habere: Nempè, tertium, & quintum ad terminos contrarios, & à terminis contrarijs in terminos contrarios.

Nota.

Repetit autem motum à contrario in contrarium esse idem, & vnum re, ratione verò diuersum: vt dixit superius, & nos interius examinabimus.

Quoniam autem differt mutatio. Tex. XLIX.

Mod. 3. & 5. ad vnũ modũ reducũtur contrarietatis.

VVlt reducere ad vnum modum illos duos, puta, tertium ad quintum, & ostendere, quòd motus illi sunt contrarij, qui sunt ex contrarijs in contrarios terminos.

Repetit autem differentiam motus, ac mutationis: quòd mutatio non à contrario in contrarium procedit: motus verò, id est.

Ex quo argumentum sumitur. Omnis motus ad contrarium ex contrario procedit: ergo quæ sunt ad terminos contrarios, verè ex contrarijs etiam procedent. In his ergo contrarietas est, qui à contrarijs in contrarios tendunt: vt motus à sanitate in ęgritudinem, & ab ægritudine in sanitatem contrarij sunt.

Manifestum est autem, & ex inductione. Tex. L.

Inductio p singula motuum genera.

INductione per singula motus genera diuersorum motuum contrariorum exempla ponit. In alteratione enim corporali, ægrotare, & sanari contrarij sunt motus. In alteratione secundum animam, discere, & ab alio decipi. Discere enim est acquirere scientiam ab alio, & huic opponitur decipi ab alio. Nam inuenire, quod est scire per se, opponitur errare per se, & à se. Similiter in motu locali, motus sursum motui deorsum contrarius est secundum longitudinem: motus ad dextram, motui ad sinistram secundũ latitudinem: motus antè, motui retrò, secundum profunditatem. Secũdum enim cuiuslibet dimensionis termi nos sumitur motus localis contrarietas. De motu augmentationis notum etiam est.

Quæ autem est in contrarium solùm. Tex. LI.

De cõtrarietate mutationum.

OStendit modò contrarietatem in mutationibus. Mutatio enim nõ est à contrario in contrarium, sed in contrarium solũm, qualis est mutatio accidentalis, vt ex non albo in album, vt in subiectum, vel non subiectum, cùm non est contrarium, vt in mutatione substantiali.

Mutationũ cõtrarietas sumitur secundũ primũ modũ

In mutatione igitur contrarietas sumitur secundum primum modum dictũ superius, de quo nihil dixerat: putà, cùm terminus à quo vnius est terminus ad quẽ alterius: vt generatio, quæ est ad esse, cõtraria est corruptioni, quæ est ab esse.

Non autem debet sumi penes non esse, quia id negatio est, in qua contrarietas non consistit, sed penes esse, quatenus vna mutatio est accessus ad esse, altera recessus ab eodem esse: vndè generatio ignis contraria est corruptioni ignis. Et contrarietas consistit in hoc; quòd generatio accessus est ad ignem, ab eadem autem corruptio recessus est.

Qui autem ad medium motus sunt. Tex. LII.

De cõtrarietate motũ à cõtrarijs terminis ad medium.

DE eo, quod superius dixerat, nunc sermonem facit, puta, cùm à terminis contrarijs tenditur ad terminum ad quem medium: ac docet illos motus esse contrarios, & medium tenere locum diuersorum contrariorum, si ad diuersa comparatur: vt fuscum respectu albi nigrũ est, ob id motus ab albo in fuscum est denigratio: at respectu nigri albũ est, ob id motus à nigro in fuscum dealbatio est. Sunt igitur motus cõtrarij etiam, qui ex contrarijs ad medium sunt. Concludit motus esse contrarios, qui à terminis contrarijs in contrarios tendunt. Atque hæc de motuum contrarietate.

An sint duo motus re, cùm aliquid ex cõtrario in contrarium moueatur.

Quæst. IIII.

HAEC

1. Sentẽtia D. Thom. Alberti, Auer.

HAEC quæstio mouetur circa tex. 47. vbi motum à cõtrario in contrarium vnum re vocat, ratione tamen diuersum. Quo autem pacto sit hoc intelligẽdum, varia est opinio. Primò D. Thomæ, & Alberti, & Auerr. super illum textum. Dicunt re esse plures motus à contrario in contrariũ, vt ab albo in nigrum: subiecto verò sunt vnum: alius enim est motus albi, alius motus nigri; at quia simul in eodem sunt subiecto, vnus dicuntur.

Pro hac sentẽtia est validissimum argumentum. Cùm ex albo fit quid nigrũ, ibi est fluxus albedinis, qui motus est, & fluxus nigredinis, qui motus est: sed albedo, & nigredo realiter distinguuntur, ergo sunt etiam motus realiter distinẽti: nã quisque motus, & fluxus à suo termino, & forma non est realiter distinctus, vt dictum est.

Obijcitur cõtra hãc sentẽtiã.

Hæc sententia non mihi admodum placet. Primò, quia Aristoteles vnicum remotum dicit, & vnius speciei à contrario in contrarium; non igitur sunt duo motus, essent enim specie distincti. Præterea, quia cùm quis ex nigro fit albus, si essent duo motus, tunc quisquã ex contrario in contrarium procederet: at non est nisi vnus, qui ex contrario in contrarium procedat.

2. Sũia.

Altera opinio est Pauli Veneti super hunc textum. Distinguit enim, motum dupliciter sumi: Vno modo, materialiter pro ipsa forma: Altero modo formaliter pro fluxu. Si priori modo consideretur, tunc duos esse motus fatetur re, cùm sint duæ formæ cõtrariæ: at si posteriori modo pro fluxu, tunc est vnicus motus.

1. Ratio.

Probat suam sententiam. Primò: Vbi est vnus terminus ad quem, ibi vnicus est motus, At cùm albedo deperditur, & nigredo acquiritur, quod fit in motu ab albo in nigrũ, vnus est terminus ad quẽ; vnus ergo est re motus. Minor patet. Nã deperditio albedinis in nigredinem terminatur, sicut acquisitio nigredinis.

2. Ratio.

Secundò. Si illi duo motus essent, sequeretur, quòd vnus motus haberet duos motus contrarios; quod falsum est. Sequela patet. Nam acquisitio albedinis haberet pro contrario deperditionem albedinis, & acquisitionem nigredinis, si duo sunt motus ex albo in nigrum.

3. Ratio.

Tertiò, Sequeretur etiam, quòd vnum duobus motibus contrarijs moueretur, puta, deperditione albedinis, & acquisitione nigredinis. Quòd autem hi motus contrarij sint, patet. Nam acquisitio nigredinis terminatur in nigredinẽ: deperditio verò albedinis in albedinẽ: sunt hi termini ad quos contrarij; ergo & ipsi motus. Cùm autem hoc esse nõ possit, vnus erit motus ab albedine in nigredinẽ.

Reijcitur hæc 2. sententia.

Hęc sententia non omninò mihi placet. Nã cùm in motu ab albo in nigrum, sit recessus ipsius albedinis in se, & acquisitio ipsius nigredinis, re vera, non potest intelligi, nisi quòd sint duo fluxus, nisi voces fluxum vnum compositũ ex illis duobus: nõ enim accidit esse duo distincta, quorum vtrumq; mutetur in tempore; nisi duos fluxus in illis intelligas.

3. Sũia.

Tertia est quorundam opinio, qui dicũt in motu ab albo in nigrum esse duas mutationes. Altera est termini à quo, secundum quam ex albo fit nõ album: Altera est termini ad quem, secundum quã ex non nigro fit nigrum: Altera est generatio, altera prior corruptio accidentalis. Motus ergo ex vtraque mutatione constat: similiter in alijs cõtrarijs: est ergo vnus motus à contrario in contrariũ; duas verò habens mutationes.

Reijcitur 3. sentẽtia

Ista sententia non videtur admodum exacta. Nam tunc motus esset vnum per accidens, nempè aggregatum ex duplici mutatione specie diuersa; quod re vera falsum est. Quicquid ergo dicatur, siue secundum hanc, siue secundum illam opinionem, videtur difficile ad sustinendum. Dicam, quod mihi conformius veritati, & Aristoteli videtur.

4. Authoris sentẽ.

Aduerte igitur primo, quòd terminus à quo non est intrinsecus, nec de essentia motus, sed solùm terminus ad quẽ. Cùm enim motus nõ sit aliud, quàm actus entis in potentia, i. processus, & operatio aliqua tendens in actũ perfectum, & consummatũ: re vera, motus de se non dicit, nisi viã in terminum ad quem; ipse enim est, qui procedit: vnde motus ab albo in nigrum non est aliud, quàm nigredinis processus, & via, quæ quidem intrinsecè incipit initiatiuè ab albedine.

1. fundamẽtũ terminus à quo nõ ẽ intrinsecè de essentia mot, sed terminus ad quem.

Vt qui tendit in diui Petri, verè nõ habet flu-

1. exẽplũ

bet fluxum, & motũ, nisi in spacio, quod locum habet termini ad quẽ. Constat enim spacium ex multis terminis ad quos non vltimatis: at terminus à quo est extrinsecus, puta, locus, à quo incipit via at ille locus non est via, nec viæ pars, nec de essentia vię, nisi quatenus finita est.

2. exẽplũ. Ita motus in nigrum non est aliud, q̃ via, & processus in nigrum, qui processus est realiter in nigredine; & extrinsecè incipit ab albedine: non quòd talis terminus pars sit ipsius motus, quamuis sine illo non fiat motus.

3. Ratio à posteriori. Et hæc est ratio, quare species, vnitas, & contrarietas à termino ad quem sumatur, tanquam ab essentiali motus.

4. Aristoteles testimonium. Et quod est valdè notandum: Aristoteles primò dixit motus cõtrarios, quorum termini ad quos sunt contrarij, intelligẽs, hoc esse intrinsecum motui, puta terminũ ad quẽ. Posteà dixit, cùm non stet esse in contrarium, nisi à contrario, motus à contrarijs in contraria sunt cõtrarij, quasi id esset per accidens, & contra, & non ad naturam motus, vt motus est pertinẽs. & hæc doctrina est notãda.

2. fundamentũ, in motu, à contrario in cõtrariũ, cùm suscipiũt intensionẽ, sunt tres motus, & duę mutationes. Aduertendum secundò, quòd in motu à contrario in cõtrarium, cùm extrema suscipiunt intensionẽ, sunt tres motus, & duæ mutationes, & vnumquodq; ex his habet suos terminos distinctos. Prior mutatio est termini à quo, quę corruptio secundum quid est, vt in motu à nigro in album: mutatio est, ex nigro fit non nigrum. Altera mutatio est termini ad quem, quæ est generatio secundum quid: puta ex non albo fit album.

Motus autẽ hi sunt. In termino à quo, est motus remissionis, quatenus ex nigro fit minus nigrum, termini sunt nigrum, & minus nigrum. In termino autem ad quem, postquam iam producta est aliqua pars, est motus intensionis à minus albo ad magis album.

Distinguuntur autem hi motus inter se, & mutationes inter se realiter, sicut & ipsa contraria nigredo, & albedo, motus verò à mutationibus non nisi ratione.

Dicitur ab vno cõtrario in aliud. At motus tertius est simpliciter ab ipso nigro in album, quo motu subiectum ipsum mutari dicitur ab vno cõtrario ad aliud: Et hic differt à motu intensionis ratione tantũ, nã motus à nigro in albũ dicit ex se incipere extrinsecè à nigro, & est totus processus albedinis: at intensio per se, incipit solùm ab aliquo gradu albedinis, & est via in perfectã albedinem. Nota igitur hos omnes motus, & mutationes, & ipsorum terminos distinctos.

1. Conclõ. His suppositis, sit prima cõclusio. Motus ab albo in nigrum, & vniuersaliter à contrario in contrarium vnus est, sicut est vnus terminus ad quem.

Ratio. Hæc conclusio patet ex fundamento priori. Hic enim non est motus, nisi via ipsius termini ad quem, incipiens à termino à quo, necessario quidẽ, sed extrinsecè: cùm igitur vnus sit terminus ad quẽ, vnus erit motus.

2. Conclõ. Secunda conclusio. Iste motus, cùm vnus sit, secum fert mutationes duas, & termini à quo, & termini ad quem.

Ratio. Hæc conclusio est nota, nam in omni motu datur generatio vnius extremi, & corruptio alterius. Non quòd motus essentialiter sit hoc; est enim via in terminum ad quem, qui non est sine hac mutatione.

Nota. Nota tamen, quòd motus non distinguitur realiter à mutatione termini ad quem, vt diximus; distinguitur tamen à termino à quo, & ipsius mutatione.

Ad arg. D. Tho. Et per hoc soluitur argumentum pro sancto Thoma & alijs. Dicimus enim in motu ex contrario in contrariũ esse duos fluxus, sed solùm termini ad quem esse motum; termini verò à quo, fluxus mutatio quædam est.

3. Conclõ. Tertia conclusio. Illa via termini ad quem, quæ motus dicitur, licèt re vnus sit, at rationem diuersam habet; est enim recessus à termino à quo, accessus verò ad terminum ad quem; & sic intelligendus est Aristoteles.

Nota. Notandum verò, quòd latitudo termini ad quem secũdum intensionem vel extensionem se habet, sicut spacium in motu locali in hoc, quòd in illo est motus; non autem in termino à quo spacij.

Ad argumenta. 2. opinionis ad primũ. Ad argumenta Pauli respondetur. Licèt enim pro nobis sit, tamen quia aliter intendit Paulus dicere, solui debent. Ad primum dico, quòd deperditio albedinis non est motus, sed mutatio, cuius terminus vltimus est, non album: extrinsecè enim terminatur in nigrum; Ob id distinguitur

guitur à mutatione, quę est acquisitio nigredinis, quæ alium terminum habet.

Ad 2. Ad aliud, nos fatemur illos non esse motus, sed mutationes.

Ad 3. Ad tertium negamus acquisitionẽ albedinis, & deperditionem nigredinis esse motus contrarios; & probatio est falsa. Nam deperditio nigredinis nõ terminatur in nigredinem, sed in non nigredinẽ: non nigredo autem, & albedo non opponuntur: ob id nec illæ mutationes, nec motus, quamuis motus esse fateamur, quod quidem non ita est.

Obiect. Sed posses replicare; Sumo intensionem, & remissionem cùm aliquid ex nigro fit album, tunc intensio terminatur in album, remissio in nigrum; ergo simul sunt contrarij motus.

Solutio. Dico, quòd intensio nõ in album, sed in magis album terminatur; remissio verò non in nigrum, sed in minus nigrum tendit. Minus autem nigrum, & magis album non sunt simpliciter contraria, sed minus nigrum magis nigro, magis album minus albo opponuntur: ob id illi motus non sunt cõtrarij, hi autem sunt. Ex minus nigro in magis nigrum, & ex magis nigro in minus nigrum, nẽpè intensio, & remissio eiusdem formæ, & hi motus nũquam simul sunt. Diuersarum verò formarum non sunt contrarij, imò simul sunt, nec vnum absque altero fit.

CAPVT VI.

Quoniam autem motui. Tex. LIII.

De cõtrarietate quietum cũ motu. POSTQVAM dixit de contrarietate motuum, nunc de contrarietate quietis cũ motu tractat. Primò tamẽ ostendit, aliter motum motui, aliter quietem motui esse contrariam. Motus enim motui est cõtrariũ simpliciter, id est, perfecta contrarietate: at quies opponitur motui priuatiuè; priuatio autem quodãmodo contraria dici potest.

Aliter motũ motui. Suppositio tamen quietem motui esse contrariã, dicit, non quietẽ quamcunq;, sed quæ est eiusdem generis opponi motui: vt quies in loco motui in loco, quies in qualitate motui, in qualitate opponitur; similiter in quantitate. tui, & aliter quies motui est cõtraria.

Quies motui cõtraria debet esse in eodẽ gẽre. Hoc tamen est loqui in cõmuni, & in vniuersali: adhuc n. restat examinãdum, quę quies in loco cui motui in loco opponatur: an quies in termino à quo motui ab illo termino: an quies in termino ad quem. Idem est dubium in alijs motibus.

Nota qd sit quiescere in aliquo. Et aduerte; quòd quiescere in aliquo, est ab illo, vel ad illud non moueri, sed in eo stare; vt esse album, est quiescere in albo. Idem est in alijs motuum generibus, & speciebus.

Manifestum est igitur, quòd quia in duobus. Tex. LIIII.

Duplex quies, & quæ cui motui sit cõtraria. OStensurus, quæ quies motui opponatur, distinguit duos terminos in motu quolibet esse, ac consequẽter duas quietes. Est terminus à quo, & quies in termino à quo: est terminus ad quem, & quies in termino ad quem. Ex his duabus quietibus ea, quę est in termino à quo cõtrariatur ipsi motui: vt quiescere sub albo, opponitur motui ab albo in nigrũ; non autem quiescere sub nigro.

Quæ quies cui quieti sit contraria. Consequenter, quietes sub terminis à quibus motuum contrariorum, sunt inuicem contrariæ; vt quies sub albo, quæ opponitur motui ab albo in nigrum; & quies sub nigro, quæ opponitur motui, à nigro in album. Quòd autem hæ quietes contrariæ sint, probat. Quia inconueniens est, quòd motus sint contrarij, & non quietes; Quasi dicat; quæcunq; sunt contraria contrarijs, sibi inuicem sunt contraria; sed quietes terminorum à quibus, sunt contrariæ motibus contrarijs: ergo & ipsæ sunt contrariæ. Maxima est Topica illa maior. Vnde concludit, quòd quies in sanitate opponitur quieti in ægritudine, & opponitur motui à sanitate in ægritudinem.

Et autem, quæ est ex ægritudine in sanitatem.

Quies cui motui nõ opponitur. CVm dixisset quietẽ in sanitate opponi motui à sanitate in ægritudinem. Dicit modò non opponi motui ab ægritudine in sanitatem, tũc enim

esset iam quies in termino ad quem: est absque ratione quietem in tali termino ad quem motui opponi, & probat.

1. Ratio Aristo. Ratio autem est. Motus ex se tendit in quietem termini ad quem, in quo stat, & quiescit res: vnde motus quietatio quædam, id est, via in quietē dici potest, quæ partim est cum ipso motu. Nam quod mouetur, partim quiescit sub parte termini ad quem: & partim ad reliquas mouetur partes; ergo non est contrarius ipsi quieti: non enim contrarium in suum contrarium tendit.

Dubium. Dices, Quamuis quies sub termino ad quem motus, non sit contraria motui, non ob id erit contraria quies sub termino à quo illius motus: sed quies in termino alterius motus.

Solutio. Hoc autem reijcit Aristoteles tanquā manifestè falsum. Vnde cōcluditur, quietem sub termino à quo esse motui contrariam.

2. Ratio. Et possumus nos aliam rationem huius manifestiorem dare; Quia illa quies motui opponitur, qui ponit potentiā ad illum motum, (est enim quies priuatio) sed quies in termino à quo ponit potentiam ad motum (tunc enim nondum est motus factus.) cùm autem est quies termini ad quē, iam amplius motus nō est, cùm sit cōsummatus; illa ergo quies termini à quo motui opponitur. V.g. quod quiescit in albo, est in potentia ad motū ab albo in nigrum, non autē quod quiescit sub nigro; Quod enim in actu est, nō est in potentia ad actum illum.

Quibus autem non sunt contraria. Tex. LV.

De cōtrarietate quietis cū mutatiōe. INtendit modò docere, An mutationi quies opponatur. Ac primò repetit, quæ mutatio mutationi opponatur, cùm inquit, Mutatio fit in his, quæ non habent contrarium, id est, fit nō inter contraria; tunc mutationum contrarietas est penes eundem terminum positiuū, quatenus vna est ab ipso, altera est ad ipsum mutatio: non aūt est, sicut in ea muratione, quæ est ab ente in ens, id est, à contrario in contrarium, quæ motus est.

Quæ mutatio cui mutationi opponitur.

Nota, in mutatione nō est propriè quies. Ostendit secundò, quòd in mutatione non est propriè quies, sed immutatio quædam: vt esse ignem est immutatio quædam opposita mutationi ab igne in non ignem.

Quæ mutatio cui qeti opponatur. Ostēdit tertiò, quòd cùm in mutatione detur vnum subiectum sub vtroq; termino contradictorio, puta materia; extremum enim vnum non est simpliciter negatio, sed priuatio ponens subiectū in potentia: tunc immutatio sub termino à quo opponetur mutationi, sicut quies motui, vt esse non ignem opponitur mutationi à non igne in ignē, & esse ignem mutationi ab igne in non ignem. Idem in mutatione accidentis.

Quæ qetes mutationū opponātur. Pari ratione quietes terminorū à quibus, seu immutationes oppositæ sunt; vt immutatio sub ente immutatiōe sub nō ente: Idem in particularibus terminis.

Si verò non est aliquid id, quod non est.

Dubium. CVm dixisset, illud non esse dicere subiectum aliquod, dubium ponit. Si illud, esset pura negatio & nihil, tunc immutatio in ente, cui immutationi opponeretur? nam nō esset non entis, & nihil immutatio.

Nota. Hæc autem verba rationem indicant, propter quam non ens dicatur subiectū, quia nempe immutatio sub ente non haberet contrarium: & ob hoc Aristot non soluit dubium, quia ipsius ratio est ad inconueniens ducens.

Probat autem duo, quæ dixerat. Alterum est, quod illa immutatio non sit dicenda quies; si enim quies esset, tūc non omnis quies esset contraria motui; quod est contra communem sententiam. Id.n. quiescit, quod moueri aptum est. Aut sequitur, quòd generatio esset motus; quod etiam falsum esse superius dictū est. Verum est, q̄ licèt quies non sit, habet se tamen sicut quies, quia vtraq; priuatio est, hæc motus, illa mutationis.

Alterum, quod dixit, est, quòd immutatio sub termino à quo opponitur mutationi, & hoc dicit, puta, quies, seu immutatio, quę est sub ente, opponitur mutationi sub non ente, aut nulli, si non ens, nihil est: Opponitur præterea corruptioni, quæ

ni, quæ est ab ente, & non generationi. Rationem eandem dat, quia generatio tendit in ipsam immutationem sub ente, corruptio verò recedit ab ipsa: ergo talis immutatio sub ente corruptioni, quæ ab ente est, non autem generationi, contraria est: illa autem est terminus à quo corruptionis.

Dubitabit autem aliquis. Tex. LVI.

Alis modus cōtrarietatis in motib, & quietibus scilicet penes violēti & naturale. INtendit alium modum contrarietatis in motibus, & quietibus constitue re, nempè secundum violentum, & naturale, ac ob id dubium quoddam proponit. Nempè: quare in motibus secundum locum inuenitur quidam secundū naturam, quidam præter naturam, non autem alijs hoc motibus inesse videtur.

Dubiū Aristin, tex. Quod in motu locali id sit, notum est: q̄ vero non insit alijs motibus, inductione manifestat discurrendo per contrarios motus, & mutationes cuiusque generis, in quibus vterque motus contrarius secundum naturam inesse videtur. Et litera satis est nota, sunt enim exēpla varia.

At si est, quod violenta fit. Text. LVII.

Solutio Aristot. DEterminat dubium, dicens: Quòd si præter naturam dicatur id, quod vi aliqua fit, puta, quòd violentum dicitur: vtique accidit etiam omnibus alijs motibus, & mutationibus violentum esse & naturale: & sic quædam est corruptio violenta, quædam naturalis. Similiter in generatione, & in augmentatione, & diminutione: vt quę augentur præter tempus, propter alimentum delicatius, dicuntur augeri violentè: quę verò secundum tempus debitum, naturaliter.

Nota. Notādum est autem, quòd corruptio, seu mors, si ad materiam nudam referatur, naturalis dicitur. at si ad dispositiones comparetur, quædam est naturalis, puta, quæ ex defectu dispositionum in se prouenit, vt est mors in senibus, quędam violenta, quæ ab extrinseco prouenit, vt interfectio: & hæc dicitur mors præter fatum.

In alteratione autem quo pacto. Tex. LVIII.

IDem esse in alterationibus docet. Est enim quædam violenta, quædam naturalis, vt sanari in diebus iudicatorijs, & creticis, naturale est: at sanari in diebus non iudicatorijs, violentum est. Vocat enim dies iudicatorios; quibus morbus, & natura sensibiliter pugnant, non enim pugna continua est semper.

Concludit generationem contrariari corruptioni, & alteri generationi, quarum vna est naturalis, altera violenta: similiter de corruptione. Nec hoc est inconueniens: nam contrarietas secundum violentum, & naturale est, vt sic, id est, secundum qualitatem: at ea contrarietas, quæ est inter generationem & corruptionem, est secundum speciem, & substantiam, quod suprà declarauimus.

Omninò igitur contrarij motus. Tex. LIX.

COncludit sic motus, & quietes cōtrarietatem habere: est enim contrarietas motuum secundum speciem, quæ est penes terminos ad quos. Cùm tamen vterque motus est naturalis aut violentus, & tunc motus hi contrarij sunt diuersorum mobilium: vt motus ignis sursum, & terræ deorsum contrarij sunt. Est alia contrarietas motuum secundum violentum, & naturale: & sic duo motus contrarij eiusdem mobilis esse possunt, vt motus ignis sursum, & eiusdem deorsum. Similiter lapidis.

Et quietes etiam similiter. Tex. LX.

Quietes etiā cōtrarias esse secundū violentū & naturale. QVietes etiam cum motibus secundum violentum, & naturale opponi docet. Cùm enim quies naturalis est, & motus violentus est: cùm verò quies violenta est, motus naturalis est: loquendo de locali motu: Vt quies lapidis deorsum, naturalis est, eius contrarius motus à deorsum in sursum violentus. Vlterius, quies lapidis in aere violen-

lenta est, eius autem contrarius motus in deorsum naturalis est. Similiter in alijs mobilibus.

Habet autem dubitationem. Tex. LXI.

2. Dubiũ, an quies violẽta generetur.

DVbia aliquot proponit, quorum primum est, An quies, quæ non semper est, qualis est violenta, generetur, & producatur: & quiescere sit idem, quod stare, id est, supposito ꝙ quies in motu sit stare, & cessare, vt verè est.

Quod nõ, 2. Ratio.

Si igitur quies, quæ non semper est, generatur, quies violenta eius, quod violẽter mouetur, generabitur: vt quies lapidis sursum. Sed quòd hoc fieri non possit, probat. Si enim illa quies producitur, tunc producitur illo motu violento, quia non est alia productio. Et hoc est, quod dicit, (quod sursum ferebatur violentia, stabat) id est, ille motus sursum violẽtus tendebat in statum, & quietem: sed hoc videtur falsum, & probat duplici ratiõe.

Prior est: quod stat, id est, quod ad quietem fertur, velocius fertur in fine motus, quàm in principio, & medio, vt patet de his, quæ naturaliter mouentur in sua loca, impetu enim maiori feruntur, cùm propius loca sunt naturalia: at quod violentia fertur, remissius est in fine, ergo non propter quietem fertur: quies igitur violenta non producitur.

2. Ratio.

Altera ratio est. Quia non dicitur propriè quiescere, nisi quod est in suo loco naturali, nec ergo motus tendit in quietem, nisi is, quo in proprium locum fertur, aut proprio loco accedit.

Nota. Aliter se habet quies in motu naturali, & aliter in violẽto

Aduertendum verò, quòd aliter se habet quies in motu naturali, aliter in violento. In naturali est intenta ab ipso mobili per se, & à virtute ipsius, quæ per se attingit illam quietem, sicut calor calorẽ productum. At in violento non est intenta, nec per se prouenit ex aliqua virtute operante, sed potius deficiente: cò enim quòd impetus impressus violenter, finitur, fiet quies: impetus tamen, & virtus illa non per suam efficientiã, sed per sui deficientiam, quietem talem facit: in naturali verò per efficientiam. Et hoc est, quod hic docet: quòd quies violenta per accidens producatur: & argumẽtum est, quia in fine motus, cùm quies est, deficit, & remittitur virtus, quæ illam productura erat, quod non esset, si motus ille ex se in quietem tenderet.

Habet autem dubitationem. Tex. LXII.

2. Dubium an quies termini à quo, sit contrária motui.

ALterum dubium proponit contra id, quod dictum est, quietem termini à quo motui ipsi esse cotrariam. Si enim hoc ita est videtur duo cõtraria simul esse. Nam cùm mouetur aliquid in terminum ad quem, manet aliquid in termino à quo, sub quo quiescit mobile. Non enim in instanti totus terminus à quo abijcitur, vt dum motus est in albũ, manet mobile sub hoc. I. illo gradu nigredinis: sunt igitur duo contraria simul.

Solutio dubij.

Respondet id non esse absurdũ, quòd contraria secũdum aliquid sui simul maneant, vt quis sub aliquo gradu nigredinis, & motus ad aliquem gradum albedinis: At duo motus contrarij secundum nullum gradum simul esse possunt: non enim simul ab albo in nigrum: & à nigro in album vnum moueri potest. Ex quo sequitur, quod magis est contrarius motus motui, quàm quies motui: hæc enim aliquò modo simul esse possunt, illa verò minimè.

Et de motu quidem, & quiete. Tex. LXIII.

Epilogus dictorum.

EPilogat, se iam de motuum vnitate, & contrarietate dixisse: similiter etiam de quiete.

Nota.

Atque in multis codicibus Græcis hic est finis libri, ob id reliqua ab Argiropilo, & Vatablo non vertuntur, leguntur tamen à Simplicio, quamuis ipse iudicet nõ esse Aristot. At quandoquidem à Boetio translata sunt, non erit inconueniens ipsa exponere.

Dubitabit autem quis, & de ipso stare. Tex. LXIIII.

OMnes ferè fatentur, Aristotelẽ hic iterum proponere dubium secundum, an quies producatur, & hæc fuit causa, vt existimarentur, non esse hęc verba Arist. Sed pace dicam, mihi videntur ista esse Arist. si nõ esset alia causa, cur non sint, nisi quia est repetitio eiusdem. Con-

3. Dubiũ, an motus violenti terminetur in quiete sicut naturales.

Cõstat enim esse aliud dubium nouum, quod non fuit propositum, Nempè, an motus violenti terminẽtur in quiete, sicut motus naturales, ita vt etiã illis sit opposita quies, id est, finis sit quies. Superius enim dictum est, non produci quietes violentas, in quo supponebatur ipsas esse: & sic exponit Albertus, & benè respondet, esse tales quietes violentas.

1. Ratio.

Et probat dupliciter. Primò, quia motus violentus manet, & finitur, cùm violentia finiatur: ergo sequitur quies. Nam motus non est finis motus: aliter motus motu produceretur: ex quo sequitur, ꝙ cùm illa quies sit, & non sit facta, id est, ꝑ se, vt suprà dictum est, quòd aliquid erit quiescens, & non est factum quiescens, intellige per se.

2. Ratio.

Secundò probat. Quot modis vnum contrarium, tot etiam alterũ dicitur: sed motus & secundum naturam, & præter naturam est, ergo & quies opposita aliqua est secũdum naturam, aliqua præter naturam, & violenta.

Quoniam autem ex quibusdam motus. Tex. LXV.

4. Dubiũ de pluribus motibus, qui videntur sibi contrarij.

DVbitabat vltimò. Cum vnum videatur habere duos motus oppositos. v. g. motus ignis sursum habet motum terræ deorsum, & motum etiam sui sursum, vter horum contrarius est; Respondet esse vtrumque, sed differenter, nam motus terræ contrarius est, sed sicut naturale naturali, nam vterque motus naturalis est, quamuis diuersorũ mobilium: at motus eiusdem contrarius est, sicut violentum naturali.

Quasi dicat, potest vnus motus naturalis, habere duos contrarios, vnum naturalem pariter, sed diuersi mobilis, alterũ violentum eiusdem mobilis.

Idem fit in quietibus. Nã quies terræ naturalis in cẽtro opponitur quieti naturali ignis in loco sursum, & quieti violẽtę eiusdẽ terrę in loco etiã sursum: Ex quo colligitur duplex modus cõtrarietatis in motibus, & quietibus, vt dictum est.

5. Dubiũ iterum proponitur.

Fortè autem quieti motus.

HAEC verba vltima existimo cum alijs esse omninò superflua ob id nõ esse Arist. Proponitur enim dubiũ tertium præcedens. Quòd si quis termini à quo motus contraria est ipsi motui, tũc duo contraria simul erunt. Soluit eisdem verbis repetitis, & tandem epilogum eorum, quæ dicta sunt, puta, contrarietatis, & vnitatis motuum, & quietum facit. Summa breuis eorum omnium, quæ circa vnitatem, & contrarietatem motui in hoc libro sunt dicta. At vt magis in promptu habeantur, per aliquot conclusiones eadem repetemus.

1. Conclõ.

Prima est. Motuum vnitas generica, & specifica ab vnitate termini ad quem generica, aut specifica consideranda est.

2. Conclõ.

Secunda. Motus vnitas numerica, & continuatio ab vnitate numerica termini ad quem: ab vnitate etiam numerica mobilis per se, & à tempore non interrupto per aliquam quietem peti debet.

3. Conclõ.

Tertia. Motus cõtrarij secundũ speciẽ sunt, ꝙ à terminis à quibus contrarijs ad terminos ad quos contrarios tendunt.

4. Conclõ

Quarta. Quies sub termino à quo cõtraria est motui ab eodem termino: duæ verò quietes sub terminis à quibus motuum contrariorum contrariæ sunt.

5. Conclõ.

Quinta. Duo motus eõtrarij diuersorũ mobiliũ possunt esse, quorũ vterq; sit naturalis, vt motus terræ deorsum, & ignis sursum, aut quorũ vterq; sit violẽtus, vt motus terræ sursum, ignis deorsum.

6. Conclõ.

Sexta. Duo motus contrarij eiusdem mobilis sic se habent, vt si vnus naturalis est, alter violentus erit.

7. Conclõ.

Septima. Idem de quietibus inter se contrarijs, vtraq; enim potest esse naturalis diuersorum mobilium, vt quies ignis, & terræ in locis proprijs: aut vtraq; violenta, vt è conuerso terræ sursum, ignis deorsum: eiusdem mobilis, vna est naturalis, altera non.

8. Conclõ.

Octaua. Si quies naturalis est, motus contrarius violentus est, si violenta, tunc motus naturalis.

Nota.

Notandum autem, quòd contrarietas secundum violentum, & naturale est secundum qualitates motus: altera verò est secundum motus naturam, quæ in terminis consistit. Hæc de libro quinto.

FINIS LIBRI QVINTI.

IN

IN LIBRVM SEXTVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

Si autem est continuum, & tangens.
Textus primus.

Intẽtio Arist. de diuisiõe partiũ quãtitatiuarũ, & earum ordine.

QVID in hoc libro Aristoteles intendat, nõ est difficile comperire: tractat enim de diuisione partiũ quãtitatiuarum motuũ: quas habẽt à spacio & tẽpore, quibus fiunt. Similiter de ordine harum partium.

1. Cõclus. celebris Arist. Nullũ continuũ cõponitur ex indiuisibilibus. Suppositũ

Præmittit autem ante omnia, conclusionem hanc. Nullum continuum ex indiuisibilibus compositum esse, sed ex cõtinuis, & iterum diuisibilibus.

Hanc autem multipliciter probat, suppositis definitionibus traditis in libro quinto, continui, contigui, & consequẽter. Sunt enim continua, cuius vltima sunt vnum. Contigua, quorum vltima sunt simul. Consequentia, inter quæ nihil mediat eiusdem generis.

1. Ratio Aristot.

Ex definitione igitur continui, & cõtigui, probat continuum non componi ex indiuisibilibus, sic. Si ex his componeretur continuum, tunc indiuisibile esset cõtinuum cum altero indiuisibili, vel cõtiguum: sed non potest id esse. Probatur, Nam non habet vltimum, quod indiuisibile est: quod enim habet vltimum, habet partem, quæ non sit vltima, nam relatiuum est vltimum: quod igitur indiuisibile est in se, non habet vltimum: non ergo alteri continuum est, aut contiguum.

Nota.

Nota, quòd ista ratio principaliter adducta est ad probandum indiuisibile non esse continuum indiuisibili. At quia probatio, nempè nõ habere vltimum, etiam probat, non esse contiguum, ob id simul est vtrumque probatum: sed non ex directa intentione.

Vndè etiam, quod dicitur de puncto respectu lineæ, idem dici de linea respectu superficiei, & de hac respectu corporis.

Amplius necesse est, aut cõtinua.
Tex. II.

2. Ratio.

ALteram facit rationem ad eãdem conclusionem probandam. Si cõtinuum ex indiuisibilibus componitur, aut illa sunt inter se continua, aut contigua, aut consequentia, sed nihil ex his potest esse.

Primùm, non possunt esse continua, vt in præcedenti ratione probatum est. Quod autem contigua, & se tangentia non sint probatur. Omne, quod tangit alterum, aut tangit, vt totum totum, aut vt pars totum, aut vt pars partem, sed nullo ex his modis punctum punctum, aut indiuisibile indiuisibile potest tangere ita, vt continuum faciat.

Tamen illa maior est explicanda: tũc totum totum tangit, cùm vnum secundũ suas omnes partes simul est cum altero, quod non potest esse, nisi penetretur cum ipso: Cùm verò non secundum omnes sui partes, sed secundum aliquas, tunc se tangunt vt pars partem: Cùm verò aliqua vnius pars omnes alterius partes tãgit, & cum eis penetratur, est sicut pars totum. Modò est argumentum. Cùm punctum non habeat partes, magis inerit illi tactus, quo totum tangit totum: si ergo punctum tangit punctum, vt totum totum, non potest continuum ex illis componi: nam continuum habet partem extra partem situ, & loco distantem: at cùm totum

totum totum tangit, non est situs, nec locus diuersus.

Indiuisibile additũ indiuisibili non efficit maius.

Et nota hanc esse validissimam rationem, qua probatur, indiuisibile additum indiuisibili, non facere ipsum maius, nec continuum.

Dubium.

Tertiam partem argumenti probat, quòd non se habeant consequẽter; Quia cùm duo indiuisibilia non sint cõtigua, vt probatum est, erit medium, & ita non erunt consequentia.

Solutio.

Dices, non sat est, esse medium, nisi sit eiusdem generis.

Respondeo, q̃ benè procedit Aristoteles. Nam si inter duo indiuisibilia data mediat continuum, vt inter duo puncta, linea; cùm in quolibet continuo sit indiuisibile, vt in qualibet linea punctũ, erit profectò medium eiusdem generis. Vnde nõ est accipere in linea aliqua duo pũcta ita coniuncta, quin aliud sit intermedium, cùm inter quælibet puncta mediet linea, in qua adhuc sunt puncta.

Amplius autem diuideretur.
Tex. III.

3. Rõ ex diuisiõe cõtinui.

TErtiam ponit rationem. Si continuum ex indiuisibilibus esset compositum, vtique in ipsa diuideretur. Nam res diuiditur in ea, ex quibus composita est. Si ergo continuum diuiditur in indiuisibilia, iam non diuiditur in semper diuisibilia. Hæc autem est continui definitio, puta, quòd in diuisibilia semper diuisibile est.

Quod inter indiuisibilia mediet continuum.

Statim interponit verba, quibus probat inter indiuisibilia mediare continuũ, vt inter puncta lineã: vt exponit S. Thomas: & probatio est. Cùm inter indiuisibilia mediet aliquid, vel illud est diuisibile, vel non. Si non, erit indiuisibile, & ita erunt duo indiuisibilia mediata. Si diuisibile. Vel in semper diuisibilia, vel nõ. Si non, peruenietur ad indiuisibilia, contra dictam definitionem, & præterea quia tunc indiuisibilia simul erunt. Si vero in semper diuisibilia diuisibile est, erit continuum. Vnde inter duo indiuisibilia, cõtinuum est medium. Quòd autem cõtinuum sit diuisibile semper in diuisibilia, probat. Quia si in diuisibilia non diuideretur, ex indiuisibilibus constaret: & ita indiuisibile tangeret indiuisibile, quod est contra id, quod iam probatum est.

Eiusdem autem rationis est.
Tex. IV.

Quòd sit eadem rõ de tempore, & motu, quę de magnitudine.

QVod dixit de magnitudine, nempè non componi ex indiuisibilibus, sed ex diuisibilibus, idem de tempore, & de motu dicendum, censet. Sunt .n. omnia hæc eiusdem rationis, quantũ ad hoc: vel enim omnia constant ex indiuisibilibus, vel nullum ipsorum: nõ enim stãt vnum constare, & non aliud.

Manifestum est autem ex his.
Tex. V.

MOtum diuisibilem, sicut magnitudinem, nunc probat, & esse eiusdem rationis, posteà de tempore probabit. Cùm enim motus magnitudini, & spacio correspondeat, pars motus parti spacij correspondebit, & æquabitur: si ergo magnitudo A, B, C, componitur ex indiuisibilibus, puta, A, & B, & C, re vera, motus D, E, F, quo mobile, P, mouetur, constabit ex indiuisibilibus, puta D, & E, & F, ita, vt singula singulis magnitudinis indiuisibilibus æquentur, & respondeant, puta, D, ipsi A, E, ipsi B. F, ipsi C; eadẽ igitur est ratio magnitudinis, & motus simul.

Si igitur præsente motu.
Tex. VI.

4. Rõ ex motu.

QVartam rationem intendit cõficere ad eandem conclusionem superius propositam, quę sumitur ex motu, ad quam supposuit fundamentũ vnum in textibus duobus præcedẽtibus: Nempè, si magnitudo ex indiuisibilibus componeretur, etiam motus componeretur; quod falsum probabit.

Suppositio 1.

Supponit tamen primò alterum fundamentum: Nempè cùm motus est, tunc rem moueri: & cùm res mouetur, motũ esse: & si motus ex indiuisibilibus est, etiã ipsum moueri. Ex priori aũt fundamento concludit: Cùm aliquid mouetur per

Suppositio 2.

illam magnitudinem, A B C, motu, D E F, tunc per singulas partes illius magnitudinis mouebitur singulis partibus motus, vt per A, motu D, per B, motu E, per C, motu F. Nam sicut motus totus toti spacio respondet, ita partes motus partibus spacij respondebunt; & vt quod mouetur, per totum spacium toto motu mouetur, ita per partem spacij parte motus mouebitur, quod probat esse non posse.

Si igitur necessariò est id, quod mouetur. Tex. VII.

QVòd per singulas magnitudinis partes indiuisibiles motus fieri nõ possit, probat. Id, quod mouetur, dum mouetur, nondum peruenit ad id, quo mouetur: & prius est moueri, quam motum esse. Sed quod indiuisibile est, nõ habet, quo motũs est, & vnde motus est: igitur quod per indiuisibile mouetur, simul mouetur, & motum est: simul est in eo, quo mouetur, & vnde mouetur: hoc autem impossibile est: ergo impossibile etiã est in partibus illis spacij aliquo modo motum esse.

Excludit rãsionem quandã.

Quòd si dicas, quòd per indiuisibile mouetur, non simul est, vnde est motus, & quò motus tendit, ex hoc iam sequitur profectò, ipsum esse diuisibile: oportet enim in ipso dare medium, in quo sit verum dicere, quòd nec quiescit: hoc enim est sub termino à quo, nec motũ est: hoc enim est, sub termino ad quem, sed mouetur: hæc autem repugnãt indiuisibili; impossibile est ergo in partibus illis spacij datis motum fieri, aut rem moueri: & tamen positum est in illis partibus motũ esse: contingit ergo motum esse, & rem non moueri contra suppositionem.

Si verò per totum A B C. Tex. VIII.

Excludit alterã responsionẽ, inferrẽs plura inconueniẽtia.

EXcludit, quod posset responderi, nẽpè, quod mobile mouetur per totã magnitudinem, A B C, non tamen per singulas eius partes. hoc impugnat inferens multa inconuenientia.

Primum est. Si non est motus in singulis partibus, puta in A, nec in B, nec in C, tunc motus ex non motibus componetur. 1. Inconuenien.

Quòd si hoc ita sit, infertur primũ inconueniens, quòd aliquid motũ est, quod nunquam motum fuit. Si enim per totam simul magnitudinem motus est, in fine magnitudinis res est mota: & tamẽ si in illa parte præcessit motus, est mota nullo præcedente motu, quod impossibile est. Similiter transiuit spacium nunquam transiens: & erit transiuisse, non præcedente transitu. 2. Inconueniens.

Si igitur necesse est, omne aut quiescere. Tex. IX.

INfert tertium inconueniens. Si enim in singulis partibus non mouetur, quiescit: nam mobile, cùm non mouetur, quiescit: quòd si in omnibus quiescit partibus, tunc dabitur, quod idem simul quiescat, & continuo moueatur: nã per totam illam magnitudinem mouebatur simul, & quiescebat. 3. Inconueniens.

Dices, quiescebat secundum partes, mouebatur secundum totum. Hoc reijcit: nam partes omnes totum sunt: si igitur secundum omnes partes quiescit, secundum totum quiescit. Obiect. & Solutio.

Vltimum infert inconueniens, vel in illo indiuisibili, in quo quiescit, est motus, vel non. Si non, motus ex non motibus est. Si verò est motus, est absurdum contra fundamẽtum, nempè, motu præsente, res quiescit, & non mouetur. 4. Inconueniens.

Perinde autem necesse est. Tex. X.

ARgumentum aliud à tempore sumit. Nempè, quòd si ex indiuisibilibus magnitudo constat, pariter, & tempus: at cùm tempus non constet, nec magnitudo. Prius tamen assumit, quod conuertantur in diuisibilitate, & indiuisibilitate tempus, & magnitudo ita, vt si vnum ex indiuisibilibus, & alterum. Si verò non, nec alterum componatur. 5. Ratio Aristo. ex tempore.

Probat primùm, quòd si vnum sit diuisibile, sit & alterum. Demus magnitudinem ex diuisibilibus, si mobile vnum æquè velox transit tanto tempore illam, ipsius Si tẽpus diuisibile sit, etiam magnitudo, & contra, & alterum ex altero sequitur.

ipsius medietatem in medio transiuit tẽpore: ergo si magnitudo diuisibilis est, etiam erit tempus. Econtra, si in tanto tempore illud mobile transit magnitudinem, in medio transibit medietatem: ergo ex temporis diuisibilitate colligitur diuisibilitas magnitudinis in infinitum, id est, in partes diuisibiles.

CAPVT II.

Quoniam autem omnis magnitudo. Tex. XI.

INTENDIT iterũ ostendere, si magnitudo in magnitudines semper diuisibilis est, nec ex indiuisibilibus cõponitur, vt probatum est ex eius continuatione, quòd tempus pariter nec ex indiuisibilibus componatur, sed in partes iterum diuisibiles diuidatur. Est autem probatio notanda.

1. Fundamentum Arist. seu suppositio tripartita. De velocitate, & tarditate mobilis. 1. partis probatio.

Supponit tamen duo, quorum primũ est; Quod sequitur ex diuisione magnitudinis data, puta, velocius mobile in tẽpore æquali transire maius spacium, & in minori aliquando maius, aliquando æquale, quàm tardius mobile.

Has tres partes ordine probat. Primò, quòd in æquali tempore velocius mobile transeat maius spacium, quàm tardiꝰ. Sit mobile A, velocius, sit mobile tardius B, sit spacium, per quod motus est, C D. Tunc est argumentum. Velocius mobile citius peruenit ad terminum motus, quàm tardius: ergo in eo tempore, quo A, velocius est in D, ipsum, B, quia tardius est, nondum peruenit ad D, sed est citra ipsum, quod est minus spacium: ergo in eodem tempore velocius transit maius, quàm tardius.

At verò, & in minori plus. Tex. XII.

2. partis probatio.

ALteram probat partem, quòd in minori tempore plus spacij trãsit velocius, quàm tardius. Probatio est. Signetur ex probatione præcedẽti illud punctũ, in quo B, tardius fuit, quando A, velocius fuit in D, sit, E, distans per aliquod spacium à D, cùm enim, B, fuit in E, tunc A, fuit in D, in eodem tempore, F G. Sed inter hos duos terminos est spacium medium, nempè vltra terminũ tardioris, in quo fuit ipsum, A, qui terminus sit, H, hoc spãcium erit maius, quàm spacium tardioris, cùm sit aliquid plus, erit etiam minus spacio, priori velocioris, cùm sit aliquid minus: tẽpus ergo erit etiã minus, quàm præcedens; quod erat æquale cũ tempore tardioris: ergo in minori tempore, quod sit, C H, velocius transit plus spacij, quàm tardius.

Manifestum autem est. Tex. XIII.

PRobat tertiam fundamenti partem, nempè, quòd velociꝰ mobile in minori tempore transit æquale spacium, quod tardius mobile in maiori tẽpore transit. Supponit duo. Alterũ, quod iam probatum est, quòd in minori tempore transit velocius maius, quàm tardius. Alterum, quòd idem mobile secundum se, id est, nulla facta ad alterum comparatione, sed ipsum solùm, siue sit tardum, siue sit velox in tanto tẽpore transit tantum spacium, in maiori maius, quàm in minori: & in minori minus spacium, quàm in maiori: & deducit hoc ad exemplum. 3. partis probatio.

Vbi aduertendum, quòd ex superiori fundamento datur spacium maius, quod velocius transit, dum tardius transit suũ spacium minus in tempore æquali. Vlterius in secunda parte fundamenti datur maius spacium, quod velocius transit in minori tempore, quàm sit illud spacium tardioris. Nota.

Spacium hoc velocioris vocatur, L M, spacium minus tardioris, L O, tempus velocioris, E R, tempus tardioris, quod maius est, Q Y.

Dicit igitur, quòd velocius moueatur per L M, & L O, clarum est, quòd cùm L M, sit maius, quàm L O, tempus, quòd velocius cõsumit in L M, erit maius, quàm quod consumit in L O, quod tempus dicatur Q S. Ex his argumentatur. Si tempus, Q R, quod velocius consumebat in magnitudine, L M, est minus, quàm tem- 1. Ratio Arist.

pus, Q, Y, quod tardius consumebat in magnitudine minori, L, O, & tempus Q, S, quod velocius consumit in eadem L, O, est adhuc minus, quàm, quod consumebat in L, M, profectò tempus Q, S, minus multò erit, quàm Q, Y, tempus tardioris in eadem magnitudine: est enim tempus hoc minori minus. Hæc est litera Aristot.

Sensus rationis Aristo.

Sed sensus clarus hic est ex secunda parte fundamenti. Velocius transit majus spacium in minori tempore, quàm tardius: ergo idem velocius transibit æquale adhuc in minori tempore: æquale enim est minus respectu illius, quod velocius transibat. Accipe exemplii. Si media hora velocius mouetur per leucā integram, & tardius in maiori tempore, puta, hora, mouetur per minus, puta, per tres partes ipsius: velocius in multo minori mouebitur per illas partes tres: nam si leucam perambulabat in media hora, quæ minor erat tempore tardioris, tres partes solū in minori, quàm media hora perambulabit: ergo æquale spacium percurrit velocius in minori tempore, quàm tardius.

Amplius autem si omne. Tex. XIIII.

Altera rō ad idem.

IDem alio argumento probat. Velocius transeat æquale spacium cū tardiori: peto, vel in eodem tempore, vel in maiori, vel in minori. Si in eodem: erit æquè velox, & non velocius iam. Si in maiori, erit tardius: debet ergo in minori, vt dictum est.

Quoniam autem omnis quidem. Tex. XV.

2. Fundamentum Arist. velocius, & tardius in tempore accidere.

PRoposito priori fundamento, alterum constituit, nempè velocius, & tardius in tempore accidere: non enim constat absque tempore.

Hoc ideo ad probationem supponit, quia per velocius, & tardius temporis diuisionem ostensurus est.

Probat autem fundamentum in tertia figura. Omne, quod mouetur, in tempore mouetur: omne, quod mouetur tardius, & velocius mouetur: tardius ergo, & velocius in tempore sunt, & per tempus mensurantur.

Ex his fundamentis infert, tempus continuum esse, id est, in diuisibilia semper diuisibile, vt ipse explicat: quo autem modo sequatur ex præcedentibus, ipse deducit in textu sequenti.

Quoniam enim ostensum est. Tex. XVI.

Cōcludit Aristot. ꝓ si tempus est semp diuisibile etiam magnitudo. 1. Ratio.

ARgumentatur igitur ex tertia fundamenti prioris parte, nempè, ꝓ velocius in minori tempore trāsit æquale spacium. Sit ergo A, mobile velocius, sit B, tardius: sit spacium, C, D, & tēpus, F, G.

His suppositis, si B, mouetur per C, D, in tempore, F, G, tunc A, cùm sit velocior, mouebitur per eandem magnitudinem in minori tempore, quia velocius transit æquale in minori tempore. Vlterius in illo minori tēpore, quod sit F, H, tardius mouebitur per minus spacium, quàm C, D, & ita diuidetur magnitudo, & sit illa C, K, iterum idem velocius mouebitur per hanc in minori tempore: & ita diuidetur tempus: vnde per idem velocius, & tardius diuidetur vtrumq; magnitudo, & tempus, quoties sumimus tardius, vt in argumento patet, diuidimus magnitudinem: quoties verò sumimus velocior, diuiditur tempus.

Vnde concludit, quòd cùm sit ista cōuersio semperà tardiori ad velocius, semper erit diuisio temporis, nec ad indiuisibile peruenietur: Similiter in magnitudine: nam si ad magnitudinem indiuisibilem, & tempus peruenieretur, tunc inter velocius, & tardius non esset differētia: imò non esset velox, aut tardum.

Hoc ergo est argumentum, quod tandem colligit Aristoteles, quamuis argumentum procedat, supposita magnitudinis diuisione ad tempus: & supposita posteà diuisione temporis ad diuisionem magnitudinis: at vtrunque debet admitti, & probari per velocioris, & tardioris naturas.

Simi-

Similiter autem manifestum est. Tex. XVII.

Idē alia rātione probat.

IN primis verbis textus colligit partē conclusionis illatæ ex argumento, vt expositum est.

Posteà tertium argumentum ponit ad idem probandum, nempè quòd si magnitudo est continua, etiam erit tempus. Argumentum est: quia ita consuetum est dici apud eos, qui de hoc tractant: & rationem ipsorum ponit: quia eadem est vtriusque diuisio, intellige proportionaliter: vt si tātam magnitudinem tanto pertransit tempore, & dimidiam in dimidia temporis, & tertiam in tertia, & quartam in quarta parte: est igitur æqua vtriusq; diuisio.

Et si alterum infinitum. Tex. XVIII.

Altera cōclusio, si magnitudo finita, vel infinita, est pariter & tēp, & cōsimili modo.

CONstituit alteram conclusionem de tempore, & magnitudine, puta, si magnitudo finita est, vel infinita, pariter etiam tempus: & eo modo, quo finita, vel infinita est, etiam & tempus. Distinguit autem duplicem modum infiniti. Est infinitum actu, quod vocat infinitum ex terminis: est infinitum potentia, quod vocat diuisione: & hæc ex superius dictis patent.

Duplex infinitū actu & potētia scilicet diuisione.

Vult ergo, quòd si magnitudo, & spacium est infinitum actu, similiter & tempus infinitum actu: si verò potentia, etiā tempus potentia, & diuisione erit infinitum: quòd si vtroque modo, & actu, & diuisione, similiter etiam tempus.

Quapropter & Zenonis ratio. Tex. XIX.

Soluitur arg. Zenō. quo cōtēdebat nihil moueri.

EX hac distinctione soluit argumentum quoddam Zenonis, quo contendebat, nihil moueri. Argumentum erat. In quolibet spacio sunt infinita puncta, & partes: sed infinita non possunt transiri: ergo nullum spacium transitur. Minor probatur. Quia infinitum non pertransitur, nisi tempore infinito: at quodlibet tempus finitum est: non ergo in aliquo tempore contingit moueri per aliquam magnitudinem.

Hæc est ratio Zenonis, quam reprehēdit Aristoteles tanquam æquiuocam: nā sumit magnitudinem infinitam in potētia, tempus verò infinitum actu, cùm tamen non ita sumere oporteat, sed pari ratione vtrumq;: & tunc verum est, quòd si magnitudo est potentia infinita, similiter & tempus: vndè vtrumque infinitum est, potentia tamen. Nec est inconueniēs magnitudinem potentia infinitam tempore actu finito transiri: hæc tamen duo fieri non possunt, quòd magnitudo sit finita, & tempus infinitum, aut quòd magnitudo infinita, tempus verò finitum, sumptis finito, & infinito in actu.

Sit enim magnitudo finita. Tex. XX.

Magnitudo finita nō potest ptrāsiri in tēpore infinito.

PRobat, finitam magnitudinem tempore infinito actu non posse pertrāsiri. Argumentum est. Detur magnitudo finita A B, & tempus sit infinitum C, & supponitur, quòd æqualis magnitudo ab eodem mobili in tempore æquali pertransitur. Tunc sumatur aliqua pars temporis finita, puta, C D, & fit argumētum. In tempore finito C D, mobile trāsibit aliquam partem magnitudinis A B, & sit B E: ergo in æquali tempore finito transibit aliam partem tantam, & in alia aliam: finita autem partes mensurant, & complent totam magnitudinem A B: ergo, & tempora illa finita partium complent totum tempus totius magnitudinis, & sic finitum est, quia ex finitis finitè sumptis constat.

At quia illa pars magnitudinis sumpta poterat esse non aliquota, sed aliquoties sumpta, aut excederet, aut deficeret à toto, sicut quaternarius respectu nouenarij: subdit parùm hoc referre: nam si non est aliquota illius magnitudinis, aut erit maioris, & hanc non continget tempore infinito pertransire.

Amplius autem, si non omnem magnitudinem. Tex. XXI.

Ferè

Ferè idem argumentum, alia tamen via sortiori, proponit, vt vult Themist. Sumit enim modò partem aliquotam totius magnitudinis finitæ, & facit argumentum Non quælibet magnitudo eodem tempore transiri debet: ergo si totum infinito tempore, aliqua pars finito transibitur. Vlterius, hæc pars in tempore finito trãsibitur, & finities sumpta facit totum finitum: ergo & tempus correspondens parti finitæ, cùm sit æquale alijs temporibus partium æqualium, cùm ipsis faciet tempus totum illius magnitudinis finitum.

Quòd verò illam partem, quę est totius magnitudinis, non transeat tempore infinito, probat. Quia ex vtraque parte tempus illi parte correspondens, terminum habet. Primò ex principio, quia sicut incœpit motus in ipsa, ita & tempus. At ex parte finis. Et patet. Quia plus temporis sequentis consumitur in tota, quàm in parte: habet ergo terminum ex vtraque parte, & ex principio cùm incœperit, & in fine, cùm cesset tempus correspondens parti: & quod vlterius sequitur, sit totius.

Vt si eo ad Diui Petri, tempus correspondens viæ vsque Mineruam, finem habet: quod enim vlterius est, non illius partis, sed totius tempus est: ergo tempus partis finitum est.

Eadem autem demonstratio est. Text. XXII.

Infinita magnitudo nõ potest trãsiri tẽpore finito.

Eodem modo docet posse probari, infinitam magnitudinem non posse transiri tempore finito. Sumam enim magnitudinem finitam, & dicam, huius tempus finitum est: ergo & alterius æqualis, & alterius: & sic consumetur tempus finitum in magnitudine finita.

Alia ratio ne probans cõtinuũ nõ cõponi ex indiuisibilibus.

Colligit ex prædictis omnibus, nullũ continuum ex indiuisibilibus componi.

Et per omnia posita argumenta vnũ aliud ponit, nẽpè, quòd sequeretur indiuisibile esse diuisibile, quòd impossibile est: consequentiam ostendit in textu sequenti.

Quoniam enim in omni tẽpore. Tex. XXIII.

Suppositio 1.

Ad probandũ sequelam ponit fundamentum certum: Quòd cùm in æquali tempore velocius transeat maius spacium, quàm tardius, poterit transire spacium maius in quacunq; proportione: nam maius vnũ altero multipliciter euenit: hoc autem est esse velox transire maius in æquali tempore.

Suppo. 2.

Quòd si ita est: detur spacium maius, quod velocius transit, sexquialterum ad spacium tardioris, tunc vnum constabit ex tribus indiuisibilibus, A, B, B C, C D. alterum quod tardioris est ex duobus E F, F G.

Suppo. 3.

Est modò argumentum. Supposito etiam, quòd tempus, quod velocius cõsumitur, sit ex tribus alijs correspondentibus magnitudini, puta K L, L M, M N.

Nectitur ratio.

Tunc sic, in eo tempore, quo velocius transit magnitudinẽ illam ex tribus, tardum trãsit ex duobus: sed velocius in tẽpore cõstanti ex tribus indiuisibilibus: ergo & tardum. Vlterius: In toto tẽpore ex tribus, tardum transit duo indiuisibilia: ergo vnum indiuisibile trãsibit in medio tempore: ergo oportet diuidere indiuisibile, aliter tria diuidi nequeunt; est igitur indiuisibile diuisibile. Et vlterius, non in indiuisibili transibit indiuisibile, sed in maiori, puta, aut in duobus vnum, aut in vno cum dimidio: vtrumq; absurdum est & impossibile: ergo continuum nullum ex indiuisibilibus est compositum, sed ex continuis, id est, ex his, quæ iterum atque iterum diuidi possunt sine limite.

An continuum ex indiuisibilibus partibus componatur.

Quæstio I

Explicatur sensus q̃stionis

Aduerte circa quæstionis titulũ. Non de quocunq; indiuisibili loquimur, sed de eo, quod ad genus quãtitatis pertinet, quale punctum, linea, nunc, & similia sunt. Nec loquimur de quacunque partiũ cõpositione, sed de integrali, quæ fit secundum partes integrantes, quæ differunt valdè à partibus substantiæ rei.

Primò, partes integrantes sæpè similares sunt, vt quælibet pars ignis, ignis est, & æquæ aqua: Dico sæpè, quia non semper

Not. quo differant inter se partes integrales & substãtiales.

1. Differẽtia.

2. Differẽtia.

3. Differ.

Duplex modus indiuisibilis

1. Sentẽtia Anaxag.

2. Sẽtentia Zenonis.

3. Aliorũ.

4. Sẽt. Ar.

1. Argum. quod cõponatur ex indiuisibilibus.

per: nam in viuẽtibus id non est. Non enim quælibet hominis pars, homo est. At partes substantiæ dissimilares sunt semper, est enim altera materia, altera forma

Prima pars integralis nõ habet eundẽ adæquatè locũ cum altera, nec pars est in toto loco totius: vt patet in vlna, vbi est medietas, adæquatè non est altera. & vna medietas non est in toto loco, vbi est totum. At partes substantiæ non sic, sed in quo loco adæquatè est materia, ibi est forma, & in toto loco, quo compositum est ibi, & materia, ibi forma etiam est.

Præterea, partes integrantes possunt separatæ consistere, vt duæ ligni partes diuisæ per se sunt: at forma per se, materia per se non sunt, nec esse possunt. Loquimur igitur in præsenti de cõpositione, nõ ex partibus substãtiæ, sed ex partibus integralibus, & quærimus. An cõtinui partes omnium primæ sint indiuisibiles.

Circa hoc sunt quatuor sentẽtiæ. Est enim indiuisibile duplex. Quoddam simpliciter, & mathematicè, quod non habet partes, vt punctum. Quoddam secundũ quid, quod diuidi non potest actu in partes, quamuis illas habeat, qualia sunt minima naturalia.

Et iuxta hoc fuit prima sentẽtia Anaxagoræ, vt diximus lib. 1. continuum cõponi ex infinitis indiuisibilibus secundũ quid, quæ dicebantur atomi.

Secunda sentẽtia fuit Zenonis, & Stoicorum, & erat communis tempore Aristotelis continuum componi ex indiuisibilibus simpliciter: vt lineam ex punctis, superficies ex lineis, & similia continua ex indiuisibilibus suis.

Tertia sententia fuit aliorum, quos recitat Algazel, lib. 1. suæ logicæ, qui continuum non cõponi dicunt, sed esse quid simplex, & incompositum.

Vltima sententia fuit Aristo. continuũ ex partibus etiam continuis, & indiuisibilibus componi.

Sunt tamen aliquot argumenta, quibus continuum ex indiuisibilibus componi probatur.

Primò: Numerus, & continuum eiusdem sunt generis quantitas: sed non repugnat numerum ex indiuisibilibus cõponi, & augeri: vnitates enim numerum augent, & componunt: ergo & continuũ ex indiuisibilibus componetur & augebitur. Adde, quòd ex diuisione continui numerus fit: sed numerus est ex indiuisibilibus: ergo & continuum in ipsa diuiditur.

2. Argum.

Secundò. Vnumquodque componitur ex his, per quę definitur: sed linea definitur per puncta: ergo conficitur ex pũctis. Minor patet ex primo Poster. cap. 4. Puncta dicuntur substantia lineæ, & prętereà: quia linea definitur lõgitudo punctis terminata.

3. Argum.

Tertiò. Si diuisio continui est in continuo semper, diuisio ipsius nunquam finitur: ergo continuum maius, & minus sunt æqualia: vtrumque enim in infinitũ est diuisibile. His argumentis probatur continuum ex indiuisibilibus componi.

1. Cõcl. bipartita.

At pro determinatione huius sit prima conclusio. Indiuisibilia sunt in re, quamuis non omninò à continuo realiter distincta.

Hæc conclusio duas habet partes. Altera est, esse in re puncta, & lineam, & nũc & reliqua indiuisibilia, nec esse tantùm in imaginatione. Altera est, quod sic sunt in re, & in continuo, vt non sint prorsus ab illo distinctum, sicut res à re.

Prior pars patet inuisibilia esse in re primo ex tactu Physico.

Prior pars probari potest ex quatuor capitibus. Primum est tactus Physicus. Duo enim corpora (vt experientia monstrat,) se adæquatè tangunt, vel igitur in aliquo diuisibili. Et hoc non quia illa duo diuisibilia adhuc non se adæquatè tangunt, nisi secundum aliquid sui: ergo tactus est in indiuisibili: sed ille tactus est verus, & realis, igitur verè est indiuisibile reale, puta superficies, secundum quam est tactus corporum.

2. Ex tactu mathema.

Alterum est tactus mathematicus, tamen constitutus in corporibus Physicis, quem quidem voco tactum Physicum in præsenti, qui scilicet fit inter duo corpora sensibilia: voco tactum mathematicum, qui fit inter mathematicas quantitates, quamuis sumatur cum corporibus naturalibus. Est igitur argumentum. Non repugnat esse corpus perfectè sphæricum, imò est cælum ipsum, nec repugnat esse planum perfectũ. Tunc his datis, corpus sphæricum tangeret planum in puncto, vt Geometræ facillimum est demonstrare: ergo verè in continuo punctum est.

Ter-

3. Ex cõtinuatione. Tertium est ex continuatione. Duæ partes non possunt continuari, nisi sit aliquid vtramque connectens: hoc autem debet esse commune vtrique, aliàs non connecteret vtrumque: quod si commune est, indiuisibile est: nam si diuisibile esset, non esset commune, sed pars esset vnius, pars alterius partis continuatæ: & sic opus esset alio continuante. Est ergo indiuisibile: cùm autem verè, & realiter continuatio sit, realiter indiuisibile est.

4. ex terminatiõe. Quartum caput est ex terminatione. Nam corpora terminantur realiter: terminus ergo, aut diuisibilis est, aut indiuisibilis. Si diuisibilis, non est terminus: nã vna medietas terminabitur per alteram: debet ergo esse indiuisibilis: est igitur indiuisibile in re. His rationibus constat esse huiusmodi indiuisibilia, puta superficies, lineas, puncta.

Indiuisibilia vt puncta non distinguuntur re à cõtinuo. Sed non ita esse intelligas in cõtinuo, vt sint duo accidentia simul, puta, albedo & dulcedo in lacte, vt aliqui putant: non enim sic distinguuntur, cùm non sint distincta à continuo re, nisi sicut pars continui ab ipso toto. ita etiam indiuisibile à continuo: ac ob id dicitur in altera conclusionis parte, non esse omninò à continuo realiter distincta, quamuis in re sint. Et hoc fieri potest, est enim realiter natura animalis in homine, sed nõ realiter distincta ab homine, quamuis maiorẽ habeant distinctionem indiuisibilia à continuo: sunt enim quodãmodo sicut pars à toto continuo distincta: dico, quodammodo, quia non sunt partes.

2. cõclus. cõtinuum nõ cõponitur ex tali b. indiuisibilibus. Secunda conclusio. Fieri non potest ex huiusmodi indiuisibilibus continuũ esse compositum.

2. Argum. Hæc conclusio præter argumenta Aristotelis, quæ in textu sunt exposita, quæ non est necesse repetere, ad hucalijs tribus probatur. Primum est ex motu sumptum. Si magnitudo ex indiuisibilibus esset composita sequitur, quòd motus velocissimus, & motus tardissimus in eodem tempore per æqualia fiunt spacia: quod est impossibile. Sequela probatur. Detur spacium decem indiuisibilium, per quod A, velocissimum, & B, tardissimum moueantur: tunc in quo tempore A, transit vnam partem, vnum videlicet indiuisibile spacij in eodem B, transit eandem, & sic de singulis partibus: ergo in quo toto tempore, A, transit totum spacium, etiam & B. Consequentia est nota. Antecedens probatur. Nam singulæ partes sunt indiuisibiles, & dum velox illarum vnam trãsit, etiam & tardum.

Obiectio. Dices: non sic, sed dum tardum transit vnam, velox transit duas.

1. cõfutatio. Contrà. Si dum velox duas transit, tardum vnam tantùm, tunc dum velox vnã transit, tardum transibit dimidium, & diuidetur indiuisibile: quòd si nihil transit, non mouebitur, contra suppositionẽ: dicimus enim vtrumque moueri.

Et rursus sequitur, quòd si velox in vno puncto retro, tardum in altero pũcto, & simul moueri inciperent, nunquam velox posset consequi tardum, quia dum velox vnam, tardus alteram transit æqualẽ partem: est enim vtraq; indiuisibilis. Hęc autem sunt falsa, & contra experientiam: non ergo magnitudo ex indiuisibilibus constat.

2. Ratio. Secundò. Si ita esset, sequitur multas esse magnitudines, vt lineas, superficies, quæ in duas medietates diuidi non possent: quod quidem falsum est. Omne enim continuum duplam habet proportionem ad suam medietatem. Sequela patet de omnibus magnitudinibus, quæ ex imparibus indiuisibilibus constant, puta ex tribus, ex quinque, & huiusmodi, quæ diuidi in duo æqualia non possunt absq; indiuisibilis diuisione, ostendit autẽ contrarium Euclydes demonstrando propositum decimam lineam datam in duas partes æquales secare.

3. Ratio. Tertium sumitur argumentum ex rebus mathematicis: & est argumentum Scoti, 2. sent. distinct. 2. q. 9. & Gregorij ibidem q. 2. Primò sequeretur, quòd diameter quadrati, & eius costa essent equales: quod est impossibile. Et quòd sequatur, patet. Nam tot puncta habet vna, quàm altera. Si enim à singulis punctis quadrati costæ deducantur lineæ ad alteram costam, omnes illæ transibunt per omnia puncta diametri, nec habebit aliud punctum, nam lineæ illæ totum spacium quadrati replent, vbi tantùm est diameter.

Vlte-



Vlterius sequitur, quod circulus maior, & circulus minor sunt æquales, & quod tot puncta habeant. Et patet. Si duo circuli concentriti describantur, & vsque ad maiorem deducantur omnes lineæ ab ipso centro: tunc omnes lineæ transibũt etiam per minorem: ergo tot puncta vnus habet, quot alter.

Obiect. Dices; non ita, sed duæ lineæ maioris transeunt per vnum punctũ minoris.



Confutatio. Contra; sequitur ergo, quòd illæ duæ lineæ maioris à centro, vsque ad circulum, minores sunt vna linea tantùm: ab vno enim puncto in vnum rectæ tendunt: non potest autem à puncto in punctum, nisi vnica duci recta, & tunc vltra illud punctum vsque ad maiorem, vna erit obliqua, altera recta, nec erunt ęquales lineę vsque ad circumferentiam à centro ductæ.



Vlterius dicit Gregorius. Sequitur, quod linea intra latera trianguli supra basim descripta esset maior ipsa basi. quod est impossibile. Sequela patet. Detur triangulus ex lateribus, quæ cõstent ex sex singula indiuisibilib., & basis ex tribus: & deducantur à latere in latus lineæ: tunc ab ipso B in H, ad minus habebit duo: à C, in K, tria, à D, in I, quatuor: Vide igitur hanc maiorem esse basi, quæ tantùm habet tria ex suppositione. His, & alijs multis constat continuum non posse ex indiuisibilus, componi.

3. Conclu. cõtinuum cõponitur ex continuis. Tertia conclusio. Continuum ex continuis componitur. Aduerte, quòd dico, componitur, contra tertiam opinionem: est enim verè continuum compositum.

1. Ratio. Cum enim in re inuenimus esse pluralitatem, & diuersitatem aliquam cum vnitate, ibi damus compositionem in his rebus: cùm autem in continuo inueniamus, quod vni parti inest, alteri non inesse, & quod illæ duæ vnum sunt, necessariò damus compositionem.

Nota. Et notatu dignum est, quòd ratio partis non consistit in separatione à toto, imò in coniunctione, quod aliqui non aduertunt, dicentes esse partes in potentia, sed non actu in continuo nisi cum separatæ sunt: quod quidem falsum est: imo cum separantur, iam nõ actu partes, sed tota quædam dicuntur: dum in toto sunt, actu partes sunt.

Partes cõtinuo actu sunt. l. nõ actu distinctæ. Dicitur autem in conclusione: quòd ista compositio ex continuis est: hoc autem ex dictis sequitur. Si enim partes cõtinui indiuisibiles esse non possunt, erũt diuisibiles, & continuæ: vnde ex diuisibilibus & cõtinuis componetur continuũ.

4. Cõclu. continuũ nõ habet actu infinitas partes. Quarta conclusio. Cum audis, continuum diuidi in infinitum, ne intelligas partes ipsius infinitas esse actu, sed quòd non in tot diuidetur partes, quin in plures: semper tamen partes ex diuisione finitæ erunt, vt dictum est in libro tertio. Per hęc possumus ad argumẽta superius proposita respondere.

Ad primum. Ad primum dico, aliam esse ratiõem continui, & discreti. In continuo ob id negamus compositionem ex indiuisibilibus, non quia quantitas est, sed quia partes habet inter se continuas loco, & situ distantes, secũdum quas motus fieri possint. Hæc enim omnia non possent esse, si ex indiuisibilibus cõponeretur: at numerus abstrahit à continuo, à loco, à situ, à motu; ob id ipsum ex indiuisibilibus cõponi nil repugnat.

Nota. Et non ex his cõponitur, vt indiuisibilia sunt in ratione continui, cum conti-

nuorum multorum etiam numerus sit; sed vt sunt indiuisibilia in ratione discreti, de quo locuti sumus in libro tertio.

Ad 2. Ad secũdum dico, q̃ Arist. puncta vocat, substantiam lineę secundum opinionem communem, quæ tunc vigebat, quia illic pro exemplo vius erat secundum rei veritatẽ, puncta non sunt partes, sed partium continuatiua.

Ad 3. Ad tertium dico quòd non valet ista consequentia, tot partes habet hoc totũ sicut & hoc: ergo hæc duo sunt æqualia, nisi sint etiam partes æquales: vnde in duas medietates diuiditur maius, & minus, sed medietates minoris sunt minores, quàm maioris, ob id non sequitur, quod ex diuisione partium æquali, quoad numerum sequatur æqualitas continuorum:

Dubia quædam præcipua, An ex indiuisibilibus continuum componatur.

Licet quæstio hæc sufficienter à nobis fuerit disputata, tamen quoniam hęc de compositione continui veritas eiusmodi est, vt præclara etiam semper ingenia multũ in ipsa, diuq; laborarint; conabor hic, ad calcem antecedentis quæstionis, quò magis veritas elucescat, omnes, quas aduersus id potero, maioris momenti obiectiones, & dubia cõgerere, & diluere: & prę-sertim cum non desint nostra ætate, qui opinionem illam antiquorum Philosophorum veram arbitrentur.

1. Obiect. à diuisiõe continui, q̃ nõ põt esse ex indiuisibilibus, cũ compositiõ fit ex infinitis.

Est ergo contra ea, quæ dicta sunt primum argumentum. Diuisio nulla potest in infinitum procedere, nisi præexistant partes diuidendæ infinitæ: sed in continuo non sunt partes diuidendæ infinitę: ergo eius diuisio non potest in infinitum procedere. Consequentia satis est nota: Sed maior probatur. Si enim non præcedunt infinitæ partes, vtique præcedent finitæ: si sunt ergo finitæ partes, finita diuisione absolẽtur, nec vlterius diuisio procedet, & sic non ibit in infinitum: præcedunt ergo infinitæ. Respondebit quis, vt communiter responderi solet ad hoc, & ad minorem illius syllogismi, quòd præcedunt infinitæ potentia, sed actu finitę. Sed contra hoc est argumentũ validum. Dicere, quòd sunt infinitę potẽtia vel est, quòd partes nõ sint actu in illo cõtinuo, sed de nouo producantur; vel est, quod sunt illic infinita, sed non actu diuisæ inter se. Primum est impossibile: quia diuisio quantitatis est in partes, quæ insunt, vt inquit Aristoteles. 5. Metaph. cap. 13. & præterea, quia plures essent partes diuisę, quàm erant in toto; nec ei æquarentur: & præterea quia tunc esset generatio nouæ substantiæ. Alterum vero si dicas, quod ibi infinitæ sunt, sed non actu diuisæ; tunc sequitur primò, quòd cùm vna non se penetret cum alia, sed distet ab ea, erunt infinitæ partes, quarum quælibet occupat loci distinctam partem: & sic erit infinitum actu continuum; habet enim infinitas partes, quarum vna non est alia, & sunt æquales inter se: Nam si sunt infinitæ medietates maiores hæ, minores illæ, in maioribus sunt æquales: maius enim claudit æquale: erunt infinitæ æquales non communicantes. Quòd enim non sint actu diuisæ, solùm prodest, vt non sit numerus actu infinitus; sed non, vt non sit continuum infinitum.

Vlterius, cum singulæ adhuc partes, & medietates iterum sint diuisibiles, eadẽ ratiõe erunt infinitæ, & in quolibet continuo erunt infinities infinita, quod est absurdissimum.

2. Obiectio à partibus cõponentibus, quarũ videtur necessariò debere reperiri primam.

Secundum est. Vbi inueniuntur gradus plures, necesse est dare primum: sed in continuo sunt partes secũdum plures gradus, vt maiores, minores, posteriores, priores: ergo oportet dare primas partes. Hæ diuisibiles non sunt; nõ enim primæ essent; erunt ergo indiuisibiles: ergo cõtinuũ tãdem ad indiuisibilia reducitur. Discursus hic notissimus est, tamen illa maior, à quo totus pẽder, probatur; quia re vera imaginabile videtur, quòd in cõtinuo saltem permanente dentur partes compositæ ex alijs, & aliæ ex alijs, & non dentur prima componentia. Et est argumentum. Destructo primo, non stat secũdum ab illo dependẽs; sed partes compositæ sunt secundæ: ergo nisi primæ sint, impossibile est, ipsas esse.

Tertium est Theologorũ argumentũ. Cum enim veritatẽ hic simpliciter indagemus,

3. Obiect. à cognitiõe Dei, q̃ debet cognocere oẽs partes cõtinui.

gemus, licebit à quacunque facultate auxilium petere. Argumentũ est. Vel Deus cognoscit distinctè oẽs partes continui, vel non. Si non; absurdum fateris, cum Deus omnia cognoscat, etiam infinita, si essent. Qui enim omnia fecit, omnia cognoscit distinctè. Si ergo cognoscit omnes distinctè partes; peto, An singulę harum, quæ à Deo cognoscuntur, sint diuisibiles adhuc, an indiuisibiles. Si diuisibiles, iam non erant illę omnes cognitæ distinctè, sed confusè, vt in alijs includũtur: sicut nos cognoscimus, dum tres, aut quatuor partes cõtinui cognoscimus, & in eis reliquas. Si verò indiuisibiles; ergo re vera ex indiuisibilibus primò componitur continuum. Cognoscit enim Deus, quod in rebus est.

4. Obiect. A sphæra tangente planũ in puncto.

Quartũ est. Detur corpus perfectè sphęricum super planum tangens in puncto, vt dictum est; & moueatur continuè:



Quod quidem duobus modis potest accidere, quorum vterque nouam habet difficultatem. Primò moueatur rotando super planum: iam sic: Perfectè sphæricum tangit perfectè planum solum in puncto: ergo in toto illo motu semper tantũ tangit in puncto, & transit totum illud spacium: ergo totum illud spacium constat ex punctis. Secundo modo potest motus fieri vt sphęricum sic tangens in puncto, trahatur per totum planum: tũc tale punctum transibit totum spacium, nihil relicto, & semper tangens punctum ergo totum illud ex punctis constat.

Nec opus est ad hoc argumentum, recurrere ad corpus sphęricum perfectè, sed ad id, quod in omni corpore reperitur. Demus enim quodcunque mobile: signetur punctũ in eo, cui correspondeat punctum loci, tunc tale punctum motu ipsius subiecti transit longitudinem spacij, & non nisi tangendo puncta; ergo illa longitudo ex punctis est.

Nec alio argumento probauit Aristo. tex. 89. indiuisibile moueri non posse, nisi quia linea ex pũctis componeretur, qa transiret semper tangendo puncta: vnde qui nostrũ argumentum soluit, argumẽtum Arist. destruit.

5. Obiect. Argumẽtũ Zenonis.

Quintum est argumentum Zenonis allatum ab Arist sed non facilè solutum. Motus non potest esse per spacium aliquod, nisi prius mobile transeat minus, quàm maius: sed quacunq; parte data, alia minor est, & hoc in infinitũ: ergo non potest motus fieri per spacium. Infero ego aliud à Zenone; hic enim motum non esse concludebat, ego infero: Cùm motus sit, non componetur, nec diuidetur spacium in infinitum. Respondet Arist. quòd in spacio non sunt, nisi infinitę partes potentia. Sed hæc solutio videtur in intelligibilis: nam, (vt diximus argumento primo) cùm istæ partes ibi sint, nec per diuisionem multiplicentur, impertinens est, quòd diuisæ non sint; nam nec duæ medietates vnius continui diuisę sunt; at motus per vnam prius, quàm per alteram fieri debet: quod si isto modo dat partes infinitas, re vera, motus nunquam ad terminum perueniret.

6. Obiect. De motu & tẽpore ab existentia ipsorum.

Sextum argumentũ est de motu, & tẽpore. De tẽpore nihil existit, nisi nũc, nec de motu, nisi mutatũ esse: ergo, re vera, tempus non est aliud, quàm plura succedentia nunc. Quis enim capit id fuisse, aut fore, de quo nec fuit vnquam verum dicere, modò est, nec erit verum etiam dicere, modò est? Similiter de motu, nihil nisi mutatio instantanea vel mutatum esse, perpetuò fit. Quod enim dicunt in successiuis non existere, nisi indiuisibile, non alia videtur esse, quàm quod successiua solùm ex similibus indiuisibilibus componantur.

Augustinus in Aristotele.

Et vt maior patear in Aristot. difficultas, attende in textu octauo: Ipse sumit contra alios hoc pro certo principio, Im possibile esse, aliquid transire, quod nunquam fuit transiens; & motum fuisse,

quod nunquam fuit, vt diceretur moueri. Ex hoc sumo argumentum: quomodo enim motus, aut tempus erit, de quibus nunquam fuit dicere, motus, tempúsue existit? Nam quæ existunt, indiuisibilia sunt, quæ secundum ipsum non sunt partes temporis, nec tempus, nec motus, nec motus partes. Cum igitur ista non existant vnquam, nisi secundum indiuisibilia, non aliud, quàm ex his composita videntur.

Cõfirmatur secto. Et confirmatur iterum: Sumo instans hoc & argumentor sic. Quid primo existit post istud nunc? vel tempus, vel nunc aliud. Si nunc aliud: duo ergo nũc immediata. Si tempus, cum tempus non existat, nisi secundum nunc, & instãs, erunt adhuc duo immediata instantia. Idem est argumentum de mutato esse, quod non sequitur motus, nisi per aliud mutatum esse: imo etiam in quolibet continuo argumentum hoc fieri potest.

7. Obiect. ex duratione tẽporis, & motus. Septimum argumentum est. Videtur sequi, quod nũquam motus, nec tempus absolui possit, nec peruenire ad vltimum nunc vel primum mutatum esse. Et attẽde rationem, sit hora, & motus quidam æqualis, si quis proportionaliter diuideret in duas partes versus finem, nunquã peruenirет ad vltimum, nec diuisio finiretur: sed dum fluit tempus, & motus, sit diuisio talis, quia semper medietas prius transit; ergo nunquam finiretur.

Octaua obiect. Octauum. Sumo tempus aliquod, & dealbationem, quę in eo fiat: peto, vel in tali tempore sunt finita vel infinita instantia. Si des finita, cùm debeant esse in aliquo numero certo, sumam duo illorum, quæ cùm non sint immediata, habebunt inter se tempus, in quo erunt instantia, & sic erunt plura, quàm assignata sunt. Necessariò ergo debes dare: infinita instantia transacta in quolibet tempore. Ex hoc sequuntur duo impossibilia. Alterum est, quòd sunt transacta infinita numero ordine, quia vnum fuit post aliud. Alterum, cum in illo tempore sit albefactio, & in quolibet instanti sit mobile sub alio gradu, & gradu albedinis, vtique erit infinitè intensa; & si esset motus secundum quantitatem, esset infinita quantitas.

9. Ex in- Nonum dubium. Probatur lineam cõponi ex punctis, vnde motus, qui per illã lineam fieret, componeretur ex mutatis esse; & tempus illius motus ex instantibus. Semper enim puncto spacij correspõdet mutatum esse, & mutato esse, instans. Vnde, si probatum fuerit lineam compo ni ex indiuisibilibus, probatũ esset idem in omni genere continui. Probatur autẽ. Imaginemur lineam à centro terræ duci ad aliquod punctum extimæ superficiei primi mobilis, illam lineã secabunt omnes superficies cælorũ. Concipiamus ergo duas, conuexam, videlicet Lunę, & cõcauam Mercurij, et quoniã linea, q̃ superficies aliqua secat, in vno aliquo puncto secatur: complectamur animo duo illa puncta, in quibus talis linea secatur à dictis superficiebus; Tunc sic, Vel illa sunt inter se mediata, vel immediata. Nõ mediata, quia si inter illa duo puncta mediaret aliqua Linea, sequeretur inter duas illas superficies mediatè aliquod spaciũ, quod proculdubio esset vacuum: ergo illa duo puncta sunt immediata. Ex quo ruit ratio illa Arist. (vel se tangerent, vel non, &c.) Et aduerte hoc argumentũ eandem habere vim in quacunq; linea, quã imagineris duci à superficie locati, ad superficiem loci, sed proposuimus in cælo, vt eius vis esset manifestior.

terfecatione lineæ à superficiebus immediatis, cõcaua, & conuexa.

Nota.

Decimum. Deinde non desunt (vt diximus) nostra ętate, qui opinionem illam antiquorum, quos impugnat Aristo. probabilem putent, & conentur solucre rationes oẽs contrarias Aristotelis. Quorum sententia in his potissimùm fundamentis consistit.

Opinio Neotericorũ quorundã circa cõtinui compositiõem ex indiuisibilibus.

Primum est, Esse duplices partes in quolibet continuo; & primas, & secundas partes. Primæ sunt, quæ sunt iam vltimæ, nec in alias iterũ secundũ illud genus resolubiles: sicut in nouenario sunt vnitates, & in quolibet numero. Secundę sunt, quę iterum resolubiles sunt, & diuisibiles; sicut ternarij, sunt nouenarij partes secundæ, & quidam numeri aliorum numerorum maiorum, partes secundæ sunt. Ita in continuo sunt partes primæ: & hæ indiuisibilia sunt, vt in linea puncta, in superficie lineæ, in corpore superficies, in tempore instantia, in motu mutationes instantaneę, quę dicuntur mutata esse. Partes verò secundæ sunt, quæ ex his indi-

1. Fundamentum.

indiuisibilibus tantum compositæ, iterũ componunt magnitudines: ex pluribus enim indiuisibilibus magnitudo, vel cõtinuum constat, quod iterum cum alio, continuum aliud maius cõponit. Et quẽadmodum in numero partes primæ non sunt numerus formaliter: ita nec in continuo partes primæ continuæ dicuntur. vnde indiuisibile per se, non est magnitudo; nec instans, tempus: nec mutatum esse, motus: Non enim prima componẽtia eiusdem rationis, & denominatiõis sunt cum composito.

2. Funda. Secundum est. Quod iuxta hoc dici potest; tempus nõ esse aliud, quàm multæ morulæ, & durationes indiuisibiles sibi succedentes absque cessatione, & singula instantia, & nunc, dicuntur: singulæ autem per se tempus non sunt, sed temporis partes primæ: multæ aũt, quarum vna recessit, altera sequitur, tempus sunt. Vnde benè dicitur, Tempus incipere, per vltimum non esse. Data enim hac prima morula temporis futuri, dicetur, modo non est tempus, tamen immediatè post hoc erit tempus: quia erit altera morula, & in multarum numerabilitate consistit tempus. Similiter desinit per primum non esse; nam in vltimo nunc hui? temporis, est verum dicere, non esse tale tempus, sed immediatè ante hoc fuit, quia erat alterum instans, quod cum hoc vltimo tempus facit. Hoc tamen est verum, quod datur prima pars temporis alicuius, & vltima, non solum prima, sed etiam secunda; minima. n. ex duobus integratur nunc.

3. Funda. Tertiũ est fundamentum. Idem dicendum esse de motu; Est. n. motus plura mutata esse, & plures mutationes instãtaneę secundum varias partes formæ, vel spacij, quæ mutata esse fluunt; vno enim recedente, alterũ aduenit, Nec singula per se dicenda sunt motus, sed si plurã sint, ac ideo motus successiuus est, sicut & tempus; & incipit & desinit, sicut & tempus, habetque primas & vltimas partes,

Nota. Hoc tamen vnũ aduertendũ erit, quod cum audis in continuo esse indiuisibilia, nõ sic esse illic ista intelligas, quasi plura accidentia realiter distincta; sic enim nõ possent vniri inter se; sed quantitas continua est vnum accidens extensum, & vna actu entitas, in qua sunt ipsa indiuisibilia; sed non actu diuisa, nec distincta; sed vnum actu cum continuo facientia: quod quidem superius diximus, esse indiuisibilia re, sed nõ realiter distincta; quod alij dicunt esse in potentia.

Solutio rationum Arist. ex illorũ Neotericorũ sententia. 1. Solutio contra definitionẽ continui. Ex his videntur posse solui argumẽta Aristotelis, primò negando, illam, quam supponit, continui definitionẽ, esse videlicet continuum, quorum vltima sunt vnũ, qua probabat indiuisibilia non posse cõponere continuũ, quia non habent vltima. Nam oportet in definitiõe, & principijs vtraq; pars conueniat. negaret igitur hæc opinio illam continui definitionem. Sed diceret continuum esse, cuius vna actu est quantitas; & sic duo indiuisibilia sunt continua, quia vnicam actu quantitatem faciunt.

Nota. Quod si petas, quare ista quãtitas vna actu est; dicit: qa partes eius inter se, non habent plures actu terminos; nã indiuisibile terminans vnam medietatem, non distinguitur re ab ipsa quantitate altera, nisi cùm ab illa separatur; atq; sic posset probabiliter, vt videtur, solui argumentũ primum Aristotelis.

2. Sol. Cõtra id, qd̃ puncto se tãgũt per se tota. Deinde ad id, quod puncta secundum se tota se tangunt, & ideo nõ possunt magnitudinem extensam facere: distinguẽdum, quæ se tangunt secundum se tota ita, vt se penetrent, non efficient magnitudinem: at quæ ita se tangunt, vt non se penetrent, sed sint immediata, faciẽt magnitudinem. Esse autẽ sic possunt immediata, vt constat, in duabus lineis se tangentibus, in extremis punctis: & duubus superficiebus concaui, & conuexa orbiũ cælestium, aliorũmue corporum. Quod si in diuersis continuis quãtitatibus, esse sic possunt puncta immediata, non se penetrantia, quid vetat quo minus esse possint, in eodem continuo?

3. Sol. Contra id, qd̃ continuũ sit semper diuisibile. Rursus tertiò, cum dicitur cõtinuum esse diuisibile, in semper diuisibilia, verũ id tantum esset, quousq; ad minimas partes esset ventum, sed vlterius non est diuisibile.

Cum etiam dicitur, ex non quanto non posse fieri, & componi quantum, nec ex non continuo, continuum; Negandum quidem esset, de primis, & minimis partibus; concedendum verò de secundis.

cundis. Nam sicut ex non numero fit numerus, scilicet, ex vnitatibus: ita ex non quantis componitur quantum. sicut etiam ex non igne ignis, ex materia, inquã, & forma: quorum neutrum est ignis: postea tamen additur ignis igni, sicut continuum continuo.

Præterea reliqua argumenta, quæ ex motu facit Aristoteles, & spacio, & tempore, omnia pendent ex duobus principijs, quæ ab aduersario negari possunt, videlicet, tempus, & spaciũ, tot diuisionibus diuidi: & tempus, & motum similiter. Negari enim potest, in instanti, vnicum in indiuisibile spacij pertrãsiri; imò concedendum esset, multa indiuisibilia spacij vnico indiuisibili temporis, pertrãsiri posse, si mobile præsertim sit velocissimum: nam & velocius mobile plura indiuisibilia pertransibit, quàm minus velox in eodem instanti: sic etiam in vno instanti, plura mutata esse fluent in motu velocissimo; quàm in minus veloci, & ita corruerent argumenta Aristotelis, vt videtur.

5. Solutio cõtra id q̃ oẽ continuũ in duas partes possit diuidi.

Nec etiam esset admittendum, omne continuum in duas partes æquales diuidi posse, sicut neque omnem numerum: sed solùm illud, quod ex paribus indiuisibilibus constaret, non vero quod ex imparibus constat: aut certè ita diuidi posse in duas meditates; vt punctus medius, vel pereat, vel maneat, vtrinque medietates diuidens, ipso non numerato, sed excluso. Hæc ergo sunt quæ maximè, videntur Aristotelicæ, & communi ab omnibus receptæ doctrinæ repugnare.

Respõsio ad obiecta

Nihilominus, licèt dubia hæc superius proposita magnam videãtur afferre difficultatem, consistendum est in supra dicta Aristotelis sententia, vt quæ & cõmunis sit, & veræ rationi conformis. Vt autem his dubijs pleniùs satisfiat, proponam prius aliquot, quibus quasi iactis fundamentis, Aristot. sententia fit manifestior.

1. Funda.

Primò ergo nota id, quod Aristotel. libro de lineis insec. cùm in has ipsas diuisionis continui falebras incidisset, egregiè obseruauit; Imbecillis, & ignari (ita ipse loquitur) opinionem aliquam, q̃ euidens ratio persuadeat, propterea deserere, quod alicui argumento non possis plenè satisfacere. Sunt enim apud nos tã falsa permista veris, vt ea sæpe, nes nostra ægrè distinguat.

Quæ potissimum rõnes demõstrent continuũ non cõponi ex indiuisibilibus.

Certissime igitur tenendum est continuum non componi ex indiuisibilibus, & propterea in infinitum esse diuisibile. Id euidenter probant inter alia demonstrationes illæ. Prima, quod in indiuisibilia, si iungantur, maius non efficiunt, cuius rationem explicauimus ad initium sexti. Secunda, quòd diameter ex tot punctis componeretur, ex quot costa, & tra diameter esset æqualis costæ. Tertia, quòd paruus circulus esset æqualis maiori, & tot haberet finito puncta numero, quot magnus. & quod intra triangulum lineæ parallelæ supra basim intra latera trianguli ductæ, essent maiores, quã sit basis, vt ostendimus. Quarta: quod nõ omnis linea esset diuisibilis in æqualia, nempe illa, quę constaret ex indiuisibilibus imparibus contra decimã propositionem primi Euclid. Sic etiam, nec omne tempus, vel motus, vel superficies, vel corpus; nec omnis continua quantitas in duas posset diuidi medietates, quæ videlicet ex imparibus indiuisibilibus constaret.

Quinta, nullę lineæ essent inuicẽ commensurabiles: omnes enim communem haberent partem aliquotam, nempè pũctum, contra vltimam decimi, & plures alias Euclidis in eodẽ libro, vt omittam cæteras, quæ tamen omnes demonstrationes mathematicæ sunt, & propterea in primo gradu certitudinis.

2. Funda.

Secundo pro solutione argumentorũ videndum est, quid sit, continuum esse diuisibile in infinitum. Non enim est habere infinitas partes simul actu, vt dici solet categorematicè, nec est habere potentiam, vt, vt per diuisionem procreentur. Diuisio enim nullam molẽ de nouo producit; sed est habere infinitas syncategorematicè, id est, nõ tot, quin plures, quod Arist. & alij dicunt infinitas in potentia, atque adeò est esse quandam molem, ex qua in infinitum semper poterit aliquid detrahi, ad quod non requirit, vt sit aliquod infinitum; nam ex finito semper auferri poterit, si semper minus, & minus auferatur, puta, pars eius partis, quæ supererat.

Pro

Nota.

Pro quo aduerte: quòd si alicui finito fiat in infinitum adiectio alicuius finiti, nunquam prodibit infinitum, nisi infinitæ additiones finiantur æquales, quod esse non potest, V. gr. assumamus binarium, adijce vnitatẽ, erit ternarius; ternario adijce, erit quaternarius: denique licèt in infinitum addas ipsi vnitatem, nunquam facies infinitum. Et ratio est euidens: quia nullum finitum ex additione vnius vnitatis fit infinitum, & infinities infinitæ additiones fieri nunquam poterunt. Quare semper in quãcunque parte huius additionis erit numerus finitus. Et denique quãuis numerus crescere possit in infinitũ, nihilominus quicunque numerus, qui sumatur, in illo augmento ac decursu, erit finitus.

Nota.

Hoc ergo, quod dico de adiectione in numero, accipe etiã de detractione in cõtinuo. Potest n. fieri in infinitum detractio, & tamen nunquam erit detractum infinitum; & eò amplius, q̃ illic additio fiebat æqualis alicuius quantitatis, puta, vnitatis: at in detractione, & diuisione in infinitum semper oportebit minores ac minores accipere, vt possit semper procedere diuisio; aliàs, si æquales acciperẽtur, finiretur diuisio.

1. Fund.

Tertiò nota. Cùm dicimus diuisionẽ continui esse in infinitum, nos nõ intelligere de diuisione reali: nam cùm omnis quantitas debeat dari in aliquo corpore naturali; nõ enim reperitur quantitas separata; Et cùm omnia corpora naturalia terminentur ad minimum, fit, vt, quoad rem, reperiatur continuum, quod nõ poterit diuidi, de quo egimus in primo lib. sensus ergo est, nullam esse quantitatem, in qua non possimus intellectu concipere duas partes, & plures situ distinctas, & hoc in infinitum.

Ad primam.

Ex his facile soluitur primum dubiũ, Dico enim non debere præexistere partes esse infinitas actu, sed potentia, non categorematicè, vt absolutè dicantur infinitæ, sed syncategorematicè, (vt diximus) non tot, quin plures, atque ideo nec est vltima pars, nec prima, ad quam infinita illa diuisio possit terminari. Quare eodem modo sunt infinitæ, quomodo debet fieri diuisio in infinitum. Vnde cùm hęc diuisio dicatur infinita, quia nullum habet terminum, non tamen quia erunt factæ diuisiones infinitæ aliquæ, ita etiã præcedunt partes tot, vt nullum habeãt terminum intrinsecum, sed solùm terminentur extrinsecè ad infinitum, omnes autem sunt finitæ. Vnde concedimus, nihil ex diuisione produci; Item omnes partes esse distinctas situ; Tamen non sequi molem debere esse infinitam, aut infinitum spacium occupare, quia semper sunt minores, & minores, & ita occupãt minus, & minus spacium. Nec verò inconueniens est, & quod vltimò infertur, vt quælibet pars sic possit rursum in infinitum diuidi.

Ad 2.

Ad secundum respondeo, quòd prima pars in continuo aliquo, potest vel simpliciter cõsiderari respectu omnium partium ipsius continui, & sic nec est prima pars, nec vltima continui secundũ se totum, quia (vt rectè ostendit Aristoteles) illius adhuc partis, pars est prior eius altera; Vel cõsideratur prima pars respectu non omnium partium cõtinui, sed aliorum à se ipsa in eodem continuo; & sic concedimus dari primam, & vltimã. Vt, v.g. diuidatur in decem partes; erit prima decima, & vltima decima, & sic nil concludit argumentum.

Nec maior vera est simpliciter, nisi cũ sint posteriores, & priores determinatæ, non verò indeterminatæ, vt in continuo accidit ante diuisionem factam tantùm intellectu: & ita similiter, nec potest reperiri maxima, nec minima respectu omnium, & indeterminatè. Sed solùm respectu aliarum facta diuisione determinatarum, & certarum partium: Vt v.g. si diuidatur in vnam medietatem, & duas alias quartas, vel in vnã quartam, & residuũ, &c. nã tunc sicut assignantur certę quædã maiores, vel minores, ita assignabuntur quoque maximæ, vel minimæ illius determinatæ diuisionis.

Quòd si omnes partes aliquãdo fuissent distinctæ, & post conuenissent, vt componerent vnum totum, tunc simpliciter esset verum, quòd si nulla esset pars prima, nulla fieret compositio; at res nõ ita se habet, vt sint, vel fuerint aliquando omnes diuisæ; sed tota illa quantitas, tanquam quid vnum fuit, & est coniuncta, quam nos imaginamur postea diuidin

uidi in infinitum eo modo, quo superius explicauimus.

Vndè cùm dicitur, destructo primo, non stat secundum ex illo pendens: Respondemus, quòd si indeterminatas accipiat partes omnes continui, nec esse primas, nec secundas &c. Si verò determinatas partes accipiat, facta iam per intellectum diuisione, pura, in medietates, vel quartas &c. tunc concedamus, & primas esse, & postremas posse.

Ad tertiũ

Ad tertium. Non est dubium, non modò secundum Theologiam sacram, sed etiam secundum Aristotelem & omnes ferè veteres Peripateticos, quos aliàs attuli: Deum optimum cognoscere omne id, quod fuerit cognoscibile. Cùm ergo quæritur: an cognoscat distinctè partes continui. Respondeo habere duplicem sensum: cognoscit distinctè ex parte subiecti, id est, cognitione distincta, vel distinctè ex parte obiecti, id est, esse distinctas, quæ duo non sunt idem. Ego enim video distinctè partes superficiei, quas non video esse distinctas. Deus ergo cognoscit omnes partes cognitione distinctissima, non tamen cognoscendo illas esse distinctas, primò cognoscit non esse distinctas: & hæc est distincta cognitio continui: cognoscit enim eas partes, vt sunt in ipso continuo, esse inquam infinitas, sed potentia. Altera verò cognitio non modò non est distincta, sed esset falsa.

Ad quartum.

Ad quartum de sphæra mota super planum. Respondeo ad primam illã difficultatem, si moueatur rotando, quòd illa maior: perfectè sphæricum tangit planum in pũcto, est vera de sphærico quiescente. Aliud ergo est considerare sphæricum quiescens, nam tunc in quiete tangit in puncto, aliud sphæricum in motu: nam motum tangit in linea: vndè ista proportione sibi respondent punctus & linea, Instans, & tempus, motus & mutatum esse. Dicimus itaque, quòd punctus tangit punctum in instanti, & in mutato esse, & linea lineam immediatè post hoc in tempore, & in motu ipso: atq; ita prima difficultas: cùm sphæricum rotando mouetur, est dissoluta.

Ad alterã parẽ arg.

Ad alteram difficultatem, cùm trahitur sphæricum per planum, Respondent aliqui, quòd punctus mobilis in hoc instanti est in hoc puncto, sed immediatè post hoc erit in alio puncto, sed non assignabili, nec in puncto immediato: nam immediatè post hoc est tempus, in quo sunt infinita instantia, in quorum singulis fuit in alijs punctis, & ita non dabitur immediatum punctum. Hæc solutio est multorum.

Reijcitur solutio.

Sed hæc perspicua est contra Aristotelem. Nam ita etiam posset responderi argumento Aristotelis, quo probat: si punctus moueretur, componi lineam ex pũctis, quia illud punctum tangens puncta tangeret immediata puncta, quæ tamen non sunt, posset itaque consimilis solutio Aristoteli dari.

2. Solutio probabilis.

Burlæus aliter respondet: negat enim punctum illum proprio motu moueri, aut transire minus spacium prius, quàm maius, dum mouetur ad motum corporis, non enim mouetur sicut pars in toto, sed sicut accidens in subiecto, & ita non correspondet illi pars motus, nec pars spacij, sicut respondet parti mobilis, secus esse, si per se moueretur.

Hęc solutio est probabilis, & eidem addi posset, non quidem respondere illi pũcto partem motus, nec partem spacij, sicut etiam nec partem temporis, sed respõdere in tali motu mobilis ipsa puncta spacij illius, & mutata esse, & instantia temporis, ita vt in quouis instanti alio, & alio tangat alia & alia puncta, & habeat aliud, & aliud mutatum esse: motus verò sit mobilis ipsius: Atque ita vno verbo respondendum, punctum illud tangere solùm omnia, & singula puncta in omnibus & singulis instantibus, mobile verò moueri in tempore, & per spacium moueri.

Ac profectò ita videtur, in cuiusuis mobilis motu: nam puncta eius puncta spacij tangunt, & lineæ eius lineis spacij respondent, & superficies eius superficiem spacij, & corpus corpus tandem ipsum mobile totum implet, & transit spacium, non verò punctus lineam, vel linea superficiem, vel superficies corpus, aut spacium.

Hæc itaque satis est probabilis solutio & defenditur sententia Aristot. punctum scilicet non moueri per se, sed solùm coexisteae punctis spacij, per singula temporis instantia.

Tertia

1. Solut. præstantior.

Tertia solutio fortassè verior, quis nõ ad mentẽ Aristot. si dicamus indiuisibile posse moueri per se cum Scoto, 2. sent. d. 2. q. 9. ad 3. & alijs, ac tunc ita dicendum: punctum illum mobilis in quiete tangere punctum spacij tactu per se manenti: at in motu, ipsum percurrere lineam, & successiuo tactu, tangere lineam, quare in singulis instantibus, erũt singula mutata esse, & erunt tactus puncti in singulis pũctis spacij, sed immediatè post hoc erit tempus, & erit punctum moueri, & ita successiuo tactu, & fluxu lineam tangere immediatè post hoc.

Obiectio. Solutio.

Quòd si obijcias impossibile esse, vt punctus lineã tangat, Respondeo distinguendo de tactu. Tactus enim est duplex, adæquatus, & inadæquatus, & permanens, & successiuus. De tactu igitur adæquato, & permanẽti cõcedo, nõ posse tãgere lineã, sed alterũ tantùm punctum: at inadæquatio successiuè posse. Simile est, vt digitus vnus potest successiuè tangere totũ spacium palmi, quid ex multi sconstat digitis adæquato verò tactu, & permanenti tantùm potest alterum digitale spacium tãgere. Sic tactu quidẽ permanenti adæquato non posset, nisi punctus punctũ tangere, sed successiuè potest inadæquatè. Simile etiam esset, de instanti, si vnum aliquod instans conseruaretur à Deo per annum sequentem, tunc toti anno idem illud instans coexisteret, & omnibus alijs illius anni instantibus: Ita hic idem numero pũctus in casu per totum spacium lineale deducitur, & trahitur, sicut illic instans conseruaretur.

Ad 5.

Ad quintum, iam est solutum partim suprà, partim ex fundamento suprà posito, tantùm enim concludit, sicut spaciũ est diuisibile in infinitum, ita & motus, qui fit in illo spacio: at sicut spaciũ non habet partes infinitas actu, sed potentia, & syncategorematicè, non tot, quin plures, vt dixi: ita nec motus. Præterea sicut partium diuisio in infinitum tantùm est, secundum imaginationem, tantùm cõcludit illud mobile, quod vellet moueri, distinguendo prius per imaginationem omnes partes nunquam posse hic absoluere motum; at verò mobile sicut est integrum, mouetur.

Ad 6.

Ad sextũ, Respondetur falsum esse putare de tempore non existere, nisi nunc, nec de motu, nisi mutatum esse: nam tẽpus ipsum, & motus existunt, & verè dicimus diẽ esse, & cursum, & ambulationem esse, tamen non immediatè secundum se existunt ita, vt partes simul sint, sed secundum continuatiua suarum partium, quia hęc est natura successiuorum entium.

Simile etiam est in quantitate permanenti: nam signato quouis medio puncto lineæ, possum verè dicere, hic est linea, & hic, & hic, cùm tamen demonstratio sola sit puncti cõtinuantis huius, vel alterius.

Ita etiam in loco continuo similiter esse dicimus totum, demonstrando tantùm particulam aliquam paruam loci eius, aut punctum: vt dicimus sphærã esse in plano, cùm tamẽ tangat in puncto solùm, & sic etiam dicimus, gemma est in annulo, cùm ex infima solũ parte cõtingat, sic etiam crux in turri, aqua in vase, &c, & lignum transuersum supra alium, dices esse in altero inferius supposito cũ tamen per mediam solùm partem cõtingat, & extrema vtrinq; in aera pendeãt. Sic etiam in hoc instanti verum est etiam dicere esse tempus, & motum, & deambulationem, & sonum, & quodcunq; aliud similiter successiuum, dũ fit, & succedit. Ad confirmationẽ ex dictis liquet solutio, immediatè post hoc instans, esse tempus, nec verò esse primum aliud instans immediatum.

Ad 7.

Ad septimum. Respondeo: quòd tantùm probat, quòd nunquã finiretur, nõ absolutè, sed intra terminum ipsius diuisionis, & intra terminum illius tẽporis, quo fit diuisio: nam semper quacunque data diuisione, vlterior diuisio superest; sed non probat, quòd illud tandem tempus totum nõ finietur, vel quòd ille motus, qui in eo fit, non finietur. Vnde argumentum hoc tunc probaret, nõ posse peruenirì ad vltimam diuisionem, si partes assumerentur æquales semper motũ, vel temporis, nam tunc, & tempus, & motus excresceret in infinitum. Et quidem simile argumentum hoc est illi Zenonis, quo probabat velocissimum in motu nõ posse consequi tardissimum, quod Aristoteles eodem modo soluit.

Præterea dicimus, quòd si essent omnes illæ partes diuisæ, in eodem tempore pertransirentur realiter, in quo modo pertranseuntur coniunctæ, licèt per imaginationem: nec si essent distinctæ, nec coniunctæ à nobis pertransirentur. Vnde in argumento est deceptio, ex eo enim ꝙ nunquā absoluet imaginatio nostra distinguentis distinctionem argumentatur ad transitionem realem. quæ etsi partes distinguantur, vel coniungantur, semper erit finita, vt dixi.

Ad 8. Ad octauum, respondeo: non esse inconueniens, esse infinita puncta in quauis parte lineæ, & infinita instātia in quauis parte tēporis in potentia, & syncategorematicè, vt diximus, id est, nō tot assignari posse, quin sint plura, sicut etiā infinitas diuisibiles esse partes cuiusuis cōtinui esse concedimus. Nec impossibile est tale infinitum, quod tempore finito clauditur, vel magnitudine finita, sic pertransiri, cùm ipsum sit finitū cōtinuum, quod motu pertransitur, in quo illa sunt indiuisibilia instātia, vel puncta, quę nec spacium faciunt, nec tempus maius per se, cùm sint indiuisibilia: imò si nō essent in continuo, sed per se, omnia simul, in vno instanti pertransirentur: modò verò per per se, & propriè cōtinuum est, quod pertransitur, non indiuisibilia, cùm illis nulla pars, nec temporis, nec motus respondeat, sed parti mobilis.

Ad 9. Ad alterum inconueniens respondeo, quòd nunquam erit albefactio, vel intēsio albedinis infinita, sed erit semper maior, & maior, quousq; finietur terminus albefactionis. Vt v.g. à septimo gradu ad octauū semper esse potest maior, & maior, vt septimo cum dimidio, & dimidio residui, & alterius residui dimidio, &c. tamen omnia hæc intra latitudinē octaui gradus. In singulis verò instantibus non acquiritur noua intensio, sed noua intensa esse, & noua albefacta esse: nā (vt sæpe diximus) hæc sibi inuicem correspondent, albefactionis motus, & tēpus, & albefacta esse, & instantia.

Ad nonum, respondeo illas duas superficies secare lineam in vno, & eodem puncto. Et ratio est manifesta: quia cùm se tangant, & sint indiuisibilia secundū profunditatem, secundum se tota debēt se tangere. vnde secundum se tota nō attollunt maius: eadem ergo distantia est à centro terræ ad vtranque: & cū illa linea metiatur illam distantiam, erit eadē linea. quare in eodem puncto secabunt. Quo fit, vt si imaginemur vnum pedem circini figi in centro terræ, & alterum extendi vsque ad illam sectionem, vt eodē ductu describātur duo circuli in illis duabus superficiebus, & hoc congruit Arist. qui in 5. Physic. tex. 21. definit illa se tangere, quorum vltima sunt simul, similiter illa esse continua. vnde oportet, cùm se tangant cęli, & sint continui, vt sua extrema simul habeant, quare duæ superficies se secabunt in eodem puncto: aliàs enim duo cæli non essent contigui, sed potius se haberent consequenter, vt definitur ibi tex. 25.

Atq; duo indiuisibilia esse consequēter non possunt, vt idē ostēdit: nec plus, multa simul, quàm vnum solū spacium occupant, quandoquidē seorsim nullum illorum aliquid spacij occupat, & quia se tangunt per se tota. Quare tantū vna superficies, ac duæ, occupabit secundū latitudinem, id est, indiuisibiliter. atq; hæc de tota quæstione dicta sufficiant.

Obiectio. At obijcies. Si illæ duæ superficies se penetrant: ergo & corpora, ac substantię, quæ sub illis sunt superficieb. se penetrabunt: nō enim accidens est sine subiecto. Et hoc est impossibile, vt duæ substantiæ extensæ, vel corpora, se penetrent, &c.

Solutio. Respondendum est. Superficies quidē sibi suppositas, seu indiuisibilia, quāuis inuicē superposita, non se propriè penetrare, ga penetrare propriè est corporum, sed sunt simul, secundū se tota indiuisibiliter, vt ait Aristoteles: nisi hoc velis impropriè vocare penetrationē indiuisibilium, hanc inquā, simul coexistentiā. Sed vtcunque voces, dicimus corpora illa se tangere, & esse solùm contigua, quorum vltima, id est, superficies suæ sunt ita simul (vt diximus) secundum se tota: se inquā dicuntur tangere ipsa corpora, quia sunt immediatè post ipsam superficiem, & inter illa solū sunt mediæ superficies. Et est quidē superficies in corpore, vt in subiecto, sed non respondet ei substantia superficialis, sicut nec puncto respondet pro subiecto substantia punctualis, quæ sit verè substantia indiuisibilis, sed superficies, & quantitas est in substantia, & in corpore, & tangit per superficiem, sicut substantia agit, v.g. per calorem.

Ad 10. Ad decimum. Ex dictis satis liquet, qd sit dicendum, nempè, non esse vllas eiusmodi partes indiuisibiles, & cōmentum esse, aliàs esse partes primas cōtinui indiuisibiles, & aliàs esse secūdas diuisibiles, in quantitate cōtinua permanente, motu, vel tēpore: sed planè esset hoc falsum & fictum; commētum, & quamuis ea ratione aliqua saluari possent, vt, de fine & initio temporis, & quædam alia; non tamen omnium incommoda, vt vidimus, eaque grauissima.

Ad 11. Ad solutiones rationum Aristo. Ad solutiones verò rationum Aristotelis, ex dictis constat esse insufficientes: & negari non posse, nec debere, illa axiomata, & principia, quæ tamen negabat, & negare cogebatur illa opinio: cùm sint à Mathematicis demonstrata, & à Philosophis præsertim post Aristotelem, validissimis rationibus ostensa: atque idcirco ab omnibus iam recepta. Sed ad singulas solutiones confutandas particulatim accedamus.

Ad 1. solutionem. Ad primam illam igitur solutionem. Dicimus, quòd non debet negari illa cōtinui definitio: continua sunt, quorū vltima sunt vnum: nam si negetur, nō poterunt rationem reddere continuitatis, aut quæ ipsa sit continuitatis essentia, & in quo consistat: aut cur potius illa puncta sint continua, quàm contigua, vel se tangentia: aut cur non discreta inter se, cum nullo copulentur.

Ad 2. solutionem. Ad secundam similiter, dicendum, ꝙ illa distinctio de punctis se tangentibus, nulla est, videlicet quæ secundum se tota, se tangunt: si non se penetrent, quantitatem facere, non verò si se penetrent: nulla inquam est, nā si secundum se tota se tangunt, necesse est se tota penetrent, nec vnum sit extra alterum.

Secundò, nec possunt esse puncta cōsequenter immediata, in eodem continuo, vt ostensum est, aliàs essent cōtigua: & oporteret præterea assignari, per quid ipsa puncta continuantur: & quid plus habent, continua, quàm cùm sunt contigua: aut cur continuentur.

Tertiò. Sed nec si essent immediata, quantitatem augerent, aut locū maius occuparent: nō enim duo puncta plus loci, quàm vnum occupare possunt, cū sint res indiuisibiles, & neutrū per se locum occupet: imò omnia puncta simul, nullū omninò locum extensum per se occupabunt: non magis, quàm duo, vel plures angeli simul, plus loci quàm vnus angelus, aut quæcunque aliæ res indiuisibiles, quarum omnium eadem est ratio.

Ad 3. solutionem. Ad tertiā similiter eorum solutionē negari non debet illud axioma: indiuisibile additum indiuisibili nō facere maius. Nec concedendum contrà, nō quanta quantitatem componere tanquam videlicet partes continuas integrantes.

a Nam quod ex non igne componatur ignis, scilicet ex materia, & forma, vt obijciebatur, nihil ad rem facit, cùm non sint eius partes integrantes, sed Physicę, & essentiales.

3 Nec verò solùm in quantitate, sed in omnibus homogeneis, de illorum integrantibus partibus id verum est: non inquam augeri aquam, nisi addita aqua, & ignem non nisi addito igne, & carnē addita carne: & ita in cæteris omnibus homogeneis. Sic etiam fatēdum necessariò, non augeri quantitatē, nisi addita quantitate: cùm hæc sit partium integrātium continuarum compositio, non essentialium, aut discretarum.

Ad 4. solutionē. Ad quartam. Primò gratis negatur, eiusmodi commensuratio spacij, motus, & temporis: sed nec negari debet, nec potest, nam aliàs assignari non potest, in quanto tempore pertransibitur illud indiuisibile spacij, vel in quanto tempore, à velocissimo mobili, vel in quanto à tardissimo, vel in quanto à mediocriter veloci, pertransibitur: assignari, inquā non potest in hac re aliquid certi.

1 Secundò. Deinde etiā, si pro libitu dicatur à velocissimo mobili in vno instāti temporis puncta multa pertransiri, vt v.g. decē puncta spacij, eadem nihilominus, sequentur Aristotelis incōmoda. Nā si sic est, à minus veloci pauciora puncta pertransibuntur, & si decupla sit tarditatis propositio ad illud velocissimum, mobile, quod v.g. decē indiuisibilia loci pertransibat in instāti, tunc ab illo tardiori in decuplo, in instanti punctus vnus tātùm per

tùm pertransibitur: & si vlterius augeretur tarditatis proportio, etiam minus quàm punctus in instanti pertrãsiretur, quæ sunt inconuenientia illata ab Aristotele, cum alijs.

Tertiò. Quòd si ècontra dixeris à velocissimo, v. g. in instanti pertrãsiri illud indiuisibile spacij, & à tardissimo in decẽ, v. g. instantib. vel in hora illud indiuisibile pertransiri, vel alia quauis proportione pro libitu, tunc iã redirent omnia argumenta Aristotelis, facta ex cõmensuratione spacij, motus, & temporis, variata videlicet velocitate mobilis maiori, vel minori, vt ille demonstrat, quę hic non repetuntur ob prolixitatem.

Quartò. Et præterea est impossibile, in eodem puncto spacij, per plura instantia temporis moueri aliquod mobile, & ibidem diutius in eodem semper sistens puncto cùm moueatur pluribus instantibus permanere: nam sic simul esset verum mobile quiescere, & moueri, in illo vno, & eodem existens puncto. Quare necesse est, omninò, admittatur illa cõmensurabilitas spacij, loci, & motus, ab Aristotele posita.

Ad 5. solutionẽ. Ad quintam. Facile refellitur illa solutio, qua negatur illud axioma continuum in duas partes æquales posse diuidi, cùm Mathematici, vt Euclides, & alij, simpliciter, & absolutè demonstrent, diuidi posse omnem finitam lineã, vel quãtitatem continuam in duas partes ęquales: idque demõstrent per se, simpliciter, & in vniuersum; nullam quidem excipiẽdo, quæ vel ex paribus, vel ex imparibus partibus constet.

In numeris verò, non sic concedunt, in duas omnes numeros medietates posse diuidi, sed solùm numeros pares: quã parium, & imparium distinctionem in continua quantitate non faciunt: sed de quacunque in genere, in duas (vt diximus) medietates diuidi posse demonstrant. De his ergo dubijs, quæ in hac difficili materia contingunt, & de tota hac indiuisibilium, & partium continui compositione, dicta sint satis.

De dubijs quibusdam circa textum Aristot. Vtrum omne, quod mouetur, tardius & velocius moueri possit, &c.

Quæstio II.

PRoposita est quæstio pro quibusdam alijs dubijs, quæ etiã ex textibus aliquibus oriũtur.

Est ergo primũ argumentum contra textũ secundũ, vbi dicitur; Continuum non cõponi ex his, quæ secundũ se tota se tangunt. Mixtũ cõponitur ex elementis, quæ corpora sunt: & tamẽ elementa secundũ se tota in ipso se tangũt: Nam quælibet pars mixti, mixta est: & in ipsa quatuor elementa inueniũtur: ergo totũ potest secundũ se totum tangere. 1. Argst.

Secundũ est contra textum quartum, vbi dicitur, eiusdem rationis esse tẽpus, motum, magnitudinem, quoad diuisionem. Videtur hoc falsum: illa enim tria differunt genere: ergo impossibile est cãdem habere rationem. 2. Argu.

Tertium est contra textum septimũ, vbi dicitur: Non esse simul fieri motum, & mutatum esse. Videtur falsum. Nam illuminatio motꝰ est, & tamen simul sunt, illuminatio, & illuminatũ esse. Est enim illuminatio instantanea. Imò vlterius, de congelatione, quæ verus est motus, dicitur libr. de sens. quòd tota congelatio fit simul: ergo simul erunt congelatio, & congelatum esse. 3. Argu.

Quartum est contra eundem textum, dicitur: In indiuisibili non fieri motum. Est argumentum. Signetur in magnitudine aliquod indiuisibile punctum, & moueatur mobile per illud spacium: tũc omnes partes mobilis transeunt per illud indiuisibile: ergo per indiuisibile est motus. 4. Argu.

Quintum est contra tex. 15. circa quẽ est titulus quæstionis: dicitur. Omne mobile tardius, & velocius moueri. Videtur falsum: Primò de cælo: mouetur enim velociter, ita, vt nec velocius, nec tardiꝰ moueri possit, cùm motus ille necessariꝰ sit. Vlterius: virtus motiua elementorũ est determinata: ergo etiam motus, vt non possit esse velocior, aut tardior. 5. Argum.

Sextum est, contra tex. 18. vbi dicitur: 6. Argu.

Quòd

Quòd si tempus infinitum est extremis, etiam magnitudo erit. Videtur hoc non ita esse, cùm tempus secundum Aristotelem sit in finitũ à parte ante, & erit à parte potest, & tamen spacium, circa quod fit motus cæli, quod temporis est causa, finitum est: imò in magnitudine circulari finiti non prohibet motum, & tempus fieri infinita.

Ad hæc singula oportet respondere. Ad primum iandu. q. 4. dicit, quod elemẽta in mixto non iunguntur, nec miscentur secundum suas quantitates, sed secũdum suas formas substantiales. Imaginatur enim quòd fiunt partes diuersæ diuersorum elementorum, & quantitates singularum non penetrantur, sed quæq; suum occupat locum: tamen mixtio in hoc est, quod vnumquodque elementum inducit, & producit: in alio suam formã: vt pars ignis producit in parte aquæ formam ignis, stante forma aquæ, & iterum aqua producit in igne formam aquæ. Similiter terra, & aer inducunt suas formas in alijs, & recipiunt ab alijs ipsorum formas: vndè in qualibet quantitate elemẽti inueniuntur quatuor formæ elementorum, & hæc est mixtio. Adt. solut. Iand.

Hæc sententia non mihi placet. Putat enim elementa manere in mixto secundum suas formas substantiales, & quòd substãtia recipit magis, & minus, & quod in eadem materia multę simul esse formę possunt substantiales: quæ improbandã sunt, cùm de mixtione aliàs disputatio fiet. Improbatio.

Alij dicunt fieri diuisionem vsque ad minima tantùm elementorum, & ita nõ se tangunt secundum totum: quia illa minima sunt extensa.

Alij aiunt esse irregularem mixtionem, vt cùm aqua in vino infunditur, & nec se tangunt secundum tota: quia semper elementa formaliter in mixto non admittimus, facilius respondemus. Solu. vera.

Dico ad argumentum, quòd cùm elementa ad mixtum conueniunt, suas formas substantiales amittunt, & pariter quantitatem, & omnium ipsorum vna fit materia, in quam formam mixti inducitur, & quantitas de nouo producta: vt enim formæ elementorum non manẽt, ita nec ipsorum dimensiones: Et vt noua mixti forma substantialis educitur ex potẽtia materiæ: ita etiam noua mixti quãtitas. Hinc patet solutio, quòd non est ibi contractus secundum se tota, cùm ipsorum dimensiones non maneant, sed vna omnium fiat materia.

Ad secundum respondeo, quòd cùm dicitur, vnam esse rationem illorum triũ, non oportet intelligere de vnitate specifica, aut generica, sed de vnitate consequentiæ, vt dicit Iandun. quæstio. 5. ita vt valeat, si vnum diuisibile est, & etiam aliud. Ad 2. 1. Solutio.

Sed melius est dicere, quòd sit identitas proportionalis: Nẽpè, quòd sic se habet tẽpus ad suas partes, vt motus ad suas & magnitudo ad suas: vt si vnum non ex indiuisibilibus componitur, nec alterum componatur. Altera Solutio.

Vel similiter de identitate simultatis: Nam dum vnum diuidimus, etiam fit alterius diuisio, vt posteà Aristoteles ostendit. 3 Solutio.

Ad tertium dico, quòd Aristot. loquitur de motu, qui fit à contrario in contrarium, qui successiuus est, non autem de eo, qui non fit à contrario, & mutatio dicitur: hæc enim est instantanea, & simul sunt mutatio, & mutatum esse. Ad 3.

Sed adhuc restat dubium de congelatione. Dico autem quòd motus duas habet partes: Quasdam à subiecto quod mouetur: dum enim homo mouetur, partes ipsius pariter mouentur; & has partes simul habet, & quantùm ad has totus simul est: & de his loquitur Aristoteles de congelatione, nempè, quod congelatur, simul quoad omnes suas partes congelatur: Alias habet partes à spacio, & forma, quæ acquiritur, & hæ successiuæ sunt: & quantum ad has totum motum esse simul est impossibile, nec congelatio tota simul sic est, sed paulatim fit: & in præsenti hoc pacto loquitur: puta, nõ esse simul motum, & mutatum est: non enim totus motus simul est. Nota in motu. 2. esse partes

Ad quartũ dico, quòd dupliciter possumus imaginari, motum fieri localem super indiuisibile. Vno modo per se, id est, quòd sit spacium, in quo fit motus: & sic est impossibile, cùm in eo signari nõ possint terminus à quo, & terminus ad quẽ: & isto modo procedit Aristoteles, quòd Ad 4.

nullus

nullus motus supra indiuisibile fieri possit. Alero modo per accidens, quatenus est coniunctum cum continuo, in quo fit motus per se: & sic super indiuisibile motus est, non tamen super ipsum per se, sed cum continuo sumptum.

Ad 5. 1. Solut. Alex. cõtra Eude.

Ad quintum, non est idem respondendi modus. Auerr. eodem com. citat duas sententias. Alteram Alexan. & Eudemi dicentium: motum cæli posse esse velociorem, & tardiorem, pro voluntate Angeli mouentis. Hoc non recipit Auerr. quia cùm ille motus sit necessarius, non potest procedere à voluntate libera. Alteram citat aliorum, qui dicunt, motum cæli posse esse velociorem, aut tardiorem, si in alio subiecto sumatur. Nec hoc recipit Auerr. quia motus vnius non potest accipi in subiecto altero.

2. Solutio Auerr.

Tandem ipse dicit, quòd motus dupliciter consideratur. Vno modo secundum se, altero modo, vt huius vel illius mobilis est. Si secundum se consideretur, vt motus est, non est velox, aut tardus, quin velocior, aut tardior esse possit, & sic ab Aristotele consideratur. Vt aut huius, vel illius est, limitatus est, vt probat argumentum, & est exemplum ipsius de quantitate. Hæc enim potest secundũ se considerari: & sic eius diuisio in infinitum procedit: at, vt quantitas rei naturalis est, determinata est, vt nec maior, nec minor esse possit.

Improbatio.

Hæc sententia non mihi omninò placet, propter duo. Alterum est, quod putat accidentia, secundum se, non habere determinatum gradum, nec quoad maximum, nec quoad minimum: quod est valde incertum. Alterum est, quod considerare motum, secundum se, non est speculatio mere Physica: Physicus enim de accidenti, vt corpori naturali inest, tractat: loquitur ergo Aristoteles hic de motu corporum naturalium, vt corporum est.

Defensio quorũdã.

Respondent aliqui, quòd cùm dicitur, quòd tractat de motu secundum se, non oportet intelligere, quòd consideret motum abstractum, sed quod tractet de motu corporum, non tamen horum, vel illorum, sed abstrahendo à corporibus particularibus.

Reijcitur defensio.

Ista defensio nulla est. Nam tunc non posset esse motus in infinitum velocior, aut tardior: non enim in vniuersali aliquid est, quod non reperiatur in aliquo singulari: at motus omnes naturales determinati sunt: est enim maximè velox motus primi cæli.

Vera solu.

Ob id dico ad Aristotelem, quòd sensus est, quòd omne mobile tardius & velocius mouetur, id est, in quocunque genere motus datur tardior, & velocior, nõ tamẽ quod in particulari omni motu veloci, aut tardo tardior, & velocior esse possit, & sic soluitur argumẽtum: illa etiam Alexandri, & Eudemi solutio vera quidem est, cùm verè intelligentia cælũ mouens sit Angelus, & agens liberum, quam si qui ad mentem Aristot. esse dixerint, hos interpretes eius sequẽdo, profectò maximè indè argumentum pro libertate Dei secundum Aristo. desumi posset. quandoquidem secundum hos intelligentia pro eius voluntate cælum tardius, & velocius mouere posset.

Ad 6. arg.

Ad sextum dici potest primò. quòd loquatur de motu simplici, qualis est rectus aut circularis, quantùm ad primam circulationem: nam cùm plures circulationes cumulantur, iam quodammodo motus ille compositus & geminatus est. Motus autem simplex, si infinitus fuerit secundum extrema, spacium etiam secundum extrema. & ita potest intelligi Aristoteles. Vel dici potest, quòd circulus dici potest infinitus, cùm careat actu extremis, vt dictum est in libro tertio.

CAPVT III.

Necesse est autem, & ipsum nũc. Tex. XXIIII.

De diuisione motũ, ac primo de Nũcte poris.

PRoostquàm diuisiones magnitudinis, & temporis ostendit: nunc diuisionem motus tractare aggreditur: ac primo probat, motum in tempore esse: hoc enim ad ipsius diuisionem conducit.

Qd Nũc tẽporis sit indiuisibile.

In hoc verò textu proponit ipsum, Nunc, esse indiuisibile, vt probet in ipso non esse motum, sed in tempore. Dicit ergo. Nunc quòd secundum se, terminus est, & non secundum aliud, est indiuisibile: & est in tempore vtroque, quod terminat, putà, præterito, & futuro, finis quidem præteriti, vltra quod nihil illius præteriti est, initium futuri, ante quod nihil illius futuri est. est enim vtriusque terminus.

Nota. Duobus modis potest aliqd terminare

Notandum autem, quod aliquid potest terminare dupliciter, sicut tangere, adæquatè, & inadæquatè. Id tangit inadæquatè, quòd non secundum se totum tangit, sed secundum aliquid sui, sicut vnus digitus tangit lignum inadæquatè, quia non secundum se totum, sed secundum vltimum sui. Illud autem vltimum, quod secundum se totum tangit, cùm indiuisibilis superficies sit, adæquatè tangit. Ita similiter de termino. Aliquis est inadæquatus, qui non secundum se totum terminat. Alius adæquatus, & hic indiuisibilis est. Et hoc est, quod dicit: Nũc, quod secundum se terminat, esse indiuisibile: vt enim dictum est in libro quarto, Nunc etiam vocatur tempus proximum nunc præsenti: sed id non secundum se terminat, sed secundum suas partes: ob id tale non est indiuisibile.

Hoc autem si demonstretur. Tex. XXV

Si sit idẽ Nũc, terminãs vtrisq; tẽpo, erit indiuisibile.

AD probandum, Nunc, esse indiuisibile, docet id facere, si probetur, vnum esse, & idem Nunc, quod secundum se, terminat vtrumque tempus. Si enim probatur, esse vnũ, & idem, quod secundum futurum, & præteritum terminat, tunc indiuisibile esse constabit.

Necesse est igitur idem esse ipsum nunc. Tex. XXVI.

1. Ratio. Idẽ Nũc, esse vtriusq; tẽporis, præteriti & futuri.

PRobat, tale Nunc vnum, & idem esse. Argumentum est. Si non est vnũ Nunc, quod finis præteriti, & initiũ futuri sit, erunt duo, vnum vnius, alterũ alterius: Tunc, cùm duo Nunc sint indiuisibilia, & immediata esse non possint, non erunt absque medio: erit igitur medium tempus. Nam quod medium est inter fines alicuius continui, est vniuocum, & rationis eiusdem cum eo, cuius fines sunt: vt inter fines lineæ mediat linea: inter fines corporis mediat corpus: ita inter fines temporis, qui sunt Nunc, mediat tempus: Tunc, si mediat tempus, cũ non sit præteritum, nec futurum, inter quæ est, erit Nunc, & præsens vtrumque, & erit finis præteriti, & principium futuri.

Vlterius, illud tempus est diuisibile. Omne enim tempus in præteritum & futurum diuiditur. Si igitur illud Nunc est in præterito, cùm sit ipsius finis, iam aliquid futuri erit in præterito: similiter est in futuro, cùm sit eius principium: ergo aliquid præteriti erit in futuro: nam in tali termino, cùm diuisibilis sit, vtrumque reperitur, & secundum vtrumque terminabit, quod est impossibile: Non ergo sunt duo nunc, sed vnum, & idem: si enim duo sunt, terminus erit diuisibilis.

Simul autem nec per se erit. Tex. XXVII.

2. Ratio.

REprobat adhuc terminum talem non esse tempus intermedium, & diuisibile. Quia non esset terminus per se, sed secundum aliquid sui, puta, secundum vnam partem vnius, secundum alteram alterius. Hoc autem falsum est, quòd alicuius finiti non sit terminus per se, & adæquatus: quòd si terminus est per se, indiuisibilis est: Non enim diuiditur id, quod per se terminus est.

3. Ratio.

Adducit aliam rationem ad idem probandum, quòd non sit medium diuisibile. Nam cùm diuisibilis alia sit pars præterita, alia futura: sequitur quòd non erit idem præsens, & Nunc vnquàm, quia tempus multipliciter diuiditur, & in illis partibus, alia nunc inueniuntur continuatiua, quæ recedunt, & alia adueniũt.

Vel melius potest sic exponi: Nunc vnum, & idem est in tota sua duratione: si igitur ex præterito, & futuro constat, non est idem in tota sua duratione, cùm præteritum non sit futurum. Antecedens est per se notum: Nunc enim vocamus, quod totum est, & idem durationis præsens. Non igitur duo sunt termini, sed vnus.

Quare

Quare si impossibile est. Tex. XXVIII.

Cōcludit ex dictis illud Nunc, esse indiuisibile.

CONcludit, cùm ista non possint isti Nunc competere, puta, quòd sit diuisibile, quòd non sit per se terminus, quod non sit totum simul, & idem: Re vera, vnum est, & idem, quod vtriusq; temporis est terminus, quod vnum est, & indiuisibile erit. Aliter enim sequentur prædicta inconuenientia: Erit enim diuisibile, & non secundum terminos: & præteritum in futuro, ac futurum in præterito erit. Nec erit idem Nunc vnquam, quę iam reprobata sunt.

Quòd igitur sit aliquid in tempore indiuisibile. Tex. XXIX.

Qd nullus motus est in Nunc, indiuisibili, sed in tempore.

PRiora verba textus conclusio sunt præcedentium, post quæ conclusionem intentam ponit, nempè: Nullus motus est in nunc indiuisibili, sed in tempore. Probat: Si enim motus in instanti fit, tunc & motus velox, & tardus in instanti fieri posset. Demus igitur spacium A B, per hoc moueatur iam mobile velocius in instanti N, si in instanti velocius transit A B, ergo tardum in eodem instāti transibit minus spacium, vt dictum est, sit A C, iterum hoc transit tardum in instanti: ergo velox in minori transibit idem: & sic instans, & nunc erit diuisibile, quod esse non potest.

At verò neque quiescere. Tex. XXX.

Qd quies fit etiā in tēpore, nō in Nūc indiuisibili. 1. Ratio.

ALteram constituit conclusionem. Quies etiam in tempore fit, nō autem in instanti. Hanc tripliciter probat. Primò, Id quiescit, quod nō mouetur, quando moueri poterat, & modo, & loco, quo poterat, & aptum erat, vt diximus superius: sed in instanti non est quicquam aptum moueri, vt probatum fuit: ergo nec quiescere.

Amplius si idem nūc. Tex. XXXI.

SEcundò probat idem, & supponit duo. Vnum est, quod idem sit nunc continuatiuum temporis vtriusque & præteriti & futuri, vt iam probatū est. Alterum, quòd dati alicuius temporis aliquid in tota medietate præterita moueatur, & in tota altera quiescat. Ex his sequitur, quod motus, & qes sunt simul. Patet: Motus est in tota medietate prima: ergo etiam in nunc continuatiuo illius medietatis: est enim terminus intrinsecus ipsius. Vlterius: Quies est in tota altera medietate: ergo etiam in illo nunc, cū sit futuri etiam terminus intrinsecus: ergo in vno nunc simul aliquid quiescit, & mouetur: si quies in instanti esset, & motus: esset autem motus, si quies esset in nunc: vtriusque enim ratio est eadem. 1. Ratio.

Dubiū cōtra rōnem Arist.

Contra hanc rationem Aristotelis dubitatur. Nam non videtur valere, quòd quies, & motus simul essent in vno nūc, sed quòd illud vnum esset finis, extrinsecus tamen motus, vt dicatur in tali nūc non est motus, sed immediate ante hoc fuit: sic enim desinit motus. Similiter esset vltimum non esse quietis, puta, nunc non est quies, sed immediate post hoc erit.

Solutio.

Ad hoc respondetur, quòd si motus in instanti posset esse, tunc, re vera, non per vltimum non esse inciperet, sed per primum esse. similiter & quies. Vndè cùm illud instans præteriti sit ipsius præteriti, in quo toto motus est, qui in instāti fieri posse supponitur, esset vtique in illo instanti: similiter & quies, & sic simul essent.

Dubiū 2. cōtra rationē Ari.

Sed profectò adhuc non satisfacit hoc. Nam quamuis in instanti fieret motus, & quies, adhuc simul esse non probatur, qa cùm in continuo tempore sit immediata mutatio vnius ad alterum, licet sit instantanea, non potest vnicum instans esse vtriusq; intrinsecum.

Et declaro, & confirmo hoc euidenter. Demus quòd generatio, & corruptio substantiæ sint in instanti, (quod verum est,) demus modò, quòd in media prima hora materia sit sub forma ignis, & in tota alia media sub forma aquę, per corruptionem vnius, & alterius generationē. Tūc argumentor, istę mutationes in instanti sunt

sunt, sed in tota media prima ignis est: ergo etiam in vltimo nunc, in tota iterū media altera aqua est: ergo & in illo nūc: ergo simul aqua & ignis.

Clarum est, quòd Aristoteles non admitter casum, sed dicet, postquam datum est, quòd in tota media hora sit aliqua forma, nō oportet dare, quòd in tota altera cōtinua sit altera. nā instans illud est intrinsecum vnius, extrinsecum alterius: est enim primum non esse ignis, primum esse aquæ. Ita dicam de motu, & quiete, quamuis admittantur esse in instanti, nō ob id erunt simul: imò esset primum non esse motus, & primum esse quietis: nec sua petitio est admittenda: ob id existimo, argumentum hoc esse probabile, nō autem demonstratiuum.

Amplius autem quiescere quidem.

1. Ratio.

TErtiò probat idem ex definitione quiescentis. Id enim quiescit, quod ita se habet, sicut prius: quod enim mouetur, in continua est variatione: At quod quiescit, inuariationē habet, vt sic modò se habeat, vt prius: at in nunc non est assignare prius, cùm sit indiuisibile: ergo non est quies in solo nunc: quod ergo mouetur, & quod quiescit, in tēpore mouetur, & in tempore quiescit.

Quod autem mutatur omne. Tex. XXXII.

1. Ratio. Qd mobile necessario est diuisibile.

DIuisionē motus indagaturus, primò mobile diuisibile esse probat hac ratione. Omne, quod mutatur, partem habet sub termino à quo, partem sub termino ad quem: ergo omne, quod mutatur, est diuisibile. Antecedens probat: Quia cùm mobile est totum in termino à quo. l. totū in termino ad quē quiescit: & non mouetur: cùm igitur mouetur, partim est in vno, partim in alio: dicere enim, quod in neutro est, est impossibile.

Dubium Arist.

At quis dubitaret, cùm aliquid Roma mouetur Neapolim, non est partim Romæ, partim Neapoli.

Solutio.

Respondet se nō loqui de vltimis terminis, sed de proximis motus illius, puta, de his, in quibus fit primùm mutatio: vt cùm proximè mouetur in A, ex B, partim est in A, partim in B, sicut quod mouetur ex albo, pro proximo termino habet medium, puta fuscum; non tamen opus est, quòd sit simul in terminis primis, & remotis, sed in proximis opus est.

Circa intelligentiam Tex. 32. Aristotelis, An omne mutabile sit diuisibile. Et an mutatio esse possit in non tempore.

Quæstio III.

Sēsus q̄stionis.

NOn hic quærimus, An indiuisibile moueri possit; hoc enim posteà examinandum est inferius, vbi Aristoteles id tradit: sed difficultas solùm est in intelligendo sensu Aristotelis in hoc textu 32. vbi docet, omne mutabile esse diuisibile, in quo laborant interpretes adeò, vt dicat Auer. hanc esse eis quæstionem quasi insolubilem contra Aristotelem.

Rō difficultatis cōtra Aristotelem.

Difficultas autem in hoc consistit, vt notat Auer. Aristoteles enim facit hoc argumentum. Omne, quod partim est in termino à quo, partim in termino ad quē est diuisibile: omne mutabile partim est in termino à quo, partim in termino ad quem; ergo omne mutabile est diuisibile. Peto, An in conclusione loquatur de omni mutabili secundum generationem, & de mutabili in tempore, & in non tempore. l. non. Si non de omni loquatur, tunc est demonstratiō particularis: nam prædicatum diuisibile conuenit omnibus mutabilibus: nam quæ in nō tēpore mutantur, etiam diuisibilia sunt; vt patet de aere, qui in non tempore illuminatur. Similiter materia, in qua generatio fit, diuisibilis est.

Si autē de mutabili omni sermo fiat, tunc incidimus in aliud peius; minor enim est falsa: nam quod in instanti mutatur, non est partim sub termino à quo, partim sub termino ad quem.

Circa hanc difficultatem Auerroes, in huius loci digressione citat tres sententias, & eas impugnat, tandē suam ponit, quæ

etiam mihi non probatur, vt posteà ostēdam. Prima est Alexand. qui nullā existimat esse mutationem in non tēpore, sed omnes esse in tempore: aliquas tamen in tēpore ita breui, vt lateat: ob id apud ipsum clarum est, Aristotelē loqui de omni mutabili. Hanc reijcit Auerr. dupliciter. Primò; quia est contra Aristotelē, quem magnum, & famosum magistrum vocat. Aristoteles 1. Physic. tex. 23. contra Parmen. dicit mutationes aliquas esse in instanti. Secundò; quia est contra rationē: illuminatio enim, generatio, corruptio, & aliæ sunt mutationes, quæ fiunt in instanti.

1. Sentētia Alexādri.

Reijcitur opi. Alexand.

Altera sententia est Themist. admittit enim Themist. esse mutationes aliquas in non tempore: similiter admittit, omne mutabile siue in tempore, siue in nō tempore esse diuisibile: tamen dicit, quod Aristotelis demonstratio procedit de mutabili in tēpore, eo quòd mutabile in non tēpore, per se notū est, esse diuisibile; nam ex definitione id notum fit: id enim est in non tempore mutabile, quod totum & ipsius partes simul motæ sunt: vnde patet ipsum habere partes.

2. Sententia Them.

Auerroes reijcit istam sententiam dupliciter. Primò; quia non est per se notum, mutabile in non tempore habere partes, & esse diuisibile: imo magis videtur ipsum esse indiuisibile: nam vt se habet mutabile in tempore ad mutationem in tempore, ita se habet mutabile in non tempore ad mutationem in non tempore: sed mutatio in tempore colligit ipsum mutabile diuisibile; ergo mutatio in non tempore, quæ indiuisibilis est, videbitur magis colligere, ipsum mutabile esse indiuisibile: non ergo per se notum est, diuisibile esse.

Reijcitur sententia Themist.

Secundò, quia tunc Arist. demonstratio nulla esset: daret enim non causam, p causa, puta, habere partem in termino à quo, & partem in termino ad quē, & ob id diuisibile esse; constaret autem nō esse id causam, nam mutabile in non tempore diuisibile est, & non habet partem in terminis à quo, & ad quem.

Tertia sententia est Auempace: iste enim duplicem distinguit mobilis diuisionem. Vnam, secundum quam diuisibile est secūdum suam quantitatē, quam vocat diu sionem secundum vltima. Alteram secundum quam diuiditur in formas contrarias, quas ex motu habet: quod enim mouetur, participat de termino à quo, & de termino ad quē, dum mouetur.

3. Sentētia Auēpace. Nota duplex mobilis diuisio.

Existimat autem Aristo. non loqui de priori diuisione, quia posteà probat non esse mobile indiuisibile: sed de posteriori, & hoc in tribus sententiis motus, quæ ex contrario in cōtrarium fiunt: Tunc sensus est: Omne mobile, dum mouetur, participat terminum à quo, & ad quē, ob id diuisibile est in formas, vt quod dealbatur, partem habet albedinis, partē nigredinis, & sic in alijs: siue ipsum mobile fit in se diuisibile, siue indiuisibile: de hoc enim modo non est sermo.

Hanc sententiam dicit Auerroes esse meliorem alijs, eo p nullū inconueniēs ex prædictis in ea sequitur, atq; fatetur se multo tempore in ipsa fuisse. Sed modò reijcit, eo p diuisio secundum formas accidentalis est subiecto: de prædicato aūt accidentali non fit demonstratio.

Obijt Auerr. cōtra Auempa.

Soluitur Auerrois obiect.

Sed ista ratio Auerrois est debilissima; nā diuisio secundum formas accidit quāto, vt quantum est, at vt mobile est, non ipsi accidit, sed valde de per se est, & necessaria.

Altera obiectio D. Tho.

Potior ratio est S. Tho. quia talis expositio non conuenit literæ Aristotelis, vbi dicitur, quod mutatur, habere partem in vno termino, partē in altero: vbi de diuisione quantitatiua mobilis sermo est.

4. Sēnia Auerr. Nota 1.

Tandem Auerroes suam ponit sententiam quartam, quam latuisse omnes expositores dicit. Notat tamen primò aliqua. Primū est; quòd mutatio est duplex. Altera per se; Altera non per se. Mutatio nō per se est, quæ ex motu tendit in quietē, vt cū aliqd ex albo mutatur in nigrū: ex quiete enim albi tendit in quietem nigri. Similiter reliqui motus, qui ex contrario in contrariū tēdunt. Mutatio verò per se est, quæ ex quiete tendit in quietē; & hæc nimirum est, quæ non est sola, nisi coniuncta motui alicui, tanquam ipsius terminus; vt generatio substantię, quę sequitur alterationem: illuminatio, quę sequitur motum localem illuminantis, & huiusmodi aliæ, quæ mutationes tantū, non motus dicuntur: ac ob id appellantur mutationes non per se, quasi nō sint nisi alijs iunctæ.

Nota 2. Mutatio per se à motu ad quietem duplex.

Notat secundò, quòd mutatio nō per se; duplex est, Altera, quæ habet alterum specie terminum à mutatione per se; vt generatio, quæ alterationi iungitur, sed illa in substantiam, hæc in qualitatem terminatur. Similiter illuminatio, quæ est cum motu locali. Altera est, quæ terminum habet eundem, vt cum motu ex nigro in album est, mutatio ex non albo in album.

Nota 3. mutationes nō p se sunt in instanti.

Notat tertiò, quòd mutationes nō per se sunt in instanti, quia sunt in termino præcedentis motus, qui terminus est instans, reliquæ in tempore sunt.

Sensus Arist. secūdū Auerr.

His suppositis, dicit, quòd conclusio Aristotelis est vera in vniuersum, sed differenter. Nam de mutatione non per se est vera, sed per accidens; quod est dicere: quod mutatur non per se, est diuisibile, non propter id, sed qa illud tale mutatur simul mutatione per se, à qua diuisibilitas prouenit. De mutatione verò per se, est vera per se: quod enim mutatione per se mutabile est, diuisibile est: & quia quòd est per accidens, omittitur in demonstratione, ob id Arist. demonstratio in mutabilibus per se fit, per ipsa enim veritatē habet etiam in mutabilibus non per se.

Reijcitur sententia Auerrois.

Ista sententia non mihi placet. Nam, vel loquitur de diuisione secundum formam. Et hoc non: esset enim incidere in sentētiam Auemp. impugnatam ab ipso in hoc: vel loquitur de diuisibilitate secūdum vltima. i. quantitatē subiecti: & tūc minor nō est propositio per se, sed per accidens. Nam alterabile, vt alterabile non habet vnam partem in termino à quo, & alterā in termino ad quē, cùm in vna sola parte possit alteratio perfecta fieri; nec quod alteratur, opus est, vt sit quantum.

Defensio Auerro. à quibusdā.

Quòd si dicas cum quibusdam, quòd id, quòd alteratur, non habet partem in vno, partem in altero termino, vt alteratur, nisi quia quòd alterabile est, mobile localiter est; & quod localiter mouetur, id habet.

Reijcitur responsio.

Hæc responsio nihil valet; nam etiam si id admittatur, iam alterabile nō per se habet partem in vno, partē in altero termino: & ita non est minor de per se, sicut nec conclusio de mutabili mutatione nō per se: sicut ergo exclusit ipse Auerroes mutationem non per se, ita debuit eadē causa excludere alterationem: imò & augmentationem, quamuis sint mutationes per se. Hoc argumentum validissimū puto contra Auerroem, adeò vt discipuli ipsius fateantur, non constare sensum Auerrois in hoc. Relinquatur igitur hęc expositio, & recipiamus illa tria notabilia, vt vera.

5. Sentētia D. Tho.

Quinta sententia est S. Tho. in presenti: vult, quòd hic fiat sermo de diuisione quantitatiua mobilis, dicit tamen, quòd verum habet ista demonstratio in omni mutabili, etiam secundum generationē.

1. Ratio.

Quòd mutatur enim est partim in termino à quo, partim in termino ad quem: & de motu locali notum est: at de generatione substantiali, & alteratione indiget declaratione. Dicit ergo Doctor sanctus. Quod mutatur in generatione substantię, est partim sub termino à quo, puta sub priuatione, partim sub termino ad quem, nō quidem forma, sed sub aliquo formæ, puta sub ipsius dispositione, nam cūm forma est, priuatio non est.

De alteratione verò dicit, p id, quod alteratur, quāuis totum alteretur, tamen vna pars alterata alteram alterat, vt vna medietas aliam, & vna extrinseca aliam intrinsecam, quia non omnes partes æqualiter ab agente admoto primū alterantur: & sic alterabile diuisibile est.

Dubia cō tra sentētiā D. Th.

Ista sententia est Sancti Thom. quæ licèt sit melior cæteris, tamen mihi non plenè satis facit: primò, quia cùm ipse fateatur hic agi de diuisione secundum partes mobilis, quomodo verū habet, quod dicit de generatione? iam enim recurrit ad partes secundum formas cum Auempace. 1

Præterea, quod dicit de alteratione nō habet efficaciam, quia per accidens est, p pars alterata alterā alteret: illa enim saltem partis alteratio est, vera alteratio, & tamen non fit secundum diuersas partes, quarum vna sit in termino à quo, altera in termino ad quem. 2

Iand. q. 13. arguit etiā contra S. Tho. & probat, quòd nec secundum formarum diuisionē locum habeat hoc in generatione, quia cùm materia est sub priuatione, & sub dispositione formæ, profecto non 3

ctò non est sub parte formæ: dispositio enim alterius est generis.

Præterea, quia sunt formæ, ad quas nullus est dispositionis motus præcedēs, vt patet in lumine: non enim disponitur aer ad ipsum recipiendum.

Sentētia authoris. Ob hæc igitur in tanta varietate opinionum mihi videtur, Aristot. rationem esse de mobili localiter, de quo hactenus locutus est, quia talis motus cōmunis est omnibus naturalibus: reliqui enim particulares sunt, atque in alios libros dimittuntur: & tunc procedit de diuisione quantitatiua mobilis: de hac enim videtur loqui verba textus: aliter enim expositio Auempa. erat optima: quòd si Aristoteles loquitur, & concludit vniuersaliter de omni mutabili, id est, quia in omni mutabili, verum habet, sed non per se: sed quatenus quæ alterantur, & augentur motum localem præsupponunt, ad quem est necessaria mobilis diuisio.

Obiectio. Nec te moueat exemplum Aristotelis de fusco, in quo videtur conformari sententiæ Auempa.

Solutio. Nam exemplū solùm est ad explicandum, quòd sit primum, & proximum, ad quod peruenitur in motu: tale enim in quocunque motu reperitur.

Ad argumentum Auerr. Nec argumentum Auerro. in principio quicquam valet; Nā quamuis diuisibile alijs insit mobilibus, id tamen est mediatè, & per mobile localiter: & iuxta hoc dici potest procedere per causam rationem Aristot. nam causa, quòd mobile localiter diuisibile sit, vt mobile est, ea est quia partem in vno, partem in alio termino habet: de necessitate tamē, & veritate huius posteà latius dicetur, cū examinauerimus. An indiuisibile moueri possit.

CAPVT IIII.

Motus autem est diuisibilis. Tex. XXXIII.

Motus dupliciter ē diuisibilis, ad diuisionem subiecti, & ad diuisionem temporis.

Diuisionē motus tractat, ipsumque dupliciter diuisibile esse dicit: Vno modo, ad diuisionē motuū partiū subiecti: Altero modo, ad diuisionem temporis. Diuiditur ergo motus alicuius totius in motus partium illius totius mobilis. Hoc autem probat ex eo, quòd motus totius magnitudinis mobilis nō est alius, quàm motus constans ex partium motibus; sic enim diuidetur in tales partes: at quod motus totius constet ex motibus partium, tripliciter probat.

Nota scopū Aristo. Nota verò hoc, quod argumenta nō probant: primo, motum esse diuisibilem, quod aliqui expositores putârunt: sed q motus totius mobilis sit coniunctus ex motibus partium, hinc enim est manifestum, diuisibilem ipsum esse in motus partium, quia vnumquodque resoluitur in ea, ex quibus componitur.

1. Ratio Aristot. q motus diuiditur ad diuisionē subiecti mobilis. Argumentum igitur primum est. Sumamus totum, quod mouetur, AC, quod si mouetur, ipsius duæ medietates mouebuntur duabus partibus motus, quarum vna non est alia: tunc sic partes mobilis mouētur partibus motus distinctis ergo totum mobile toto integro motu ex vtraque parte constante.

Vis argumenti. Vis argumenti est. Ita se habent partes motus ad totum, vt partes mobilis ad ipsum mobile: sed partes mobilis sunt totum simul iunctæ; ergo & partes motus simul totus motus. Vlterius: Sicut partes mobilis ad partes motus, & totū mobile ad totum motum: est igitur motus totus totius mobilis compositus ex partibus motus partium mobilis: & ita est diuisibilis in tales partes.

Nota. Literæ expositio. Consideranda litera. Nam per A C, notat motum mobile; per A B, vnam ipsius medietatem, per C B, alteram. Item per D F, notat motum compositū ex motibus partium: per D E, motum prioris medietatis mobilis: per E F, motum alterius medietatis eiusdem mobilis.

Amplius autem si omnis quidem. Tex. XXXIIII.

2. Ratio Aristo. Secundò, idem probat deducendo ad inconueniens. Si motus ille compositus ex partibus, non est totius magnitudinis mobilis, tunc vel erit partium l. alterius mobilis. Non partium, quia singulæ partes singulis partibus illius mouentur, non toto ipso.

(Vide

Vide autem, quòd loquitur de partibus per se, & non simul sumptis: hæ enim sunt totum;) Nec talis motus potest esse alterius mobilis, quia si totus ille motus esset alterius, partes etiam essent partium alterius mobilis, cuius enim totus est motus, & partes motus sunt, sed partes illius motus non sunt alterius, cùm sint ipsius A C, nec plurium mobilium est vnus motus, ergo nec totus motus erit alterius mobilis. Ergo oportet dicere, quòd motus coniunctus ex motibus partium magnitudinis mobilis alicuius, sit ipsiusmet totius mobilis: & ita motus totius diuiditur in motus partium illius totius mobilis.

Amplius autem si est quidem totius. Tex. XXXV.

1. Ratio Aristot. Tertium ponit argumentum, quo probat idem, puta, Motum contiūctum ex motibus partium mobilis esse totius ipsius mobilis, ante probauit esse ipsius mobilis, quia non poterat esse alterius mobilis: modò probat esse etiam ipsius totius, quia alius motus, prēter illum, non potest esse illius mobilis.

Est igitur argumentum. Si motus compositus ex partibus, puta, D F, non est illius totius mobilis, erit aliquis alius, detur ille, & sit, H I. tunc ab isto oportet abscindere duas partes æquales illis duobus motibus, quæ erant partium mobilis. Nisi enim auferrentur, tunc partes mobilis haberent duos motus singulæ vnum positum iam alterum ab isto, qui modò datur.

Ablatis igitur partibus à motu H I, peto, vel superest aliquid ex illo motu, vel prorsus est æqualis partibus ablatis, vel minor: si sit æqualis partibus ablatis, erit æqualis etiam motui illi composito, de quo est argumentum. Quòd si illi æqualis est, profectò ille erit motus totius mobilis, quia duo æquales motus vnius speciei non sunt in vno. Si verò excedit, iste excessus nullius erit, nam non totius mobilis, cùm sit minor: non partiū, quia habent iam suum motum: non alterius subiecti, quia non esset motus continuus, Quod si minor sit, quàm partes simul sumptæ, tunc excessus partium nullius erit: est ergo motus æqualis partibus ablatis.

Vis argū. Aristotel. Aduerte itaq; vim argumenti totam hanc esse. Si motus compositus ex motibus partium non esset motus totius, sed alius motus; ex eo esset, quòd non esset æqualis ipsi toti: Sed quicunq; alius motus ponatur, erit necessariò æqualis isti motui composito, non maior, nec minor: si debet esse totius mobilis, ergo præter motum compositum ex partibus non oportet ponere motum alium totius mobilis. Vndè concludit, hanc diuisionem motus esse, & necessarium esse, ipsam fore, quoties subiectū mobile partibile est.

Alia autem est secūdum tempus. Tex. XXXVI.

De diuisione motus secundū tēpus ad tēporis diuisionem. Alteram constituit diuisionē motus, qui in successione consistit, & hanc habet secundum temporis diuisionem: & probat, Quia totus motus in toto tempore est minor motus in tempore minori, igitur motus ad diuisionem temporis diuiditur: ipsius enim partibus commensuratur. & correspondet, vt patet.

Quoniam autem omne, quod mouetur. Tex. XXXVII.

De diuisione motus mobilis, & tēporis, & termini ad quē eādē esse omniū istorū in diuisiōe ,pportionē, licet nō eadē sit diuisiōis ratio. Diuisionem motus, mobilis, & tēporis etiam in alijs, quæ in motu sunt, reperiri docet: Et constituit quinq;, puta, Motus, Tempus, Moueri, id est, motus in concreto, Mobile: In quo fit motus, id est, terminus ad quem. Hæc, inqt; omnia proportionaliter diuidi eodem modo docet in hoc, quòd diuisio vnius correspondeat diuisioni alterius.

Quamuis diuisionis ratio non omnibus sit eadem. Nam quantitates, ad quas est augmentatio, per se, diuisibiles sunt: qualitates verò, ad quas alteratio est, per accidens diuiduntur ad quantitatis diuisionem.

Incipit autem ostendere, quòd tēpus, & motus se in diuisione consequūtur. Primum

Mot. tēpus si

mibes se consequun-cur.

mum de motu, quòd sequatur tẽpus sic: Totus motus est in toto tempore, in parte temporis pars motus; in dimidia dimidia, in tertia alia tertia: & sic consequenter, ergo ad temporis diuisionem motus diuiditur: è conuerso etiam totum tempus est mensura totius motus, pars verò temporis partis motus: ergo tẽpus pariter diuiditur ad diuisionem motus.

Eodem autem modo, & ipsum moueri. Tex. XXXVIII.

Moueri diuiditur diuisione motus.

OStendit modò, quòd moueri etiã diuiditur motus diuisione, sic. Moueri totum est secundum totum motum, moueri minus secundum minorem motum, maius secundum maiorem. Tunc multum est res mota, cùm motus magnus est, tunc parum, cùm paruus est: ergo moueri diuiditur ad motus diuisionem. Est autem eadem argumentandi forma cum superiori.

Est autem & cùm quis designauerit ipsum.

1. Expositio.

SAnctus Thomas exponit modò Aristot. è conuerso ostendere motus ad diuisionem moueri diuidi.

2. Expõ. qd partes moueri ipsi respõdeãt, partib motu.

Forsan tamẽ conformius literę dicemus: q reijciat id, quod dici poterat, nempè, partes ipsius moueri correspondere partibus motus, sed non totum moueri toti motui: Quod est dicere, Totum moueri non est compositum ex moueri partium, quod ante de motu dicebatur.

1. Ratio.

Hoc autem reijcit multipliciter. Primò, Signetur vtraq; pars ipsius moueri D C, C E, tunc partes singulis motibus correspondent, ergo & totum toti motui composito. Nam si aliud moueri esset, tunc duo moueri ab vno motu essent. Vt enim probatum est iam, in mobili toto non est nisi vnus motus ex partibus constans: ergo, & vnum moueri.

2. Ratio.

Probat secundò (vt puto) Motus totius est ex motibus partium, vt dictũ est, ergo, & ipsum moueri ex moueri partiũ: Et ita moueri totum respondent tori motui, sicut partes moueri partibus motus.

1. Ratio.

Item tertiò. Quia sicut ex vtroq; motu vnus est compositus motus cõtinuus, & a qualis toti mobili: ita ex vtroq; moueri fit vnicum, & continuum moueri: est igitur mutua correspondentia vtriusq;.

Similiter autem demonstrabitur. Tex. XXXIX.

Terminus ad quẽ diuiditur sic ut motus.

QVod dictum est de motu, moueri, & tempore, quantùm ad diuisionem, idem docet esse de termino ad quem, & de longitudine in augmento, & de alijs aliorum motuum terminis qui parites sunt diuisibiles, quamuis quędam horum sint per accidẽs diuisibilia, puta, penes ipsum mobile.

Item docet, hæc omnia non solùm se consequi quantum ad diuisionem, sed etiam quantum ad finitum vel infinitũ, quod superius de spacio dictum est. Attẽde autem, quòd hic spacium cum termino ad quem coniungitur: Spacium enim est latitudo termini ad quem in locali motu.

Ex diuisibilitate mobilis omniũ aliorũ diuisibilitas accedit.

Vtrumque tamen, puta, diuisibile, & finitum vel infinitum in his maximè ab ipso mobili procedit, eo enim, quòd quãtum est, & secundum diuersas sui partes in vno loco succedit, facit in motu, & tẽpore diuisibilitatem, & quatenus termini in ipso sunt, diuisibiles redduntur.

Vnde vide, quomodo radix diuisibilitatis in illis omnibus: Primò à mobili quanto ortum habet, eo modo, qui dictus est: sic enim sunt partes mobilis sumendæ, puta, vt in loco succedunt, nam sic diuidunt tempus, & motum effectiue, vt dicit Aegidius, & non solùm diuisibilitas prouenit alijs à mobili, sed & finitũ, & infinitum, de quibus modo dicetur. Sunt enim hæc coniuncta, at mobili ista statim, & per se insunt: est enim ipsum aliorum primum.

CAPVT V.

Quoniam autem omne, quod mutatur. Tex. XL.

ORDI-

De ordine partiũ motus & primũ de ipso principio & fine

ORdinem partium motus tractare aggreditur, ac de ipsius principio, ac fine disserit prius. Constituit tamen duo fundamenta necessaria ad hæc, quorũ alterum est in hoc textu. Nempè: quod mutatum est, cùm primùm mutatum est, est in eo, in quo primùm mutatum. Explicat hoc. Mouetur à nigro in album mobile aliquod, cùm primùm est iam mutatum, est sub albo, dico, cùm primùm mutatum est, quia potest indè mutari ab illo albo: at tunc, cùm primùm mutatio est facta, vtiq; sub illo albo est.

1. Ratio.

Probat Arist. quod mutatur, relinquit terminum à quo: & mutari est relinquere, aut saltem non est mutari, nisi sit relinquere terminum à quo: ergo mutatũ esse erit reliquisse terminum à quo: vtriusque enim eadem ratio, nempè, inter mutari, & relinquere, & mutatum esse primùm, & reliquisse. Cùm igitur, quod mutatum est, reliquerit terminum à quo erit. Tunc sub termino ad quem: recessus enim vnus, accessus est alterius.

Quoniam ergo vna mutationũ. Tex. XLI.

2. inductio 2. primo in generatione, & corruptione.

QVòd id, quod mutatum est, postquàm reliquit terminum à quo sit mutatum sub termino ad quem, ostendit per ipsas mutationes: & primò per generationem, & corruptionem, nihil enim clarius hoc est, ob id, quia earũ termini sunt contradictorij, puta, esse, non esse; quæ non habent medium, propterea recessus ab vno erit accessus ad alterum.

Dicit ergo, quod mutatum est, ex eo quod non est, in id quod est, puta, per generationem reliquit id, quod non est: erit ergo sub eo, quod est. E contra, in corruptione, mutata est res ex eo, quod est: igitur erit sub eo, quod non est: non enim est medium. Quod ergo mutatum est, cũ primùm mutatum est, est sub termino ad quem in his mutationibus, quæ secundũ contradictionem fiunt: quòd si in his hoc est, erit etiam, in alijs.

Amplius & per se vnamquamq;. Tex. XLII.

3. In alijs mutationib idẽ ostendit.

NON contentus probare id in mutatione secundum substantiam, ac per eam in alijs, etiam vult in alijs mutationibus hoc idem ostendere: & facit argumentum. Quod mutatum est, cũ mutatũ, non est sub termino à quo, quia reliquit ipsum, ergo erit alicubi, id est, in altero loco: si motus fuerit localis vel in alio termino. Si alius fuerit motus, vt alteratio vel augmentatio, tunc vel est in hoc, in quo mutatum est, vel in alio, in alio esse non potest, erit ergo in eo, in quo est mutatum.

Probat, quòd non in alio, & describit hoc litteris. Sit aliquod mobile, quod est mutatum in B, ex alio termino motu cõtinuo: si cùm primum mutatum est in B, non est in ipso, erit ergo in aliquo termino ante, puta, C. Cùm autem ista duo non sint cõtigua, & immediata, quia motus vsque ad B, continuus est: Nec potest signari aliquid ipsi immediatũ, quin detur medium: Tunc profectò ex C, mouebitur in B, & ita mouetur, & mutatur res ad id, in quo iam est mutata: tunc cùm est mutata, quod est impossibile. Nam cũ ego iam sum mutatus in hunc locum, eomet tempore impossibile est moueri ad eundem locum, vndè concludit intentum, & esse in B.

Manifestum igitur est. Tex. XLIII.

Cõclusio primi fundamenti.

COncludit, quòd cùm id, quod mutatum est, cùm primùm mutatum est, sit in termino ad quem, sequitur quod factum est, cùm primùm factum est esse, & quod corruptum est, cùm primùm corruptum est, non esse. Dico, cùm primum, nam quod factum est, potest postea non esse, sed non cùm primum factum est. Et quod in generatione dicitur, etiam in omni alia mutatione verum est, licet notius id sit in generatione, & corruptione propter rationem dictam. Ex his concludit fundamentum, quod mutatum est, cùm primum mutatum est, est sub eo, in quo mutatum est.

In quo autem primò mutatum est. Tex. XLIIII.

AL-

2. Fundã. Aristot. Primum, mutatum esse est in indiuisibili tẽporis.

ALterum fundamentum. Id, in quo primò mutatum est, quod est mutatum, indiuisibile est. Explicat autem, quid vocet mutari in aliquo primò. Nempe, mutari in aliquo ratione sui, nõ autem ratione alicuius partis eius: vndè lectio est in hoc die, sed non primò, quia in diei parte est. Dicit ergo, quod id, in quo est primum mutatum esse, id est, primum esse motus facti, est indiuisibile. Exponit Themist. & benè de tempore, quòd primũ mutatũ esse est in indiuisibili temporis. V.g. mouetur à nigro in album aliquid in tempore, quoties est sub albo, finitus est motus: Dicit, quòd illud primũ, in quo sub albo est, est indiuisibile temporis, & instans

1. Ratio. Et probat. Nam si esset diuisibile tempus, detur illud, & sit, A C. diuidatur per



B. & erunt duæ partes, A B, & B C. Tunc peto: Aut res est mutata in altera parte harum, vel vtraque per se, aut in altera mutatur, in altera est mutata, aut in vtraque mutatur.

Si in altera mutata est, ergo iam non est illud totum, in quo primò mutata est, cùm in parte, nisi detur prius primo: pars enim fuit prior toto.

Si verò in vtraq; mutabatur, iam etiã in toto mutabatur contra suppositionẽ. Dicimus enim, quòd in illa sit mutata.

Si verò in vna mutatur, in altera est mutata: Sequitur idem inconueniens, quod ad primam partem, nempè, quòd non erit totum primum, in quo est motum, & mutatum esse: non ergo erit diuisibile id, in quo primo dicitur, res est mutata, & motus est factus.

Manifestũ est igitur, quòd & id. Tex. XLV.

Cõcludit. INfert ex dictis, quòd id quod generatum, & corruptum est, in nunc generatum, & corruptum est, & mutatum: Id est, Id, in quo motus finitur, vt sit verũ dicere, nunc primò motus est factus, est indiuisibile instans.

His suppositis, distinguit, dupliciter dici, primum mutatum esse. Vno modo versus finem motus, vt sit primum mutatũ esse id primum, in quo absoluta est mutatio. Altero modo, versus principium, vt primum mutatum sit, in quo incipit primò mutatio fieri. An tamen vtrumq; in motu sit, explicat statim.

Quod igitur circa finem. Tex. XLVI

Versus finẽ motus datur primum mutatũ esse.

OStendit versus finem motus, & mutationis dari primum mutatũ esse, id est instans, in quo sit verum dicere, nunc primò mutatio facta est, antè enim mutatio erat, nec erat motus finitus.

Nota. Notandum, quòd tale primũ factum, seu mutatum esse, non est motus; sed ipsius terminus, quod alij vocant, primum non esse motus. Nam in eo primo, in quo est iam verum dicere, motum esse factum est etiam verum dicere, nunc non est iam motus, sed immediatè ante hoc erat, seu fuit, quod dicitur, primùm non esse.

Aristoteles autem probat, dari hoc instans, quia datur mutatum esse, quod sit finis motus: Non enim mutatio in infinitum durat: at primùm mutatum esse, indiuisibile est, ergo re vera datur primũ mutatum esse, cùm in plura diuidi nequeat.

In principio motus nõ datur primũ mutatũ esse. Nota ex Themist. Duobus modis sumi potest principiũ, & finis motus.

At circa principium motus, & mutationis dicit non dari primùm mutatum esse.

Notat hic Themist. quòd principium, & finem motus dupliciter considerare possumus. Vno modo pro parte, vt id sit primum mutationis, seu motus, quod est prima pars motus primò facta: id vltimum, seu finis, quod est vltima motus pars vltimò facta, & tunc vtriusq; est ratio æqua. Sicut enim non datur in principio prima pars motus propter eius diuisibilitatem, ita nec datur vltima pars. Altero modo, finis motus potest considerari pro vltimo instãti, in quo desinit motus, & principium pro instanti, in quo incipit:

cipit: & tunc sicut datur finis, ita & principium. Finis enim est primùm non esse, puta, non est motus, sed immediatè ante hoc fuit, principium verò vltimum non esse, nunc non est motus, sed immediatè post hoc erit. Hæc, quæ Themist. hucusq; dicit, vera sunt.

Them. interpretatio Aristot. Dicit tamen vlterius, quòd Aristoteles, aliter sumit finem motus hic, aliter principium: finem enim sumit pro vltimo instanti motus, in quo non est motus: sed primò res est mutata, & talis finis datur in mutatione: at principium sumit pro parte motus, & tunc non datur primum motus, id est, nõ datur prima pars.

Reijcitur hæc interpretatio, & vera ponitur. Hoc dictum Themi. non recipio, procedit enim contra Aristotel. sensum, vt patebit. Sensus enim Aristo. hic est, quòd sicut in fine motus datur instans vltimũ, in quo dici potest, nunc primò res est mutata: nunc sic in principio datur vnũ mutatũ esse, à quo incipiat motus, vel quòd sit primum in motu. Propterea subdit rationem in textu. Nam mutatum esse supponit mutationem, sed non datur prima pars motus, vel mutationis, quin detur prior, & prior: ergo non datur primum mutatum esse, à quo incipit motus, sicut in fine, quẽ motus præcessit. Vndè quòd non sit prima pars motus, adducitur in probationem huius, quòd non detur primum motus: non ergo idem sunt, vt vult Themist.

Sit enim primum, in quo A D.

Probatur nõ dari primũ in motu, nec mutationẽ primo ex tẽpore quo fit.

PRobat, quod assumpserat, Nempè, non dari primam mutationis partem: & probat hoc primò per tempus, eò, quòd non datur prima pars temporis, in quo mutatio fit. Argumentum est: Detur igitur illud primum tempus, in quo prima mutationis pars sit, & vocetur tempus, A D, hoc vel est diuisibile, vel indiuisibile: sed neutrum esse potest: ergo non datur primum tempus, & sic nec prima pars mutationis. Probatur primo, q̃ non sit indiuisibile, puta nunc, dupliciter. Primò, Quia sequeretur, duo nunc esse immediata, sed quòd sequatur, non ostendit.

Prima ratiõis pars q̃ nõ possit esse primũ in indiuisibili temporis. 2. Ratio. Puto autem sic ostendi: si enim in hoc instanti sit prima motus pars, cùm proximè sequatur pars æqualis, & non minor erit in instanti proximo, & essent duo instantia simul. Quòd si diceres, non sequi alteram partem, sed minorem, tunc esset in minori tempore; quàm nunc indiuisibile, quod tamen esse non potest. Si verò dicas esse maiorem: id esse non potest: nã in motu, quod minus est, prius est: sic mihi videtur probari illud.

2. Ratio. Secundò probat. Demus, quòd in aliquo tempore quiescat toto, C A, tunc quiescet in A. Moueatur tunc: Re vera, si instanti est primum motus, tunc erit motus in A, cum quiete: nam in proximo instanti non potest esse, cùm duo non sint contigua: nunquam ergo datur vlla pars motus, quæ prima dicatur, quin alia, & alia prior sit.

Quoniam autem non est impartibile. Tex. XLVII.

2. Pars rationis q̃ nõ possit etiã esse illud primũ tẽpore primo.

ALteram argumenti partem probat, quòd non detur prima pars temporis, in quo sit motus, & illa sit diuisibilis: Diuidatur ergo in duas partes: tunc, vel in vtraque est motus, vel in neutra, vel in altera tantùm. Si in vtraq; igitur non est illud totum primum, in quo est motus, cùm in parte etiam motus sit. Si in neutra, tunc nec in toto erit motus contra suppositionem. Dictum enim est, illud esse in quo primò motus est. Si in altera tantum, iam illud totum non est primum. Cùm igitur non detur primum tempus, in quo res dicatur moueri primùm, diuiditur enim tempus in infinitum, nec dabitur prima motus pars, & ita non est primum mutatum esse. Motus enim præcedit mutatum esse: nulla autem est prima motus pars: nullum ergo est versus principium mutatum esse primũ.

Nec igitur eius, quod mutatum est. Tex. XLVIII.

2. Ratiõ. Quod nõ detur prima pars motus ex mobili desumpta.

SEcundò idem probat, non dari primã motus partem versus principium ex parte mobilis. Probatum enim est, q̃ mouetur, esse diuisibile: moueatur ergo lignum supra vnum locum secundum partes succedentes vnam post alteram:

vel calefiat secundum partes extensionis. Tunc argumentum est. Quod mouetur, diuisibile est: sit igitur motus primus in parte mobilis, D F, & tempus motus N I, si tota pars in illo tempore mota est: ergo in medio temporis media pars: & rursus in alio medio alia media, & sic in infinitum: non ergo dabitur prima pars motus in illo mobili, & sic nec primum mutatũ esse versus principium.

Explicatur. Transeat digitus meus per hunc locum, A, successiuè, tunc quod transit, indiuisibile esse non potest: erit ergo diuisibile. Prius ergo transit vna pars, quàm alia: sed non datur pars prima transiens, quin fuerit alia prior, cum sit diuisio in infinitum: ergo non datur prima pars motus, & ita nec primum mutatum esse. Similiter cum per partes successiuè quid alteratur.

Quod igitur nec eius, quod mutatur.
Text. XLIX.

2. Rõ ad idẽ ex termino motus.

CVM nec ex parte temporis, in quo motus fit, nec ex parte mobilis prima mutatiõis dari partem probasset: nunc ex parte etiam termini, ad quem motus est, non dari primam partẽ acquisitam ostendit.

Dicit tamen, quòd quamuis ista tria diuisibilia sint, puta, Tempus, Mobile, Terminus, ad quem: non tamen semper eodẽ modo.

Nota.

Nota verò, quòd spacium in motu locali reputatur pro termino ad quem: est enim sicut latitudo, seu longitudo ipsius termini.

Duplex diuisibile, per se, & ꝑ accidẽs.

Distinguitur dupliciter diuisibile. Vno modo per se, & sic quantum, vt tempus, mobile, spacium per se diuisibilia sunt. Altero modo per accidẽs, quia nimirum est in quanto, sicut qualitates.

Probat autem, quòd non sit primum in magnitudine per se diuisibili motꝰ facti, Sit spacium A B, motus autẽ primus sit ex B, in C.



Tunc, vel C, est contiguum ipsi B, & sic erunt duo indiuisibilia simul: vel non est contiguum, sed mediat spacium: ergo in illo fuit primus motus. Et cum spaciũ sit diuisibile in infinitum, non dabitur prima ipsius pars motu acquisita. Idẽ est in mutatione secundum quãtitatem, id est, in augmentatione, quæ secundum continuam quantitatem fit. At in alteratione cum sit ad qualitatem, nõ datur iste processus diuisibilitatis eodem modo, sed est ad qualitatem indiuisibilem per se diuisibilem per accidens.

No. duplicẽ successiõnẽ, in alteratione, secundũ intensiõem, & extensiõem.

Aduerte autem duplicem successiõem in alteratione. Vnam secundum intẽsionem formæ, vel remissionem. Et quantũ ad has partes diuisibilis est forma per se: Alteram quantum ad extensionem, secũdum quam quãtum paulatim alteratur.

Et de hac loquitur Aristoteles dum dicit esse diuisibilem per accidens, nec dari primam partẽ, quia hæc notior est. Altera enim secundum intensionem obscura est, & ad alios libros pertinet, cũ non secundum quantitatem sit, quę commune accidens est. An tamen etiam quoad intensionis partes, non detur prima, paulò post in loco id examinabimus.

CAPVT VI

Quoniam autẽ omne, quod mutatur, in tempore mutatur.
Tex. L.

De ordine partiũ motus.

E ordine partium motus modò differit, atq; duo docere intendit. Alterum, quod ante quãlibet partem motus diuisi præcedit vnum mutatum esse: Et alterum, quòd

quòd ante quodlibet mutatum esse præcedit aliqua motus pars. Sunt enim mutata esse, sicut puncta in linea, terminat enim motus partem.

Suppositio Arist.

Ad probationem primi vnũ præmittit. Nempe, Omne, quod mutatur, in aliquo tempore primo mutari, id est, omnis motus fit in aliquo adæquato tempore, id est, in aliquo toto tempore.

Distinguit tamen primò, dupliciter aliquid fieri in tempore. Vno modo non primo, sed secũdum alterum: vt quod in parte alicuius temporis fit, in toto fieri dicitur: vt quod in die hoc fit, dicitur tali anno fieri. Altero modo fit primò in tẽpore, & hoc est, quod in toto tẽpore aliquo fit, et in vtraque eius parte. Quod autem fieri in tempore primo sit fieri in omni eius parte, vt pars motus parti tẽporis, & totus toti respondeat.

Primò probatur suppositio.

Probat ex definitione primi supra data. Id enim est primum, in quo secundum se, non secundum alterum, puta, secundum sui partem motus fit, & idem probat ratione sequenti.

Sed & ex his manifestum est.
Tex. LI.

Secundò eadẽ ꝓbatur.

RAtione id probat. Nempè, motũ, qui in tempore primo fit, fieri etiam in omnibus illius partibus. Sit tempus, quod primum ponitur Y K, & diuidatur per R in duas partes, Y R, R K.



Tunc, vel in neutra mouetur, vel in vna, vel in vtraque: Si in neutra mouetur, vtique in illo toto quiescit: impossibile enim est moueri in aliquo tempore, & nõ in vlla eius parte. Si verò in vna tantùm mouetur, tunc iam nõ est primum, cùm in eo ratione vnius partis motꝰ sit. Si autem in vtraque, habetur intẽtum: ergo necesse est, quòd si aliquid in aliquo tempore primo mouetur, quòd in qualibet eius parte moueatur. Cùm autem omnis motus in tẽpore fit, erit in tempore primo: nam quod in tempore primò nõ est, ratione primi est. cuilibet enim motui tempus æquale respondet.

Hoc autem ostenso.
Tex. LII.

Ante oẽ moueri, ẽ mutatum esse, si diuisio sumatur à fine versus principiũ motus.

EX hoc principio sic ostenso concludit ante quamlibet motus partem præcedere mutatum esse, sumpta diuisione à fine versus principium motus: probat hoc tripliciter.

1. Ratione ex spatio, & tempore.

Primò, ex spacio & tempore. Detur tẽpus primum, in quo est motus, Y R, detur magnitudo, & spacium K L. Si igitur mobile mouetur per totum in toto tempore: ergo in dimidio illius tẽporis, & spacij mutatũ est. Iterum, si in dimidio mutatum est, ante motus medietatem præcessit mutatum per dimidiũ. Rursus diuidatur in alias duas partes, & erit mutatum esse, quod partem motus præcessit. Cùm igitur sit diuisibile spacium, & tẽpus in infinitum, & quodlibet mutatum esse, sit finis præcedentis, quòd sequens præcedit: vtique ante quamlibet motus partem præcedit aliquod mutatum esse, partem motus antecedentis terminans.

Verbi gratia, mouetur ab A, in B, spacio, re vera, cùm istud spaciũ sit diuisibile in infinitũ, & per totũ sit motus: etiã motus diuidetur in infinitum. Et sicut in spacio ante spacium datur punctum, diuisione facta versus extremũ: ita dabitur, ante quemlibet motum mutatum esse.

In medio tẽporis est mutatum esse.

Quòd autem in medio tempore sit mutatum esse, probat subtiliter. Sumatur aliud mobile æquè velox per æquale spacium, & simul moueatur cum illo mobili per dimidium tantùm, tunc hoc dicetur in illo mutatũ. Si ergo hoc in medio tẽpore mutatum est in dimidio, cùm re vera moueatur in eodem tempore, & æquali spacio: quamuis hoc vlterius moueatur: hoc enim nõ impedit, quin in parte qualibet sit mutatum. Et sic de quacunq;

parte est idem argumentum, quòd sit mutatio: motum ergo pręcedit mutatũ esse.

Amplius autem si in toto tempore. Text LIII.

2.Ratio. SEcũdò idem probat. Ob id in illo toto tempore primo, Y R, dicitur aliqd mutatum, quia est vnum nunc terminans tale tempus, in quo res mutata dicitur: sed quælibet pars temporis suo nunc terminata est: ergo in qualibet parte illius temporis erit mutatum esse. Cũ ergo pars partem præcedat propter ipsarum diuisibilitatem in infinitum, etiam mutatũ esse, quod est in vna parte, præcedet motum: qui est in alia: & sic motum semper antecedit mutatũ esse, quòd est finis cuiusque partis.

Amplius autem si id. Tex. LIIII.

3.Ratio. TErtiò probat. Omne, quod continuè mouetur in aliquo tẽpore (dico autem, continuè mouetur, quia nõ est corruptum tale mobile: iam enim non continuè moueretur: nec cessauit à mutatione) omne tale, aut mouetur, aut mutatum est in illo tempore: sed in nunc est mutatũ. Sed sunt infinita mutata esse: ergo non dabitur pars motus, quam non antecedat aliquod mutatum esse in altero nunc, & in stanti antecedenti.

Nota. Aduerte igitur, quòd dicit (nisi sit cessatio à motu) quia mutatum esse, quod in fine totius motus est, non est ante motum: hic autem loquimur de intermedijs. Similiter, si in medio motu corrumpitur res, motus continuus est, vt diximus: sed illud mutatum esse, in quo res corrumpitur, non antecedit motum eiusdem rei, vt patet in cane, qui in descensu moritur.

Non solum autem id, quod mutatur. Tex. LV.

Ante etiã mutatũ eẽ pręcedere motum. ALterum, quod superius diximus, ostendere aggreditur, nempè, ante mutatum esse præcedere motũ, & quod mutatum est, prius mutari.

Suppositio. Oẽ, q̃ mouetur, à cõtrario in contrariũ in tẽpore mouetur.

Ad cuius probationem præmittit vnum aliud principiũ, puta: Omne, quod à quodam in quiddam, id est, à contrario in contrarium mutatum esse, id est, mutationem factam esse in tempore.

Hoc probat. Mutetur aliquid ex nigro in album, quod dicitur ex A, in B. tunc si res est mutata in eodem instanti, in quo erat sub A, puta, nigro, profectò simul erit sub albo, & nigro, & sub diuersis locis, & formis secundum alios motus. Nã si facta est mutatio, res debet esse sub termino ad quem, vt dictum est: si verò in alio nunc, est sub termino ad quem, cum duo nunc immediata nõ sint, quin sit intermedium tempus, erit ille motus à cõtrario in contrarium factus in illo tempore. Non ergo est vllus trãsitus, aut mutatio ab vno contrario in alterum, nisi in tempore, quàmuis sint in gradu remissio contraria: cum in eodem nunc duo termini motus simul non sint. Nam motus est accessus ad vnum, recessus ab altero. Si igitur in duobus, erit motus in tẽpore. Hæc ratio posterius examinabitur. Colligitur ergo principium, motus ab vno in aliud in tempore fit.

Quoniam igitur in tempore. Tex. LVI.

EX fundamento supposito colligit, ante quodlibet mutatum esse præcessisse motum: & ratio est. Omne tempus diuisibile est in minores partes absque vllo termino ita, vt non detur nunc, quod non præcedat temporis pars: ergo, & in motu, qui in tempore fit, idem erit. Si enim motus præcedit mutatum esse: & iterum ille motus diuisibilis est, & terminatur pars per mutatum esse: hoc iterum præcedet illa motus particula, quæ iterum diuisibilis est, & sic in infinitum: ergo ante quodlibet mutatum esse datur motus antecedens. 1.rõ Arist.

Amplius autem in magnitudine. Tex. LVII.

Addu-

2.Idem in motu locali. ADducit alterum argumentum in motu locali, quod clarius rem cõuincit, quia spacium est per se continuũ. Moueatur ergo aliquid à C, in D. Tunc vel vterq; terminus est contiguus: & hoc non, quia duo indiuisibilia simul erunt: termini enim primi indiuisibiles sunt. Si ergo inter illa, C, D, medium diuisibile est, & continuum, erit diuisibile in infinitum: & inter terminum, & terminum dabitur medium, in quo sit motus: ergo ante quodlibet mutatum esse, quod in termino fit, præcedit aliqua motus pars, & quod mutatum est, mutatur prius.

Eodem enim demonstratio est. Tex. LVIII.

3.Idem in alijs motibus nõ cõtinuis. IDem, quod demonstratum est in motu locali, vbi spacium est per se continuum, ostendit etiam in alijs motibus non continuis, vt in generationibus, & alterationibus, quamuis non sint harum termini quanti, nisi per accidens, tamẽ cognoscemus in his per tẽpus ipsum, sicut in motu locali per spacium.

Cõcludit. Ex quibus omnibus concludit, quod mutatur, mutatum fuisse, & quod est mutatum prius mutari, id est, ante motum mutatũ esse, & anteipsum mutatũ esse, quodlibet motum præcedere.

Nota 1. Et omnia hæc probãtur ex illo principio, quòd continuum nullum ex indiuisibilib. cõponitur, sed in diuisibilia semper diuisibile est.

Nota 2. Aduerte aũt, quòd alterationẽ, & generationem vocat nõ continuos motus, id est, quorum termini à quo, & ad quem continui non sunt, cum sint cõtrarij specie differentes: at in spacio termini continui sunt, ob id magis inest tali motui continuitas: tamen non ob hoc illi continui non sunt.

Nota 3. Aduerte etiam, quòd hic, vt dicit Auer. per generationem, non præcisam substãtiæ mutationem intelligit, sed simul cum præuia dispositione.

Manifestum est igitur. Tex. LIX.

4.Idẽ in omni mutatione in vniuersũ. INfert in vniuersum, & in quacunque mutatione cõtinua, & diuisibili, esse hoc verũ; quòd ante quodcunq; mutatum esse, præcedit mutari, & ante mutari mutatum esse: & hoc ob id, quia non datur prima pars in vllo continuo propter diuisibilitatem in infinitum: & hoc in particularibus mutationibus patet, vt in generationibus, factiõibus, corruptionibus, & alijs, in quibus generari, seu fieri præcedit factum esse, & econtra.

Quamuis non sit idem prorsus, quod fit: sat est, quòd, sit pars illius, vt cõtinuò domus fit, tamen modò fundamentum, postea muri, postea reliqua: sic in alijs. Per generationes intellige similiter mutationes, cũ pręuijs motibus, vt dictũ est.

CAPVT VII.

Quoniam autem omne id. Tex. LX.

THeoremata quedam de infinitate, seu finitate motus, magnitudinis, & mobilis constituit. Et quamuis superiꝰ de hoc etiam tractauerit, id tamen nõ ex professo fuit, sed vt motus diuisio, & aliorum magis innotesceret. Modò tamen ex professo id docet, ob id vniuersalius, & distinctius loquitur. Theoremata sex de infinitate, & finitate motus, magnitudinis & mobilis.

Sex igitur Theoremata cõstituit, quorum primum est: magnitudinẽ finitam tempore infinito impossibile est pertrãsire, tam in motu regulari, quando mobile vniformiter per totum spacium mouetur, siue velociter, siue tardè: quàm in motu irregulari, cum motus nõ est in toto spacio vniformis, sed modo tardus, modò velox. 1.Theorema, impossibile est pertransire magnitudinẽ finitã tempore infinito.

Hoc Theorema limitat: vt notat D. Tho. est enim intelligendum: Cum motus non fit sæpe per eandem magnitudinem, aut aliquam eius partem: tunc enim, magnitudine finita existente, tempus erit infinitum, vt in circulo: sed debet sumi vnam magnitudo tota, in qua totus motus fiat, non reperito toto spacio, nec parte, Limitatur primum. 1.Theorema.

Ad

Fundamentum probationis.

Ad probationē huius supponit: Quod mouetur, in tempore moueri: & in maiori tempore maius pertransiri spacium: ꝙ in motu regulari intelligi debet.

Probatio de motu regulari.

Hoc supposito, probat Theorema, in motu regulari. Detur magnitudo hęc finita, & diuidatur in partes æquales, quarum vnaquæq; erit finita in magnitudine, & omnes simul numero finitæ: tunc quæque istarum pertransibitur, in tempore finito, vna enim in tāto finito, & alia in æquali, & iterum alia in æquali: ergo omnes oportebit trāsire in tempore finito, puta in tempore tanto, quantū est aggregatum ex tot partibus, quot erant partes magnitudinis; quæ tempora pariter etiam in multitudine, seu numero & magnitudine finita erant: ac ob id totum nō erit infinitum: nō enim finita finitè sumpta, infinitum complent.

Sed & si non æquè velociter. Tex. LXI.

Probatio in irregulari.

IDem probat, cum motus est irregularis: hic enim maior est difficultas, eò quod æquales partes non habent æquale tempus propter difformitatem: & breuiter rō est ista. Illa magnitudo finita diuidatur in æquales omnes partes, quæ sunt finitæ, puta, in decem: tunc tempus in singulis consumptum, quamuis non sit vnum alteri æquale, tamen in singulis erit finitum: si enim infinitum esset, tunc tantum temporis in toto, quantum in parte consumeretur, quod est impossibile: igitur tempus cōsumptum in tota magnitudine, erit aggregatum ex finitis partibus in numero finito: ergo impossibile est totum esse infinitum. Nam infinitum nullam habet partem aliquotam, quæ sumpta toties ipsum æquet, cum non sit in vlla proportione: ergo magnitudinem finitam non est possibile tempore infinito transire.

Explicatur. rō Arist.

Aristoteles ergo, antequam rationem hanc proponat, sumit per literas magnitudinem finitam, quæ sit A B, & tempus infinitum, quod sit C D, sumit statim fundamentum: Quod prius pertransitur vna pars, quā alia, & prius est vna pars motus, quàm alia, cum vna pars in priori tēpore, alia in posteriori sit: vlterius in maiori tempore magis pertrāsitur, quàm in minori, siue æqualis sit motus, siue non vniformis: Et idē de mansione, & quiete.

Hoc autem sic debet intelligi. Quod si difformiter motū in tanto tempore trāsiit tantum spacium, idem difformiter motum in maiori tempore transibit vltra illud spacium, sicut etiam in vniformi, & regulari.

His suppositis, diuidit magnitudinem A B, in partes suas aliquotas, & mensurātes ęquales, quarū singulę dicuntur A E. & facit argumentum. Quælibet harum siue ęqualis, siue inęqualis tempore finito mensuratur, cum debeat esse minus, quàm totio tempus: ergo totum tempus finitum est. Nam infinitū non habet partes mensurantes, quæ finities sumptę ipsum æquent.

Qd enim partes finitæ infinities sumptæ faciant infinitum, fieri potest: quod etiam finitę partes finities sumptę faciāt infinitum, impossibile est.

Idē infertur in gente & generatiōe, & corruptio

Concludit idem esse in quiete. Non enim est quies finita tempore infinito. Idē de generabili, & corruptibili. Non enim finitum generabile, potest generari infinito tempore, nec corrumpi.

Eadem autem ratio est. Tex. LXII.

2. Theorema magnitudinē infinitā tpe finito nō est pertransire.

SEcundum constituit Theorema. Magnitudinem infinitam tempore finito non est pertransire. Probat hoc; tempore finito diuiso in partes æquales finitas in numero, & magnitudine, cum sit finitum.

Probatio Theoremātis.

Et est argumentum. In qualibet parte huius temporis finitam transit magnitudinem: ergo in omnibus simul partibus transit finitas partes, quoad numerum, & quoad magnitudinem: ergo magnitudo, quam illo toto tempore trāsiuit, finita est. Finita enim finities sumpta, nec in numero, nec in magnitudine infinitum faciūt: siue infinitum sit versus vnum extremum, vt si hinc linea versus hoc extremum protenderetur in infinitum: siue infinitum sit ex vtroque extremo. Nullū enim finitum fit ex finitis finities multiplicatis.

His

His autem demonstratis. Tex. LXIII.

3. Theor. Nullū mobile finitū pōt pertransire infinitū spaciū in tpe infinito.

TErtium Theorema constituit de mobili cum alijs, Nempè, nullum mobile finitum potest transire infinitum spacium in tempore finito.

Nota verò, magnitudinem finitam in hoc textu vocari mobile infinitum: hoc enim fuit alijs occasio aliter exponendi, sed absque dubio sic est exponendum, vt ex contextu patet.

Probatio Theor.

Hoc Theorema dicit patere ratiōe supra posita. Diuiso enim tempore æqualiter finitè, cum in qualibet parte transeat finitum spacium, in toto etiam tempore finitum transibit.

Quoniam autem finitum non transibit. Tex. LXIIII.

4. Theorema. mobile infinitū non trāsibit magnitudinē infinitā tpe finito.

EX tertio Theoremate quartum colligit, vbi manifestatur, illud fuisse tertium. Est igitur quartum. Mobile infinitum non transibit magnitudinē finitam tempore finitam Hoc ex præcedenti sequi probat.

Probatio Theor. 1.

Et ratio profectò est subtilis. Imagina re ergo, quod sit spacium infinitum, per quod moueatur lignum cubitale: imaginare iterum locum, & spacium cubitale, per quod paulatim succedens moueatur infinitum: tunc modo vtroq; accidit infinitū transiri à finito: nam in priori mobile finitum trāsit infinitum, in posteriori spacium finitum trāsit quodammodo ipsum mobile infinitum: vt ergo repugnat tempore finito transiri infinitum spacium, ita, & finitam magnitudinem tempore finito, illud à mobili finito, hoc à mobili infinito.

Duobus modis imaginari possit infinitū trāsiri à finito.

Nec aliter posse infinitū à finito transiri, docet: nisi quod spacium sit finitum, mobile infinitum: & hoc est, quod finitū vtatur infinito in mouendo: aut quòd spacium sit infinitum, mobile finitum, & hoc vocat finitum vti infinito, vt latione.

Quasi dicat: non aliter infinitum finitum transit, nisi duobus modis: aut quod mobile sit finitum, spacium verò infinitum, aut è contra: neutrum autem fieri potest in tempore finito.

At verò neque infinitum. Tex. LXV.

5. Theor. mobile infinitū in tpe finito nō pōt trāsire spaciū infinitū. Probatur Theorem. 1. Probō. 2.

QVintum constituit Theorema. Mobile infinitum in tēpore finito nō potest transire spacium infinitum

Probat dupliciter. Quia infinitū non potest transire aliquod spacium, nisi aliqua ipsius pars finita illud trāseat, & hoc vocat infinito inesse finitum. Sed (vt probatum est) finitum mobile non trāsit infinitū tempore finito: ergo nec transibit mobile finitum.

Idem dicit posse probari per tēpus. Si enim tempus finitum diuidatur in partes æquales finitas, & infinitū in vna temporis parte transeat finitum spacium, vtique in toto tempore transibit finitum, vt superius diximus. Nam infinitum, sic debet transire, nempè, secundum partem finitam suam, Hunc crediderim esse sensum horum verborum, licet S. Tho. aliter exponat.

Quoniam autem neque finitum. Tex. LXVI.

6. Theor. Motus infinitus nō pōt cē tpe finito. Probatio Theor. Illatio q̄dam ex p̄dictis.

EX his omnibus colligit sextū Theorema. Motus infinitus non potest esse tempore finito.

Proba. Quia eadem est ratio magnitudinis, & motus: se enim consequūtur quātum ad hoc: sed infinita magnitudo non transitur tempore finito: ergo nec motus infinitus est tempore finito.

Relinquitur ex his, magnitudinē infinitam in tempore infinito posse pertransiri à finito, vel in finito mobili: magnitudo enim, & tempus, motus parem rationem, & coniunctam habent in hoc.

An detur primum, & vltimum in motu. Quæstio IIII.

Colliguntur ea, quę tradit Arist. de 1. vlt. in motu de quibus cō instituitur. Primum.

ARistoteles circa hanc difficultatē, vt in textu expositum est, docuit, aliqua. Primum est. In motu versus finem dari primùm mutatum esse, id est, vnum instans, in quo

quo esset verũ dicere, nunc primò motus est factus, & similiter, nũc non est motus, sed ĩmediate ante hoc fuit motus. At versus principium, non datur primum mutatum esse: quia cum mutatum esse præcedat motus, & motus sit diuisibilis in infinitum, non dabitur mutatum esse, ante quod non sit aliud, nempè in medietate motus antecedentis illud mutatum esse. Nam quælibet pars motus finitur in mutatum esse.

2. Alterum est: Quòd ante quãlibet motus particulam præcedit mutatum esse: et è contra ante mutatum esse motum, diuisione facta motus per partes proportionales, vt diximus in textu.

3. Tertium est: Quod à contrario in contrarium non fit transitus, nisi in tempore.

Iam ergo, quòd detur primum, & vltimum in motu, sunt aliquot argumenta.

1. Argum. Qd detur 1. & vltim. in motu. Primum est. Motus fit in aliquo tempore primo, & adæquato, puta, vna hora: sed in tali tempore datur vnum nunc terminans in fine, alterum in principio: ergo dabitur in motu ex vtraque parte mutatum esse, nempè, primum & vltimum.

2. Argum. Præterea secundo. Motus fit adequatè per spacium aliquod, puta ab A, in B: sed huius spacij ex vtraque parte datur punctum: ergo & in motu mutatum esse etiã ex principio, sicut ex fine. Sic enim sunt mutata esse in motu, vt puncta in linea, & nunc in tempore.

3. Argum. Tertiò. Omne finitum ex vtraque parte habet principium, & finem: sed motus vnius horæ ex vtraq; parte finitus est: vt ergo habet principium, & habet finem.

4. Argu. Quartò Aristoteles versus finem dicit dari primum mutatum esse: videtur falsum; Mutatum esse versus finem est post multa mutata esse, quę sunt in medio motus: ergo illud non debet primum, sed potius vltimum dici.

5. Argum. Quintò. Demus motũ diuisum in decem partes ęquales: si ante quamlibet motus partem præcedit mutatũ esse: ergo ante primam illarum præcedit mutatum esse: & ante illam non est motus, ergo erit illud primum mutatum esse in principio quod non præcedit motus.

6. Argum. Sextò. Contra rationem in tex. 55. quaprobat, ab albo in nigrum trãsiri in tẽpore, facit argumentum. Vel in vno nunc, quo est sub albo, est sub nigro: Et hoc nõ, quia simul non stat, sub vtroq; termino. Vel in alio, & tunc erit tempus medium, in quo sit factus motus. Hoc argumentũ videtur nihil valere: nam per ipsum etiam probaretur, generationem substantiæ esse in tempore, vt cũ ex aqua fit aer: quod falsum est. Et illud patet. Nam cum non in eodem instanti materia sit sub vtraq; forma, erit sub diuersis instantibus, & sic in tempore.

7. Argum. Septimò. Si calor, nigredo, & huiusmodi qualitates per motum acquiruntur semper: sequitur, quòd nunquam datur minimum in eis: nam cum per motum totæ acquirantur, non dabitur pars minima, sed minor, & minor fuit prius acquisita. Hoc tamen videtur falsum. Cum enim formæ substantiales habeãt certam minimam quantitatem, etiam habebunt formæ accidentales, quæ in illas ordinant, vel ipsas consequuntur.

1. Fundũ. No. Dupliciter res, q̃ de nouo incipiunt, acquirunt esse, vel p motum & cũ motu, vel p motum sine motu. Pro huius declaratione aduertendum primò. Res, quæ de nouo esse habent, dupliciter habere esse. Quædam acquirunt esse per motum, & cum motu: quædam, quamuis per motum, non tamen cũ motu acquirunt esse. Id dicitur per motum, & cum motu esse, quod non solũm per motum fit, sed etiam ipsi motui adęquatur: vt pars per partem motus, & totum per totum motum acquiratur. Vt albedo habet esse per dealbationem, & cum ipsa: quælibet enim dealbationis pars in albedinis partem terminatur: & quæ huiusmodi sunt, eandem cum motu diuisionem patiuntur, fiuntque in tempore.

Illę verò aliæ per motum, sed nõ cum motu habent esse, quæ non in ipso motu sunt, sed in instanti totum suum esse habent, quamuis aliquis motus præcesserit: quales substantiæ generabiles, quæ fiunt in instanti, & in fine motus. Ad hoc genus rerum reducuntur ea omnia, quæ in instanti totum suum esse habẽt, & simul sunt secundum se tota: vt Angelus à Deo productus. Similiter instãtia singula, mutata esse, & huiusmodi, quę in indiuisibili consistunt.

Ad.

1. Funda. Quæ non cum motu acquirunt esse, dupliciter se habent, vel in, cũ cõtrazia expulsione, vel sine ea. Aduertendum secundo ista, quæ non cum motu habent esse acquisitum, dupliciter se habere. Quædam enim acquirunt esse cum contrarij expulsione: sicut forma substantialis: vna enim accedente expellitur altera: similiter assensus, cùm sequitur dissensum. Alia absq; contrarij expulsione habent esse: vt instans, quod modo est, & singula huiusmodi. Similiter assensus intellectus, cùm sola intellectus operatio est, non præcedente dissensu: similiter Angeli productio.

2. Fundamentum. Partes in rebus duplices, intensionis, & extensionis. Aduertendum tertio, quòd partes rei sunt in duplici differentia. Quædã sunt secundum extensionem: quales, quæ à magnitudine sumuntur, vt albedo habet partes extensionis a subiecti magnitudine, in quo est extensa. Quædam sunt partes secundum intẽsum, & remissum: quales sunt gradus formæ suscipiẽtis magis, & minus, vt cùm album fit magis, & magis album.

Sunt autem res, quæ vtrasque habent partes, vt albedo, calor, & huiusmodi. habent enim extensionis partes à subiecto, cui insunt: habẽt etiam extensionis partes, secundum quas magis, aut minus actuant subiectum idem.

Formæ verò substantiales, & aliquæ accidẽtales nõ recipiẽtes magis, aut minus, habẽt solas extensionis partes, quãtus sint partes per accides: nõ enim à se, sed a quantitate eas habet. Contingit aũt quantum ad has partes per motum esse, siue intensionis, vt cùm albedo successiuè intẽditur: siue extensionis, vt cũ successiue per subiecti partes extenditur, & hoc non repugnat formæ substãtiali: potest enim quantum ad extensionẽ in materia motum admittere.

4. Fund. dupliciter res incipiunt, & desinunt, intrinsece, vel extrinsece. Aduertendum quartò, quòd sunt duo modi, quibus res incipiunt esse; duo etiã modi, quibus desinunt. Modi incipiendi sunt, vltimum non esse, & primum esse. Tunc res incipit per vltimum non esse, cùm datur instans, in quo, quamuis nõdũ illa res sit, tamẽ statim post illud erit. Vnde vltimum non esse est: quòd in hoc instanti no sit res, tamẽ immediatè post hoc, erit. Tunc aũt incipit per primũ esse, cùm datur instans, in quo primò res sit ita, vt immediate ante illud non fuerit. Prior modus dicitur extrinsecus, propterea, quòd in illo instanti inceptionis nõdum sit res: Posterior intrinsecus, quia in illo iam sit res.

Modi aũt desinendi sunt pariter duo, vnus extrinsecus, qui dicitur primũ non esse; alter intrinsecus, qui dicitur vltimũ esse. Tunc res desinit per primum nõ esse, cùm datur instans, in quo licet dicere, modo nõ est res, sed immediatè ante hoc fuit: Tunc vero desinit per vltimum esse, cùm datur instans, in quo licet dicere, nunc est res, sed immediatè post hoc nõ erit. Horum omniũ exactior paulò post reddetur ratio.

1. Conclõ. His suppositis sit prima conclusio. In motu, nec datur prima pars primo tempore acquisita, nec vltima vltimo tẽpore acquisita: hoc idem dere, quæ cum motu habet esse, quantum ad eas partes, quas cum motu acquirit.

1. Pars cõclusionis. Prima pars huius conclusionis nota est ex textu. Cùm enim motus & tempus, in quo fit motus, sint diuisibilia in infinitum, & successiua, non habentia partes simul, profectò neutrius dabitur ita minima pars in principio, quin minor, & minor præcesserit, nec ita minima in fine, quĩ minor succedat, puta, illi9 medietas.

2. pars cõclusionis. Altera pars conclusionis est, esse idem de re, quæ cum motu incipit. Vt enim nõ datur minimũ motus, ita nec erit minimum albedinis, & alterius formę, quę cũ motu acquiritur: & hoc est satis manifestum. Nam si daretur minimum formæ, non dato minimo motus, tunc illud motus, quod est vltra illud minimum, esset sine forma, quod est impossibile; motus enim non est sine forma, cùm sint simul, & ipsius fluxus.

3. pars cõclusionis. Tertia pars conclusionis, nẽpè, quantum ad partes quæ motu acquirũtur, duplici ex causa est posita.

Nota 1. Altera est, vt intelligas nõ omnia, quę motu acquiruntur, esse diuisibilia omninò, nisi secundum partes, quas per motũ habent: vnde forma substantialis secundum partes extensionis motu acquisitas, non habet minimum: aliæ formæ nec secundum extensionis, nec secundum intensionis partes, minimum habent.

Nota 2. Altera causa est; qa est grauis difficultas, an omnes partes extẽsionis, & intensionis motu acquirantur: tunc enim non

daretur minimum naturale, nec in intēsione, nec in extensione subſtātię, vel accidentis, de quo inferius dicemus: modò tamen generaliter dicimus, in his partibus, quæ motu acquiruntur, non dari minimum, ſicut nec in motu.

2. Conclō. Secunda concluſio. Motus, tempus, & res, quæ cum motu, & tempore acquirit eſſe, incipiunt per vltimum nō eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. Hæc cōcluſio ſequitur ex pręcedenti. Cùm enim nō detur prima pars horum, quæ primò ſit; non dabitur inſtans, in quo dicatur, tunc primum iſta eſſe; nec ſimiliter vltimum, in quo poſtremò ſint: ſed extrinſecè incipit, & deſinit ex his vnumquodq; ſignato inſtanti, in quo non ſunt, ſed immediatè ante illud fuerunt, vel immediatè poſt illud erunt.

Nota ex D. Tho. Vbi nota cum S. Th. ſupra textum 55. q̄ hoc nunc vnum eſt terminans præteritum, & incipiens futurum tēpus: vndè poſt nunc immediatè ſequitur tempus, & ante nunc immediatum eſt tēpus: quæ per nunc cōtinuantur. Sicut ſi ſumas pūctum in media linea, ante ipſum enim, & poſt ipſum immediatè eſt linea. Dicere igitur, hæc res incipit per vltimū nō eſſe; eſt dicere; quòd in illo nunc non eſt, ſed in tempore, quod illi nunc proximū eſt, illa erit: ſimiliter in definitione per primum non eſſe; hæc res non eſt nunc, ſed immediato tempore ante hoc fuit.

Et meritò ita fit; quia cùm res hæ in inſtanti eſſe non poſſint, ſed in tempore; in tempore autem non ſit prima, nec vltima pars; initium ſuum, & finem ab extrinſeco ſumunt: perinde enim eſt dicere, ipſas ſic incipere, ac deſinere, quàm quòd non habeāt primam, nec vltimam partem propter earum diuiſibilitatem in infinitum.

3. Conclō. Tertia concluſio. In motu verſus finē, datur primùm mutatum eſſe, non tamē verſus principium: in re ſimiliter, quæ motu acquiritur, datur totiꝰ primū eſſe, ſed non primùm eſſe partis.

Explico: Illud primùm non eſt motus, in fine, in quo dicitur, nunc non eſt motus, ſed immediatè ante hoc fuit; illud inquam, eſt primùm, in quo eſt verum dicere, nunc primò factus, & perfectus eſt iam motus, & ſimiliter nunc primò talis, & tanta forma acquiſita eſt; & hoc eſt dicere, quòd in fine motus, datur primum mutatum eſſe: eodem modo in fine cuiuſque partis motus.

At cùm motus ſit diuiſibilis in infinitum, verſus principium non dabitur primùm mutatum eſſe; quia ante tale mutatum eſſe præceſſit motus diuiſibilis, vbi fuit aliud, & aliud mutatum eſſe.

Et ob hoc nec datur primùm eſſe omnium partium; nam ante illud prius, fuit minor pars formæ acquiſitæ.

Nec eſt eadem ratio in fine, & in principio motus; nam in fine datur mutatum eſſe, quia ante illud fuit motus: at in principio non poteſt dari primùm mutatum eſſe, quia debet antecedere motus, qui cùm diuiſibilis ſit ſemper, habet aliud, et aliud mutatum eſſe prius. Nota diſcrimen in fine, & principio motus.

Non enim omnino mutatum eſſe ſimile eſt puncto; nam punctum non neceſſariò antecedit linea, ideo datur primùm: at mutatum eſſe neceſſario pręcedit motus. Nota diſcrimen puncti, & mutati eſſe.

Quarta concluſio. Res, quæ fine contrarij expulſione acquirunt eſſe, incipiūt per primum ſui eſſe, deſinunt per vltimū ſui eſſe. Vnde, nunc, temporis mutatum eſſe motus, angelus, mundus, per primū eſſe inceperunt: nunc aut mutatum eſſe per vltimum eſſe deſinunt, reliqua enim non corrumpuntur. 4. Cōclō.

Quinta concluſio. Quæ cum abiectione contrarij corrumpuntur, vel generātur, incipiunt eſſe, per primū eſſe; deſinūt per primū non eſſe. Vnde cùm ex aqua fit aer, aqua deſinit per primum nō eſſe, vt ſit verum dicere, nunc non eſt, & immediatè ante hoc fuit aqua: aer verò incipit per primū eſſe; nempè, nunc eſt aer, & immediatè ante hoc non fuit. 5. Concl.

Hæc concluſio eſt Ariſtotelis. 8. Phyſic. tex. 69. & huius ratio eſt notanda. Sēper enim generatio fit in fine alicuiꝰ motus præcedentis, ratione cuius diſponitur ſubiectum: vnde dum motus ille eſt, nondum eſt forma generata, quia diſpoſitio non eſt perfecta, finito autem motu, forma inducitur in eo inſtanti primo, in quo eſt primùm mutatum eſſe in fine motus. Cùm autem detur tale primùm mutatum eſſe, datur etiam primùm eſſe formæ productæ: Cùm autem talis forma non- Probatur cōcluſio.

ma nondum ſit, cùm motus eſt, erit forma; quæ corrumpitur: non enim eſt materia ſine forma: vnde ſicut forma generanda non eſt, dum ſit motus, ita forma corrumpenda eſt, quouſque motus ſit finitus.

Vnde ſequitur, quòd deſinente motu, tunc non erit forma corrupta, ſed deſinet, ſicut motus, & deſinet per primum non eſſe, & tunc erit forma generata.

Vt autem clarius intelligas. Fiat motus calefactionis aquæ, vt ex ipſa fiat ignis, dum fit calefactio, eſt aqua, & nō ignis, facta calefactione, eſt ignis, nō aqua: datur enim in fine motus vnum inſtans, in quo licet dicere: modò primū abſoluta facta eſt calefactio; & hoc idem inſtans eſt primum non eſſe motus, & primùm non eſſe ipſius formę, aquæ, primùm verò eſſe ignis: hæc enim omnia illi inſtanti inſunt.

Ad primū & ſecundum. Per hæc patet ſolutio ad argumenta poſita. Ad primum enim, & ſecundum ęqua eſt reſponſio. Non enim mutatum eſſe omninò ſimile eſt puncto, & nunc. De ratione enim puncti non eſt, quòd ipſum linea præcedat: at de ratione mutati eſſe eſt, quòd ante ipſum ſit mutatio: ob id non poteſt incipere motus à mutato eſſe, quia neceſſe eſt, quòd ipſum antecedat motus, eſt enim mutationis finis.

Nec inde ſequitur, quòd motus non poteſt eſſe in tempore, aut ſpacio adæquatis, nam motus non fit niſi in tempore, & magnitudine: at nunc non eſt temporis pars; nec indiuiſibile magnitudinis.

Ad 3. Ad tertium, non negamus motum habere principium, dictū enim eſt, quòd ſicut non datur prima pars, ita nec vltima, at ſicut datur vnum inſtans, in quo deſinit motus, quod dicitur primum nō eſſe motus, ita etiam datur aliud inſtās, in quo incipit, quod ſit vltimum non eſſe ipſius.

Diſcrimen eſt, quòd inſtans finis dicitur mutatum eſſe, quia motus præceſſit imo totus: in principio tamen nō eſt mutatū eſſe, quia nō præceſſit motus, tamē vtrumq; inſtans, & vterque terminus eſt extrinſecus, quia in eo non eſt motus.

Ad 4. Ad quartum non ſic eſt intelligenda illa cōparatio: ſi enim mutatū eſſe, quod in fine eſt, abſolutè ad alia mutata eſſe conferatur, quæ in illo motu fuerunt, ipſum vltimum dicetur: tamen non ſic debet hoc intelligi; ſed quod ipſum eſt primum poſt totum motum factum, & reſpectu temporis ſequentis. Vt ſit ſenſus; in hoc inſtanti omnium ſequentiū primò motus totꝰ dicitur eſſe factus, & perfectus, antè enim non fuit totus factus, pòſt verò fuit, ſed non primo, niſi in tali inſtanti, in quo dicitur primum mutatum eſſe. Nota.

Ad quintum dicimus, non ſic illā diuiſionem motus fieri debere, ſed proportionaliter verſus principium, & tunc nō dabitur pars, quam non antecedat mutatum eſſe, vt dictum eſt. Ad 5.

Ad ſextum dico, in generatione ſubſtantiæ eſſe aliam diuerſam rationē: nā generatio ſubſtantiæ, & corruptio fiunt in fine motus, & in fine tēporis illiꝰ motus. Cùm aūt vnus motus vnicū habeat terminum, in vno inſtanti fiunt illa, q̄ ſit primùm non eſſe vnius, quàm eſſe alterius, tunc enim forma recedit cum motu, quo generatur res: at verò cùm ex calido fit frigidum, cùm nullus alius antecedat motus, ille trāſitus nō fit in inſtanti, ſed in tempore. Si enim diceretur, q̄ inſtans vnum eſt, in quo frigidū primò eſt, & calidum non eſt, non videtur, quare in illo non ſit calidum, cùm nullus motus, aut mutatio præceſſerit, qua expulſum ſit: & ob hoc Ariſt. nunquā admittit mutationes inſtātaneas, niſi adiunctas motibus. Sic puto eſſe reſpondendum ſecundum viam Ariſtotelis. Ad 6.

Ad ſeptimum difficultas eſt magna, an detur minimum in formis accidentalibus in inſtāti productum, quòd nos tractabimus 8. lib. tex. 23. Interim tamē dico, cū S. Tho. ibidem, quòd hic Ariſtoteles ſolùm loquitur vniuerſaliter, nempè, quæcunquē forma motu acquiritur, non habet minimam partem primam illius, quod motu acquiritur: & hoc ſatis conſtat ſecundum prædicta principia. Sed an tota latitudo formæ motu acquiratur, illic diſputabitur, quamuis, re vera, hoc Ariſtoteles videatur docere, ſed poſteà latius dicemus. Ad 7.

CAPVT VIII.

Quoniam autem omne, aut mouetur. Tex. LXVII.

De primo & vltimo in quiete ead. ratio. quæ in motu.

QVæ de motu docuit, puta non dari primum; idem de quiete, & de quietatione. i. motu, quo quies acquiritur, docet; & tale moueri ad quietem vertit Boetij [stare] quasi ad standũ ire posset, id verbo nõ satis latino, tamẽ rei energiã exprimente; dici quietiari. Probat aũt primò, ꝙ quietatio illa sit in tempore dupliciter. Primò, quia est motus, & quod stat. i. ad quietem mouetur, re vera mouetur: in hoc aũt textu, tale stare motum esse probat, sic. Omne, quod aptũ est moueri, & tempore & loco, & modo, quibus aptũ est moueri, aut mouetur, aut quiescit, sed stans (si sic licet dicere, ꝙ quietatur) est huiusmodi, & non quiescit; ergo mouetur. Non enim est sic dare medium. Quòd aũt nõ quiescat, probat. Quia qd stat, tendit in quietem: quod aũt in quietem tendit, nondum quiescit: ergo stans non quiescit.

1. Funda. quietationem esse in tẽpore.

Nota.

Aduertenda est declaratio illarũ particularium, quæ in maiori ponuntur. Nõ enim omne, quod nõ mouetur, quiescit, sed quod aptum est natura moueri: vnde immobilia non dicuntur quiescere propriè. Vlterius, non omne aptum moueri, cùm non mouetur, quiescit, nisi sit tunc, cùm aptum est moueri: vnde in instanti non mouetur, in instanti aũt non quiescit res. Nec satis adhuc est, sed etiam requiritur ex parte loci; nam in puncto nõ est motus, etiam tempore, & mobili positis. Similiter nõ est motus, nec quiescit res à motu, quo non est apta moueri: vnde cælum non mouetur rectè, tamẽ non quiescit à motu recto; non enim sic moueri est aptum.

Cùm igitur aliquid est aptum sic moueri, & tali loco & tempore, & non mouetur, tunc quiescit. Quies enim priuationem dicit, quæ negatio est cum aptitudine, & circunstantijs illis.

Hoc autem demonstrato. Tex. LXVIII. LXIX.

1. Ratio.

HOc principio ostenso, quod stat. i. qd quietatur moueri, facit priorem rationem. Omnis motus, & quod mouetur, in tempore mouetur: at quod sic stat, mouetur; ergo quod stat, in tempore stat.

2. Ratio.

Affert alteram rationem in altero textu. Velocius, & tardius in tempore sunt, quod stat, velocius, & tardius stat; ergo quod stat, in tempore stat: & vide per, stare, intelligi motum in statum, & quietẽ, vt diximus iam. quam quietationem dicere possumus.

In quo autem tempore. Tex. LXX.

2. Funda. quod in aliquo tẽpore primo stat, in qualibet parte illius stat.

ALterum statuit simile principium, sicut in motu. Nempè, quod in aliquo tempore primo stat, in qualibet parte illius temporis stat; & facit eandem rationem cum superiori. Diuidatur illud tempus primum: non enim esse potest indiuisibile: aliter enim non esset in eo motus, diuidatur ergo in duas partes. Tunc non est dicendum, quod in neutra stat; tunc enim non staret in toto. Similiter non est dicendum, quòd in altera tantum stat; tunc enim non esset illud totum primum, in quo stat, sed illius pars. Colligitur ergo, quòd in vtraque stat, & sic de alijs ipsius partibus. Ex his concludit, quod intenderat: nẽpè non dari primũ in statu, & motu isto, sicut nec in motu vniuersaliter dicto datur.

Neque enim ipsius motus. Tex. LXXI.

Non dari primũ in statione.

PRobat, non dari primùm in statione hac. Si esset primum, vel esset in indiuisibili temporis, vel non; sed neutro modo esse potest: Primò nõ potest esse in indiuisibili; sic enim nõ esset motus: at dictum est, motum esse: Præterea, nec potest indiuisibile esse: si enim diuisibile est id tempus primum, erit immedietate motus ille, quia aliàs nõ esset in illo

in illo tempore primò, & adæquatè, ergo illa medietas fuit prior, cùmque in temporis diuisione non peruenitur ad vnã partem omnium primam, cùm illa adhuc diuisibilis sit, profectò nec in tali motu quietationis, quæ status dicitur, dabitur prima pars, sed semper erit alia, & alia, vt in tempore.

Nota 1. Qũo sit intelligẽdũ fundamẽtũ Aristo.

Attende, quòd dicit in tempore primò. Si enim sumas tempus non primum, potest in vno loco esse in aliquo tempore, v.g. ego dicor moueri in classe in hoc die, quia moueor in tempore huius horæ finito isto motu, possum manere in loco, in quo motus sum per horam aliam eiusdem diei, tamen in hac eadem hora, in qua tota moueor, permanere per aliquod tempus in eodem loco æquali m̃hi, impossibile est.

Neque igitur quiescens. Tex. LXXII.

Eadẽ ratione de qte, q̃ de motu in quietem.

QVod de motu in quietem dixit, id etiam de ipsa quiete tradit, puta non dari primam ipsius partem. Et hoc probat, quia in tempore quies est, & quod quiescit, in tempore quiescit: tẽporis autem cùm non detur prima pars, nec dabitur in quiete. Quòd autem in tempore sit quies, dupliciter probat.

1. Ratio.

Primò: Tunc res quiescit, cùm nõ mouetur, & moueri apta est: sed in instanti non est moueri apta: ergo nec quiescere, sed in tempore.

Nota 1.

Attende etiam, quòd loquitur de loco æquali, in quo toto est mobile: nam intra totũ spaciũ maius, intra qd totus sit motus, per tempus manet: At de illo loco in quo adæquatè est ipsum locatum loquentes, dicimus, quod dum mouetur, non permanet in vno per temporis particulam vel minimam, sed mutat, & mutat loca alia, nec in eodem permanet, dũmodo moueatur secundum se totum: ꝙ si secundum partem mouetur, illa saltem pars nunquàm in eodem loco æquali erit per aliquod tempus, quo mouetur.

Probatur fundam.

Probat hoc: quia si in aliquo loco æquali per aliquod tempus maneret, vtiq; quiescere. Quiescere enim est eodẽ modo se habere in duobus nunc temporis continui, id est, in aliquo tempore, quòd si quiesceret, iam non esset illud tempus primum motus.

Si verò non sic est, sed vno solo nunc.

1. Ratio.

SEcundò idem probat ex descriptione quiescentis. Id enim quiescere dicimus, quod sic se habet modò, sicut antè, quasi quies non dignoscatur, nisi per diuersa nunc: sed instans non habet modò, & antè, ergo in tempore quiescẽs est. Vtraque ratio superius exposita est. Iam concludit hoc prouenire ex diuisione continui in infinitum, qua supposita, sequitur non dari primum in motu: & similiter nec dari vltimam partem.

Quoniam autem omne quod mouetur Tex. LXXIIII.

Aggreditur Arist. soluere ar gum. Zenonis. Initur ad id primũ fundamẽt.

ARistoteles præparans se ad soluẽdum argumenta Zenonis, præmittit vnum in hoc textu, Nempè, cũ aliquid mouetur in aliquo tempore primo, & adæquato, non potest in aliqua parte illius temporis esse in vno loco æquali, aut in vno gradu formæ secundum alios motus, sed semper mutat & mutat locum æqualem, aut est sub alio, & alio gradu formæ.

Ex

Arg. cõtra motum.

EX doctrina textus præcedẽtis soluit sophisma Zenonis, quo probabat, non esse motum. Dicebat sic: Quòd in quolibet nunc temporis quiescit, nõ mouetur in illo tempore: sed id, quod moueri dicitur, puta sagitta, in quolibet. Nunc tẽporis quiescit, ergo non mouetur: Probat minorem. Quia quod est in sibi ęquali loco non mouetur, sagitta in singulis Nunc, est in sibi æqualibus locis: ergo in illis non mouetur: quòd si non mouetur, quiescit. Omne enim in sibi aquali loco, aut mouetur, aut quiescit.

Hoc autem falsum est. Tex. LXXVI.

Solut Ari.

VOluit prædictam rationem, dicẽs, q̃ tempus non componitur ex ipsis Nunc, sed ex diuisibilibus partibus: ideò non si in omnibus Nunc non mouetur, in toto nò mouetur: nã in partib̃ omnib̃ tẽporis mouetur. Et hæc est solutio potissim. Hinc eẽ̃ puenit, q̃ nõ sit in Nũc non moueri quiescere, non enim Nunc est pars temporis. Quòd autem in omnibus partibus temporis in loco æquali nõ sit per aliquam temporis partem, dictum est in textu antecedenti.

Quatuor autem sunt rationes. Tex. LXXVII.

4. Arg. Zenonis, cõtra motũ.

HVius occasione à principio incipit numerare quatuor rationes Zenonis, quibus contendebat, nõ esse motum, quas difficilis solutionis dicit. Prima ratio erat. Supposito, quòd si

Primum.

esset motus, esset à termino in terminum alicuius spacij, & quòd spacium diuisibile est in infinitum: tunc est argumentũ. Mobile non potest peruenire ad terminũ per spaciũ, nisi prius transeat dimidium spacij, nec potest hoc trãsire, nisi prius aliud huius dimidiũ, nec hoc, nisi huius aliud dimidiũ. Sed sic est, q̃ sunt infinita dimidia, quæ prius oportet transire, ergo nunquàm contingit moueri per spacium aliquod. Infiniti enim non est finis.

Solutio.

De hac autem diuisione se locutũ superius dicit. Vel potest esse sensus, quòd iam ista ratio soluta est, per distinctionẽ superius, puta, textu. 19. vbi dictum est, spacium non esse actu infinitum, sed potentia: vndè non opus est, quòd infinitæ partes sint, quas actu oporteat transire. Sed hoc postea in fine libri examinabimus magis.

Secunda autem ea, quæ vocatur. Tex. LXXVIII.

Secundũ.

PRoponit secundam rationem Zenonis, quam dicit vocari Achillem. Ratio autem erat, quia vtebatur exemplo Achillis, qui erat celerrimus: & sic exponunt Themist. Simpl. Pielius. Vndè malè interpretes aliquot putant, dici Achillem, quia erat ratio validissima. Ratio autem ducit ad inconueniens, quòd velocissimum, puta, Achilles, nunquàm apprehenderet tardissimum, puta, testudinem. Probabat autem: quia semper erit aliquod spacium inter vnum, & alterum. Sed quomodo id probet, optimè explicat Themist. Demus spacium, in quo fit motus. Sit miliare, quod octo stadijs cõstat, & Achilles incipiat moueri à principio primi stadij, & testudo à dimidio illius stadij. Sitque Achilles in decupla proportione velocior. Est argumentum. Dum Achilles transit illud medium stadij, testudo saltem transiuit decimam partem alterius dimidij, & sic nondum est apprehensa. Iterum dum Achilles transit illam decimam, testudo transibit aliam decimam illius decimæ: & ꝯum hanc decimã decimę Achilles, testudo aliam decimam decimæ alterius decimæ transibit: cum, quę sint infinitæ huiusmodi diuisiones, nunquam Achilles testudinem motam consequetur.

Est autem, & hæc ratio eadem. Tex. LXXIX.

Cõparat Arist. 1. argũ. Zenonis cũ 2.

HAnc secundam rationem cũ prima comparat, ac dicit, esse eandem. Nempè, quia idem supponit cum ea, non tamen omninò eandem, quia illa aliter procedit. Supponit igitur idem: quia infinitum putatur spacium, nec ad ter-

terminum peruenire posse in vtraq; ratione. Sed non est idem modus, nam prima diuidit spacium semper in duas partes proportionaliter: at posterior non diuidit, nisi secundum proportionem, & rationem velocioris, & tardioris. Vndè quamuis diuerso modo procedant, ad idem rendunt, eademque est vtriusq; solutio. Quòd si in argumento secundo sumatur velocissimum, & tardissimum, fuit tragico modo ad faciendum argumentũ admirabile, sed non quòd nouam difficultatem faceret.

Solut. Ari.

Solutio ergo est, quòd velox non apprehendet tardum, dum non attingit ipsum, tamen attinget. Maius enim spaciũ transit velox in eodem tẽpore, quàm tardum: cùm spacium finitum actu sit. Argumentum autem procedit, ibi esse infinitas actu partes, quòd falsum est.

Tertia autem, quæ nunc dicta est. Tex. LXXX.

3. Argum.

TErtiam rationem Zenonis dicit esse eam, quæ iam proposita est textu. 85. Nempè, quòd si in quolibet instanti quiescit mobile, cùm non mutet locum, quòd in toto tempore quiescet.

Solu. Ari.

Et repetit solutionem eandem, quia innititur ratio in hoc, quòd tempus ex Nunc componitur. Hoc autem negato, nihil concludit. Dicetur enim, quòd in qualibet parte mutat locum, & mouetur: licet in singulis instantibus sit in singulis locis, nec in in illis motus sit, non tamen propterea dicendum est, mobile quiescere, vt dictum est, In instãti enim, nec qes, nec motus est.

Quarta autem ea, quæ de ijs est. Tex. LXXXI.

4. Ratio.

QVartam facit rationem Zenonis, quæ re vera difficile colligi potest: aliqui enim eam sic construunt, vt nec minimam apparentiam faciat, quod credendum non est. Existimo, sic esse proponẽdam: & in hoc magis accedo ad expositionem S. Thom. Zeno in hac ratione ducebat ad impossibile. Nempè, si motus esset tempus duplum esset æquale suo dimidio, nempè, vna hora ęqualis medię: Ad hoc ostendendum sumebat hoc principium. Cùm duo mobilia æquè velocia æqualem magnitudinem percurrunt, tẽpora vtriusque motus sunt æqualia.

Ex hoc principio argumentabatur, & sumebat tres magnitudines æquales singulas quatuor partiũ æqualium. Et primã ponebat immobilem, quæ dicebatur, A A A A. Alteram constituebat superiùs, quæ inciperet ex media parte fixæ & immobilis, quæ dicebatur BBBB, ita vt primum B, esset cum secundo A. Tertiam sumebat, quæ dibebatur C C C C, & ponebat à principio immobilis, vt esset primum C, cum primo A, contra alteram magnitudinem, vt notum fit in figura infra descripta.

Moueatur igitur tertia, quæ dicitur C, per totam magnitudinem A, per horam, ita vt cùm perueniat ad secundum A, vbi incipiebat B moueatur ipsum B, versus A, à quo incępit C. Tunc, quia non habet nisi duo A, pertranseunda, per mediã horã mouebitur; & in illa media ipsum C, trãsibit alia duo A, & nunc in fine medię horæ vltima omniũ horum simul erũt, primũ C, cum vltimo B, & A, & primũ B, cũ vltimo C, & A, ac si essent iuxta posita.

In hoc igitur casu, tẽpus ipsius C, est duplũ ad tẽpus ipsius B, qa C, transiuit quatuor A, & B, non nisi duo. Quòd autẽ ista tempora sint æqualia, probatur. Ipsum B, in media hora transit per omnia quatuor C, vt notum est, quia in principio mediæ horæ est cum primo C, in fine cum vltimo: sed quatuor C, sunt æqualia quatuor A, ergo B, transit tantam magnitudinem, ergo

ergo per fundamentum tempora ipsorum B, & C, sunt æqualia.

Solut. Ari. Solutio huius est, quòd illud fundamentum intelligi debet, quòd duo mobilia transeant ęquales magnitudines fixas: nam cùm vna est fixa, altera mouetur cõtra mobile, citius transitur mota, & ita errabat Zeno.

Literę Aristotelicę + argumẽti expositio. Hic est sensus horum duorum textuũ, & est no anda exposit o. Ad literam deueniamus. Quartam rationem, dicit eã, in qua sumebat magnitudines æquales cum alijs æqualibus, & applicabat stadio vnam à principio, alteram à medio, e cõtra: & per hoc probabat duplum tempus æquale dimidio, sumpta duplici illa magnitudine mobili æqualiter veloci.

Et attende, quòd vna magnitudo ponitur in principio, altera in medio illius tertiæ, quæ dicitur stadium, & non vtraq; in medio: vt multi expositores ponunt: ideoque vix intelliguntur.

Est autem deceptio in eo.

Tex. LXXXII

Solutio. SOlutionem cauilli ponit in hoc, quòd falsitatem fundamenti aperit. Putat enim, quod cùm duo mobilia æquè velocia mouentur per æqualem magnitudinem ita, vt vnum per fixam, alterum per motam mouetur, quòd tempora sunt æqualia. Et hoc quidem falsum est: aut enim vtraque debet esse fixa, aut vtraque æqualiter mota.

Casus argumenti. Constituit autem casum argumenti. Sint tres magnitudines, prima fixa, A A A A, aliæ motæ, tamen æquales, & numero, & partium magnitudine, quarum vna B B B B, sit incipiens à secundo A, altera vero, C C C C, à primo A, è contra: cõtinget duas has simul coniungi cum vltimis A.

Nota. Sed intellige, quòd C, incepit moueri, nec B, motum fuit, quousque ad ipsum peruenit C, vt diximus. Hoc casu posito dicit, cùm B, transierit duo A, ipsum verò C, quatuor A, erit tempus B, dimidium ad tempus C, nam in singulis A, æquale tempus consumptum est. Tunc vlterius sequitur, quòd B, transiuit per omnia C, in illo medio tempore: Cumq; tantũ temporis sit cõsumptum in C, quãtum in A, vt ipse inquit, erunt tempora æqualia.

Et nota, quòd dicit, (vt ipse inquit:) nam re vera, plus temporis consumit B, in vno A, quàm in vno C: imò dum duo A, transit, percurrit quatuor C: nam A, fixum est, C, verò contra ipsum mouetur. Et in hoc consistit deceptio & cauillus Zenonis. Hæc est expositio clara textus huius difficilis. Nota.

At verò secundum eam, quæ in cotradictione.

Text. LXXXIII.

Duo alia argũ contra motũ. ALia duo argumenta soluit, quibus motum esse negabatur, & quamuis multi ea esse Zenonis putent, mihi non placet, quia solùm quatuor rationes esse ipsius dixit, & præterea Psellus expositor Græcus, has non esse Zenonis, sed aliorum, dicit. Quicquid tamen sit, ratio proponitur, qua mutationem non esse, probatur: præsertim eã, quæ inter contradictoria fit, vt ex non albo in album.

2. Argum. Argumentum est. Dum res mutatur, nec est sub vno extremo, nec sub altero. Cùm autem extremà sint contradictoria, dabitur quòd neutrum contradictorium vni competat, vt nec sit album, nec non album.

Solutio Aristot. Respondet Aristot. hoc argumentum nihil concludere: Nam tunc esset inconueniens, si vnum totum nec esset album, nec non album in mutatione. Sed hoc falsum est, nam cùm mouetur, partim est album, partim non album, nam cùm album dicitur aliquid, nihil vetat habere partes aliquas nigras. Similiter dicetur nõ album, quamuis habet partes aliquas albas. Fit enim denominatio à pluribus, seu præcipuis partibus. Non ergo, propterea ꝙ non sit sub albo, nec sub non albo, ob id inferi debet, ꝙ totum non sit albũ, & totum non sit non albũ, erit enim partem habens in albo, partem in nõ albo. Idemq; dicetur de alijs extremis cõtradictorijs, vt de esse, & non esse in generatione.

Nota. Hic aduerte, ꝙ Aristot. loquitur hîc de mutatione albi & nõ ex albo, & de mutatione generationis, quibus fit albũ, vel fit aliquid

quid secundum partes extensionis: tũc enim quandam partem sub vno, quandã sub altero habet extremo. Non tamen loquitur de generatione, quæ in vnica parte, & de mutatione, quæ in instanti fit, tunc enim non est secundum partes diuersas mobilis: sed dicendum est, quòd est sub termino ad quem. In mutationibus enim instantaneis simul sunt mutatio, & mutatum esse, vt dicetur in libr. 8. Modò tamen nõ de his loquitur, de quibus illi Antiqui forsan non argumentabantur, sed de mutationibus, quæ successiuè secundum extensionis partes fiunt, quamuis non omnes successiuè extensionem acquirant, vt alibi dicetur.

Rursus in circulo.

Tex. LXXXIIII.

2. Argum. ALteram facit rationẽ ipsorũ. Accidit id, quod moueri dicitur, non mutare locum, nec secundũ totũ, nec secundum partes in tempore: ergo non mouetur. Antecedens patet de sphęra, quæ dum circulariter mouetur, nec totum nec partes locũ mutant, cùm circa idem semper voluantur: quòd si motus non est circularis, nec alius motus vllus erit. Quod si dicatur, adhuc sphæram moueri, vtiq; motus, & quies simul erũt: gescit enim cùm locum non mutet.

Primò nãq; partes Tex. LXXXV.

Solu. Arist. SOluit argumentum: Et primò negat, partes non mutare locum, mutant enim singulæ. Vt si consideres partes octauæ sphæræ, quæ sub nona mouetur, partes nonæ sphæræ continentes octauam, non respondent semper eisdem partibus octauæ, imò vna octauæ succedit, vbi erat altera, & alia vbi erat illa. Secundò negat etiam totum non mutare locum: imo mutat locum.

Nota 1. Aduerte autẽ, ꝙ in aliquo circulo possumus multos circulos sumere, si incipiamus à varijs punctis illius circuli: tamen isti non sunt omninò distincti. Cùm vnus sumatur in alio. Differunt, sicut homo, & homo albus: vnum enim alterum includit. Ex quo sequitur, quòd corpus circulare, quod mouetur interius, totũ sit semp̃ in alio, & alio circulo, & loco: & hoc pacto dicit Aristoteles etiam totum mutare locum, dummodo in circumferentia sit, quæ incipit ab A, modò in ea, quæ incipit à B, modò in ea, quæ incipit à C, & sic in alijs.

Aduerte præterea, quòd in non circularibus etiam inueniemus loca, quorum vnus est alterius pars: Vt si ego sim in hoc loco, & parùm discedam ita, vt non deseram totum: tunc locum alium habeo. Sed non omninò, quia iste partem habet alterius. Corpus igitur illud circulare cùm in quolibet tempore mutet locum, & ipsum, & ipsius partes non quiescẽt, sed mouebitur in illo tempore: & sic soluitur argumentum. Nota 2.

CAPVT X.

Demonstratis autem his.

Tex. LXXXVI.

Quęstio apud Arist. an indiuisibile possit moueri Sensus q̃stionis. TRansit Aristot. ad vnum Problema determinandum. Nempè, an indiuisibile moueri possit. Explicat autẽ primò se de indiuisibile in quantitate loqui, vt de puncto, linea, superficie, non de alijs indiuisibilibus, puta secundum formam, qualiter species vltima indiuisibilis est, cùm in plures species diuidi nequeat: Vel de indiuisibili secundum indiuiduum, vt Petrus indiuisibilis dicitur in plura illius speciei singularia: de his non est sermo.

Rãsio ad q̃stion. Indiuisibile potest moueri p accidens. Respondet igitur, ꝙ indiuisibile moueri potest per accidens ad motũ magnitudinis, in qua est: sicut nauta mouetur ad motum nauis. At ne quis existimaret, indiuisibile moueri per accidẽs, sicut pars ad motum totius: explicat, quòd nõ sic mouetur, sed sicut accidens ad motũ subiecti, vt exponit S. Thõ. & hoc significatur per nautam in naui.

Aliter mouetur pacidẽs pars aliter accidens & pũctum. Mouetur autem pars ita in toto, ꝙ habeat aliũ motum ab ipso toto: alius enim est motus partiũ singularum, alius totius. Nã quælibet pars parte motus existẽte, in se mouetur, & inde potest separata moueri. At accidens non habet alium motũ à motu totius, nec separatum posse moueri: & huic assimulatur punctum.

Quòd autem partes singulæ suis motibus moueantur, dicit; hoc ostendi in sphæra. Si enim partes profunditatis cõsiderentur, quæ propinquiores sunt centro tardiorem motum habent, cum breuiorem circulum describãt, quàm remotiores maiorem describentes circulum. Non ob id intelligas, esse motus partium, & totius diuersos, sed potẽtia: actu enim vnus est motus continuus. Indiuisibile igitur mouetur per accidens, vt in subiecto accidens; per se autem nullo modo.

Mutetur enim ex A B. in B C.

Tex. LXXXVII.

Indiuisibile nõ põt moueri p se.

1. Rõ à terminis.

TRiplici ratione probat, indiuisibile p se moueri nõ posse, Prima est Detur, q̃ moueatur ab vno termino in aliũ, siue motu locali, siue quocũq; alio: & sit tempus motus aliquod. Tũc in hoc tempore, aut est in termino à quo, aut in termino ad quem, aut partem habet in vno, partẽ in alio. Si dicas in aliquo, esse termino: erit iã quies, cũ sit illud tempus Si dicas tertium, erit iam diuisibile: Dicere, quòd nullo modo est in terminis, est impossibile: ergo tale indiuisibile, verbi gratia, non potest moueri per se solum.

Quare non contingit id.

Tex. LXXXVIII.

Reijcitur fuga, quaq; vti possit in 1. ar.

1.

2.

VNum modum reprobat, quo quis posset affirmare, punctum per se moueri. Puta, si tempus tantum ex instantibus componeretur, & tũc in quolibet instanti esset in aliquo indiuisibili. Hoc reijcit primò: quia tempus ex instantibus non componitur.

Secundò, quia tunc in quolibet instanti esset mobile mutatum, & tunc non esset motus: nam motus non esset, nisi plura mutata esse. Hoc autem reprobatũ est: nullum enim continuum ex indiuisibilibus componitur. Hoc enim supposito, illud esse non potest.

Amplius autem & ex his.

Tex. LXXXIX.

2. Ratio à partibus spacij

ALteram facit rationem. Omne, q̃ mouetur per spaciũ maius se, debet prius transire minus, & æquale sibi, vt notum est. Si ergo punctum moueatur per spacium maius, transibit vtiq; prius per minus, aut æquale sibi. Per minus non potest, ergo per æquale. Si ergo totam lineam transit semper, & non nisi tangendo æqualia: ergo linea componitur ex punctis, cum mensuretur à puncto transeunte per totam lineam, & non nisi per puncta. Illud autem impossibile est: ergo punctum per se moueri non potest. Idem intellige de linea, quæ per latitudinem, & de superficie, quæ per profunditatem, non possunt moueri, nisi magnitudo ex indiuisibilibus cõponatur.

Amplius autem si omne in tempore. Tex. XC.

3. Ratio à tempore.

TErtiam rationem facit, quæ ducit ad hoc inconueniens, quòd esset tempus minus quocunque motu: quod est impossibile, cum motus, & tempus æqualiter diuidantur. Supponit autem primo quod omnis motus est in tẽpore: & quodcunque tempus est diuisibile. Moueatur igitur, quod est indiuisibile, ab vno in alterum indiuisibile: cum iste sit motus, erit in aliquo tẽpore: hoc quidem diuisibile est: motus autem ille non, cum in vno puncto solo non sit motus: ergo medietas illius temporis erit tẽpus minus tali motu, qui minimus est. Quòd autem talis medietas sit tempus minus, patet: nam totum tempus erat æquale moti.

Aliud ex inferũt in cõueniẽs.

Ex hoc autem absurdo sequitur, quòd aliquid mouetur in tempore aliquo, & in minori nõ potest minus moueri, nisi indiuisibile diuidatur.

Obiectio.

Posset quis dicere, quòd à puncto in punctum in instanti mouetur.

Solutio.

Hoc reijcit sicut superiùs: tunc enim ex mutatis cõponeretur motus, & ex indiuisibilibus quodlibet cõtinuum, quod fieri non posse demõstratum est superiùs.

Mutatio autem nulla est infinita.

Text. XCI.

Nulla mutatio est actu infinita.

EX his omnibus, quæ circa diuisionem mutationum dicta sunt: ne quis, infinitam esse mutationem, arbitraretur: concludit tandem nullam esse mutationem actu infinitam, ita vt sit ad extrema infinitè distantia. Probat hac ratione. Omnis mutatio fit ab vno in alterum, siuè contrario, siuè cõtradictorio:

1. Rõ de omni motu in extremum.

sed

sed talia extrema finitam habent inter se distantiam: ergo, & mutationes finitæ sunt: nõ. n. vltra extrema sua singulę sũt.

Et in augmentatione, ac diminutione explicat, quæ sint extrema: quia hic videbatur res obscurior, quia quantitas certũ terminum non habet. Dicitque illud esse extremum augmẽti, puta, quantitatem, quam vnumquodq; secundum suam naturam attingere potest: & huius remotio est terminus diminutionis. Vbi vides, res terminari certo termino magnitudinis, & paruitatis.

Latio autem sic quidem.

Tex. XCII.

2. Rõ de motu locali, q̃ fit secũdum volũtatẽ.

DE motu locali, qui secundum voluntatem fit, nõ videtur certum, quomodo extrema sint determinata, propterea alia ratione ostendit, nec talem motum infinitum fieri posse. Impossibile est motum, seu mutationem esse, cuius mutatum esse est impossibile sed secundum motum infinitum impossibile est esse motum, vel mutatum: ergo ille motus impossibilis est. Maior sub exemplo, seu inductione ponitur. Impossibile est diuidi, secundum quod impossibile est esse diuisum: & generari, secundum quod impossibile est, esse genitum: & mutari, secundum quod impossibile est esse mutatum.

At quia impossibile multipliciter dicitur, & quod non potest fieri, & quod difficulter fit: dicit, se loqui de eo, quod nõ potest fieri. Ac propterea dixit, quod esse diuisum, est impossibile tale, vt non contingat: nec possit esse diuisum, hoc tale impossibile est diuidi.

Et attende literam: nam quidam infinitiui de præsenti, quidam de præterito sumendi sunt, vt exposui: quamuis in litera omnes sint de præsenti: ob id parũ habet obscuritatis.

Si ergo id, quod fertur.

Tex. XCIII.

Cõcludit oẽm motũ, & mutationẽ eẽ finitam.

COncludit in motu locali, cum nõ sit motus, nec moueatur aliquid, nisi possit secundum talem motũ, esse mutatum, non erit motus infinitus, vt nunquã habeat finem. Similiter quæcunque alia mutatio erit finita.

Sed si esse possit sic, vt tẽpore sit.

Tex. XCIIII.

Qũo possit infinitas in motu repiri.

OStendit, quomodo in mutatione possit infinitas reperiri: in vna enim per se, quę ad determinata extrema tendit, non potest esse, vt dictum est: tamen in vna per accidens, puta, per contiguationem ratione temporis esse potest. Vt si alterationi succedat generatio, & generationi augmentatio, & huic latio, & huic iterum generatio. Hoc modo nihil prohibet. Non enim est vna mutatio secundum extrema: at in vnico continuo motu id non est, prẽter motum circularẽ, de quo, lib. 8. dicetur; in eo. n. sunt quodã modo plures motus, & circulares, quãuis propter continuitatem vnus dicantur. Et ita absoluit librum Aristotel.

FINIS LIBRI SEXTI.

Hæc commentaria vnà cum Quæstionibus Doctoris Francisci Toleti, in quatuor hos libros Physicorum, videlicet, in 3. 4. 5. 6. nil continent contra fidem, vel bonos mores, & sunt vtilia, quæ studiosis prælegantur. Atq; ideo poterunt typis excudi.

† D. Ledesma. †

† M. Antonius. †

† M. Hieronymus Hurtadus. †

Imprimãtur, si videtur R.P. Magistro Sacri Palatij. A. Viceß.

Poterint imprimi. Datum. 13. Aguſt. A. 1572.

Frater Thomas Maracis sacri Palatij Magister.

IN LIBRVM SEPTIMVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

Omne, quod mouetur, necesse est ab aliquo moueri. Textus primus.

LICET ea, quæ ab Aristot. tradũtur in hoc libro, rationibus tãtùm dialecticis comprobentur; eademq; postea ab eodem Arist. in 8. libro fusius, & acutius ꝑtractentur; adeò, vt liber hic Alex. nothus, & adiectitius visus fuerit: quam etiam ob causam, Eudemus, & Themistius, veteres Aristot. interpretes, eius expositionẽ omiserunt. Tamen quoniam Simplicio, D. Tho. alijsque grauissimis Peripateticis dignus visus est, quem ipsi interpretarentur; nos etiam non inutile fore arbitramur, si quæ in eo docet Aristot. breuiter more nostro, & summatim prosequamur.

Institutũ Aristot. in hoc li. est, vt aliquot principia, seu Theoremata ꝓponat, ex quib. causam efficientẽ motus in 8. li. postea ostendat.

Postquàm ergo de motu, quid sit, quę ipsius species, quales ipsius partes, disseruit: nunc de ipso efficienti principio tractat, quod facit in octauo libro. At in pręsenti aliquot statuit principia maximè ad indagandum necessaria.

Diuiditurque in duas partes liber hic. In priori, quædam Theoremata proponit, circa motus principium. In posteriori, de motuum comparatione loquitur, quo ad velocitatem, & tarditatem.

1. Theore. Arist. oẽ ꝙ mouetur, ab aliquo moueri.

Proponit igitur in textu primo Theorema hoc. Omne, quod mouetur, ab aliquo alio mouetur. Hoc primo inductiõe quadam manifestat, postea ratione demonstrat. Inductio est. Nam quæ mouentur, aut à principio externo mouentur, vt proiecta: aut à principio interno, vt viuentia. Et loquitur de actiuo principio. In his, quæ ab externo mouentur, satis constat, ab alio moueri ipsa: in his, quæ ab interno, non ita cõstat. Sed etiam hæc ab alio mouentur: nam habent duas partes, alteram, quæ mouetur, alteram, quæ mouet: & dum mouet, per accidens mouetur, sicut nauta in naui. Nauim enim, quæ mouetur, nauta mouet, & simul mouetur motu nauis. Sicut igitur, quamuis nauis tota non moueatur ab aliquo extra nauim, non propterea dicetur moueri à se: ita nec illa, quæ ab intrinseco mouentur. Et qui dicit, ea à se moueri, nescit distinguere partem, quæ mouet, & partem, quæ mouetur.

Probatur inductione tribus suppositis Primum.

Hoc est, quod Aristoteles dicit. Sumatur, inquit, A B, quod mouetur secundũ se totum, & non quia pars mouetur, (hic enim loquimur de his, quæ moueri dicũtur, quia tota mouentur: & per A B, intelligit viuẽs, vel id, quod ab intrinseco mouetur.) Dicere, quòd A B, mutetur à se, quia totum videtur moueri, & nõ ab extrinseco, est simile, ac si esset vnicum totum D E F, motũ, cuius vna pars E F, mouetur ab altera D E, & ob id totum mouetur. Et quis propter ignorantiam duarum harum partium existimaret moueri à se? Quasi dicat: illa talia mota ab intrinseco, habere partem aliam mouentem, aliam motam. Et quia mouens mouetur per accidens ad motum partis motæ, totum mouetur: cumque non appareat extrinsecum mouens, existimatur à se moueri. Sed non ita est, vt ostendi in exemplo de nauij & nauta. Colligitur ergo, quę mouentur, ab alio moueri.

Amplius id, quod à se ipso. Tex. II.

Idem

Secundũ.

IDem modò demonstrare contendit. Sumit autem tria. Primum est. Quod à se ipso mouetur, non desinet moueri, quamuis quodcunque aliud à se, quod mouetur, quiescat, & moueri desinat. Quasi dicat; motus eius, quod à se ipso mouetur, non pendat ex alterius motu; ita vt si alterum cessat moueri, cesset & ipsum.

Tertium.

Alterum principium ex hoc sequitur. Si, quod mouetur, cessat moueri, quia aliud cessat moueri; tunc illud non à se ipso mouetur.

Nectitur ratio.

Tertium est, quod mouetur esse diuisibile.

Ex his est argumentum. Detur mobile q, uod à se ipso moueri dicitur, (& attẽde, quòd loquimur de motu secũdum se totum,) hoc mobile A B, diuisibile erit ꝑ tertium principium. Diuidatur ergo in duas partes in B C, & A C.



Peto vel quiescente vna parte, puta, B C, mouebitur, vel nõ. Si mouebitur totum, cum non moueatur nisi ratione vnius partis A C, iam non totum primo mouebitur; ergo desinet moueri, quia aliud, puta, pars mota quiescit; ergo per primum, & secundum principium, totum illud nõ à se ipso mouetur.

Potest autem tota ratio sic in forma ordinari. Omne, quod mouetur, cuius si aliqua pars quiescit, totum quiescit, non mouetur à se, sed ab alio: omne, qd mouetur, est huiusmodi, vt quiescat, si eius aliqua pars quiescat: ergo omne, quod mouetur, non à se, sed ab alio mouetur. Ratio hæc in quæstione postea, examinabitur cum alijs.

Quoniam autem omne, ꝙ mouetur. Tex. III.

Secũdum theor. Ar. ꝙ localiter moueturab alio moueri.

EX hoc vniuersali theoremate infert secundum particulare. Quod localiter mouetur, ab alio mouetur. Et quamuis contingat vnum ab alio & hoc ab altero, & hoc rursꝰ ab alio moueri, nõ tamen potest esse in infinitum processus: sed peruenire oportet ad vnum primum mouens, ꝙ rursus non ab alio mouetur.

Si enim non, sed in infinitum abibit. Tex. IIII.

Tertium theore. in mouentibus nõ eẽ ꝓcessũ in infinitũ.

QVod omne motum localiter ab alio moueatur, non probat, quia in ratione præcedenti de quocũque motu vniuersaliter probatum est. Quòd verò in mouentibus non sit processus in infinitum, modò demonstrat.

Exemplũ

Exemplum ponit. Si A mouetur à B. hoc rursus à C, & hoc C rursus à D, non erit iste processus in infinitum; sed erit in aliquo vno status.

Suppositio prima.

Statuit ad hoc aliquot principia. Primum est: Quòd simul mouebitur A, & B, & aliorum vnumquodq;. Ratio est; quia quod mouet, dum mouet: mouetur. cum igitur A mouetur, B mouetur; sed dum B mouet, mouetur: ergo dũ A mouetur, etiam B mouetur: & dum B, similiter etiam C, ob eandem rationem, & cæterorum vnumquodque.

Suppositio secũda

Alterum principium est. Motus cuiusque horum finitus est, & vnus numero, vt motus, A, & motus B, & motus C, quanuis enim infiniti omnes sint, vnusquisque tamen finitus est extremis: est enim ab vno loco in alium determinatũ locum.

Aut enim numero accidit. Text. V.

Motus triplicitur dicitur vn.

OCcasione illius, quod dixerat, singulos illos motus esse finitos, & quoque pro se vnum esse numero motum vnum. Numero; genere, specie. Vnus numero est, qui ab vno numero termino à quo, ad vnum numero terminum ad quem, in vno numero, & non per quietem interrupto tempore fit: Vt ab hoc albo in hoc nigrum, in hoc tempore. Vnus genere, qui est ad terminũ vnius præ.

nius prædicamenti. Vnus specie, qui ad terminum est vnius speciei. Quæ omnia satis exposita iam sunt in libro quinto.

Accipiatur igitur motus ipsius A. Tex. VI.

Suppositio 3. Motus finit, erit in tẽpore finito.

Vis rationis Aristotelis.

PONit tertium principium. Quòd cùm motus A, sit finitus, erit in tẽpore finito, & sit R. Ponit autẽ nomina motibus illis, motus A, dicitur E; motus B, dicitur F, motus C, est G, motus autem ipsius D, sit H. Ex his omnibus colligit argumentum. Motus ipsius A, est in tempore, R, finito: sed omnes reliqui motus sunt simul cum motu A, vt dictũ est in primo principio: ergo omnes illi motus sunt in tempore finito. At illi motus infiniti sunt; motus ergo infinitus est in tempore finito: quod impossibile est.

At quia posset quis dubitare, An motus A, & aliorum sint æquales; Respondet, parum hoc referre: siue enim æquales, siue inæquales sint, motus totus infinitus est; tempus autem finitum est.

Si igitur videbitur demonstrari. Tex. VII.

Obiectio Arist. contra rationẽ supradictam.

OBijcit huic rationi. Non enim videtur demonstrare intentum. Nã motum infinitum, cùm vnius est, repugnat esse in tempore finito. At cùm plures sunt motus, mobilibus existentibus infinitis, nõ videtur repugnare; possunt enim multa simul moueri. In præsenti autem casu ille motus non est vnus, cùm mobilia sint multa; ob id nullum sequitur inconueniens.

Sed si id, quod mouetur primò. Tex. VIII.

Solutio.

EXcludit obiectionem, supposito vnico fundamento. Quod secundũ locum immediatè mouetur ab altero mouente motu corporeo, necesse est illi esse contiguum per tactum, aut esse continuum. Ex hoc argumentatur. Cùm illa mobilia saltem sint contigua, ponatur, quòd continuẽtur. Non enim minus contigua, quàm continua occupant: nec minor motus est in illis, quàm in his. Sumatur igitur vt vna magnitudo, ABCD, & motus tunc vnus erit ex ipsis, puta, EFGH, erit igitur iã motus vnus infinitus tempore finito: quod impossibile est, siue magnitudo, & mobile finitũ sit, siue infinitum. Vtroq; enim modo motus infinitus tẽpore finito esse non potest: ob id nihil refert, ꝙ mobile sit finitum, aut infinitum, si motus infinitus est. Ita hæc verba Simplicius exponit: & sic excluditur obiectio, & perficitur demonstratio.

Manifestum est igitur. Tex. IX.

Infertur conclusio supradicta, nõ esse processum in infinitũ in mouentibus.

INfert conclusionem. Quòd non erit processus infinitus in mouentibus: sed ad primum deuenire oportet. Duo autem adiungit, quæ sumpta sunt in textu præcedenti. Alterum est; quòd ponatur illa mobilia continuari. Posset quis dicere, rationem esse nullam, quæ ex suppositione procedit. Ad hoc respondet, ꝙ licet suppositione vti, cùm id, quod petitur, est possibile; Nam possibili posito in esse, nullum sequitur inconueniens. Est igitur modus argumentandi iste ex vno possibili dato; puta, quod illa cõtinuentur: inferre vnum impossibile; nempè, ꝙ vnus motus infinitus esset in tempore finito; vt inde colligatur. Cùm hoc impossibile non sequatur ex hoc, quòd continuẽtur (nã possibile non infert impossibile:) profectò sequetur ex eo, quòd infinita mobilia sunt: & ita hoc erit impossibile. Nã impossibile ex impossibili sequitur. Alterum declarat, quomodo, quod mouet, & quod mouetur, simul sunt. Dicit duo. Primũ est, quòd loquitur de mouente efficiente. Nam quod mouet, vt finis, potest distare à re, quæ propter ipsum mouetur. Alterum. Quòd omne simul mouens, & motum est, quòd non sit inter ipsa medium, id est, quòd se tangant.

An vtraque ratio Aristot. necessario concludat, quæ probatur omne, quod mouetur, ab alio moueri. Quæst. I.

Prima

1. Obiectio Galeni, cõtra primã rationem.

PRima ratio, qua omne, qd̃ mouetur, ab alio moueri probatur, tripliciter impugnatur. Primo a Galeno, vt refert Simpli. Galenus enim dicebat, quòd nõ benè infertur; illud mobile non moueri per se, quia pars quiescat, & pars moueatur: Qd̃ enim per partem suam mouetur, per se moueri dicitur: & sic Auerroes explicat argumentum Galeni.

2. obiectio aliorum.

Secundo impugnatur ab alijs, vt refert Simplicius: quia ratio illa petit principium: nam petit partem quiescere, partẽ moueri, & hoc idem est, totum nõ per se primo moueri. Nã ꝙ per se primò mouetur, secundum omnes partes mouetur;

3. Auicen.

Tertiò impugnatur ab Auicenna, quia petit vnum impossibile. Nam si totũ per se primo mouetur, impossibile est, quòd pars ipsius aliqua quiescat: & ob id ratio nulla est, quia incompossibile supponit.

Obiectiones contra secundam rationem. Prima.

Posterior ratio potest adhuc tripliciter impugnari. Primò supponit, quod cũ vnum mouetur, reliqua simul mouentur. Hoc autem videtur falsum. Sat enim lapidem proiectum moueri, quiescente, ꝓijciente; & elementa moueri, non existente generante.

Secunda.

Secũdo impugnatur. Quia ipse sumit motum infinitum ratiõe partium subiecti, & non ratione partium successionis. Motum autem infinitum sic non repugnat esse in tempore finito; nam secundum tales partes non diuiditur ad diuisionem temporis, sed subiecti.

Tertia.

Tertiò impugnatur. Quia existimat possibile, illa mouentia continuari: & tamen videtur impossibile: quia specie differentia, impossibile est, continuari, vt dictum est in quinto libro. Hæ igitur sunt obiectiones contra Arist. quæ iam sunt dissoluendæ.

Ad primã obiectionẽ Gale.

Prima ergo Galeni nulla est, & soluitur facile ab Auerroe. Nam per se moueri dupliciter dicitur. Vno modo, vt distinguitur contra per accidens: & sic etiam, quod ratione partis mouetur, per se mouetur: & hoc probat Galenus. Altero modo, vt distinguitur contra per accidẽs, & secundum partem, vt quod secundum se totum mouetur, per se moueri dicatur: & de hoc loquitur Arist. Constat autem, quod si vna pars quiescit, non per se mouetur, hoc modo: vnde nulla est obiectio contra Arist.

Ad secundã, & tertiam solutiões Auer.

Circa secundum, & tertium argumentum, maior est difficultas. Auerroes dupliciter constituit demonstrationem Arist. Primo sic. Omne, quod quiescit ad quietem alterius, mouetur ab alio: sed ꝙ mouetur, omne quiescit ad alterius quietem: ergo omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Dicitque hanc rationem conflici ex maiori de necessario, & minori de possibili: ex quibus sequitur conclusio de necessario.

Obijcit tamen sibi. Nam minor videtur impossibilis, siquidem singulares habet impossibiles: cælum enim mouetur, cuius aliquam partem quiescere, est impossibile. Respondet, quod cæli, quatenus corpus est, non repugnat partem quiescere: & sic debet minor intelligi: quod mouetur, vt corpus est, non repugnat, ipsius partem quiescere.

Reijcitur solutio Auer. Primo.

S. Tho. meritò reijcit hanc responsionem propter duo, quæ dicit Auicenna. Primum, quod aliqua propositio impossibilis est, cũ prædicatũ repugnat subiecto ratione speciei, licet non ratione generis: vt homo est irrationalis, est impossibilis, licet non ratione animalis: ita cęli partẽ quiescere, est impossibile. Alterum est, qd̃ eodẽ modo possemus dicere: Quod mouetur, per se quiescere, non esse impossibile; quia ꝙ per se mouetur, vt corpus est, quiescere potest. Et sic nullum esset impossibile, quod infert Arist. in sua ratiõe, scilicet quod per se mouetur, quiescere.

Secundò.

Qũo fit cõstruẽda Aristo. rõ.

Vnde dico, non esse illam ratiõem sic construendam. Nam Arist. nõ absolutas, sed cõditionatas sumit propositiones: Propterea etiam Auerroes aliter proponit rationem, vt diximus in textu. Nempè, Omne, quod mouetur, cuius si aliqua pars quiescit, totum quiescit, mouetur ab alio: omne motum est huiusmodi: ergo omne motum, seu quod mouetur, ab alio mouetur.

No. ex D. Th. conditionalem posse esse verã, licet vtraque pars sit impossibilis.

Et notat S. Th. quòd conditionalis propositio vera esse potest, quanuis vtraque pars sit impossibilis, sit tamẽ vna sequitur ex altera. Vnde impossibile est (vt dicebat Auicẽna) ꝙ pars illius, quod ꝓ se primò mouetur, quiescat. Impossibile etiam est, quod omne, quod mouetur, eius aliqua

impossibilis. qua pars quiescat: tamen hoc est necessarium, quòd si cuiusque mobilis per se aliqua pars quiescat, totũ quiescet: Et hoc sumit Aristoteles ad probandum: omne, quod mouetur, ab alio moueri.

Soluitur 2. & 3. obiectio ex D. Th. Et sic soluitur ratio Auicennæ: quæ erat tertia obiectio: ex hac doctrina D. Thom. Non enim petet, quòd pars quiescat, nec quòd totum, sed conditionali vsus est propositione. Vt sensus demonstrationis clarus sit iste. Si aliquid moueret se per se primo, vtique motus eius à nullo alio dependeret: sed motus cuiusq; mobilis totius dependet ex partibus, & ipsarum motibus, cum, si ipsæ quiescerent, totum quiesceret: non autem è contra: nam potest vna pars moueri, nõ moto toto: ergo motus non inest alicui toti habenti partes à se primò. Est autem omne mobile partes habens: ergo omne, ꝙ mouetur, ab alio mouetur, & per partes inest ei motus.

Dubium. Solutio Auerro. Dubitat Auerroes. An sit demonstratio causę, Et dicit, quòd est signi tantùm. S. Thom. autem dicit esse per causam.

Solutio. D. Tho. Conciliatur vtraq; solutio. Possemus vtranque conciliare, Auerroes enim consideraut terminos demõstrationis, puta, quod mouetur moueri ab alio per hoc medium, quia quiescit, alio quiescente. Quies autem signum videtur, quòd ab alio moueatur: non enim est causa motus. At S. Tho. ꝙ fundiùs rem consideraut. Res enim hæc est: propterea mobile ab alio moueri, quia motus eius à partibus dependet: partes autem sicut sunt causa totius quoad esse: ita motus partium causa sunt motus totius: ipsum enim componunt, Ob id per causam procedit, & sic potest vtrumque conciliari: loquimur autem de partib⁹ etiam integrantibus.

Ad 1. obiectionẽ secundæ rationis. Diffidium inter Galenum, & Auerro. At circa alteram demonstrationem non minor est difficultas, quamuis argumentum primũ facile sit, de quo est pugna inter Galenum, & Auerroem. Galenus enim existimat dictum Aristotelis, si primum mouetur, reliqua mouentur; etiam esse verum de quiete: vt si primum quiescat, reliqua etiam quiescant. Vnde id erit principiũ, quo moto, reliqua mouentur: quo quiescente, reliqua quiescãt.

Nota. Hinc infert contra Aristotelẽ, quod cor non est principium primum motus animalium, quia ipse inquit, se expertũ fuisse, animalia moueri, corde ablato: vnde cessante corde, motus membrum non cessabat. Auerroes verò dictum Aristotelis, de motu tantùm intelligendum docet: Vt si primùm moueatur, etiam reliqua moueantur: non tamen de quiete. Potest enim primùm mouens quiescere, alijs motum habentibus, vt patet in proijciente. Adfert etiam contra Galenum aliam experiẽtiam, quòd ipse vidit aricetem ambulantem abscisso capite: non igitur cerebrum est principium motus. vt vult Galenus. Etiam docet Albertus, se vidisse cicadam abscisso capite ambulãtem per dimidium miliarę, & cantantẽ, sicut prius. Nota.

Authoris sententia. 1. Notandũ Motus alijs sunt essentialiter subordinati, 2. alijs non. In hac controuersia dico primò, Quòd motus sunt in duplici differentia. Quidã essentialiter subordinati, quidam verò accidentaliter. Illi sunt essentialiter subordinati, cum mouens, & mobile sic ordinantur, vt non sit motus mobilis sine motu mouentis: quomodo cælorum motus, & elementorum ordinati sunt. Non enim possunt elementa moueri, nisi existente motu cælorum, Illi sunt accidentaliter subordinati, qui licet vnus ab altero procedat, non tamen dependet in esse semper, sicut dictum est superius in causis, vbi ista distinctio data fuit. Si de priori motu sermo fiat, verum dicit Galenus. Si de posteriori, verum dicit Auerroes: & de hoc procedit argumentum. At in præsenti Arist. de motibus essentialiter ordinatis loquitur, aliàs omnia mobilia non moverentur simul.

2. Notandũ contra Auerro. & Gale. Dico secundò, quòd neuter loquitur ad mentem Aristotelis. Ipsi enim sumũt primum, & supremum mouens: & dicũt, ꝙ hoc motu inferiora mouẽtur: At Arist. non hoc, sed vltimum sumit, puta, si vltimum mouetur, superiora mouentur, vt manifeste paret in textu. Dicit enim, si A, mouetur à B, & B, à C, & C à D, quòd si A mouetur, & reliqua supra ipsum mouentur.

3. Nota Circa expositiones Ga. & Al. Dico tertiò, quòd nulla experientia quicquam ostendit, nec pro vna, nec pro altera parte. Nam cum cor, aut cerebrum moueant partes distantes medijs spiritibus, euenit, vt principio abscisso, per aliquod tempus maneat virtus à principio impressa

impressa spiritibus, per quam ille sit motus: sicut in lapide proiecto manet adhuc impetus, quiescente proijciẽte. Et sic soluitur primum argumentum.

Solutio 2. obiect. Circa secundum dubium, quod proponit Burlęus, re vera, magnã habet vim contra rationem Aristotelis. Nã solùm concludit, quòd infinitum continuum secundum omnes suas simul partes, locũ mutaret tempore finito. Hoc autẽ nihil prohibet; nã motus partium, cùm vnus non sit post alium, nihil prohibet esse simul. Repugnantia esset, si infinitum secundum omnes sui partes absoluere, & trãsiret spacium finitum, aut infinitum. Sed hoc non concludit Aristote. Vnde dicerem, quòd intelligitur ratio Aristotelis, quòd si vna esset magnitudo infinita, tunc vnum continuum infinitum moueretur tempore finito. Hoc autem impossibile est: quia continuum infinitũ moueri non potest, non solùm tempore finito, sed nec infinito, vt demonstratum est in libro 3. Physic.

Nota. Nota autem, quòd per istam rationẽ Aristoteles concludit, quòd deuenire oportet ad vnum primum, quod non moueatur ab alio extrinseco, siue ipsum moueatur à principio intrinseco, siue sit omninò immobile.

Ad 3. ex D. Tho. & Alb. Ad tertium respõdent S. Th. & Albertus, quòd quãuis in ratione specifica repugnet illa continuari, tamen sub ratione cõmuni, qua quãta, & corpora mobilia sunt, non est impossibile continuari: Hic autem sub tali ratione communi cõsiderantur, vt mobilia sunt.

Nota. Nec putes, quòd ista potẽtia, per quã dicuntur posse continuari, sit potentia physica, quæ ad actum reducetur: sed est potentia logica, secundum quam, quod fieri non repugnat, possibile, & fieri posse dicitur. Reliqua in textu dicta sunt.

CAPVT II.

Quoniam autem tres sunt motus. Tex. X.

Mouens & mobile debere eẽ simul, probatur in omni motu. QVia Aristoteles sumpsit in ratione pręcedẽti mouens, & motu esse simul, & immediata, ob id non prohibere, cõtinuari posse; id modò probat, & nõ solùm in aliquo motuum genere, sed in omni, verum id esse, ostendit. Ideoq; triplicem motum distinguit, puta, Alterationem, Augmentationem, & Diminutionem, & Localem:

Incipit autem in locali motu id ostendere tali ratione. Omne, quod localiter mouetur, aut ab intrinseco, aut ab extrinseco mouetur principio: sed in vtroque motu, mouens, & motum simul sunt: ergo & in omni motu locali. Minorẽ probat, & quidem pro altera parte satis nota est. Quæ enim ab intrinseco mouentur, simul habẽt, & quod mouet, & quod mouetur, cùm vni⁹ partes sint: in his verò, quæ ab extrinseco mouentur, non est ita notum, quare in his probabit idem. Probatur 1. in ratione, q̃ fiat à principio interno.

Quod autem ab alio mouetur.

2. in ratione, quæ fiat ab externo. PRobaturus in his, quæ ab extrinseco mouentur, & quod mouet, & quod mouetur, simul esse; hos motus locales ab extrinseco principio prius distinguit in quatuor; posteà reducit ad duos, & in his illud ostendit.

Quatuor sunt spẽs motus localis à principio externo. Motus igitur ab extrinseco locales quatuor sunt; Pulsio, Tractio, Vectio, Vertigo. Pulsio est motus, quo aliquid, vel à se, vel ab alio in aliud pellitur. A se; vt cũ quis se proijcit in mare, vel deijcit se è turri. Ab alio; vt cùm liber proijcitur à manu: quamuis etiam possit intelligi illud verbum (à se,) quod inferius dicitur in definitione pulsionis, vt sit sensus; Pulsio est motus, quo aliquid à se, vel ab alio remouet aliquid.

Quid pulsio, & quę eius spẽs. Huius pulsionis duplex ponitur species, Impulsio, & Expulsio. Impulsio est, cùm quod pellit, non remouetur à pulso in toto motu. Expulsio verò, cùm deserit ipsum pulsum. Vt cùm aliquid extra se mittit aliquid, licèt non sic semper simul cum illo, quod mittitur.

Et adhuc huius ponitur species alia inferius, quæ est proiectio. Cùm quod pellit, re-

lit, relinquit quidem pulsum, sed imprimit ei motum fortiorem, quàm sua natura postulabat; vt qui lapidem etiam deorsum mittit vi maiori, quàm ipse descenderet.

Quid tractio, & q motus ad tractionē reducantur.

Tractio est motus oppositus, cùm aliquid ad se, vel ad aliud trahit aliquid, & hoc maiori motu, quàm res secùdum se moueretur. Cùm est motus ad se, dicitur Attractio: cùm ad aliud, Extēsio dicitur. Quòd sit maiori motu, quia cum res suo motu fertur. Tractio non est.

Ad hos duos multos reduci dicit: nā inspiratio tractio quædam est; expiratio expulsio. Similiter operationes, quibus naturales virtutes, aut alimenta trahunt, aut excrementa propellunt. Similiter iputatio, & spatatio, id est, diuulsio, aut dilaceratio, & radiatio, id est, motus instrumenti, quo nent mulieres: & deniq; vocabulo communi tractiones, congregationes dici possunt, quasi quod mouet, & quod mouetur, coniungantur: pulsiones verò disgregationes.

Quid vertigo, vectio, &c. & ad quos motus reducātur.

Vertigo est motus circularis, vt motus, quo trahitur rota.

Vectio verò, quo, pondera supra alia feruntur.

Inter hos quatuor motus, duo eorum ad alios duos reducuntur. Nam vectio non distinguitur ab alijs tribus. Ratio est, quia quod vehitur, non proprio motu fertur, sed alterius, supra quod, vel in quo est: ob id, si ipsum pellitur, trahitur, aut vertitur. Similiter etiā & ipsum vectum. Vlterius: vertigo non distinguitur à pulsione, & tractione: est enim ex vtraq; cōposita, nam quod circulariter fertur, secundum vnam partem recedit à mouente, & pulsio est: secundum alteram accedit, & tractio est. Hi igitur motus ab extrinseco ad pulsionem, & tractionem reducuntur.

Quod si in his simul sunt mouens, & motum, profectò in omni motu locali ab extrinseco, simul erunt quod mouet, & quod mouetur.

Est autem litera valdè clara, quamuis ob maiorem dilucidationem, & claritatem harum specierum non seruaui eundem ordinem in exponendo, qui in textu est.

Proiectio autem quando velocior motus fit.

De motu proiectorum, quo mouēs, & mobile sunt simul.

Difficultas maior erat in motu proiectionis. Id enim, quod proijcit, non simul cū eo, quod proijcitur, videtur simul esse: ob id in hoc ostendit, illud etiam esse. Definit aūt motum proiectionis esse, cùm res fertur motu vehementiori, quàm sua postulet natura, cò; quod mouens maiorem impetum imprimit, & maiori vi ipsam expellit. Tamdiu autem durat iste motus, quamdiu durat illa vis, & expulsio. Per quod vult intelligere, vt dicit S. Tho. q̄ immediatè mouetur proiectum ab aere cōtiguo pulso, cuius vi cessante, cessat proiectio. Ex quibus colligit vniuersaliter: quæ mouēt, & mouentur locali motu, esse simul.

At verò neque inter id, quod alteratur. Tex. XI.

Tertiò, probatur in alteratione mouēs, & mobile debere esse simul.

Quod in motu locali docuerat, idē in alteratione ostendit: magis tamen explicat propositionē in præsenti, nempè, quomodo, quod mouet, & quod mouetur, simul sint. Dicit se loqui de alterante vltimo, & de alterato primo. Aliquando enim quod primò alterat, & quod vltimò alteratur, distant: vt cū ignis lignū à longè calefacit, & talia, simul non sunt. Si tamen alterans vltimum sumamus, simul erit: est.n. aer ligno proximus, qui calefactus lignum calefacit: & hoc vltimum alterans dicitur. Potest etiam intelligi, cùm aliquid alterat, & aliquid alteratur, non sunt simul secundū se tota: sed secundū id, quod primò alteratur ex parte alterati: & quod vltimo alterat ex parte alterantis. i. vltima pars alterantis cū prima alterati est cōjuncta: vt sit sensus. Quòd nunq̄ alteratio vlla contingit, nisi sit aliqs tactus alterantis, & alterati, qui secundū extrema primò fit, vel secundum proxima alterātia, & alterata.

In quibus accidat alteratio.

Artificiosè Arist. hoc probat. Explicat tamen primò duo. Alterū est: in quibus accidat alteratio: Alterum; quæ dicātur alterari. Dicit igitur, quod quale alteratur, vt sensibile. i. secundū qualitates sensibiles alteratio accidit. Sunt aūt sensibiles qualitates, quib. corpora cōmuniter differūt, vt albedo, nigredo, calor, humiditas, siccitas, & reliquæ, quę sunt passiōes subiectæ qualitatis. i. quæ sunt termini passionum: subiectum.n. terminum vocat. Per has aūt qualitates differunt corpora dupliciter. Aut quia eiusdē magis, vel minus participāt: sunt enim quædā calida, quædam calidiora, quædā calidissima: & sic in alijs qualitatibus. Aut differunt, quia diuersas habent qualitates.

Quę dicātur alterari.

Explicat modò alterum: Quæ dicātur alterari. Et dicit, secundū has omnes qualitates alterari corpora tā animata, quā inanimata, & partes animatorum inanimatæ, vt pili, vngues, & aliæ huiusmodi, quæ anima carent. Hæc enim omnia calefiunt, frigefiunt, reliquasq; patiuntur alterationes secundum tales qaalitates.

Atque etiam ipsi sensus alterantur. Tex. XII

De alto alterationis genere, quę est sensatio.

Aliam peculiarem alterationem animalibus dat, puta, sentire, quæ non est concessa alijs. Vnde, quæ patiuntur inanimata, & patiuntur animalia, vt albefieri, calefieri, & alia, quæ sunt aliquando nobis non sentientibus. Non enim animalia omnes alterationes ipsorum sentiunt: mutantur enim ipsis non sentientibus sæpè, vt accidit in alterationibus interioribus corporis. Inanimata autem non omnes alterationes habent animalium; quia sensu carēt. Quòd autem sentire alteratio sit, ostendit, quia non fit sensatio, nisi corpore patiente, id est, non sentimus, nisi in organo corporeo sensus recipiamus species sensibilium, & hoc alterari quoddam est, vt alibi dicetur.

Cōstituitur ratio Arist.

Ex his rationem constituit ad probandum intentum. Alteratio fit secundum qualitates sensibiles, quæ obiecta sensuū sunt: sed hæc agunt semper per medium illis contiguum: ergo inter alterās, & alteratum primum nullū est mediū. Ostendit medij cōtiguitatem; nam corpori est contiguus aer, similiter & visui: & sic lumen agit in corpus, & superficiē per aerem contiguum: & color similiter per aerem in visum. Similiter in alijs sensibus hoc idem est.

Similiter autem & inanimatis. Tex. XIII.

Quartò idem probatur de augmentatiōe, & diminutione.

De augmento, & diminutione id ostendit: nec loquitur de ea, quæ fit in ipsis animatis. Cùm enim ab intrinseco fiat, manifestum est simul esse, quod auget, & augetur: sed de ea, quæ in animatis est, quæ additio, vel ablatio dicitur, in quibus notum etiam est, augens; & auctum, diminuens, vel auferens, & ablatum esse simul. Ex quibus omnibus vniuersaliter concludit, primū moti, & vltimum mouentis simul esse, ga solùm immediatè duo se tangunt secundum vltimas superficies.

An mouens, & motum simul sint. Quæstio II.

IN hac difficultate sunt aliquot argumenta, quibus mouens probatur agere in rem motam distantem absque eo, q̄ agat in medium. Sunt etiam argumenta, quibus attrahens non videtur simul cū attracto: quæ duo sunt contra Aristo. vt visum est in textu. Primum argumentum est. Sol agit in ista inferiora calefaciendo, producendo metalla, & alia: tamen horum nihil patiuntur orbes intermedij, cùm sint incorruptibiles, & impassibiles. Est aūt Sol in quarto cælo: ergo aliquid agit in distans, & non per medium. Secundo. Est pisciculus, qui Torpedo dicitur, qui facit obstupescere manus piscatoris, & tamen non obstupefit rete: & dicit Plin. quòd si tangatur extremitate hastæ, manus tenentis hastā obstupefit. Huiꝰ Torpedinis tanta est vis, q̄ narrat Albert lib. 24. de animalibus, quendam extremitate digiti leuiter ipsum attigisse, & ipsius brachium ita fuit obstupefactum, vt per dimidiū annum loturis calidis, & vnguētis vix sensum receperit. Similiter dicit, quòd pisces ipsum tangentes obstupescunt. Idem dicit Arist. lib. 9. Histor. c. 37. Hic igitur piscis cum distantia etiam obstupescere faciat, videtur agere in mediata, & non agit in medium.

Primum argum.

Secundū.

Nota de Torpedine.

Tertiū.

Tertiò. Dicit Auicēna, quòd homines sua imaginatione faciunt pluuias, & immutant

mutant res extrinsecas, & non per medium, imò experimur imaginationē immutare partes corporis distantes. Similiter fascinatores nocent animalibus distantibus, nihil tamen in his videtur in medio esse.

Quartū. Quartò. Magnes trahit ferrū distans, nec est simul cum illo, nec trahit aerem medium. Similiter electrum, seu ambra trahit distantes paleas. Et mēbra sibi trahunt cibum, in quibus non videmus cōiunctionem inter trahentia, & tracta.

Primum fundamētum. Duplex agēs, alterum mediatū & remotum, alterum proximū, & immediatum. Circa horum solutionem sit primum fundamentū. Quòd mouens est duplex. Alterum mediatum, & remotum: Alterum immediatum, & proximum. Immediatum est, inter quod, & rem motā, non est aliud mouens medium, vt cùm ignis sibi lignum proximum cōburit: mediatum verò cùm inter ipsum, & rē motam aliud mediat: vt cùm ignis calefacit distantia, prius tamen calefaciendo mediū aerem.

Quid sit immediatio virtutis, & suppositi. Ista autem mediatio, vel immediatio dicitur suppositorū. Alia enim est immediatio, vel mediatio virtutis. Cùm enim aliquid propria virtute agit, dicitur immediatum immediatione virtutis: cùm verò agit virtute recepta, & dependente ab altero, agit mediate mediatione virtutis. Vnde ignis cùm manum calefacit per medium aerem, dicitur mediatū mediatione suppositi, tamen immediatum secundum virtutem, quia proprio calore agit. Aer verò licèt immediatus sit secundum suppositum, tamen mediatus est in virtute, quia calore dependenti ab igne calefacit. Aliquandò etiam fit, ꝙ simul sit mouens immediatum, quantū ad vtrumque; vt cùm aqua sibi manū adiunctam frigefacit, & ignis calefacit.

Nota. Hic aūt attende, quòd ista virtus, quæ recipitur in medio à mouente mediato quantum ad suppositum, & immediato secundū virtutem, quamuis à tali mouēte pendeat, tamen non omnis æqualiter. Est enim virtus, quæ per parum temporis durat in medio, vt calor receptus in aere: ob id fit idē effectus per illud tempus etiam recedente primo mouente, licèt non sit tam fortis motio. Quæ dā verò virtus nec per minimum tempus manet, vt lumē in medio, & virtus magnetis in aere: semper enim dependent huiusmodi virtutes à mouente immediato secundum virtutem: vnde absque illo nihil agunt in sibi proxima, & immediata, vt sensu notum est.

Secundū fund. Sit secundum fundamētum, ex Alex. 1. Meteor. com. 17. & etiam Themist. quē recitat Auerro. lib. 2. cæli, com. 42. Quando aliquid agit in medium, & in aliquid distans, non semper est idem effectus in medio, & in distanti obiecto. Potest hoc exemplo manifestari, lignum per vitrum medium calefacit cerā, tūc cera liquefit, nō tamē vitrum: & hoc vniuersaliter est verum, quòd idē accidens secundum varias dispositiones subiectorum, in quib° recipitur, potest varios effectus facere, V. g. calor in quibusdam albedinem, in quibusdam nigredinem facit: Solis lumen, hic aurum, illic argentum, illic plumbum facit: & ex hoc prouenit, quod quamuis idem accidens sit receptum in medio, & in obiecto remoto, nō semper idē sequatur in vtroque effectus. Et hoc maximè est obseruandum: nam ex hoc solutio pēdet multorum.

Agens quod agit in medium, & extremū non semper idem vtrobiq; producit.

Tertium fundam. Attractio est quadruplex. Prima. Sit tertium fundamentū. Quòd attractio est quadruplex. Prima, qua finis trahit ad se, quod ad finem est; & quod sic trahitur, non trahitur per virtutē aliquā receptam, & impressam ab ipso fine, sed sua virtute in proprium finem tēdit. Vnde quia sic locus trahit locata, non recipiunt locata aliquam virtutem à loco, secundum quam ferantur, vt benè notat hic S. Th. & Auerr. sed ipsa proprijs virtutibus in loca mouentur: nec de ista attractione loquitur hic Arist.

Secunda. Alia est Attractio, quæ fit secundū vacuum, cuius meminit Cōciliator differētia, scilicet quæ fit, cùm aliquid attrahitur, quia remouetur illi contiguum, quo ablato datur vacuum, nisi illud tale corpus moueatur: & sic per fistulā absorpto aere attrahitur aqua.

Tertia. Tertia attractio est, quam Auerroes com. 11. vocat æquiuocam, & impropriā; cùm id, quod trahit, manet immotum; quomodo magnes, & electrum trahūt ad se; ille ferrum, hoc verò paleas: nec in tali attractione mouetur magnes, aut electrum. Similiter etiam membrum, quod ad se cibum trahit.

Est ad-

Discrimē inter 1. & 2. attractionem. Est autem discrimen inter id, quod sic trahitur, & id, quod à loco trahi dicitur, Nam quod ad locum mouetur, non recipit virtutem à loco, secundum quam fertur: sed à se habet, vel à generante, vel ab alio. At quod ad magnetem fertur, recipit virtutem, qua fertur.

Nota de magnete. ex D. Th. &c. Vndè est notandum ex Albert. & San. Thom. quòd sicut per grauitatem, aut leuitatem feruntur res in loca propria: ita ferrum, & paleæ feruntur ad magnetem, & electrum per virtutem talem. Vndè fit, quod in his omnibus illa virtus sit instrumentum actiuum motus illius: Cæterum discrimen est, quòd grauia, & leuia non à loco, sed à generantibus receperunt virtutes illas: at ferrum, & paleæ à magnete, vel electro receperunt virtutes, ob id alterata prius ab ipsis, ad eadem feruntur.

Alterū discrimen. Adde etiam tu aliud discrimen, quòd motus grauium, & leuium naturalis est ex parte formæ, & ex parte materiæ: at ferro, & paleis non est talis motus naturalis, sed præcipuè violentus est: quamuis non omninò propter aliquam conuenientiam tracti, & trahentis. Ex hoc sequitur, quòd grauia, & leuia à loco finaliter: ista verò à magnete, electro. Similiter à virtute membrorum trahantur effectiuè.

4. attract. Quarta attractio est. Cùm quod trahit pariter mouetur, & suo motu mouet tractum vehementiori motu, quàm postulabat ipsius natura, vt dictum est in textu: & de hoc præcipuè loquitur Arist. quamuis etiam verū sit in omnibus tribus modis, in quibus contingit effectiuè trahere, vt dicemus.

1. Cōclus. Vbi nullū est mouēs immediatū, passio nulla esse potest. His suppositis, sit prior conclusio. Vbi nullum est mouens immediatum, passio nulla esse potest. Hoc est velut principiū omnibus Peripateticis. Non enim intelligi potest, quomodo aliquid efficiat id, quod nullo modo tangit, nec per se, nec per aliud. Cùm enim operatio sequatur esse, vbi res non est, nec ipsius operatio erit: cùm autem in medio non agit, quod est proximum obiecto distanti, tunc nullo modo est vbi illa res est: & sic nihil efficere potest: imò hoc est vnum validum argumentum, quo Theologi ostendunt præsentiam Dei vbique, quia vbique operatur. Auicen. autem lib. de anima. par. 4. cap. 4. oppositum existimauit conuictus argumento tertio, quod facilè soluetur à nobis posteà.

Nō quare operatio sequitur esse &c.

2. Cōclus. Mouēs, proximum & mobile sēp debēt esse simul. Secunda conclusio Mouens proximū & motum semper simul, & immediata sunt, quòd si mouens primum sit aliquādo remotum secundum suppositum, tamen secundum virtutem immediatū est: & sic est intelligendus Arist. quasi velit dicere, non contingere motum, quin quod mouet, & mouetur sint simul: non tamen quòd omnia mouentia simul sint.

Ad 1. Ad primum igitur argumentum patet solutio ex secundo fundamento. Sol enim agit quidem in orbes medios, & in inferiora per lumen: & omnes suas virtutes: at lumen non eosdem vbique effectus facit, sed orbes illuminat, aerem calefacit, & in terra varios producit effectus. Nec hoc impedit, cælum esse incorruptibile, vt notat benè Alexan. loco citato, quia lumen non est qualitas destructiua, imò, (vt inquit,) luna, & astra, quæ eiusdem substantiæ sunt cum cælo, lumē à sole recipiunt.

Nota de actione solis in hæc inferiora.

Ad 2. de torpedine. Per hoc idem respondetur ad secundū de Torpedine: est enim eadem qualitas, & in manu, & in retibus, sed non idem operatur, manum enim obstupefacit, non autem retia: & hoc fit etiam in alijs qualitatibus, vt dictum est.

Ad 3. De hominis imaginat. Ad tertium dico, quòd homo per imaginationem sæpè seipsum immutat, sed hoc non fit, nisi spiritibus in imaginationis organo existentibus immutatis, per quos fit celeris immutatio partium corporis.

De fascinatione. Quod autem dicitur de fascinante oculo non negamus, sed dicimus, vapores nociuos egrediētes per oculos aerem offendere, & aer nocet alijs, sicut homines peste tacti alijs etiam distantibus nocent, sed hoc non fit, nisi per medij immutationem.

Quod autem dicitur de his, qui pluuias, & alia multa faciūt per imaginationem: id falsum est: sæpè enim prouenit arte dęmonum, vel casu aliquo, vt dicit Iand. Aliud est, cùm miraculosè accidunt effectus: ibi enim virtus diuina operatur.

Ad 4 De magnete. Ad quartum de magnete Alexā. lib. 2. quæst. naturalium cap. 23. recitatis aliorū

sen-

Sententia Alex. sententijs, dicit, moueri ferrum à magnete, tanquam à fine propter conueniẽtiam, quam cum eo habet.

Impugnatio Alex. At ista sententia non est tenenda. Omissis autem multis, quibus poterat impugnari, id sat sit, quòd (vt notat Sanct. Thomas, Albert. & Auerr.) in quacunq; 1. distantia moueretur ferrum ad magnetem, sicut ignis ad suum locum. Præterea: 2. quantumque magnum esset, traheretur, quæ tamen duo non ita euenium t. Præterea: quia si tingatur, seu vngatur alijs ferrum, aut magnes non trahit: & similiter nisi motu comprimatur electum, vt calefiat: quod vtique ostendit magnetem agere in ferrum, vt diximus: vndè agit quidem in ferrum, sed non prius, nisi immutando medium.

Nota de magnete intincto allijs, & sanguine hirci. Sed hic sunt duo notanda. Alterum est, quòd Concilia: differentia 51. dicit, se expertum esse, magnetem vnctum allijs ferrum trahere: dicit tamen, quòd si magnes, aut ferrum per diem sanguine hircino intingeretur non esset talis attractio: nec ego dubito, aliquando decipere illam experientiam de allijs.

Cauta autem, quare allium talem virtutem habeat, existimo esse, quia calidũ est, & calor eius mordax, & diuulsiuum partium subtiliorum: & ita appositum magneti, diuertit partes calidiores, quæ magis actiuæ sunt, & ita impedit ab actione: & hinc prouenit aliquando, quod nõ impediat propter debilitatem caloris aliorum.

Cur electrũ debeat calefieri vt attrahat paleas. Alterum est, quòd electrum ob id prius motu calefit, vt dicit Albert. vt fiat disgregatio partium, & facilius virtus possit agere: ꝙ si calore ignis calefiat, non trahet, quia talis calor consumptiuus est virtutis. Et quamuis hoc verum sit, quantùm ad hoc, quod est de ignis calore, existimo etiam calefactum attrahere, quia calor attractiuus est ex se, vndè etiam alia calida paleas trahunt, & calidum magis trahit minus, vt dicit Conciliator.

Hæc de magnete, & cæteris satis sint dicta, nam eadem fusius persequi non est nostri muneris.

CAPVT III.

Quòd autem ea, quæ alterantur. Tex. XIIII.

QVM alterans, & alteratũ simul esse probauerit, idque solùm in qualitatibus tertiæ speciei ostenderit, nunc huius rationẽ reddit, docens, alterationem non esse nisi secundum tales qualitates: & quæ alterantur, non nisi secundum has alterari. Alteratio nõ fit, nisi secundum qualitates tertiæ speciei. Nota.

Nota autem, quòd sunt qualitates quartæ speciei, quales sunt, figuræ, & formæ sunt etiam primæ speciei, quales sunt habitus: Habitus autem sunt in triplici differentia. quidam corporis, vt robur, sanitas, & alia: quidem animæ appetitiuę, quales sunt virtutes morales: quidam animæ intellectiuæ, vt scientia, prudentia, ars, & similes: Hoc etiam intellige de habitibus oppositis. In omnibus his probat, non esse alterationem. Nota.

Prætermittit autem secundam speciẽ. Nam, vt dicit San. Thom. talis qualitas, puta, potentia, vel impotentia, naturalis est, & non de nouo acquiritur, sed cum ipsa generatione rei.

Aliorum enim maximè vtiquè. Tex. XV.

PRimò de figuris probat, in quibus dicit, maximè apparere, alterationẽ esse, cùm fiat remotio, & acquisitio, ipsarum: at vere alteratio non est ad ipsas primò, sed ad aliquid aliud, ex quo ipsæ sequuntur, vt dolatio tendit ad partiũ remotionem, actio pingendi ad partium, vel accidentium appositionem, vndè sequuntur figuræ, sicut dealbatio primò ad albedinem tendit, à qua sequitur similitudo: ob id ad simil tu finem non est alteratio per se, sic ad figuras. Materia enim, & subiectum patitur alias alterationes, vt densationem, rarefactionem, vel alias mutationes secundum artem: & ex his consequuntur figuræ: ad has tamen non est per se alteratio. Hoc probat duplici ratione. Prior est. Quæ alterantur, denominan- Alteratio nõ est ad 4. speciem qualitatis scilicet ad figuram. 1. Ratio.

minantur à qualitatibus, secundum quas est alteratio, ita vt sit prædicatio æquiuoca, id est, æquæ vocis, nempè quod alteratur secundum suam vocem prædicatur de qualitate, & è contra: at hoc non fit in figuris: ergo secundum eas non est alteratio. Maior patet. Dicimus enim, æs est humidum, homo est albus, & è contra, album est homo, humidum est æs: at cũ æs fit statua, non eadem voce dicitur, æs est statua, nec est statua æs, sed ærea: nec cathedra lignum, sed lignea: & hoc est non æquiuoce prædicari, id est, non æqua voce, sed mutata, nam non aurum, sed aureum prædicatur, non æs, sed æreum. Aliter enim æquiuocè sumitur hic, quàm in prædicamentis. Nota.

Amplius & aliter inconueniens est. Tex. XVI.

2. Ratio. ALteram rationem facit ad idem probandam. Res cùm fit, non dicitur alterari: est enim alteratio rei iam factæ, & existentis: sed cùm res accipit formam, seu figuram, fit: ergo per figuram, vel formam non alteratur. Et hoc est, quod dicit: ridiculum esse, parietem, aut tegulam esse domus alterationem, & domum alterari, cùm tegitur, aut parietibus clauditur: cùm enim tũc non sit, sed fiat, non alteratur. Est enim alteratio perfectorum, & eorum, quæ iã sunt. Et sic est intelligenda ratio hæc, & non vt declarat Auerro. vt dicemus in quæstione.

Manifestum autem est. Tex. XVII.

VErba hæc priora cum superioribus copulantur, quibus dicit id, quod sumpserat, puta, quod fit, non alterari, esse manifestum, & dedimus nos rationem, quia nondum est res, cùm fit.

Quod ad corporis habitus nõ alterat. Statim prosequitur declarare, nõ esse alterationem secundum alias qualitates à tertia specie: & secundò ostendit de habitibus corporis, & facit argumentũ. Omnis habitus, siue virtus, siue vitium sit, est ad aliquid: sed eorum, quæ sunt ad aliquid, non est per se generatio, nec alteratio: ergo nec talium habituum. Explicat, quomodo ad aliquid sint ista, & primò de sanitate. Sanitas enim est calidorum, & frigidorum commensuratio, aut eorum, quæ sunt intra, aut quæ sunt ad continens.

Quod sic explicat Auerr. vt per temperiem caloris, & frigiditatis intrinsecæ intelligit sanitatem animalis, per temperiẽ caloris, & frigiditatis continentis sanitatem, quæ dicitur aeris, vel aquæ, secundum quam aer temperatus, vel aqua sana dicuntur ipsis animalibus. Explicatio rõnis Aristot.

Probat Arist. quòd alij corporis habitus sint ad aliquid, quia sunt dispositiones præstantis, & perfecti ad optimum.

Vbi nota: quòd habitus superueniũt naturæ iam perfectæ, & potenti operari: sed adueniunt ad hoc, vt melius operetur. Vndè habitus corporis supponunt naturam constitutam, & perfectam per sanitatem, & temperiem, & ipsam ad operationes perfectius disponunt, vt robur, & macies: per maciem intelligit aptitudinem ad motus veloces, & cursus, quæ in obæsis non inest. Hi igitur etiam habitus ad aliquid sunt, vt sanitas: & hic est sensus illorum verborum, quòd habitus est dispositio perfecti ad optimum, vt explicat benè S. Thõ. nec expositio Auer. est ad rem. Habitus est dispositio perfecti, ad optimum. Nota.

Hic attende maximè vnum: quòd dicere hos habitus esse ad aliquid, nõ est aliud, quam consequantur ex habitudine multorum inter se. Vndè sanitas ad aliqd est, quia consurgit ex certa temperie qualitatum: & pulchritudo, quæ ex debita partium proportione, & dispositione procedit: & robur ex membrorum coaptatione. Vult ergo Arist. ꝙ alterationes terminẽtur in qualitates illas primò, vel in partes, vel in mẽbra: & indè per accidẽs tales habitus consequãtur. Vndè qui sanat, ipsas qualitates temperat, & secundũ has est alteratio: indè consurgit sanitas. Similiter in alijs corporis habitibus. Nota.

Neq; igitur circa animæ virtutes. Tex. XVIII.

TErtiò idem ostendit in virtutibus moralibus: & facit duas rationes. Altera est, (vt benè dicunt Themis. & S. Thomas,) similis secundæ rationi, quam 3. Idẽ ostẽdit, ꝙ secũdũ virtutes nõ fit alteratio. 1. Ratio.

quam secerat de figura. Cùm res perficitur, non alteratur: sed homo per virtutes maximè perficitur, & consummatur: ergo non est dicendus secundum illas tunc alterari, quia nondum est perfectus homo. Probat, quòd homo perficiatur. Quia tunc quodque maximè perficitur, cùm attingit summam perfectionem suæ naturæ, vt circulus, cùm maximè circulus est: sed homo per virtutes maximè secundum naturam perfectus est, ergo per illas fit perfectus: non ergo illarum est alteratio, nec oppositarum, puta, vitiorum, sed corruptiones potius sunt. Profectò magna est virtutis laus. Tunc dicitur completus homo cùm virtutem habet, tunc diminutus cùm vitium.

Fit igitur cùm alteratur.

Tex. XIX.

2. Ratio. ALteram rationem ponit similem ei, qua probauerat in habitibus corporis. Quia virtutes hæ ad aliquid sunt, & præsupponunt aliud, in quo fit alteratio, & quod ipsæ consequuntur. Vt autem explicet, quid est, quod præsupponant virtutes, dicit ipsas esse impassibilitates, vel passiuum sic, id est, passiones temperatas.

Nota ex Peripat. & Stoicis q.d virtus sit

Nota, quòd Stoici, tunc esse virtutem putabant, cùm nullus est in sensu appetitus motus, nec passionis illius insultus, & ideò impassibilitates eas vocabant, quasi ex tali passionum negatione insurgerent virtutes. At Peripatetici tũc virtutem esse existimant, cùm passiones & motus sensuum secundum rationem frænati sunt: vndè licet insurgant contra rationem, tamen à ratione superantur, & eas moderatur ratio.

At quia in præsenti nihil huius ex professo determinabat, vsus est distinctione, etiam vt ostenderet, in quacunq; opinione esse hoc certum, quòd virtus ad aliquid est, & insurgit, cùm alteratio facta est in passionibus, secundum quam domitæ sunt, & frænatę, sicut dictum est de sanitate. Per victoriam enim, & superantiã passionum virtus aduenit.

Nota circa vniuer- Ad hoc autem ostendendum, dicit, virtutem totam moralem positam esse in voluptatibus, & tristitijs, id est, in domãdis his passiõibus appetitus. At voluptas, & tristitia sensus ipsius est: nam voluptas & tristitia, aut in actu præsenti, aut in memoria, aut in spe posita sunt: hæc autem sensus sunt ipsius. Explicat hoc: Nam in memoria ob id est voluptas, aut tristitia, quia actus boni, vel mali præsentis recordamur: in spe verò, quia similem pręsenti speramus, quæ in sensibus sunt. In his igitur passionibus primò accidit alteratio, per accidens in virtutibus, quæ factas alterationes sequuntur.

salem materiam virtutum.

At verò neque in intellectu.

Tex. XX.

QVartò id in habitibus intellectiuis ostendit, & vtitur ratione eadem. Quia sciẽtia est ad aliquid, nec est, nisi cum aliquid aliud alteratur, puta, sensus. Nam ex alteratione, quæ in sensu fit, puta, cum experientia partium, & singularum acquiritur: anima vniuersale colligit, & scit absque mutatione, seu alteratione per se, nisi ex sensus alteratione. Et hoc est, quod dicit: quòd cùm fit scientia, non est motus in nobis secundum aliquã animæ potentiam, sed tantum per experientiam, quæ fit in sensibus. Particulariter tamen ostendit, quòd alteratio non sit scientiæ.

Idẽ ostẽditur in habitibus intellectuãlibus.

Est autem duplex scientia, & actus, qui est iam in homine docto, & scienti, & alter etiã actus, qui est a principio, per quẽ fit doctus. Sunt enim actus antecedentes, & consequentes habitus. Dicit igitur de actu consequente, de quo dixit, quod nõ est alteratio. Dicit modo, quòd nec ipsius est generatio, vel quòd sicut nec est alteratio, ita nec est generatio, quemadmodũ visio, gustatio, non sunt generationes. Sed melius puto intelligendum, quòd ipsius non sit generatio, quia non præcedit vlla alteratio ipsum in anima, & intellectu.

Nota

At de actibus primis hic videtur difficultas: ob id docet, quòd nec ipsorum est per se alteratio, vel generatio: sed consequuntur alterationem in alio factam. Explicat hoc exemplo dormientiũ, & ebriorum, etiam exemplo, malè habentium. Hi omnes, postquam recesserunt ista impedimenta, per nullam aliam alterationem intelligunt, sed facta quiete humorum infestantium, nullo alio adueniente, facta est scientia: ita fit in pueris de nouo scientia: facta enim quiete, & humorum pacatione, vel per ętatem, vel alijs causis, puta, disciplinis, & exercitio, accedit scientia, nulla in anima alteratione facta, sed solùm in sensu, & corpore: non est igitur alteratio primò, nisi ad qualitates sensibiles: ad reliqua verò per accidẽs est.

An ad qualitates tantùm tertiæ speciei sit alteratio.

Quæstio III.

Primũ argum. QVæstio hæc tota erit posita in rationibus Aristo. examinandis, & declarandis: ideoque proponemus argumenta contra ipsas.

Primum est vniuersale. Ipse enim ad qualitates aliarum specierum docet, non esse alterationem, quia consequuntur alterationem factã in alio: quod si ita est, sequitur etiam, quòd ad multas qualitates etiam sensibiles non est alteratio, puta, albedinem, nigredinẽ, & omnes colores: similiter raritatem, asperitatem, & alias omnes secundas, quia istæ non sunt, nisi ex antecedenti primarum alteratione: quia enim est alteratio secundum calorem, frigiditatem, & humiditatem, ac siccitatem, aliæ consequuntur: ergo illarum non est alteratio.

Secundũ. Secundò, contra rationem primam, qua ad figuram non esse alterationẽ probat, quia subiectum de ipsa nõ prædicatur, quod fit in alijs qualitatibus. Est argumentum. Vel sumit figurã in abstracto, & tunc subiectum nõ prædicatur de ipsa: sicut etiam subiectum non prędicatur de qualitate sensibili: vt enim nõ dicitur, cathedra est lignum, ita nec albedo est corpus. Vel sumit in concreto, & tunc prædicatur: vt enim dicitur, album est corpus, & corpus est album, ita lignũ est figuratum, & triangulare, & ècontra: & ita licet sumere nomina concreta aliarum figurarum, quamuis opus sit aliquando fingere ea.

Tertium. Tertiò, contra alteram rationem, qua dicitt, quod domus fit, ob id non dicetur alterari. Si ista ratio valeret, & nec calidũ, aut frigidum, cùm sit calidũ, aut fridũ, dicendum esset, alterari. Quod si dicatur subiectum, puta corpus alterari secundum illas qualitates: ita nos profectò dicemus, lignum, aut lapides secundum tales figuras alterari. Vel ergo ratio nulla est, vel contra ipsummet probat.

Quartũ. Quartò, contra id, quod dicitur, virtutes esse ad aliquid, habitus sunt absolutæ qualitates distinctæ ab his, in quibus alteratio ponitur: ergo profectò anima alteratur secundum ipsas. Explico antecedens: Scientia non solùm est quies humorũ, sed qualitas in intellectu. Similiter virtutes morales sunt qualitates, & non solùm quietes passionum. Similiter in corpore sanitas, & robur: ergo secundum has alteratio esse videtur.

Quintũ. Quintò, contra id, quod dicitur, hominem perfici secundum virtutem. Vel loquitur de perfectione essentiali, & hoc non quia virtus est accidens, quod non perficit essentialiter substantiam. Vel de perfectione accidentali: & tunc quodlibet corpus sensibile perficitur per accidentia: vnde secundum illa non esset alteratio: quod falsum est.

Sextum. Sextò, contra vltimã rationem. Si homo in potentia scientiæ acquisitæ habet se, sicut qui dormit: ergo sicut in dormiẽte, & ebrio scientia præsunt, sed erat impedita: ita etiam in puero. Quod si ita est, scire est reminisci, & de nouo non acquiritur scientia, quod est contra ipsum Arist. 1. Poste. c. 14. & 2. Post. ca. vltimo, qui in hoc à Platone dissentit.

Septimũ. Septimò. Ibi est alteratio, vbi est vera contrarietas: at in habitibus, & huiusmodi actibus est contrarietas: sunt enim assensus cõtrarij, qui se mutuò expellũt: vt habetur 2. Periherme. c. 4. & 1. Poster. ca. 12. sunt etiam vitia contraria: ergo secundum hæc est alteratio.

Ad primũ. Duplicitер est alteratio ad aliquam formam per se, & per accidens. Ad primum aduerte: quòd dupliciter ad aliquam formam est alteratio. Vno modo per se, altero per accidens: Per se alteratio est ad illas formas, quæ sunt cõtrariæ, ac mutuã habent inter se puguã, inuicem agendo, & patiendo. Per accidẽs alteratio est, cùm formæ non sunt contrariæ, nec inuicem agunt, aut patiuntur, sed tna-

ſed tantùm conſequuntur ad eas, quę cõtrariæ ſunt, & inuicem agunt, quomodo alteratio dicitur eſſe per accidens ad ſimilitudinem, quæ ex qualitate conſurgit: ſimiliter ad figuras, quæ, ex alijs formis oriuntur.

Alteratio per ſe ad aliquam formã eſt duplex, altera immediata, altera immediata.

Alteratio autem per ſe duplex eſt, altera immediata; altera mediata. Immediata eſt ad qualitates, quæ cõtrariæ ſunt, & per ſe ipſas agunt, & patiuntur: huiuſmodi ſunt ſolæ quatuor elementares qualitates: quæ primæ dicuntur: hæ enim ſecundum ſe agunt inuicem, ac immediatam habent contrarietatem: Mediata verò eſt ſecundũ qualitates contrarias quidem, ſed quæ nõ ſecundum ſe agunt, ſed ſecundum primas, ex quarum cõmixtione fiunt: huiuſmodi ſunt omnes qualitates ſenſibiles, quæ ſecundæ dicuntur; vt colores, ſapores, & odores, & aliæ huiuſmodi. In his quidem vera eſt, & per ſe alteratio, cùm contrariæ ſint, & pugnent, quamuis pugna ſit medijs primis.

Solutio 1.

Vnde ſoluitur argumentũ. Eſt.n. differentia inter figurã, & qualitates ſecũdas. Figuræ. n. nullo modo actiuæ ſunt, nec ſecundum ſe, nec ſecundum ſui aliquid: nõ enim ex primis cõponuntur: At ſecũdæ contrarietatem habent, & actionem, & paſſionem mutuam, vt ex primis ſunt.

Ad ſecundum Duplex eſt concretũ alicuius accidentis.

Ad ſecundum nota, ꝙ eſt duplex concretum. Vnum primum, quod ex ſola inexiſtentia formæ in ſubiecto fit, vt albũ, calidum: dicunt enim iſta ſolas qualitates in ſubiecto. Alterum ſecũdum, quod ab hoc deducitur, ꝙ praeter formã in ſubiecto dicit mutationem ſubiecti ſecundũ illam formam, vt dealbatum, calefactum, denigratum. Huiuſmodi duplex cõcretum, in figuris reperitur: & primũ, vt cathædra: dicit enim formam in materia, domus, arca, & reliqua: & ſecundum, quod mutationem ſubiecti notat, vt triangulare, & vt ita dicam, cathedratum, figuratum, & reliqua.

Sol. arg.

Ariſt. ergo benè comparauit arcã, ſtatuam albo, & calido, quia vtraq; ſunt cõcreta prima. (Nec ſunt audiendi, qui arcã ſtatuam, & ſimilia, putãt abſtracta, ſicut albedinem, & calore: hoc enim falsũ eſt, dicunt materiam tanquam partem) hoc etiam inuenitur in ſubiecto. Eſt enim duplex concretum; & abſolutum, vt æs, aurum: & denominatiuum, vt æneum, aureum, terreum, ligneum. In accidentibus ergo reliquis abſolutum prædicatur, vt calidum eſt corpus, terra, aut ignis: at informis non, ſed denominatiuum, ſtatua terrea, aurea, aut ærea dicitur; quę nomina denotant mutationem factam prius, vt cõſequantur tales figuræ, vt dicitur 7. Meta. tex. 26. in alijs verò non fit alia mutatio in ſubiecto, niſi ſecundũ tales qualitates, vt dictum eſt. Et ſic ſoluitur argumentum, quo etiam pacto ſoluit Burlæ. hic enim fatetur illa eſſe cõcreta, ſed prima, puta ſtatuam, & ſimilia.

Ad tertiũ Rerum figuræ magnã hẽant ꝓportionem cum formis ſubſtantialibus.

Ad tertium aduerte, (vt alibi dixim⁹) quòd rerum figuræ magnam habẽt proportionem cum formis ſubſtantialibus: vt enim propriæ formæ ſubſtãtiales res, & ſpecies ſingulas ſequuntur: ita etiã & figuræ iſtæ exteriores: adeo vt multi, nõ aliam eſſe ſubſtantialem rei formam, quàm iſtam exteriorem decepti exiſtimauerint.

Ex quo fit, vt ſicut ex forma, & materia ſubſtantialibus fit vnum per ſe cõpoſitum, ita etiã ex figura, & ſubiecto proportione quadam cõpoſitum fiat quodammodo per ſe, ita, vt in modo ſignificandi, non differant voces ſignificantes cõpoſita ſubſtantialia, vt homo, leo, capra, & voces ſignificantes huiuſmodi artificiata, vt ſtatua, domus, lectus: imò aliquando ſunt eædem voces: ſculpturas enim, & rerum picturas eiſdem nominibus nominamus.

Explicatur vis rationis Ariſt.

Vide igitur, quàm benè procedat Ariſt. ex hac propoſitione. Sicut generatio nõ eſt alteratio eius, quod fit: ſed productio in ſubſtantijs. Ita in figuratis, figurę productio non eſt alteratio ipſius figurati: cùm enim fit homo, non dicitur alterari: ſimiliter etiam cùm fit ſtatua, non dicitur alterari.

Obiectio. Solutio.

Quòd ſi dicas, ſubiectum dicitur alterari, vt lignum: Reſpõdetur licèt obiectio ſit bona, tamen iam in primo argumẽto probauit Ariſtot. non alterari ſubiectum ſecundum figuram, ſed ſecundum accidens aliud prius, vnde ſequitur figura. Et quia reſtabat. An ſaltem alteretur cõpoſitum figuratum: ob id obiecit hoc ſecundum argumentum, quo illud alterari non dici probaret.

Vnde

Vnde argumentum de albo nullum eſt. Nam quamuis totum album nõ alteretur, ſubiectum tamen alteratur: in figura verò ſuppoſuit ex primo argumento, non alterari ſubiectũ: & in ſecundo probat, quod nec ipſum compoſitum: & ſic cõcluditur, quòd nulla ex parte ſecundũ figuram per ſe alteratio eſt.

Ad quartum. Nota qd ſint habitus in potentijs tã animæ, q̃ corporis.

Ad quartum dico, ꝙ non eſt eadẽ ratio, de ſanitate, pulchritudine, & ſimilib⁹, ac de alijs habitibus animæ. Exiſtimo enim habitus animæ eſſe, qualitates diſtinctas re, à paſſionibus ſenſus, & ab experientijs, & reliquis ſenſibilibus; quæ qualitates exiſtunt in potentijs ad faciendas eas eas promptiores, ac faciliores in ſuis operationibus: & hæc eſt communis ſententia. At in corporis habitib. exiſtimo probabilius, non eſſe re diſtinctos habitus ab ipſis ſenſibilibus. Volo dicere, ꝙ ſanitas non eſt qualitas realiter diſtincta à qualitatibus primis, ſed ſunt ipſæ qualitates ad temperiem redactæ, ſicut harmonia, & cõſonantia non eſt vox diſtincta, niſi multæ proportionem habentes: ſimiliter ipſa pulchritudo eſt perfectarum partium recta illa ordinatio.

Sol. arg.

Et ſic patet, quomodo non eſt alteratio, niſi ad qualitates primas, & ad partium conſtitutionem. Nã pulchritudo, & ſanitas ſola ratione ſeparãtur ab ipſis, cùm ordinem, & commenſurationẽ ſuperaddant. At de reliquis habitibus quomodo ſecundum ipſos alteratio non ſit, cùm puræ qualitates ſint, dicetur in ſolutione aliorum argumentorum.

Ad quintum Sol Auer. Reijcitur ſol. Auer.

Ad quintum Auerroes dicit, propterea id, quod perficitur, non alterari, quia alteratio eſt ſucceſſiua: at quod perficitur, in inſtanti perficitur. Perfectio enim in indiuiſibili conſiſtit. Sed hoc mihi nõ placet. Primo, quia vt dicit S. Thom. licèt perfectio indiuiſibilis ſit, quia vltim⁹ gradus rei eſt, qui in inſtãti acquiritur: tamẽ corruptio non eſt in indiuiſibili, quia poteſt magis, & magis recedi à perfectione: vnde corruptio diceretur alteratio. Et nota, quòd loquimur de perfectione ſecundum virtutem, & accidentia.

Præterea, quia vt dicit Aegid. perfectio latitudinẽ habet, eſt enim, & fit homo magis, & magis ſtudioſus. Præterea, ſi dicas, quòd vltimum perfectionis in inſtanti eſt, ac ob id perfectio non eſt alteratio; profectio hoc idem poſſet in quolibet accidenti dici: ſummus enim gradus caloris, & albedinis in indiuiſibili conſiſtit.

Quo intelligẽda ſit ratio Ariſt.

Non ergo ſic eſt ratio intelligenda Ariſt, ſed vt dixi in textu: ob id, quod perficitur, vt nõ dicitur alterari, quia non eſt, dum perficitur: alterari autem eſt eius, quod iam eſt.

Obiectio.

Sed manet argumentum quintũ: cùm enim ſit perfectio accidentalis, idẽ poſſet dici de quocunque alio accidenti.

Solutio. Nota duplicẽ perfectionẽ accidentalem.

Reſpondetur, ꝙ eſt perfectio accidentalis duplex. Altera propria, quæ perficit rem, quantum ad operationes propriæ ſpeciei: & talis eſt virtus in homine, & ſcientia: & hæc perfectio videtur cõſummare hominem, vt homo eſt: vnde non verè alteratur homo ſecundum hanc. Alia eſt perfectio communis, quæ rem quidem perficit, ſed non ſecundum talẽ ſpeciem, qualia communia accidentia, & ſecundum hæc alteratio eſt.

Nota 2.

Et nota, quòd non negat Ariſt. aliquã alterationem ſecundum virtutes, ſed tamen non eſt tam propria alteratio, qualis eſt ſecundum accidentia; nam per illas adhuc ſubiectum ſub ratione particulari perficitur.

Ad ſextũ ex D. Th.

Ad ſextũ mihi placet ſentẽtia S. Th. & aliorum: quòd hic loquatur ſecundum ſententiam Platonis, quæ cõmunis erat. Plato enim ponebat habitus, & ſpecies inſitas à natura hominibus cum intellectu ipſo: impediebãtur tamen ab operatione propter ſenſum: accedente autem alteratione corporis, & ſenſus, anima operabatur, nulla facta in ea mutatione: & hoc ſignificant illa exempla ebrij dormientis, & infirmi: quæ Auerroes dicit eſſe ſecundum Platonem.

Nota ſententiam Plat. & Ariſto. circa habitus animæ.

At verò alia eſt ſentẽtia Ariſt. quæ habetur in 2. lib. de anima à tex. 55. vſque ad 59. vbi ponit à natura ſolũm haberi nudã potentiam intellectus, quæ poſteà alteratur per habit⁹: acquirit. n. de nouo ſpecies, & habitus: & his acquiſitis eſt in ꝓxima potentia ad actũ, & contemplationem. Vnde diſcrimen eſt inter ebriũ doctum, & puerũ, quamuis neuter contempletur. Puer enim non peruenier ad actũ, niſi priùs acquirat habitũ: at ebrius

abſque

absque noua acquisitione per quietē vaporum perueniet ad actum: vbi clare admittit esse aliquam alterationem secundum habitus: sed vocat talem alterationem perfectiuam, quæ impropriè alteratio est, pręsertim cùm sequatur post alterationem, quę fit in sensibus, & in passionibus, quæ propria alteratio est. Ac propterea in pręsenti etiam docet, nō esse alterationem veram, sed coniungi cum altera, quæ vera est. Plato verò nullā prorsus esse alterationem censebat.

Ad 7. Ad septimum resp. quòd non est vera contrarietas inter habitus, & actus, cùm non sit actio vera Physica, sed est quædā repugnantia, & compatibilitas, quę contrarietas dicitur: & sic patet explicatio rationum Aristot. in textu.

CAPVT IIII.

Dubitabit autem aliquis. Tex.XXI.

REs quæstiones determinauit iam Aristo. & an omne, quod mouetur, ab alio moueatur: & an qd localiter mouetur, à motore distincto moueatur: & an mouens, & motū simul sint. Nunc quartam aggreditur, nempè, An quicunque mòtus cuilibet motui sit comparabilis.

An quis motus sit cuilibet motui cōparabilis. 1.Ratio ꝓ prte negat.

Argumentatur autem à parte negatiua dupliciter. Primò. Si omnis motus omni motui comparabilis est, sequitur, ꝓ motus per circulum, & motus per rectū erunt cōparabiles: sed hoc esse nō potest. Probatur: supposito, ꝓ dictum est, motus æquè veloces in tempore æquali transiri spacium æquale: tunc est argumentū. Si illi motus sunt comparabiles, possunt esse inuicem tardiores, & velociores, & æqualis velocitatis: in hoc enim comparatio fit: Si igitur æquè velox est motus per circulum motui per rectū: ergo in ęquali tempore transibit æquale: ergo iā datur curuum, & circulare æquale recto; quod tanquam impossibile infert: non igitur quilibet motus cuilibet cōparari potest in velocitate.

Alterum facit argumentum. Nam si motus omni motui comparatur, latio, et alteratio essent æquales, puta si in æquali tempore mouerentur: sed impossibile est, ꝓ sint æquales: quod probatur. Nam æquales motus in vno tempore trāseunt æquale; at qualitas non dicitur æqualis, spacio: ergo alteratio in qualitatem non transibit æquale, inest enim quantitati, æqualitas. 2.Ratio.

In circulo autem, & recta. Tex.XXII.

EXcludit responsionem, quæ dari poterat ad argumentum primum. Nā dici poterat, quòd motus per circulum, & motus per rectum sunt quidem comparabiles, non tamen æquè veloces ambo, sed semper vnus altero velocior: hoc autem modò non sequitur, rectū æquale curuo. Excludit hoc dicens, quòd inconueniens est, quòd nunquam contingat similiter moueri: & æquè velociter duo saltem, hoc per rectum, illud per curuum: sed quòd semper sit vnus motus velocior altero, quasi per circulum, & per rectum: moueri esset moueri per acliue, & decliue: frequētius enim motus decliuis velocior est. Excludit solutionē quandam primę rationis.

Amplius nihil differt. Tex.XXIII.

REijcit vlterius eandem responsionem. Dicens, quòd adhuc illa ratio manet in suo vigore. Nā quāuis detur, quòd motus vnus sit velocior altero: adhuc sequitur, ꝓ sicut datur maior circularis, & minor, quàm recta, debeat etiā dari æqualis. Et probatur. Dem vnum, quòd velocius moueatur per circulum B, alterum tardius, per rectum C, in vno tēpore A. Tunc per prædicta maius erit, quod transitur de B, quàm quod de C. Tunc vlterius, quod mouetur per B, in eodem tempore trāsit maius, quàm C, ergo per definitionem velocioris in minori tēpore transibit de circulo æquale: ita, vt quod mouetur per C, in toto tēpore A, & quod mouetur per B, in minori tempore, transeant æquale. Sequitur igitur adhuc æquale esse circulare recto. Iterū reijcit eandē solutionem.

Perpen-

Perpende autem expositionem hanc, qa alij aliter exponunt, sed præter sensum Aristotelis.

Dubitabis hic, quia videtur Aristot. dicere. Quòd si datur maius, & minus, quòd debet dari æquale: hoc autem videtur falsum rationibus multis. Nam angulo semi circuli datur vnus rectilineus maior, puta, rectus, aut obtusus: datur etiam minor, puta, acutus. tamen impossibile est. illi dare rectilineum æqualem. Dubiū an si detur maius, & minus, debeat dari æquale. 1.Ratio ꝓ nō sit necesse.

Vlteriùs. Ternario, & cuilibet numero datur alius maior, alius minor, sed non alius æqualis. 2.

Præterea. Circulo datur quadratum maius, aliud minus, sed non æquale. 3.

Præterea. Datur elemētum maius aere, datur aliud minus, non tamen datur aliud æquale. Burleus, & alij, nescio qua distinctione æqualitatis soluunt argumenta: sed quicquid sit, non est dubium, non valere consequentiam illam in omnibus, vt argumenta conuincunt, quorū aliqua id demonstrant. 4.

Sed nota, quòd Aristoteles non facit hoc argumentum absolutè, puta, datur maius, & minus: ergo datur æquale: sed quod si illud mobile transit maius, & trāsit minus, quòd ex hoc probabitur, quòd transeat æquale, & posteà id probat argumento velocioris, quòd in minori tempore transit æquale, vt diximus. Solutio dubij.

At verò si sunt comparabilia. Tex. XXIIII.

COncludit, non esse omnes motus comparabiles inter se, & argumētatur ex opposito consequentis sic. Si quilibet motus cuilibet esset comparabilis, sequeretur, quòd linea recta, & circularis essent comparabiles: at non sunt: ergo nec ipsi motus omnes.

Incipit autem explicare leges eorum, quæ cōparari possunt: & prima est, quòd non sit æquiuocum id, in quo est comparatio. Leges eorū q̄ debēt inuicem cōparari. 1.Lex, Nō sit æquiocū id, in quo fit cōparatio.

Vndè non dicetur, gladius est acutior, quàm vltima chorda lyræ, quia acutū æquiuocè dicitur de vtroque: esset tamen comparatio inter ipsas chordas, an vltima, an proxima acutior sit: similiter inter gladios, quia æquiuocatio non est: tamē gladius cum chorda nequit comparari in acuto. Ita similiter velox non est idem, & vniuocum in circulari motu, & in recto, & in alteratione, ac latione multò minus: ob id inter se hi motus comparabiles non sunt.

An primum quidem. Tex.XXV.

ALiam constituturus legem comparabilium, dubiū proponit, an sufficiat, vt fiat comparatio in aliquo quod non sit æquiuocum, ita vt in quocunque vniuoco comparatio fieri possit: & ponit argumentum, quo probat, non sufficere. Multum dicitur vniuocè de aqua, & aere, & tamen non comparantur aer, & aqua: ergo illa prior lex non sufficit. Dubiū, an sufficiat esse vniuocum. 1.Ratio ꝓ non sufficiat.

Sumitur autem hic multum, vt distinguitur contra paucum. At quia posset qs negare de ipso multò propter vniuersalitatem eius, ponit etiam duplum. Duplum enim videtur vniuocè de aqua prædicari, & de aere, tamen inter se non comparantur, quia aer non dicitur duplus ad aquā. Quòd autem duplum sit vniuocum, probat ex definitione: est enim bis vnum, id est, bis vnam quantitatem amplectens.

Aduertendum autem est, quòd dupliciter potest aqua aeri comparari, vt notat Simpli. Vno modo in quantitate, altero modo in facultate, & potentia. Comparare in quantitate est ipsa conferre secundum quantitatem, quam actu habent in se: comparare verò secundum facultatem est conferre secundum quantitatem, quæ est in ipsorum potentia, si aer fieret aqua, & si aqua aer. Nota ex Simpl. duplicē cōparationem aeris, & aquæ.

Fit autem, vt non eadem sit ratio quātitatis, & facultatis, nā parua, & minor aqua secundū quantitatem potest multò maior esse, q̄ aer secundum facultatē: & hinc ꝓuenit, ꝓ non cōferatur aer aquæ, sicut aer aeri. vel aqua aquæ, in his enim vtriusq; & quantitatis, & facultatis simul collatio est, in illis verò nō: propterea absolutè non cōfertur: nisi aut secundum quantitatem per se, aut secundum facultatē per se, simul tamē nulla est collatio.

AN

An & in his eade n ratio. Tex. XXVI.

Solut. ad rationem dubij.

SOluit dubium dupliciter. Primò dicit, illa esse æquiuoca, puta, multum, equal/., duplum, vnum, nec obstat esse vnam / cfinitionem, vt multum est tãtum, & a/nplius, æquale, quod habet eãdem m/nsuram, duplum quod bis se habet ad vnũ, nam definitiões etiã æquiuocæ dicuntur, & non secundum eandem rationem de aqua, & aere propter rationem dictam: nam singula, aut quantitatem, aut facultatem dicunt, quæ duo vnũ non sunt, sicut nec acutum in voce, & in gladio.

Nota.

Vbi nota non inconueniens esse analoga, seu æquiuoca definitione etiam æquiuoca definiri, non enim hæ definitiones quidditatiuæ sunt.

Verùm propter quid alia. Tex. XXVII.

Altera solutio.

ALiam solutionem inquirit, & dubitat: Admisso, quod multum, & duplum sit vniuocum, & secundũ eandem nãturam prædicetur de aqua, & aere, quare non sunt comparabilia. Respondet, quia non sunt in eodem susceptiuo primo, id est, non habent subiectũ idem immediatum.

2. Lex eorũ q̃ debẽt cõparari, vt sit susceptiuũ, immediatũ, idẽ, & eiusdẽ ratiõis.

Est enim hæc secunda lex eorum, quæ in aliquo accidenti comparantur, vt quãtuis sit vniuocum id in quo comparantur, & ipsa diuersa sint, sit tamen susceptiuũ immediatum idem, & eiusdem rationis in vtroq; V.g. equus potest dici albior cane: non solùm quia album vniuocum est vtrique, sed quia immediatum susceptiuum albedinis est eiusdem rationis in vtroque: puta, superficies, quamuis ipsa subiecta mediata sint diuersa: non tamẽ vox dicitur albior aqua, quia albedo nõ recipitur in voce ratione eius, cuius ratione recipitur in aqua: nam in ipsa aqua ratione superficiei, in voce vero non huius ratione recipitur.

Nota.

Aduerte, q̃ per albedinẽ claritatẽ significat: vocabulũ enim Græcum cõmune & claritati, & ipsi colori, qui albedo dicitur.

Ponit etiam exemplum. Equus, & canis comparari etiam possunt secundum magnitudinem: habent enim idem receptiuum primum, puta, materiam primã eiusdem rationis, quam sequitur quantitas.

Per hoc idem soluitur illud de aqua, & aere, quia non est idem susceptiuum primum. nam in vno duplum, & multum dicunt facultatem: in altero dicunt quantitatem: & hoc modo non est cõparatio.

An manifestum est. Tex. XXVIII.

Dubiũ, q̃ nõ sit satis esse susceptiuum, primũ, & eiusdẽ rationis.

ALiam legem declaraturus subtiliter dubitat contra id, quod dictũ est: Nempè, quòd non est comparatio in natura, quando diuersum est susceptiuum primum, quasi natura illa iam esset multiplex facta. In hoc autem videtur insinuari distinctionem naturarum non esse, nisi per materiam, quod Plato dicebat: Hoc autem falsum est. Primò, quia sequitur, quòd dulce, album, æquale, secundum se vna esset natura, solùm differrent in receptiuo, & sic esset omnia vnum secundum se facere.

Nota.

Amplius susceptiuum. Tex. XXIX.

Secundò.

SEcundò impugnat idem. Nam primũ susceptiuum est multiplex secundum receptorum multiplicitatem, id est, quęque forma habet proprium subiectũ, & materiam proximam: ergo & ipsæ formæ secundum se diuersa sunt: aliter enim nõ essent receptiua propria pro proprijs formis.

Nota. Alia lex. q̃ forma in qua fit cõparatio, sit vna specie.

Nota artificium. Cùm enim dixisset, formã, in qua futura est comparatio, debere esse vnã. seu vniuocam, & receptiuũ vnum specie, & ratione: intendit, quòd præter hoc forma debet esse in se vna specie, nec sat est, quòd sit vniuoca: propterea dubitabit, An vnitas sit ex receptiuo. Si enim esset, nõ oporteret addere hãc legem. At quia nõ est, nam receptiuũ potest esse vnum specie, & forma vna genere, & multiplicitatẽ habens, vt patet de colore, cuius

cuius receptiua est superficies: ob id adiunxit legem tertiam. Debet attendi, præter vniuocationem formæ, quòd non habeat differẽtias, sed sit vltima spacies (nõ solùm quod, sed in quo) id est, non solũ debet esse eadem specie ipsa forma, quæ dicitur, quod, sed ipsum receptiuũ, quod dicitur, in quo. Vndè non cõparabitur in colore, quia genus est: non enim dicitur, album est magis coloratum, quàm nigrũ: sed cõparatio debet esse in albedine, aut nigredine, aut in alia specie.

Nota.

Ex his concludit, illos motus esse æquè veloces, qui in eodem tempore æqua le spacium transeunt in hoc, id est, secundum speciem: ac si dicat, motus eiusdem speciei comparandos esse.

Si autem aliud quidem. Tex. XXX.

Quòd latio & alteratio ne queũt cõparari in velocitate, nec circulationis motu & rectus inæqualitate.

AD dubium modò respondet, quòd in secundo argumento tetigerat, t. 21. puta, an latio, & alteratio, quæ æquali tempore fiunt, dicantur æquales, & comparabiles sint. Respondet, non cõparari posse, quia motus est genus quoddam, in quo nõ est comparatio. Vt enim album non dicitur magis, aut æquè coloratum cum nigro: ita nec latio dicitur ęqualis motus, aut maior, vel minor latione.

Dubium primum, cur motus rectus & circularis æquearit cõparari.

Similiter etiam nec motus circularis, & rectus sunt æque veloces, nisi circula linea, & recta sint æquales, quod esse non potest.

Proponit statim duo dubia ad horum declarationem. Alterum est, cùm dicitur, motum rectum & circularem non comparari in motu: dubium est, an hoc sit, quia motus est genus: an quia linea, quæ est terminus ad quem, est genus. Respondet propter vtrunq;, quia vnum sequitur aliud: si enim motus genus est, & terminus motus vnus erit genere. Ac si clarius dixisset, motus circularis, & rectus nõ sunt comparabiles: quia esset non solùm cõparate duos motus ad vnicum genus, sed utiam comparare duas lineas, puta curuã & rectam ad vnum genus. Vt autem hæ duæ lineæ non comparantur sub linea in communi, nec etiam ipsi motus sub motu in communi locali.

Alterum dubium est. Si debet considerari ad vnitatem specificam motus vnitas instrumentorum: vt si motus fiat pede, vt in progressu: an ala, vt in volatione: an instrumẽto alio, vt in narratione. Respõdet, omnes esse eiusdem speciei, si per rectum fiant, aut per circularem: nam sola spacij diuersa figura impedit motus cõparationem. Vnde concludit, motus esse æquè veloces, qui fiunt per eandẽ magnitudinem speciei: & sic ipsi sunt idem specie, vt dictum est: secus autem, comparabiles non sunt.

Dubiũ secundum, An ad vnitatẽ motus specificam, requiratur vnitas instrumentorũ.

Quare hoc considerandum. Tex. XXXI.

Necesse est inquirere motum differentias ad eorum cõparationẽ.

AD motus comparationem necessarium esse docet, motuum inquirere differentias. Ex his enim cognoscetur, qui comparabiles sint, qui verò non. Differentias autem considerare oportet, quia re vera, in genere multa latent, vt quamuis in ipso vnitas appareat, tamen multa varietas in eo sit clausa: Et per genus vniuersale al quod, & vocem communem intelligere oportet.

Tres autẽ gradus æquiuocationis.

Dinstinguit autem tres gradus æquiuocationis, qui sub communi voce concludi possunt. Primus est, quem remotũ vocat eò, quòd sub eo prorsus diuersa cõtineantur ita, vt non sit, nisi sola vox cõmunis. Huiusmodi sunt æquiuoca à casu. Alter gradus est, qui analogiæ proportionis dicitur, cùm res multæ sub aliqua voce sunt propter aliquam tamen similitudinem, sicut homo viuus, & pictus sub homine significantur. Tertius est proportionalitatis, cuiusdam autem conuenientiæ vnius genericæ naturæ, vt cidere de prato & homine: gubernatur de natura, & duce: animal de lone, & equo: & in hoc tertio gradu est deceptio. Nam apparet vnicam esse naturam, quæ tamen multiplex est: ob id maximè prodest omnia hęc distinguere ad eliciendas specificas naturas, in quibus solis comparatio est.

Quando forma dicitur diuersa specie.

Statim cùm determinasset, non esse cõparationẽ in diuersa forma specie, sed eadem, quærit. Quãdo forma dicetur diuersa specie: an quando fuerit id diuerso subiecto, vt in homine, & leõe albedo: an quando

quando præter hoc, etiam est in se diuersa. Et quamuis non respondeat: tamen hæc pars est sumenda, puta, quòd sit alia & alia in se.

Qñ definitio formæ indicat eã esse diuersam specie

Subiungit alteram quæstionem, quãdo definitio formæ significabit illam esse diuersam à specie: an quando in alio & alio subiecto illam significat: aut quando ipsam in se non eandem significat, sed diuersam ab alijs: & sumenda est hæc posterior pars.

Nota.

Denique formarum diuersitas specifica non solùm in subiectis, sed in se ipsis est attendenda. nihil enim prodest sola specifica subiectorum distinctio.

De alteratione autem quomodo est. Tex.XXXII.

An alteratio alterationi possit cõparari.

COmparationem duarum alterationum inquirit. Et primò, eas comparari posse probat: nam duo eodem tempore sanari æquè possunt: si igitur sanatio alteratio est, altera alteri comparari potest.

Dubitatiuè autem loquitur de sanatione, quia sũpra dictum est, ad sanitatem non esse per se alterationem: tamen argumentum adhuc fit in eo, in quo potest esse per se alteratio, vt in qualitatibus primis: possunt enim duo æqualiter sanari, & etiam calefieri, vel humectari.

Ex altera parte argumentatur, & probat, quòd non sint æquales illæ alterationes. Nam quæ alterata sunt, seu ipsæ qualitates, secundum quas alteratio est, nõ dicuntur æquales, sed similes: quod enim in quantitate est æquale, in qualitate est simile: non ergo videntur comparabiles alterationes.

Sed sit idem, quod mutatur in æquali.

Nota, idẽ cõmune est vocabulũ ad simile & æquale.

ARistoteles subtiliter ad indagandã alterationum comparationem se transfert ad vocabulum commune, ad æquale & simile, vt notat Simplic. puta, idem. Nam similia, & æqualia communiter dicuntur eadem. Et dicit, quod motus dicentur æquè voloces, qui sunt secundũ eundem terminum, siue sit similis, siue sit æqualis: hoc enim supponatur ad cognitionem identitatis alterationis.

Quæstio 1. an cõparatio duarũ alterationũ sit sumẽda penes qualitates, an penes subiectum.

Tunc autem est quæstio duplex in alteratione. Prior est: an comparatio duarum alterationum sit sumenda penes qualitates, & passiões, quæ sunt termini ad quos: an penes partes æquales, vel inæquales subiectorum, quæ alterantur.

Quæstio 2. An sit sumẽda penes speciẽ diuersam qualitatũ, an secũdũ gradus intẽsionis.

Altera est: Si penes qualitates sumatur, an oporteat respicere identitatem, & diuersitatem specificam qualitatum solam: an similiter etiam gradus intensionis formarum: vt illæ dicantur eædem alterationes, quæ sunt ad formas vnius speciei, & similiter se habentes, id est, æquè intensas.

Ad 2. quæstionẽ responsio.

Et ad hoc posterius respondet, Ad cõparationem alterationum oportere respicere, quòd formæ sint eiusdem speciei. Cum enim sunt secundum diuersas species, comparari non possunt: vt dealbatio, & sanatio. Sicut nec comparantur in latione, circularis, & recta: Idcircò, pdest alterationis species cognoscere. & distinguere, vt comparare quis possit.

Nota.

Statim regulam hoc cognoscendi ponit, nempè (quæ mouentur) id est, terminos, ad quos est motus respicere, an idem specie, genere, numerò ve sint. Qualis enim vnitas in termino, talis est in motu. Loquimur de termino per se, qui primò per talem motum habetur. Quæ omnia superius declarata sunt.

Sed vtrũ oportet ad passionem. Tex.XXXIII

Ad 1. q̃stionẽ respõsio Quomodo alteratio alterationi sit similis vel æqualis.

ITerum quæstionem priorem proponit, & soluit. In alterationibus enim possumus duplicem identitatem considerare: alteram similitudinis, alteram ęqualitatis. Ad similitudinem oportet, q̃ sint termini eiusdem speciei, & eiusdem intensionis gradus: aliter erunt dissimiles. Ad æqualitatem verò debemus respicere partes subiecti alterati, an sint æquales, vel inæquales in eodem tẽpore.

Itaq; alterationes dicentur similes, quę in tempore æquali secundum gradus eosdem formarũ vnius speciei sunt. Vt si calefiat vnum in hora secundum calorem, vt quatuor: & alterum in eodem tempore etiã vt quatuor: Secus verò sunt dissimiles.

miles. Illæ verò sunt æquales, secundum quas subiecta eodem tẽpore alterata sunt secundum partes suas æquales: secus verò, alterationes inęquales erunt. Et sic comparantur ipsæ alterationes.

Et in generatione quoq;, & corruptione. Tex.XXXIIII.

De cõparatione generationũ.

COmparationem generationum facit; & hic sumit generationem, nõ solum pro introductiõe puta formæ, sed etiam pro successione, qua partes præsertim viuentium paulatim formantur. In generatione autẽ non sumitur velocitas, ex parte æqualitatis sicut in alteratione: quia substantia non est in subiecto, sed velocitas attenditur ex parte idẽtitatis termini; vt æquè veloces sint generationes, cum in eodem tempore termini vnius speciei indiuisibilis sint secundum idem producti. Vt cum in mense vno vnus homo generatur secundum easdem partes, secundum quas alius. Sed nõ de alio animali, quod nõ sit eiusdem speciei: quòd si non secundum easdem partes, tunc vna esset velocior altera.

Nota.

Notat tamen, quòd desunt vocabula, quibus explicemus hos gradus generabilium. Nam in alteratione sunt duo nomina, intensum, remissum: in quantitate, æquale, inæquale, maius, minus: In substantijs, nec est vnum nomen, nec multa: nam homo imperfectus, & vnumquodque cum sic paulatim perficitur, non habet nomina distincta: & sic generationes distingui non videntur, sed omnes ęquales. At non sunt, si haberemus sententiam Platonis, qui res ex numeris inęqualibus componebat: tunc per nomina numerorum possemus distinguere, vt diceretur: nunc res generatur ad duo, nunc ad tria, nunc ad quatuor: sed hoc non est. Sic igitur comparabiles sunt alterationes, & generationes, & motus locales. Augmentationes autem cum localibus comparantur: in vtrisq, enim quantitas est.

De cõparatiõe augmẽtationum.

An comparatio tantùm sit in specie vltima. Quæstio. IIII.

In quo cõsistat difficultas q̃stionis.

DVo in comparatione aliqua necessario conueniunt, & ea, q̃ cõparãtur, ac cõferuntur; quę plura sunt: & id, in quo cõparãtur. Dubium aũt non est: ea, quę conferũtur, posse esse diuersæ speciei, & generis. Lapis enim, & animal aliquod in albedine comparari possunt, cum diuersi sint generis. At difficultas est de eo, in quo cõparatio fit. Docet enim Aristoteles debere esse vnius speciei vltimæ, ita vt comparatio in specie specialissima fiat. Aduersus quod sunt aliquot argumenta.

Primũ aĩ.

Primum est. Ista comparatio est bona, nigrior est corvus, quàm sit albus cygnus, & tamen albedo, & nigredo specie differunt: imò huiusmodi comparatiões sunt frequentes: dicitur enim, melior est vnus, quàm alter sit malus. Et dicitur in Euangelio: Filios huius seculi esse prudẽtiores in generatione sua, quàm filij lucis sunt prudentes in sua: & tamen diuersa est vtraq; prudentia: non igitur comparatio tantùm in specie fit.

2. argum.

Secundò. Hoc est commune axioma Geometrarum, quòd omnium linearum ductarum ab vno puncto in aliud, breuissima est recta, & tamen constat, reliquas esse arcuales. Aliter enim duci non possunt plures lineæ inter duo eadem puncta: comparatur ergo linea recta curuis, cum sit harum breuissima.

3. argum.

Tertiò est argumentũ contra id, quod dicitur in genere latere multa, arq; ideo nõ esse in eo comparationẽ, sicut species; Puta, homo dicit vnam naturam cõmunem multis vnius definitionis, & vniuocam: ita etiam gen̊ dicit suam naturam vnius definitionis & vniuocam multis speciebus, vt animal naturam sensitiuã: ergo sicut duo indiuidua comparãtur in natura specifica, non obstante, quòd simul multa contineat. Ita etiam duæ species comparari poterũt in natura generica, quamuis ipsa multa contineat: ergo non tantùm est comparatio in specie.

4. argum.

Quartò. Iste sunt comparatiões rectę: homo est perfectius animal, quàm leo: substantia est perfectius ens, quàm accidens: & tamen vna est secundum genus, altera secundum analogum.

5. argum.

Quintò. Velocitas est accidens motus, sicut albedo corporis: sed duo corpora

etiam differentia possunt in albedine cõparari: ergo & duo motus, puta, rectus, & circularis in velocitate: non enim maior ratio vnius, quam alterius videtur esse.

Ad primũ No. duplicẽ eẽ cõparationem simplicẽ, & cõpositam.

Ad singula horum respondeamus: in ipsorum enim solutiõe res poterit declarari. Circa primum aduerte, esse duplicẽ comparationem, alteram simplicem, alteram compositam.

Simplex est, quę secundum vnam formam fit, quatenus magis, & minus, perfecte vel imperfecte, vel æqualiter a multis participatur, sicut in albedine, calore, gravitate, aut alio quouis aliqua conferri accidit: quam aliqui comparationem secũdum proportionem vocãt. Est enim proportio habitudo vna duorum numerorũ inter se, vt habitudo quatuor, ad duo: & sex ad tria, aut cuiusuis numeri ad alterũ secũdum quam excedit, aut exceditur ab ipso

Composita est, quæ fit inter duas formas, sicut in exemplis argumenti primi: quæ quidem dicitur comparatio secundum proportionalitatem. Est enim apud Mathematicos proportionalitas habitudo duarum proportionum, vt dicimus, ita se habet quatuor ad duo, sicut sex ad tria: ita etiam fit comparatio inter formas diuersas.

Nota.

Tamen si rectè aduertas, inuenies, qd etiã hic comparatio fit virtualiter in vna forma. Dicere enim, hoc est nigrius, quã illud sit album, est dicere, hoc nigrum est intensius, quam illud album: & sic in forma intensionis comparatio est.

Solvitur 1. argum

Dico igitur ad argumentũ, quòd Arist. loquitur de simplici, quia ipsa est potissima: & quia composita ad ipsam reducitur. Sed an simplex fiat in specie, hoc in solutione aliorum argumentorũ examinabitur.

Ad secundũ solutio Auer.

Ad secundũ respondet Auer. commẽ. 29. quòd illa est impropria comparatio. Non enim linea recta sub forma rectę cõparatur curuis, sed sub forma curuæ. Vt sit sensus: illa recta est breuissima omniũ aliarum circulariũ, id est, si illa recta incuruetur, sicut aliæ, efficiet curuam aliarum breuissimam.

Obiectio.

Dices tu, an maneat eadem linea, cum ex recta fit curua.

Solutio.

Respon. quòd manet secundum subiectum, sed non secundum formam: sicut cum album fit nigrum: subiectum manet, sed non albedo: ita manet quantitas lineę, sed recedit illa rectitudo: accedit curuitas eidem tamę quantitati. hę enim qualitates sunt. Sed melius respondebitur ibi cõparationẽ esse in breuitate, & longitudine, quę cõmunis est lineis, vt lineæ sunt, quæ longitudo minima in vna earũ specie reperitur, scilicet in recta: Nam ex recta curuam facere esset curuas curuis cõparare, non autem rectam curuis.

Alia solu.

Ad tertiũ. No. aliter Physicum cõsidare, re sua vniuersalia, aliter Logicũ, & Metaphysicũ

Ad tertium. Maxime aduertẽdum est, quòd Physicus aliter considerat sua vniuersalia, aliter logicus, & metaphysicus. Hi enim essentias puras, & abstractas speculantes considerant naturas, non considerationis, quę extra essentias ipsarũ sunt: vnde considerant animal, vt dicit puram naturam sensitiuam, & vnum quodq; vniuersale, vt præcisam dicit naturam. At Physicus, cum nõ ita puras essentias speculetur, nisi concretas cum sensibilibus, non vtitur tanta abstractione: sed solũm à singularibus abstrahit. Vnde animal physice dicit ipsa indiuidua sensibilia, nõ tamen determinate hoc, aut illud.

Hinc infertur vnũ: vt quod apud Logicum, seu Metaphysicum vnum fit, puta genus, quia abstractũ consideratur; apud Physicum multiplicitatem quandam habeat, quia concretè consideratur: quod optime notauit Alb. tract. 2. c. 2. & S. Th. tex. 26.

Ex hoc sequitur vlterius; quòd Logicus, & Metaphysicus comparant aliquãdo in genere, quia apud ipsos vna est natura: at Physicus non, quia non speculatur genus sub illa abstracta vnitate naturę, sed sub multiplicitate specierũ, & indiuiduorum sensibilium.

Obiectio.

Dices, ergo etiam ipsa species erit multiplex.

Solutio.

Respon. quòd nõ sic multiplicatur species per indiuidua, sicut genus per species. Nam forma specifica vna est, & non multiplicatur nisi per materiã: vnde propterea sunt multi homines, non quia multæ formæ, sed quia multæ materię; ita vt si vna esset vnius tantùm corporis materia, vnus tantùm homo esset: ob hoc semper non ratione formę specificæ, quæ vna tãtum esset, si vnum tãtùm esset corpus, fit illa

illa multiplicatio, sed ratione materiarũ. At species se ipsis multiplicantur, quia ex se diuersę formę sunt ita, vt vbi nulla est materia, sicut inter angelos, ibi diuersas species intelligimus, & sunt. Genus ergo multitudinem specierum dicẽs multiplicitatem formæ continet: ideoq; Philosophus non in eo cõparat, at in specie comparationem facit: & sic soluitur argumẽtum.

Triplex ẽ simplex cõparatio

Aduerte autem, quòd vniuersaliter loquendo: Comparatio, vt notat Albert. tract. 2. ca. 2. est triplex, & loquor de simplici. Quædam, quæ fit in specie, & physica est, de qua Aristoteles hic loquitur. Altera, quæ in genere fit, quam metaphysicam possumus vocare, seu logicam, cũ in forma generica comparatio fit: & in hac fit comparatio secundum magis, & minus, aliquando secundum æquale. Dicitur enim duo esse æqualiter colorata: aut vnum magis, alterum minus, sicut in specie. Tertia comparatio est latè dicta, quæ fit in analogo, quę fit secundũ quod vnum magis, aut minus accedit, vel recedit ab vno primò, quod est in analogo. V. g. angelus est perfectior homine, quia magis accedit Deo, quàm homo; & homo, quàm brutum. Et in hac comparatione non est æquale, quia non est æqualis accessus, aut recessus: & ista comparatione conferimus species penes vnam, quę nobilissima sit ipsius generis. Et sic substantia est perfectior accidente cum magis accedat summo enti Deo: & per hæc soluitur argumentum.

Ad 5.

Ad quintum dico, quòd quãuis velocitas nõ differat essentialiter in omni mobili, & motu localiter recto, & curuo; tamen quia non est idem modus mensurãdi vtrasque velocitates, nec eadem regula, ideo non fit comparatio, sicut fit in albedine: Aliter enim definimus definitiõe ab effectu velocitatis circularis, & recti motus.

No. aliud est motũ ẽ longiorẽ, vel breuiorẽ, aliud ẽ velociorẽ & tardiorẽ.

Vt autem hoc intelligas, aduertẽdum primò. Aliud est, motum esse breuiorem, aut longiorem: aliud autem esse velociorem, & tardiorem, siue sit motus rectus, siue circularis, siue quicunq; alius. Is breuior est, qui citius suum terminum cõsequitur, siue sit tardus, siue velox. Vt si mouetur aliquid per milliare, alterum per decem milliaria: si id, quod per milliare mouetur, citius absoluit illud, tunc breuior dicitur, quamuis tardior sit: si verò non ita cito, longior dicitur ita similiter in motu circulari, cum duo eqnè cito circulum faciunt, dicuntur æque longi, aut breues, quamuis non sit æqualis velocitas. Vt si sint duo orbes, vnus altero maior: si tamen vno, eodemq; tempore suũ motum compleant, æquè breues circulationes faciunt, quamuis velocius moueatur, qui maior est.

Noes.

Hanc autem breuitatem, seu longitudinem motus circularis vocant alij velocitatem circulationis: & dicunt qd possunt esse equè veloces circulationes, cum tamen sint non æquè veloces motus.

Quõ cognoscatur velocitas motus circularis.

Cognoscitur aũt, & mensuratur hæc velocitas circularis penes angulos descriptos in centro. Vt si imaginemur vnum punctum in circumferentia vna, & aliud in alio alterius circuli, à quibus incipit motus: & imaginemur alia puncta ad q̃ peruenit pars motus in eodem tempore: tunc describamus triangulum à primo puncto, & vltimo motus, vsq; ad centrũ:



si angulos ęquales facit in vno, & altero, circulares sunt æquales: sin autem, non sunt. At de velocitate, seu tarditate motus, alia est ratio.

Quõ cognoscitur velocitas motus vniformis.

Aduerte igitur secũdo, quod velocitas recti vniformis sic sumitur, Nempè, suppositа æqualitate temporis penes spacij proportionem: vt id sit velocius, quod ęquali tempore maius transit spacium: sin

duplum, erit in duplo velocius. similiter in alia quauis proportione. Potest etiam sumi temporis variatione, non variato spacio, vt sit velocius, quod minori tempore æquale: aut vtroq; variato, puta, qd minori tempore maius transit spaciũ: at æquè velox eodẽ tempore æquale trãsit.

At velocitas circularis motus non sic definitur, nec mensuratur, sed penè, circulum descriptum à puncto maximè distanti à polis corporum illorum: vt illud velocius moueatur, quod maiorem circulum eodem tempore præscribit. V.g. primum mobile, & octaua sphæra, quamuis simul ab oriente in occidens moueantur, tamen velocius mouetur primũ mobile, quia circulus descriptus à primo maior est, puta æquinoctialis. Dico autem, quod sit à puncto maximè distanti: nam si alios circulos sumas, sunt minores, quã octaua sphæra: sic igitur mensuratur velocitas duorum corporum rotundorum.

Obiectio. Dices, nónne si formica moueatur per circulum, & vno tempore maiorem partem circuli transeat, & alio æquali tempore minore, dicetur ille motus velocior penes spacium, sicut in motu recto? ergo eadem est ratio vtriusque.

Solutio. Respon. ita se habere motus per circulum inter se, cum idem est, & rectus inter se: at rectus cum circulari nullo modo, quia pars circuli ad circulum proportionem habet, sicut recta pars ad rectum spacium. At recta pars nullam habet proportiõem cum curuo; nec potest esse aliquota pars curuum recti, nec rectum curui: obid non habent vnam mensuram velocitatis: ac propterea comparabiles non sunt: et hoc est, quod docet Aristoteles, & hoc aduerte.

CAPVT V.

Quoniam autem mouens. Tex. XXXV.

Septẽ regulę ad cognoscẽdã proportionẽ motuũ Suppositio.

CVm motus comparabiles esse ostẽdisset, & qui essent comparandi; nũc quomodo comparandi sunt, tractat; ac septem regulas proportionum motuum constituit, ante quas proponit, quod mouet, mouere aliquod mobile in aliquo tempore per aliquod spacium; vnde conueniunt in motu ista quatuor: Virtus motiua, quę dicitur mouens: Resistentia, quę mouetur, quæ dicitur mobile: Tempus, & Spaciũ, in quibus motiua virtus resistentiam mouet.

1. regula. Est igitur prima regula. si aliqua virtus mouet aliquam resistentiam per aliquod spacium in aliquo tempore: eadem virtus mouebit dimidiam resistẽtiam in eodem tempore per duplum spacium. V.g. si mouens potest portare quatuor pondera per vnum milliare vna hora, portabit etiam vna hora duo pondera per duo milliaria.

2. regula. Altera regula est. Si virtus aliqua in aliquo tempore mouet resistentiam aliquam per aliquod spacium, eadem aut ęqualis virtus mouebit dimidiam resistentiam in dimidio tempore per æquale spacium. V.g. si in vna hora mouens potest portare decem libras per milliare, in media hora portabit quinque per idem milliare.

Ratio. Harum regularum dat rationem, quia sic (inquit) seruatur eadem proportio, puta, spacij ad tempus, & mobilis ad mouens.

Not. vnde proueniat motus, & eius proportio. Pro quo aduerte, quòd motus prouenit ex excessu virtutis mouentis supra resistentiam mobilis. Nisi enim superet virtus, non erit motus. Vnde fit, quòd quanto superat virtus resistentiam in motu, tantum debeat diminui de tempore vel addi spatio: quia velocius in minori tempore transit æquale, aut in eodem maius spacium. Cum igitur in prima regula virtus sit dupla, & tempus sit idem, debuit spacium duplicari: in secunda verò cum spacium sit idem, debuit tempus diminui ad subduplum: nam secundum vtranque regulam, virtus est dupla ad resistentiam.

Et si eadem potẽtia idem in hoc. Tex. XXXVI.

3. regula. TErtiam regulam constituit, quę satis nota est. Si aliqua virtus mouet aliquã resistentiam aliquo tempore per aliquod spacium: eadem, aut ęqualis virtus mouebit eandem resistentiam in dimidio illius temporis, per dimidiũ spacium.

Est notanda litera horum textuum, nã per A, virtus mouens; per B, mobile, & resistẽtia; per C, spacium; per D, tempus intelligi debet.

4. regula. Adiungit quartam regulam. Si A, mouens virtus mouet resistentiam B, per tẽpus D, in spacio C, dimidiũ virtutis mouebit dimidium resistentiæ, in eodem tẽpore, per æquale spacium: vocat autem virtutis dimidium E; resistentiæ verò dimidium F.

V.g. si mouens vt sex, mouet resistentiã vt quatuor, per milliare in hora: tunc mouens, vt tria mouebit pondus vt duo, per milliare: idem, in eodem tempore.

Ratio. Rationem assignat: Quia eadẽ est proportio virtutis, & resistentiæ, seu grauitatis totius ad totam: & dimidiæ ad dimidiam resistentiam: erit ergo tempus ęquale, similiter & spacium.

Et si ipsum E ipsum F mouet. Tex. XXXVII.

5. regula. QVinta regula est negatiua, ex qua tamen sumetur affirmatiua. Regula est. Si virtus aliqua, puta, E mouet resistentiam F, in aliquo tempore D, per aliquod spacium: non est necessariũ, quòd eadem virtus moueat duplam resistentiam in eodem tempore per dimidiũ spacium. Addetur, nec quòd moueat in duplo tempore per idem spacium.

V.g. si mouens, vt sex, mouet resistentiam, vt quatuor per horam, & per milliare: non est necessarium, quod eadem virtus vt sex, moueat resistentiam, vt octo, quæ dupla est ad priorem: nec per horam in dimidio milliari, nec per duas horas in eodem milliari.

Ratio. Ratio huius est: quia à proportiõe minoris in æqualitatis non est actio, id est, nunquã ęquale agit in ęquali, sed in inæquale. Vnde actio, & passio est, cum virtus, & resistentia inæquales sunt: & vlterius, id quod minus est, non agit per se in maius, sed maius in minus. Vnde minor virtus non potest mouere maiorem se resistentiam: quòd si hæc regula valeret, vtique minus ageret in maius, vt in ipso exemplo patet.

Ex quo sumi potest, quòd hæc regula valet: Cum dupla resistentia adhuc est minor, quàm sit virtus. v.g. virtus, vt decẽ, mouet resistentiam, vt quatuor, per horam, & per milliare: ergo virtus eadem vt decem mouebit resistentiam duplam puta vt octo, in hora vna per dimidium milliare: aut per idem milliare duabus horis. Propterea Aristoteles non dixit, illam regulam non esse; sed non esse necessariam, quasi aliquando illud esset. ota.

Si igitur ipsum A ipsum B mouebit.

6. regula. REgulam sextam ponit etiam negatiuam, ex qua iterum affirmatiuam sumemus. Regula est. Si virtus A, mouet resistentiam B, tempore D, per spacium C: non est necessarium, quod dimidium virtutis, puta E, moueat ipsum totum B, per dimidium spacium in toto tẽpore D, imo nec per vllam spacij partem, quæ sit in eadem proportione, & analogia, ad totum spaciũ: in quanta pars virtutis E, est ad totam virtutem A: ac si dicat: tertia pars, virtutis non mouebit idem mobile per tertiam partem spacij, sicut nec dimidia virtus per dimidium spacium, nec quarta per quartam spacij. Denique pars virtutis nõ mouebit totam resistentiam, nec quantouis tempore, nec quauis parte spacij, propter idẽ inconueniens.

V.g. si mouens, vt sex, mouet resistentiam, vt quatuor per horam, & milliare, virtus, vt tria non mouebit eandem resistentiam vt quatuor, nec per minimam partem spacij in quouis tẽpore: quia minus non mouet maius.

Ratio ab exemplo. Ponit autem vnũ inconueniens, quod sequeretur ex hoc, puta, quod vnus solus homo traheret nauim; V.g. si diuidatur virtus, & spacium sic. Centum homines trahant nauim per centum milliaria centum horis: si regula esset vera, centesima pars virtutis, puta vnus homo, traheret totam nauim eodem tempore per centesimam

simam partem spacij, nempè, per milliare: quod est impossibile.

Sophisma Zenonis soluitur. Ex hoc soluit sophisma Zenonis. Zeno enim dicebat, ꝙ quælibet particula millij etiã minima facere sonum in aere, quia totus modius granorũ simul facit sonũ. Hoc nõ valet: quia quãuis cum toto modio faciat, id est, quia vincit resistentiã aeris: at per se non vincit.

Nota 1. Vnde docet, quòd pars in toto facit aliquid, quod separata nõ faceret: quia dũ est in toto, vnum facit actu cum ipso, nec per se est, nisi in potentia. Idẽ dici potest de parte quauis alterius corporis.

Nota 2. Hinc potest sumi regula affirmatiua, quod id verum habet. Quãdo pars virtutis adhuc vincit totam resistentiam. v.g. si mouens, vt decem, mouet resistentiam vt quatuor, per horã, & per milliare; dimidiũ virtutis, vt quinq; mouebit eandem resistentiam, vt quatuor, eodem tẽpore per dimidium, aut duplo tempore per idem milliare. Idem de alijs partibus secundum quãlibet proportionẽ.

Si verò duo, & vtrumque. Tex XXXVIII.

7. Regula. Septima regula est. Si aliqua virtꝰ mouet aliquam resistẽtiam, per aliquod tempus, & per aliquod spaciũ: & iterum alia æqualis virtus æquali tempore, & spacio mouet æqualem resistentiam: tunc compositum ex duabus virtutibus mouebit compositum ex vtraque resistẽtia per idem spacium eodem tempore.

V.g. Si virtus, vt tria, portat duo pondera per horam, & per milliare: & altera similis virtus, vt tria, portat alia duo pondera æquali tempore, & spacio, tũc vtraque virtus, puta, vt sex, portabit vtranq; resistentiam, vt quatuor, per vnum milliare, & vna etiam hora.

Num igitur sic est in alterationes?

Regulæ fere eædẽ de alijs motibus Alterationis, & Augmentationis. Quærit, an ita sit in alijs motibus, puta, augmẽtatione, & alterationne. Sunt enim in eis etiã quatuor, quod alteratur, seu quod auget: & quod alteratur, seu augetur: tempus etiam in quo sunt alteratio, & augmentatio: & loco spacij in augmento est ipsum, quantum maius, aut minus: in alteratione autem magis, & minus formæ. Constituitq; aliquot regulas serè similes.

1. Prima est. Si aliquod alterans, vel augens mouet alterabile, aut augmentabile in aliquo tempore, in duplo tẽpore duplum alterabit, aut augebit: & hoc est, quod dicit, (duplum in duplo.)

2. Secunda. Virtus dupla in æquali tempore alterabit, aut augebit duplũ: & hoc est, quod dicit, (aut duplum in duplo.)

3. Tertia est. Si virtus aliqua auget, aut alterat mobile in aliquo tempore: eadem virtus dimidium faciet in dimidio temporis: & hoc est, quod dicit, (dimidium in dimidio.)

4. Quarta est. Si virtus alterat, aut auget mobile in aliquo tempore secundũ quãtitatem, vel qualitatem aliquam, mediũ virtutis mouebit secundum dimidium quantitatis, aut qualitatis in eodem tempore: & hoc est, quod dicit, (aut in dimidio dimidium.)

6 & 7. Excludit etiam regulas duas negatiuas, sicut in motu locali. Si enim virtus dimidia sit, non mouebit, si fuerit minor, quàm resistentia, tam in alteratione, quàm in augmẽtatione, vt dictum est de pondere in motu locali.

An regulæ hæ vniuersaliter habeant verum. Quæstio V.



On est modica difficultas, quæ in examine harum regularum posita est: breuiter tamen attingam ea, per quę ipsarum veritas appareat. Est autem in oppositum argumentum primum. Intelligentia mouet cælum tanto tempore: & tamen non potest sumi aliqua pars huiꝰ virtutis, quę cæli partem moueat, eò, quòd virtus ista indiuisibilis est, cùm sit incorporea: ergo non habet locum in huiusmodi virtutibus regula. 1. argum.

2. Secundò. Sequeretur, quòd id, quod non potest moueri per aliquod spacium, moueretur per ipsum. Patet. Sit homo, qui per centum milliaria nõ potest moueri, potest tamen per vnum, & ferre vnã libram. Est argumentum. Iste vnã libram potest

potest per vnum milliare portare: ergo centesimam partem poterit per centum milliaria portare: quod est impossibile. Præterea. Non valet, quòd si per stadium potest aliquis lapidem iacere, quod decimam illius partem possit per decem stadia iacere.

3. Tertiò, contra primam regulam, secũdum quam est verum: quòd si virtus, vt octo potest quatuor pondera portare per stadium: quod eadem virtꝰ portabit duo per duo stadia eodem tempore: & sic erit motus in duplo velocior. Est contra hoc argumentum. Velocitas motus consistit in excessu virtutis supra resistentiam: ergo proportio velocitatis duorum motuũ consistet in proportione excessuum: sed virtutis, vt octo, ex. essꝰ supra quatuor est tantum quatuor: excessus autem supra duo est, vt sex: sed hi excessus sunt in sexquialtera proportione: ergo & vnus illorum motus non in duplo, sed in sexquialtero erit velocior altero.

Ad primũ solutio Auer. Circa argumentum primum Auerroes com. 35. dicit, has regulas habere locum tantum in virtutibus motiuis corporeis, nõ autem in incorporeis, eò quòd in his non est proportio vnius ad alteram, quia sunt indiuisibiles: nec virtutis ad resistentiam, quia resistentia est in corpore: At indiuisibile non est in proportione ad diuisibile. Quòd si quæras ab Auerroe, quare vna virtus velocius mouet, quam altera, & in tanta proportione velocius, cum nulla sit proportio inter ipsas virtutes incorporeas? Respõdet, quod hoc est ex eo, quod vna virtus, & intelligentia est nobilior altera.

Reiicitur solutio Auer. contra Auer. Sed mihi non placet ista sententia. Primò. Quomodo vna est nobilior altera, nisi excedat illam in nobilitate? Quod si excedit, iã aliqua profectò diuisibilitas est, puta, illius, in quo excedit, & illiꝰ, in quo non.

2. Præterea. Vbi est motus, & determinatus motus, ibi est virtutis & resistentię aliqua proportio: at motus cęli ab intelligẽtia est determinatus, vt non posit esse velocior: ergo ibi est ꝓportio inter mouens, & motum.

3. Solutio Auctoris. Præterea. Quia ibi est actio, & passio: ergo & proportio agentis, & patientis.

Respõdetur ergo, quòd quantitas duplex est: Altera propria, quæ est molis, & dicitur quantitas corporea, & dimensiua quæ tantùm rebus inest corporeis; & secundum hanc sumitur proportio aliqua. Est alia quantitas virtutis secundum quã vnum est perfectius alio, tanto plus, minùsue. Similer vna qualitas alia est intẽsior, & remissior: & secũdum hanc etiam proportio est. Dicimus enim, calorem vnum duplo intensiorem altero: & huius generis quantitatem, diuisionem, ac proportionem etiam in substantijs indiuisibilibus finitis inuenire possumus: & secũdum hanc etiam veritatem habent regulæ Arist. No. duplũ cẽ quãtitatẽ molis, & virtutis

Nota in quo differat quãtitas virtutis, & perfectio à quantitate intensionis. Nota tamẽ, ꝙ non sic vna intelligentia, & substãtia est perfectior alia, sicut calor intensus perfectior est remisso. Hi enim calores sunt speciei vnius: at illę perfectionis non: sunt tamen vnius generis: & ita habent gradus in genere, & proportionẽ in genere, secundum quam vna est perfectior substantia, q̃ altera. Et sic soluitur argumentum primũ. Sunt enim tales virtutes indiuisibiles mole, sed nõ vigore, & perfectione graduali.

Ad secundum. Ad secundum, omissis aliorum respõsionibus, dico duo. Alterum est, quòd loquitur Aristoteles de virtute motiua sola, & similiter de resistentia. Declaro. Nõ est idem mouens, & virtus motiua pura: cum enim equus mouet pondera, equus non est virtus motiua pura: sed simul habet resistentiam. Nam corpus ipsius ei resistit, & non solùm põdus. Vnde fallacia est existimare, sola pondera esse resistentiam. Similiter cum iacitur lapis, non solus lapis est resistentia, sed aeris densitas, & raritas, quæ motiuæ virtuti resistunt. Vnde cum lapis multum minuitur, crescit potius resistentia: nam minus ei cedit aer.

Debet igitur per mobile intelligi totã resistentiam, siue proueniat ex mouente, siue ex medij densitate, siue ex ipso pondere: & per mouens oportet etiam intelligere solam virtutem motiuam, non mixtam cum resistentia: & per spacium solã quantitatem absq; resistentia: & sic procedunt regulę Arist. nec argumentũ quicquam facit contra ipsas.

Dico præterea alterum, quod adhuc supponit Aristote, quòd medium secundum

Ad 3.

Dubiũ. Vũ petatur ꝓportio in velocitate motuum.

Primò nõ sumitur penes ꝓportionẽ virtutum motiuarũ

Secundo nec penes resistentiã

Tert. nec penes ꝓportionẽ excessus virtutis supra resistẽtiam.

Quart. ꝓportio in velocitate motuũ sumitur penes proportionalitatẽ ꝓportionũ virtutũ ad suas resistentias.

Dum solam distantiam non resistit, nisi ratione densitatis maioris, vel minoris: hoc autem debet computari cum mobili, & resistentia. Hoc autem facto, facile est intelligere rationes, & regulas hasce.

Ad tertium argumentum petit difficultatem: in quo consistat proportio velocitatis motuum, vt in causa. Quod est dicere cùm cognoscatur, quanto vnus motus sit altero velocior. Quatuor enim modis possumus dubitare.

Primò, an proportio velocitatis duorũm motuum sit eadem proportio, quæ est inter virtutes motiuas. v.g. Mouet virtus, vt octo, duo pondera: mouet virtus, vt quatuor, duo etiã pondera: an motus prior sit duplo velocior, quia virtus, vt octo, est dupla ad virtutẽ, vt quatuor.

Dico non sic esse sumendam proportionem velocitatis motuum.

Secundò: an penes proportionem resistentiarum. V.g. Virtus, vt octo, vnum mouet pondus: virtus, vt quatuor, mouet duo pondera: an ille sit duplo velocior motus, quia resistentia est dupla ad resistentiam, puta duo ad vnum. Dico, nec sic esse sumendam proportionem.

Tertiò: an penes proportionem excessuum supra resistentias. V.g. Virtus, vt octo, mouet vnum pondus: virtus, vt quatuor, mouet etiam vnum pondus. Virtus vt octo, excedit suam resistentiam in septẽ: virtus, vt quatuor, excedit in tribus: an ille motus sit velocior in tanta proportione, in quanta sunt excessus: septẽ enim ad tria est proportio dupla sexqui tertia: dico nec sic esse sumendam proportionem.

Quarto verò modo sumitur penes ꝓportionalitatem virtutum ad suas resistentias, quod est dicere, vt clarè explicemus. Datis duobus motibus, considera in qua proportione virtutes excedant resistentias suas: iterum considera, quæ proportio sit inter illas duas proportiones: nam in hac erit vnus motus altero velocior.

V.g. Sit virtus, vt octo, mouens pondera quatuor: sit etiam virtus, vt octo, mouens pondera, vt duo: prior virtus est in proportione dupla ad suam resistentiã: posterior verò in quadrupla, puta, octo ad duo. Quia ergo proportio quadrupla est dupla ad duplam, & iste motus erit duplo velocior. Hoc autem modo infallibiliter inuenies proportionem velocitatis motuum: si tamen cognoscatur, in qua ꝓportione sit vna ad aliã: & sic patet solutio argumẽti. Nõ enim illo modo est sumẽda proportio velocitatis motuũ, puta, penes proportionem excessuum, sed modo, qui dictus est. Hæc de libro septimo.

FINIS LIBRI SEPTIMI.

IN OCTAVVM LIBRVM PHYSICORVM.

CAPVT I.

Vtrum autem factus est aliquando motus. Tex. I.

Institutũ Arist. in hoc libro.

NVnc eandem Aristo. de primo motus principio tractat, ac qualis sit motus primus, motor primus, ac mobile primum disserere aggreditur hoc vltimo Physicæ auscultationis libro. Prius tamen difficilẽ quãdam determinat quæstionem de motus sempiternitate, ex qua, quæ dicenda sunt postea, pendent.

Quæstio quã. 1. tractat Arist. An motus habuerit principiũ.

In principio igitur quæstionem ipsã proponit, quæ talis est. An motus principium habuerit ita, vt non esset vllus antè motus, & finem similiter sit habitur⁹ ita, vt aliquando nullus sit futurus motus: an non sic, sed semper fuerit, & semper futurus sit: nec sit generatus in totũ, nec corrumpendus totus vnquam; qui quidem motus sit velut vita immortalis reb⁹ hisce naturalibus, & mundo huic sensibili.

Motus est quasi vita rerum.

1.

Attende, quòd motum hunc dicit esse veluti vitam, quia, vt notat Simplic. non est prorsus vita: non enim omnia naturalia viuunt, sed quę motus actiuum habẽt principium intrinsecũ, vt alias diximus. Sed aliquomodo motus hic vita dicitur,

2.

quatenus intrinsecus est rebus naturalib.

Adde etiam, quòd licet in particulari nõ sit vita huic; vel illi rei naturali: tamẽ toti mundo in generali est veluti vita, quatenus in eo sunt: & quę mouẽt, & quę mouentur. Non est tamen omnino vita, quia mundus totus non est vnum compositum per se, vt animal quoddam: sed vnum est ordinata aggregatione.

Dubiũ de quo motu hicq̃ agat Arist. sententia Auer.

Circa hanc quæstionem Aristotelis dubium est, de quo motu procedat. Auerr. enim in Com. 1. citat Auic. Alphara, & Auempa. Arabes Hispanos dicentes, hic Aristotelem non loqui de motu aliquo vno, & continuo: sed in genere de motũ ita, vt dubium sit, an motus semper fuerit, & semper futurus sit, siue sit vnus, & idem: siue alius, & alius motus, & mutatio.

Auerroes verò hoc non recipit: sed quod sermo sit de vno motu continuo, qualis est primus cælorum motus. Ratio ipsius est: quia aliter rationes, quas induc it Aristoteles, essent diminutæ, quia nõ probant, quòd sit motus sempiternus continuus, nisi id esset in quæstione suppositum.

Ratiò Auer.

At mihi non placet ista expositio. Vnde melior est sententia Arabum, quę quidem est communis, & Simplicij expressa, & S. Thomæ. Et ratio huic fauet. Primò ex ipsamet quæstione, quæ vniuersaliter proposita est de motu omnium naturalium. Secũdò ex ipsa prima ratione, qua probatur pars negatiua de pluribus motibus, non de vno continuo: Tertiò, quia infertur per hoc principium commune venit ad probandum in particulari vnũ esse motum, primum sempiternũ. Quartò: quia hæc est methodus bona, vt ab vniuersalibus ad particularia progressus fiat.

Reijcitur sententia Auer.

Sententia cõis Simp. D. Thom. & Auic.

1. Ratio.

2.

3.

4.

Nec ratio Auerrois quicquam valet; nam ea his rationibus non concluditur, esse motum continuum sempiternũ: hoc enim alijs vijs inferius probatur.

Adrõnem Auer.

Esse igitur motum ocs affirmãt.

Primũ, in quo omnes naturales conueniebãt circa qõnẽ 5. motum esse.

QVęstione proposita, aliorũ sententias circa ipsam proponit. Ac primò ponit id, in quo omnes conueniebant, postea, id, in quo erant discordes. Omnes ergo naturaliter loquentes in hoc cõcordes erant, nempè motũ esse.

Quod duplici signo ostedit. Primum est: quia mundum faciunt, id est, de mundi constitutione loquuntur, sitnè in tempore. an non: quod quidem non petijssent, nisi motum esse existimassent. Alterum est: quia tractant de generationib., & corruptionibus, quæ quidem sine motu, & alteratione præcedenti non sunt.

Nota.

Attende, quòd dicit, hos philosophos naturaliter loqui: quia qui motũ negãt, vt diximus in libro primo, non sunt Physici, nec naturales: quia natura est motus principium. In hoc igitur naturales concordes erant.

Nota.

In quibus verbis, vt notat Simp. respõdet tacitæ obiectioni, qua posset quis ipsum redarguere: quare de sempiternitate motus differat, & non primum statuat, motum esse: respõdet, id ab omnibus cõcessum esse. Sed mihi videtur, quòd hæc verba nulli obiectioni respondeant. Iam enim libro tertio exclusa fuit obiectio talis. Postea verò proponit id, in quo philosophi concordes erãt: at quamuis in motu non differant, varij tamen sunt in eius sempiternitate. Proponit autem tres sententias philosophorum. Prima fuit eorũ, qui infinitos posuerunt mundos: quales fuerunt Democritus, Leucip. Epicur. Hi enim motum sempiternum ponunt: qd patet ex eo, quòd non simul mundos ponebant, sed vnum generari ex alio ita, vt sit perpetua series mundorum generationum: ex quo sequitur, qd motus sit sempiternus. Nam generatio non est sine motu, & alteratione aliqua.

Id, de quo philosophi dissidebant.

1. Sententia Infinitos fuisse mũdos, & motum sempiternum

Secunda opinio est eorum, qui vnum mundum ponebant. Et debes addere: & semper fuisse, & fore: nam hæc litera mãca videtur: & ita exponit Simpli. & Themist. Hæc sententia est Aristot. qui vnum mundum, & eundem sempiternum facit: Nonnulli etiam, vt Simplicius, Platoni quoque tribuunt: sed verius est in cõtraria eum fuisse opinione, vt alias asserunt.

2. Vnũ fuisse mũdũ, & illũ æternum.

Tertia sententia est eorum, qui mundum vnum, sed non semper fuisse posuerũt: quales Anaxagoras, & Empedocles: & hi duo secundũ rationem de motu dixerunt, id est, quòd dicebant de mundo, dicebant de motu. Qui enim sempiternũ vnum mundum dicunt, pariter etiã motum ponunt sempiternum: qui verò mũdum non sempiternum ponunt, pari etiam ratione motum non sempiternum ponunt.

3. Vnũ mũdũ, & non sẽpiternũ

Notandum verò, quod Empedocles dicitur posuisse de nouo mundũ, quia quãuis infinities generatum, & corruptum dixisset: tamen ponebat tempus, in quo non erat, puta, cùm chaos durabat. At Democritus non ponebat nec instans, in quo non esset aliquis mundus. Nota.

Præterea: iste diuersos mundos dicebat substantia: Empedocles vero non nisi vnum. Hæ igitur sunt tres opiniones circa motus æternitatem.

Si igitur cõtingit aliquando nihil moueri. Tex. II.

Duplicitet cõtingere poterat mundũ nõ eẽ & postea incepisse. Primus.

TErtiam opinionẽ impugnaturus, qua motum aliquando non esse posse dicitur: distinguit dupliciter accidere, motum aliquando non esse, sed incepisse. Vno modo, vt dixit Anaxag. nempè quòd mundus factus fuit de nouo, tamen præcessit chaos tempore infinito quiescens, ex quo ipsa mens, & Deus postea mundum, & motum fecit.

2.

Altero modo, vt dixit Empedocles, qd motus incepit esse: non sic, vt ante nullus fuerit: fuit enim alius, & alius motus: sed quod post longam quietem talis motus erat. Ponebat enim motum duplicem: & cum ex mundo per amicitiã fiebat chaos, & tunc ex multis fiebat vnum: & cũ per litem ex chao fiebat mundus, & ex vno multa fiebant, puta, corpora ipsa naturalia. At quietem ponebat in spacijs intermedijs, puta, dum erat chaos, & dum erat mundus.

Carmina Emped.

Allegat autem quædam ipsius carmina, quorũ sensus hic est. Earenus fit motus, quatenus ex multis vnum, vel ex vno multa fiunt, & mutantur: id est, ex chao mundus, & ex mundo fit chaos: & sic res nõ habent firmitatem: at in hoc habent constantiam, & firmitatem, qd nunquàm prorsus pereunt, sed secundum circulum inuariabilem redeunt.

Ex hoc colligit Aristot. quòd ponebat quietem: nam dicere, (quatenus mutantur) denotatur. quòd ex vno in aliud est mutatio: & ita ex quiete vnius termini ad aliud mutatio est.

Dices:

Dices: cur, qui motum de nouo factum ponunt, necesse est, aut cum Empedocle, aut cum Anaxagora dicere: nam datur aliud medium, puta, quòd sic incepit motus, quod nec alius motus, nec quicquam nec chaos præfuit, sed sola efficiens causa, quod nos Christiani fatemur?

Respondeo, quòd hoc omisit Aristot. supponens vnum ab antiquis concessum, quod ex nihilo nihil fit, sed ex aliqua materia: & propter hoc deceptus fuit, vt posteà dicemus.

Considerandum igitur de hoc. Tex. III.

Quantum sit vtilis cognitio huius qõnis & ad res Physicas, & Metaphysicas.

PRopositis aliorum sententijs, dicit esse admodum vtile, hoc discutere: & hoc maximè est vtile ad duo. Alterum est, ad scientiam naturalem. Alterum est, ad scientiam de primo principio, qui Deus est, quæ scientia pars est Metaphysicæ.

Dices: quomodo hoc est vtile ad philosophiam naturalem? Respondet Simpli. quia data motus sempiternitate, Physicus colliget esse quoque quædam entia naturalia sempiterna, puta, cælestia corpora; & quædam alia corruptibilia. Est etiam hoc vtile ad cognitionem primi principij, quia motus est via maximè apta ad indagãdam sempiternitatem ipsius primæ causæ. Si enim motus æternus est, & ipsa causa erit sempiterna.

Incipiemus autem primum ex definitis. Tex. IIII.

Prima rõ d æternitate motus eius. Fundamẽtũ. Mobile dẽt prẽ existere motui.

MOtus æternitatẽ rationibus probare intendit. At pro prima præmittit vnum principium: puta, mobile secundum motum præcedit illũ motum, quo mouetur: vt prius est, quod potest deambulare, quàm sit deambulatio, priùs combustibile, quàm quod comburatur. Hoc autem principium dupliciter ostendit. Primò ex motus definitione, à qua probationis sumit exordium. Motus est actus mobilis, vt mobile est: ergo mobile debet existere ante actum ipsum, qui motus est. Vt enim actui præsupponitur potentia: ita motui, qui actus est, mobile præsupponitur, quod est in potetia.

Secundò probat ex communi consensu, etiam seclusa motus definitione: vt patet per species motus, & mobilis. Oportet enim præcedere alterabile. vt sit alteratio: & mobile localiter, vt mouetur, & combustibile, vt comburatur: & sic de alijs. Mobile igitur semper motũ præcedit.

Ergo & hæc necessarium est. Tex. V

Vis rõnis Arist.

EX hoc principio facit argumentum. Detur ille motus primus, qui erit si incepit esse motus: tunc mobile debuit illum præcedere. Peto, vel mobile illud fuit factum per aliam mutationem, vel non, sed sempiterno præcessit, & postea motum fuit: non enim datur mediũ inter ista: sed neutrum dici potest, vt probabitur: ergo motus nullus est primus, nec incepit.

Si igitur factum est. Tex. VI.

Mobile non esse factum.

REprobat priorem partẽ argumenti: & probat, quòd nõ sit factum mobile, Si enim factum est, per aliquã mutationem factum est: hanc autem per principium debuit præcedere mobile, & mutabile: quod si factum est, erit alia mutatio: & de hac erit idem processus: & præterea iam ille motus primus non erit primus, cũ sit prior alia mutatio, & motus.

Si autem, quæ sunt, ante erant. Tex. VII.

Mobile nõ pcessit sine motu æterno tempore.

REprobat alteram partem, puta, quòd præcessit mobile æternum sine motu. Dicit, quòd hoc irrationabile videtur etiam ijs, qui nihil dicerunt: id est, etiã ijs, qui solo intellectu vtuntur absq; habitu scientiæ: qa (vt dicit Simplicius:) cum sit mobile æternũ, & etiam mouens, non poterit assignari ratio, quare modò, & non antè mouerit.

Si añ metum fuit

Vlterius probat Aristot. dicens, quòd (parùm progressis,) id est, qui iam aliquid

qes, oportet assignare aliquā illius quietis: primo ex parte mobilis

didicerunt, ratio eōtra hoc apparebit, puta, existente mouēte primo, & mobili. Etsi aliquando est quies, aliquando est motus: necesse est dare aliquā causam quietis, qua stante, non erit motus: ergo si ad motum postea transitus fit, præcedet alia mutatio, qua aufertur causa quietis: ergo ante primum motum præcessit alius: & iterum quæretur, quare ista mutatio modo est, & non ante: & sic erit semper processus infinitus. Quòd autem aliqua debeat remoueri causa, vt sit motus, probat. Nam quies est priuatio motus: at priuatio non est, nisi aliqua ex causa motū impediente.

Aliter enim mouent singulariter Tex. VIII.

Secūda ex parte mouentis nō pōt incipere mouere ꝙ non mouebat nisi ꝑ mutationem

CVm ostendisset, non esse motū aliquando post quietem, nisi præcedente mutatione, & hoc probasset ex parte mobilis: nunc id ostendit ex parte mouentis, vt notat Simpli. Et probat, quod tam in mouentibus, quæ ad vnum determinata sunt; vt ignis ad calefaciendum, & frigidum ad frigefaciendū, nunquam accidit contraria fieri sine ipsorū mutatione, quàm etiam in ipsis, quæ ad contraria determinantur; qualia sunt agentia per intellectum, & sciētiam, Nam sicut frigidum non calefacit nisi per sui mutationem, puta, quia recedit & abest, & sciens non decipitur, nisi cōtrario modo se habeat, quàm secundum scientiam: impossibile est igitur, quòd agēs aliquod quietem illam faciat, & postea motum, nisi mutetur: vt dicit Auerro. saltem ex concupiscentia vna in aliam, qua vult mouere: non ergo erit ille motus primus.

Vnde facit argumentum generale in quocunque mouente: impossibile est, qd aliquid moueat, & aliquid moueatur, nisi sint sibi inuicē propinqua & proxima potentia: & si sic se habent, profectò fieri etiam non potest, quin sit motus.

Si igitur non semper mouebatur. Tex. IX.

Cōcludit tota 5. Ratio.

EX principio posito in fine textus cōcludit argumentum. Si fuit illud mouēs, & motū ab æterno vel sic erant, vt essent in potentia propinqua, vt vnum moueret, alterum moueretur vel nō, Si sic, fuit motus æternus. Si verò nō; ergo præcessit alia mutatio, per quam vnum aut vtrunque sibi inuicē essent propinqua, sicut in relatiuis. Cum enim de nouo vnum fit duplum ad alterum, præcedit mutatio in vno, aut vtroq; vt sic se habeant; Ita in motiuo & mobili: quod si præcessit mutatio, iam non fuit ille motus primus: & præterea, quia idē peri potest de motiuo, & mobili secundum illā mutationem.

Ad hæc autem prius, & posteri⁹. Tex. X.

2. Rō pro sempiternitate motus, à tempore.

ALteram facit rationem, qua motus sempiternitatem ostendit, quę sumitur à tempore: Ponit autem vnum principium, quod vbi est prius & posterius, ibi est tēpus: & vbi tempus est, ibi motus est. Quia tēpus, aut est motus, vt Antiqui putabant, aut numerus motus.

Ex hoc fit argumentum. Tempus est ęternum, nec incepit, nec desinet: ergo & motus est æternus. Consequentia enim certissima est. Antecedens verò dupliciter probat. Primo ex consensu omnium Philosophorum præter vnicum Platonem. Illi enim tempus dixerunt non incepisse ob id Democritus dicebat impossibile esse, omnia fuisse facta, quia saltem tempus nō potuit fieri. At Plato dixit, factum esse, quia dixit tempus simul esse cum cælo: & similiter dixit, cælum esse factum: consequitur ergo, quod tempus etiam sit factum. Aliqui volunt defendere Platonē interpretantes ipsum: sed parum refert nobis hoc: sequamur modo Aristotelem qui sic ipsum exponit, quiq; eius optimè mentem nouisse credendus.

Tēpus nō incepisse, probatur prime authoritate.

Si igitur impossibile est esse. Tex. XI.

Tēpus nō incepisse probatur.

IDem probat ratione. Quodlibet nunc temporis est simul principiū, & finis: sed impossibile est, quòd quodlibet sit principium, & finis. ergo tempus est æternū: quòd si tempus est æternum, etiam erit motus. Mimorem probat. Nam cum tempus non existat nisi ratione ipsius nunc: si inciperet tempus, vtique illud nūc, quod incipit, non esset finis, quia non præcessit aliud tempus, cuius esset finis: sicut nec vltimum esset principium, si non sequetur tempus. Non enim respectu eiusdem principium est, & finis: quod si verum est omne nunc esse huiusmodi: profecto nō incepit, nec desinet tempus.

Obiectio cōtra Ari.

Dubitabis: Nam videtur petere principium hæc ratio; debuit enim probari; quodlibet nunc esse principium & finē: posset enim hoc negari, & dicere, quòd ita se habet nunc, vt punctum: in linea autem datur primum punctum, quod non sit finis; & vltimum, quod non sit principium.

Solutio Auer.

Respondet Auerroes, quòd non est eadem ratio. Nam nunc non potest sumi nisi in motu, sicut nec tempus: Vnde sicut ante quodlibet mutatum esse, datur motus: ita ante quodlibet nunc sumptum in illo motu, datur tempus. Nam nunc respondet mutato esse: tempus autem motui, cuius & illud mutatum esse.

Reijcitur Solutio Auer.

Ista responsio non satisfacit: quia ex hoc non habetur, nisi quòd ante quodlibet nunc sumptum in motu, est tempus, & motus. Hoc tamen non sufficit facere motum, & tempus æterna, nec incepisse. Nam quamuis motus, & tempus finita sunt, adhuc tamen ante quodlibet mutatum esse, est motus: & ante quodlibet nunc sumptum in mutato esse, est motus.

Solutio D. Tho.

Propterea melius soluit D. Thomas, quòd nunc omne esse principium, & finē ex eo probatur, quòd vbi est prius & posterius, ibi est tempus: si ergo datur primum nunc, quod non esset finis, tunc prius illo nihil esset: ergo esset tempus: nam qui dicit prius, dicit tempus. Similiter, si daretur vltimum post illud, seu posterius nihil esset: igitur iam tempus: nam post, & posterius dicunt tempus: & sic non potest esse nunc, quod non sit principium, & finis, id est, quod non antecedat tempus, & quod non sequatur tempus.

Eadem autem est ratio & de eo. Tex. XII.

Motū nō habere finem.

QVia in priori ratione solùm ostenderat, motum non incepisse, quia semper dabitur motus, & mutatio prior motu primo: nunc ostendit eadem ratione posse probari, motum non habere finem, quia dabitur mutatio posterior vltima.

Suppositio.

Et ponit principium aliud. Nam sicut motum antecedit mobile, ita etiam post motum est mobile; vt post dealbationem manet corpus: & post combustionem cōbustibile .i. subiectū mutationis. Similiter in actiōe, post motionem manet motiuum, & post actionem manet actiuum.

Et ipsum autem corruptibile. Tex. XIII.

Nectitur ratio.

FAcit argumentum modo. Si post vltimum motum manet ipsum mobile, & motiuum: cum ista corruptibilia sint, alia mutatione corrumpentur: erit ergo mutatio posterior vltima. Iterū post hanc mutationem manebit mutabile, & sic alia corruptione corrumpetur: vt sit infinitus processus. Nec reprobat aliam partem, quòd illud mobile sit incorruptibile, & duraturum sempiternū; quia esset tunc ponere motum. Nam cū mobile sit, & motiuum; erit aliquando motus, sicut à principio. Ex his cōcludit quòd motum dicere incepisse, & desinitum, est simile figmēto, id est, est dictum, & non ratione probatum.

CAPVT II.

Similiter autem, & dicere. Tex. XIIII.

Cōtra Empedoclē.

COnuertit se contra Empedoclem, dicens, esse etiam figmētum, quod dicit Empedocles, nempè, quòd sit ista quies, & motus per litem, & amicitiam; quia sic res apta est fieri: Et hoc non probat, sed sumit tanquam

quàm principium. Si enim peteres: quare modò est quies, & non lis, vel econtrà? Dicebat, quia sic est natura rei: nec amplius causam reddebat. Hoc autem dicit Aristoteles esse figmentum, & absque ratione assertum.

Fortassis autem & vnum principium. Tex. XV.

Cõtra Anaxagorã

POstquàm refutauit Empedoclem, modò refutat Anaxagoram: et dicit: quòd fortasse isti, qui vnum principium ponunt, & Anaxagoras, eadem ratione vtuntur, puta, quòd chaos fuit ab æterno, sed motus tempore factus est, nõ alia ratione, nisi quia talis est natura rei, vt sic fiat. Hoc reijcit Aristo. duplici ratione. Prior est. Natura est causa ordinis, & rationis, ac proportionis: at quòd chaos æternè quiescat, & post moueatur, nullus est ordo, nulla proportio: ergo impossibile est, quòd tale sit natura rei. Maior est certa ipsa experiẽtia, quæ naturam ordinatè in suis operibus omnibus procedere ostendit: vt patet in cælorum cursibus, in elementorum dispositionibus, in animalium cæterorum generationibus. Minor probatur: Quia infiniti ad finitũ nulla est proportio, & ob id nec ordo.

No. ex Auer. meliõ assignari; cãm inceptiõis mũdi diuinã volũtatẽ.

Vbi Auerroes fatetur authores suæ legis Sarracenos melius dicere, quàm Anaxagoram: quia non in rei naturam, sed in diuinam referunt voluntatem, quòd mundus incepit esse in tempore, qui operatur, vt vult: sed hoc examinabitur posterius.

Posterior ratio est. Opera naturæ, aut semper eueniunt, aut si aliquando deficiũt, id fit ob aliquam causam, vt notum est. Diximus enim, quod effectus naturæ, aut sunt semper, aut frequenter: At quòd motus tempore incepit post infinitum transactum, non est huiusmodi: ergo nõ est opus naturæ: non ergo causa huius naturæ tribui potest.

Quare melius est, vt Empedocles.

Cõparatur sentẽtia Empedocli cũ sententia Anax

EMpedoclem comparat Anaxagoræ in hoc dicitque melius dixisse Anaxagora ipsum Empedoclem. Hic enim ab æterno posuit mundum modò quieuisse, & modo esse motum: & sic tali variatione semper se habuisse, in quo ordo quidam est, puta, quòd tempore æquali sit motus, alio verò æquali quies: & sic semper: At etiam in hoc reprehendit ipsum vnica ratione. Philosophus non debet quicquam asserere, quod non demõstratione, aut saltem inductiõe ostendat: At Empedocles illius, quod dicit, nec causam, nec inductionem aliquam adfert: ergo reprehensione dignus est, nec vt philosophus procedit.

Minorem probat: Quia vtitur lite, & amicitia pro causis: hæ autem non sufficiunt. Nam litis, & amicitiæ est congregare, & disgregare. Et hoc quidem inductione potest ostendi. Nam homines amicitia congregantur, lite separantur: & ita in mundo. At quòd tanto tempore sit cõgregatio, tanto disgregatio, hoc non inductione colligitur, nec huius causa sufficiens est lis, & amicitia. Oportebat ergo causam huius assignare, quod non fecit Empedocles.

Omnino autem existimare.

Excludit solut. q̃ adferri posset.

EXcludit responsionem. Posset quis dicere: Eorum, quæ semper sunt, non esse assignandam causam. Imò ita fecit Democritus, qui causas eorum, quæ aliquando sunt, dedit: eorum verò, quæ semper sunt, noluit dare. Ad hoc respondet, quòd non benè fecit. Nã quamuis aliqua causam non habent eorum, quæ semper sunt, vt prima principia, siuè incomplexa, vt Deus, siue complexa, vt propositiones immediatæ: * tamen multa sunt semper, & perpetua, quę tamen causam habẽt: vt triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis semper est: at causam habet, & huiusmodi multa. Debuit igitur assignari illius, quamuis perpetui, causa; quod non est factum ab ipso Empedocle.

vide 2. de gnatiõe animaliũ cap. 4.

Contraria autem hos non difficile. Tex. XVI.

Solu. Arionẽs, q̃ pbari põt motũ egisse.

TRiplici via, vt notat Simplicius, stabilitur aliquod problema: Prima est, adducere demonstrationes pro ipso. Altera est aliorum sententiam reprehendere, & insufficientiæ arguere. Tertia

est ipsorum soluere rationes. Cùm autem Aristoteles circa motus æternitatem duo priora præstitisset: nunc tertium exequitur. Ac tres rationes, quibus motum incepisse poterat probari, soluit; prius tamen ipsas proponit: quarum prima est. Omnis mutatio est à cõtrario in contrarium: at nulla mutatio, quæ à cõtrario in contrarium fit, infinita esse potest, cùm contraria finitè inter se distẽt: ergo non potest esse mutatio infinita, & sic nec æterna.

1. Ratio.

Amplius videmus. Tex. XVII.

2.

SEcunda ratio est experiẽtia. Aliquid de nouo mouetur, cùm tamen de nouo sit motus in illo, & non antè fuerit: vt cùm lapis, aut ignis mouetur: ergo potest etiam vniuersum de nouo moueri, nullo in eo præcedente motu: nõ ergo, si motus incipit, statim dabitur motus prior primo. Quòd si non potest de nouo incipere motus in aliquo: sequitur, quod quæ mouentur, semper mouẽtur: & quæ quiescunt, semper quiescũt: quod nõ est.

Multò autem magis quod tale est.

QVia responsio in promptu erat ad argumentum secundum, puta, ꝙ quamuis aliqua inanimata de nouo moueantur, non tamen motus absolutè incepit esse: quia non mouetur, nisi aliquo extrinseco motu, cui motus præcessit, quod in vniuerso dici non potest. Ob id facit tertiam rationem magis apparentem in animalibus. Animalia enim mouentur à se, cùm antè quiescerent, & non moto aliquo extrinseco: vnde non fuit alius motus præcedens in alio: ergo ita erit in toto mundo, quòd mouebitur à se post quietem non præcedente alio motu. Quod enim in mundo paruo, puta, animali, accidit: hoc etiam accidet in mundo magno, puta, ipso vniuerso. Hæ sunt rationes contra motus æternitatẽ. Addit, quòd si mundus totus potest à se moueri, etiam infinitum: si tamen infinitum moueri potest.

3.

Horum igitur id, quod primùm dictum est. Tex. XVIII.

Soluitur prima.

INcipit soluere rationes: & ad primã respondet primò. Et notat benè Simpli. quòd posset respondere facilè cõcedendo, quòd quamuis vna mutatio nõ possit esse infinita, tamen in genere possunt esse motus infiniti, vnus post alium: hoc enim in præsenti sufficiebat. Tamen non dat hanc solutionem, sed responder, quòd etiam potest vnus motus continuus esse infinitus. Ob id dicit ad argumentũ: quòd benè in hoc dicit, quòd vnus motus à contrario in contrarium non est infinitus, quamuis fortassè possit esse vnus infinitus hoc modo: si ab albo in nigrũ, & iterum à nigro in album, & hotũ fiat perpetuus regressus in vnico subiecto; sicut cum chorda percutitur, tunc mouetur sursum, & deorsum, vel dextrum, & sinistrum multiplicando motus: quòd si hic est vnus motus: illud non est absolutè verum. Tamẽ si isti sunt plures motus, nec sufficit vnum subiectum, tunc benè procedit argumentum. Hoc tamen in præsenti non determinat, sed dicit, quòd sat nobis sit, quòd est aliquis motus æternus, puta, circularis, quia non sit inter contraria, vt dicetur posteà. Et ita falsum est, omnem absolutè motum esse inter contraria. De motu chordæ, & an motus reflexi continui sint, posteà disseremus.

Moueri autem id, quod non mouetur. Tex. XIX.

Soluitur 2.

REspondet ad secundum, & dicit; Quòd nihil prohibet in particulari moueri, quod antè non mouebatur; tamen hoc fit, quia aliud extrinsecum prius mouetur, vt dictum est.

Dubium.

At dubium est, quare cùm sit causa motiua semper, fit, vt aliquãdo moueantur res, & aliquando non.

Solutio.

Respondet, quòd hæc quęstio est eadem cũ alia, puta, quare quæ mouentur, nõ semper mouentur;

uentur; quæ quiescunt, non semper quiescant: quæ tractanda est in capite sequēti. Sat sit modo argumento proposito satis fecisse, puta, quòd præcessit motus in alio.

Maximè autem videbitur.
Tex. XX.

Soluitur 3.

SOluit tertiam rationem, in qua magis apparere difficultatem docet eò, quòd nullus videatur motus exterior, qui animalium motus sit causa. Docet tamen, quòd verè est motus exterior, nam animalia mouentur eo, quòd à continente moueantur. Continens autem, quod est aer, vel cælum, vel exteriora ista, mouent ea, quæ in animali sunt, puta, corpus, appetitum, aut phantasiam; quibus motis, animal mouet se: & ita re vera est. Si enim animal ambulat, prius appetitu alicuius exterioris est motum: imò intra ipsum sunt mutationes neruorum & aliorum, quæ non apparent: vnde non est ille motus primus, cum mouetur exterius localiter.

Et ponit exemplum de dormiente, qui aliquando à se videtur vigilare: & non ita est, nisi alio motu interius facto, puta, quòd calor naturalis consumpsit vapores occludentes meatus neruorum, & impedientes motum spirituum in cerebro.

Dubiū de animalib. an sint principia actiua sui motus.

Dicet quis: ergo iam animalia non sunt principia actiua cuiusque motus, cum ab extrinseco moueantur. Respondet Aristoteles, verum id esse, animalia enim augmenti & localis motus habent actiuum principium; non tamē aliorum omnium: imò ab istis rebus exterioribus patiuntur: calefiunt enim & frigefiunt alimentum, cibum, & animalia recipiūt: similiter à rebus exterioribus species & cognitionem capiunt.

Vnde patet, quòd cum animal se mouet, licet non appareat extrinsecus motor, tamen re vera est præcedens alius, & alij motus; antequam animal se ipsum secundum locum moueat, & antequam se ipsum nutriat, & augeat.

An mundus cum motu, & tempore habuerit initium.
Quæstio. I.

Occasiō.

QVamuis ista difficultas nulla sit apud nos Christianos, qui fide certa, & quæ decipere non potest, teneamus, omnia facta à Deo in tempore, solumque ipsum esse ęternum; tamen quia Aristoteles, & aliqui alij Philosophi errantes in hoc, diuersa senserunt, & à veritate manibus argumētis depulsi sunt; oportebit hoc contra ipsos discutere, & ipsorum rationes fallaces ostendere. Nulla enim ratio, quæ cōtra fidem nostram adducitur, vera esse potest, quia vero veritas non repugnat. Quamuis & res fidei supra naturalem ordinem sint, non tamen sunt contra ipsū: & hoc quidem ostendemus nos in difficultate præsenti, Dei auxilio: quod quidē facere præcipit sacrum Concilium Lateranēse tertium, Sessione octaua, sub Leone x. Nota. Nota.

Ethnici Philosophi inquitur cōueniebāt no biscum. Aliquid ens fuisse ab ęterno

Adverte igitur imprimis: quòd Ethnici Philosophi circa præsens dubium in quatuor conueniebant cum his, quę modo nos secundum fidem fatemur. Primū est: Aliquid præcessisse, & fuisse ab æterno, quiequid illud sit: & hoc euidenter probatur. Nam si nihil esset prorsus aliquando, impossibile profecto esset, aliquid postea esse. Nihil enim non facit, nec facere potest aliquid; nec idem se ipsum.

2. Causā efficientē fuisse ab æterno.

Secundo conueniunt: Causam efficiētem fuisse ab æterno. Non dico vnam, aut plures; sed absolute, siue vna, & eadem sit, siue alia & alia. Et hoc irrefragabiliter conuincitur, vt egregie docet S. Thom. text. 4. siue motus ab æterno ponatur, siue non. Si enim motus est æternus, & debet motor ab æterno præexistere: Si autem motus incepit, non vtique incepisset, nisi causa præexisteret effectiua ante tempus, & motum: imò profecto melius probatur æternitas & potestas efficientis, si mundus incepisse ponatur, quàm si non incepit, vt alibi ostendemus.

3. Nō omnia q̄ sunt facta, sūt interitura.

Tertiò conueniunt: Non omnia, quæ facta sunt, esse in æternum destruenda.

Dicunt

Dicunt enim duraturum mundum sempiterno. Et in hoc partim nobiscum cōsentiunt. Dicimus enim nos; mundum duraturum in perpetuum, licet non cum motibus, & generationibus horum, sed secundum partes principales, nempè cælos, & elementa. Similiter homines resurrecturos, & in perpetuum duraturos.

4. Genitū esse mundum oēs ante Aristotelem dicebant.

Quarto: Mundum esse genitum omnes antiqui Philosophi ante ipsum Arist. posuerunt, vt Anaxagoras, Democritus, Empedocles, Mehssus, Plato cum cæteris; sed ipse Aristo. omnium primus ingenitum, & æternum fecit: vt de se ipse met ait 1. de cælo, tex. 102. Imò vero ab ipsomet Deo mundum fuisse factum asserunt Plato in Timæo vnà cum tempore, & duraturum perpetuò; sicut & nos: & ante illum quoque Anaxagoras, factū esse à mente dixit, & infinito antè tempore mentem, antecessisse, & posteà mūdum fecisse, quàm Deum haud dubiè esse intelligebat.

5. In quo à nobis dissident, dari aliquod æternū præter primū principiū.

At in quinto differentia est nō solùm nobiscum, sed inter se. Nam plerique eorum dicunt, non solùm principium esse æternum, puta, efficiens: sed etiam aliud præter ipsum. Anaxagoras enim chaos, & materiam æternam ponit, ex qua producatur mundus. Alij æternos ponunt athomos, ex quibus generetur, vt Democritus. Alij, vnum elementum. Alij plura elementa, vt Empedocles, &c. Aliqui etiam non vnum, sed plures & infinitos, aiunt, genitos mundos, vnum post alterum, vt dení Democritus. Aristoteles autem (vt diximus) omnium primus, & qui illum sequuntur, mundum ingenitum, & ab æterno, ponit. Sic ergo inter se differunt. At nostra fides soli Deo æternitatem concedit: omnia facta cum tempore docet.

Radix errorū Philosophorū alia ęterna prēter Deum ponentiū, q̄ nil putabāt fieri posse ex nihilo, sed ex aliqua materia.

Radix autem errorum Philosophorū illa alia æterna, præter Deum, ponentiū fuit: quia nihil ex nihilo fieri posse putabant, etiam à prima causa; sed ex aliqua materia. Ob id autem mundū æternum, aut materiam ęternā, ex qua mundus in tēpore fieri posset, constituebant: & ita fatetur Auerr. Com. 4. vbi id ostendit, quòd ex nihilo nihil fit: & dicit, vulgus existimare, quòd aliquid potest ex nihilo fieri: quia decipitur in duobus. Alterum est, quòd putat vulgus, nihil esse, quod non videt. Et quia aliquando expe. ritur fieri aliquid visibile ex eo, quod nō videt, putat ex nihilo fieri: quod tamen falsum est. 1.

Alterum est: quia putat esse potentiæ imperfectę agere aliquid ex materia: cūq; Deus sit perfectissimus, non debet agere ex materia, sed ex nihilo. Et decipitur, (inquit,) vulgus: quia agere ex materia, non est propter imperfectionem agentis, sed propter naturam motus, & mutationis, quæ necessariò requirit subiectum. 2.

Nota cōtra Auer.

Sed profectò magis decipitur Auerr. Nam quamuis ex natura motus sit agere ex subiecto, tamē imperfectio est per motum, & mutationem agere. Et perfectius est, in actione, à nullo alio extra se pendere. Et potius ipse cum alijs Philosophis ideò sic existimarent, quòd viderent homines, & artifices non nisi ex aliqua materia aliquid facere, & ex nihilo nil posse facere: & ita de Deo idē stultè putārunt, præterquam quòd ex nihilo, tanquam ex causa efficiente, verum est, nil posse fieri. at existēte causa efficiente, nō fiunt simpliciter ex nihilo scilicet, sed ex aliquo, à Deo, quamuis non ex aliquo, tanquā ex materia. Denique ista fuit radix erroris omnium illorum Philosophorum Ethnicorum alia ponentium æterna.

Quæ & quot sint faciēda in hac quæstione.

At vt omnia ista explanentur, faciem? quatuor. Primum oportet rationes Philosophorum, præsertim Aristotelis, & sequacium proponere pro suo errore. Secundò: aperire, quid fides dicat, & Aristotelem, ac alios malè sentientes Philosophos redarguere. Tertiò: ad quæstionem respondere. Quartò: ipsorum soluere rationes fallaces.

Prima pars q̄stionis Aristo. & aliorum male sentientium. rōnes. ponūtur. 1. Argum. pro ęternitate.

Hæc autem sunt fortissima argumenta ipsorum pro mundi æternitate, quæ partim ex Procul. partim ex Auerroe collegimus, omissis alijs multis, quia hæc præcipua sunt.

Primò. Si Deus fuit ab æterno, & mūdum non produxit, id petitur statim: Aut potuit, & voluit: aut nec potuit, nec voluit: aut voluit, sed non potuit: aut potuit, sed nō voluit. Si primum detur: profectò mundus fuit ab æterno. Si verò alterum, quod nec potuit, tunc nec voluit, se-

fuit, sequitur, quòd nec posteà vellet, nec posset, & esset imperfectus, & perfectior posteà. Si tertium, quòd voluit, sed non potuit; pariter esset id imperfectiōis, quæ repugnat primo principio. Si quartum, potuit, sed non voluit, fuit inuidus: quia cùm posset bonum communicare, noluit id facere. Cùm igitur nihil ex his dici possit: sequitur, quòd mundus æternus fuit.

2. Secundò. Causa in actu, simul est cum effectu in actu: sed Deus ab æterno fuit causa in actu: ergo debuit esse effectus in actu, puta, mundus. Quòd si neges minorem: sequitur, quòd Deus sit in potentia causa, & potētia opifex: ergo factus est in actu ab aliqua causa in actu, quia omne potentia tale, fit actu ab eo, quod est tale actu: & sic est mutabilis. Et vlterius quæretur idem de illa alia causa, & dabitur processus in infinitum, nisi perueniatur ad aliquam actu ab æterno, qua posita, & mundus erit æternus.

3. Tertiò. Deus est exemplar huius mundi, qui ad ipsius est productus similitudinem: sed exemplar est æternum: ergo & ipsum exemplatum: sunt enim correlatiua simul.

4. Quartò. Omne id, quod producit effectum modò, & non antè, aliā habuit proportionem modò ad effectum, quā non habuit antè. Si ergo Deus de nouo produxit mundum: ergo de nouo habuit aliquam proportionem, quam antè nō habuit: ergo est mutatus: quòd si nō secundum locum, saltem secundum concupiscentiam, & voluntatem, quam de nouo habuit producendi mundum.

5. Quintò. Perfectiori modo se habet causa cu est actu, quàm cùm est potentia: sed Deus est perfectissima causa ab æterno: ergo ab æterno fuit actu, & operans: ergo & ipse mundus ab æterno fuit.

6. Sextò. Si mundus incepit, pariter etiā tempus: sed hoc non potuit habere initium: ergo nec ipse mundus. Minor probatur: incepit tempus: ergo dabitur primum Nunc, ante quod non fuit tempus. Tunc si cuilibet Nunc correspōdet mutatum esse in motu (non enim tēpus est extra motum:) ergo illi primo. Nunc, respondet mutatum esse in aliquo motu. At ante quodlibet mutatum esse est motus: ergo etiam ante illud Nunc erit tempus, quod sit in illo motu. Et sic nunquā dabitur primum Nunc, ante quod nō sit tempus: non igitur principium habere potest.

7. Septimò. Si incepit tempus: ergo aliquando non fuit. Desinet: ergo aliquando non erit. At, Aliquādo, dicit tempus, & durationem: ergo erit tempus, cùm nō erit; & fuit tempus, cùm non fuit: quod est impossibile.

8. Octauo. Si incepit esse mundus aliqua mutatiōe incepit: at omnis mutatio subiectum necessariò supponit: ergo antequā mundus esset factus, fuit subiectum: non ergo ex nihilo factus est. Nec potuit fieri, quia omnis mutatio fieri non potest sine subiecto: ergo si mundus esset generatus, vtique destrui posset. Sed mundus est incorruptibilis: ergo fuit ingenerabilis. Minor probatur. Si mundus corrumpi posset, maximè ab eo, qui fecit eum: sed ab hoc non potest: ergo à nullo. Probatur minor. Si à Deo corrumpi potest, & id est possibile, ponatur inesse: tunc vel mundus erat perfectus, vel non. Si non: ergo nec causa fuit perfecta, quod absonū est. Si autem perfectus fuit: ergo à Deo dissolui non potest, quia praui hominis est, & vitiū, perfecta destruere: At Deus nullam potest committere prauitatem, & sic nec mundum destruere. Hæc sunt argumenta, quibus maximè innixi sunt Arist. cum sequacibus ad mundi æternitatem sibi persuadendam; non solùm contra fidem militant, sed etiam contra omnes antiquos Philosophos mundum generantes.

2. Pars quæstionis, quæ Fidei sentiat. Primū.

Circa secundum aduerte, quòd Christiani in hac parte quatuor tenemus. Primum est: Deum esse liberam causam, ita, vt producat, & etiam possit non producere mundum, & effectus omnes: qua in re quid senserit Aristot. inferius ostendemus. Aliqui certè veteres, liberū esse, vt Plato; aliqui, vt Anaxagoras, & Empedocles ipsum esse causam necessariam videbātur asserere, quia (vt diximus, in textu) causam, quare modò esset mundus, & non antè, in naturam rei referebant, & non in Dei liberam voluntatem; quāuis de Anaxag. non ita sit certum, cùm Arist. fortassè, ait, Anaxagoram eandem rationem

tionem redditurum, quam Emped.

2. Secundò. Fatemur nos, quod ex nihilo produxit omnia, & mundum totum in tempore ita, vt si vellet, posset antè producere, & post, & nō producere, prout ipsius voluntati diuinæ, & liberrimæ placuisset. At Aristoteles dicit productū æternum mundum, ita, vt aliter fieri nō posset. Anaxagoras, tunc fuisse in tempore productum, vt non antè, nec pòst posset.

3. Tertiò. Fatemur, quamuis gloriosus Deus in tempore produxit mundū, non tamen est mutatus in voluntate; quia ab æterno voluit mundum producere tunc, cùm illum produxit: sicut qui potest cœnare modo, & vult cœnare post tres horas: non ergo voluntas Dei mutata est, & innouata, sed ex voluntate æterna, & libera processit opus nouum, & in tempore: & hoc non potuerunt Philosophi intelligere, vt notat B. Augustinus libro 11. Ciui. cap. 4. Quomodo, si de nouo mundus est productus, non fuit mutata Dei voluntas?

4. Quartò. Fatemur, quòd ista mundi, productio est sine mutatione. Creatio enim non est mutatio: nā si mutatio esset, vtique esset aliquod præcedens subiectum. At nullum est, quia totus est factus mundus ex nihilo: ob id simplex productio est, nulla mutatione existente ipsius producti, aut producentis. Nisi placet ipsum productum esse, quod simul incipit cum re, instātaneam dicere mutationem rei: quia fit primò res cùm anteà non fuerit, sicut etiam, formæ sunt, cùm anteà non sint, vt sit transitus de non esse ad esse; aliæ verò mutationes sint transitus ab vno esse ad aliud: sed nos inferius dicemus de hac re.

Redarguuntur Arist. & ei consentiēntes Philosophi ex cōtradictionibus, quæ sunt in Arist. si mūdus ponitur ab æterno.

Sed iam, vt promisimus secundo loco, ipsum Aristotelem redarguamus in suis dictis, & alios suos sequaces. Nam si causam necessariam, vt aliqui volunt, ponit Deum: simul etiam mundum æternum. Et non esse ex nihilo productionem, sed cum subiecto aliquo; multa sequuntur, quæ implicant in ipsius doctrina. Primū. Ipse docet, numerum non posse esse infinitum, quia numerari non potest infinitum. Præterea. Docet, infinitum actu esse inconsummabile. Præterea. Infinitum nō habere proportionē, nec dici maius, aut minus altero: Sed hæc omnia destruuntur, si mundus ab æterno ponitur. Primò enim numerus datur infinitus: nam dies infiniti, & homines, & equi transacti sunt. Quòd si dicatur: non sunt ista simul. Profectò ista euasio nullius est momenti. Nam cùm numerus, vt numerus est, non dicat, nisi solam partium multiplicitatem, & ordinem: quòd illæ partes existant, vel non; impertinens est ad numeri rationem, & naturam. Prima implicatio.

Et probatur: Quòd illa nō sint simul, Vel est repugnantia propter numeri rationem: Et hoc non, quia (vt dixi,) ratio numeri in multitudine consistit. Vel quia illorum omniū quantitates non possunt simul consistere: Et iam hoc nihil est: quia id non est ex parte numeri, sed ab extrinseco. Cùm autem ipse numerum, vt numerum, esse infinitum non posse doceat, incidit in laqueum, dum æternum mundum ponit. Præterea, quia tunc etiam sequerentur eadem inconuenientia, quæ ipse, & alij inferunt cōtra infinitum. Nā numerus hominum, & Leonum, maior esset, quàm hominum tantūm: haberet ergo proportionem infinitum ad finitū. Et vlterius. Si tempus infinitū est transactum: ergo infinitum actu transactū est. Similiter de hominibus, & alijs omnibus; quæ cùm infinita sint, at vnum post aliud transactum est.

Est secunda implicatio notanda. Deus, vel cognoscit omnes hos effectus in indiuiduo, vel non. Si dicas, quòd non; profectò est argumentum, vel quia noluit, vel quia non potuit. Si dicas, quia non potuit, quis hoc credet, quòd Deus, qui causa est horum, non possit vnum hominē distinctè cognoscere, quod est cōcessum alteri homini? Et præterea: quia si voluit orbem, quomodo potest esse, quòd non possit cognoscere singulas circulationes. 2.

Quòd si potuit cognoscere, vel cognouit, (quia parum refert si de potentia, vel actu loquamur,) tunc peto, vel simul omnia cognouit, & potest cognoscere; vel successiuè modò hæc, modò illa. Si successiuè, iā Deus mutabilis est secundum suam scientiam, & de nouo potest cognitionem acquirere: & ita fateberis, quòd

cognoscit has circulationes, & posteà obliuiscitur harum, & alias cognoscit.

Quòd si dicas vt dicendum est, q̃ omnia simul cognoscit; euidenter colligitur esse infinitæ potentiæ, & naturæ quia actu infinitum non potest simul comprehendi, nisi à potentia infinita: At quæ cognoscit, infinita sunt: quòd si infinitę naturæ est, & potentiæ, non est agens necessarium: quia ab agente illimitatæ potentiæ necessariò agenti nõ procedit finitus effectus. Et vlterius, saltem potuisset mũdus perfectior fieri, vel alia producta fuisse. Quare ergo producta non sunt? Profectò nõ inuenietur causa, nisi recurras ad liberam actionem causæ.

Deus in Arist. principijs infinitus, & liber euidenter cõuincitur.

Attẽde igitur, in quas redigitur angustias Philosophus. Nam aut debet concedere, Deum ignorare ipsa, quæ facit, aut mutari in scientijs, & cognitionibus suis: aliàs profectò infinitus euadet, & liber: Quòd si liber, vtique potuit mundum nõ ab æterno producere.

Nota. Inconuenientia, quę consequũtur sentẽtiã Arist.

3. Est tertia magna implicatio. Nam, vel Deus est causa efficiens huius mũdi ęterna, vel non. Si dicas, non esse causam efficientem Deum & repugnans Aristot. & eius interpretibus grauioribus, & ratione etiam videtur impossibile: nam mundus hic finitus est, & limitatus, & perfectionis determinatæ: ergo necessariũ est, quòd aliqua causa sit determinans, & tãtam perfectionem, & non maiorem communicans: præsertim cùm numerus horum finitus sit.

Qũo euidẽter cõcludatur, Deum esse efficientem causam Mundi.

Prætereà: Quia cæli non haberẽt motum ab alio, nisi esse haberent motum ab alio: Quomodo enim si cæli sunt à se, nec ab alio esse accipiunt, suum motum ab alio haberent?

Quòd si dicas, Deum esse causam efficientem, sed tamen quæ ab æterno mundum producit necessariò, & ita sensisse Aristotelem, & alijs. Tunc si efficiẽs causa fuit, vtique produxit mundum. Nam impossibile est, quòd sit efficiens, aut agens causa, nisi agat, & producat. Si ergo produxit: profectò ex nihilo produxit.

Qũo deducatur euidenter Deum fecisse mundũ ex nihilo.

Dices; Illa nõ fuit, nisi emanatio quędam mundi à primo principio. At verò hoc non est aliud, quam dicere, quòd fuit simplex productio absq; mutatione, cũ non præsuisset subiectũ: & hoc est, quòd nos ipsi confitemur.

Nota. Emanationem quoad hoc, quo est, ex nihilo produci, idẽ esse cum creatione.

Attende ergo summoperè: quòd dicere, causam efficiẽtem, aut agentẽ Deum, est dicere, quòd mundum ex nihilo fecit. Illa enim simplex emanatio creatio est; & creatio ab ęterno. Sed in hoc esse differẽtia solùm, quòd illa emanatio liberè à Deo esse, & non æterna poneretur: aut necessaria, & æterna: non tamen ob hoc negari potest, quin sit ex nihilo productio: sicut qui inter nos docent, Deũ potuisse ab æterno mundũ producere: profectò illam emanationem ponerẽt liberam tamen. Vide ergo quanta sit veritas nostræ fidei, quòd etiam Philosophi negantes ex nihilo fieri aliquid posse, nolẽtes, & non aduertentes idem fateantur: & hoc negare, est dicere, Deum non esse causam mundi, vel nõ causam omnium: quod est falsissimum.

Et multò magis hoc apparet in elemẽtis, & alijs naturis corruptibilibus. Si enim ista corruptibilia sunt secundũ suas partes quaslibet, quis poterit sibi mentis cõpos persuadere, non habuisse efficientem causam æternam? Hoc etiam considera, quia multùm pro veritate facit cõtra Philosophos. Prætereà. Non minoris potentiæ est dare alicui esse ab æterno, quàm dare ei esse in tẽpore: si ergo Deus potuit dare esse mundo ab æterno: ergo etiam potuit in tẽpore dare esse, quæ est ipsa mundi creatio, quam diximus.

Quarta implicatio est in ratione Arist. quæ fortissima habetur. Est igitur aduertendũ has obiectiões esse Philoponi, quas conatur Simplic. refellere, & similiter alteram Auerrois repræhendit, sed malè, vt posteà ostendemus. ac, reuera, vterq; videtur vel non intellexisse rationes Philoponi; vel si hoc non, quòd sint valdè apertè obstinato animo noluisse conuinci ab ipsa veritate: sunt enim obiectiones eneruantes prorsus rationes Aristotelis, quæ sunt contra illud principium tex. 4. quòd mobile debet esse ante motum prius tempore. Et id probat ex definitione motus: tunc illa definitio competit motui æterno, & motui finito: ergo motum æternum pręcedit mobile; non ergo est iam motus ab æterno. Quòd si dicas: motum finitum antecedit mobile, nõ in-

Etiam obiectio cõtra primã rationem Arist.

finitum.

finitum. Hoc est gratis dictum, & petitio Principij. Nam sicut æternus motus est simul cum mobili, ita etiàm esse potest finitus motus. Et contrà, si motus finitus non potest simul esse cum mobili: ergo nec infinitus, nec potest id iam ex definitione motus ostendi, vt Aristoteles ostendebat.

2. obiectio.

Altera obiectio est. Quòd potest simul res cum motu produci: vt gutta aquæ quæ tunc cùm in aere producitur, incipit moueri: & ignis fit in aere, & tunc ascendit. Ita similiter mundus productus incipit moueri secundum partes, & motus, tempus simul cum mobili produci possunt.

Solutio Auer.

Dicit Auer. quòd gutta non tunc fuit: nam antè fuit aer, ex quo facta est. Sed q̃d hoc ad rem? Non enim aer est mobile illius motus deorsum, sed gutta.

Reijciur Solutio Auer.

Prætereà. Quia cùm nos nõ dicamus, quòd mundus, qui cum motu simul productus est, fuit factus ex aliquo, sed ex nihilo, sic nihil concludit contra nos ratio Aristotelis. sed solùm probaret contra illos Philosophos, qui dicebant mundum factum per motum ex aliquo, cõtra quos ipse disputabat. Nec similiter altera ratio ipsius quicquam probat, vt dicemus in argumento septimo.

Pars quæstionis, in qua redditur ad quæst. à Conciu.

Circa tertiã quęstionis partem respõdetur ad quæstionem: & sit prima cõclusio, Potuit Deus mundum de nouo producere, & creare eo modo, quo nos productum ponimus.

Nõ proconclusio ac.

Est autem notandum, quòd modò loquimur de potentia: hoc enim magis ratione naturali comperiri potest: de facto tamen, an ita fecerit, dicetur post. Conclusio hæc est contra Aristot. & ferè contra omnes Philosophos Ethnicos: sed probatur fortissimè ex duplici radice. Altera est, quòd Deus est libera causa. Altera est, quòd potest ex nihilo facere. Est igitur primum argumentum. Deus est causa libera, nec vlla necessitate tenetur, quin possit non facere: ergo potuit non operari, & sic mundus non fuisse potest ab æterno. Ista consequentia est indubitabilis: difficultas tota est in antecedenti, quod multipliciter probatur. Primò. Deus est infinitæ virtutis, vt suprà probatum est: ergo non potest esse agens necessariũ. Probatur consequentia. Nam agens necessariò, agit secundum vltimum suæ potentiæ: quòd si Deus ageret secundum vltimum suæ potentiæ, vtique mundum perfectiorem faceret, imò, & infinitum.

Nota de liber. Dei.

1.

2.

Prætereà, secundò. Ab agente necessario vno, nõ, nisi vnum procedere potest: at mundus plures naturas, & diuersas cõtinet, quæ non nisi per accidens vnũ faciunt: ergo impossibile fuit ab vno agente per se, necessariò procedere: primùm eius effectum, qui esset vnum per accidẽs, & non potius vnum per se. Nec valet dicere, quòd diuersitas materiæ facit diuersitatem hanc: nam etiam materia, & omnia à Deo sunt.

3.

Prętereà tertiò. Quia in mundo potest de nouo aliquid esse, vt species, quæ arte, & industria fit: & mulus, & plantæ, & alia huiusmodi, quæ arte, & vi naturæ, producuntur. Vel ergo Deus potuit ista facere ab æterno, vel non. Si non: manifestè falsum est, vt visum fuit. Si verò sic, & nõ fecit, profectò non potest, nisi liberam ipsius referri voluntatem, quia ita voluit.

4.

Prætereà quartò. Quia diuina volũtas est causa voluntatis humanæ: at ista est libera: ergo etiam diuina. Necessariũ enim quomodo facit liberum: & quod melius est, nempè Deus, cur liber nõ erit? Profecto satis liquet, & conuinci potest, liberum esse Deum circa mundi productionem. Imò verò ex principijs Aristot. idem cõuinci posse. Sed posteà quæremus circa Dei libertatem, quid senserit Arist. Satis nunc sit ex veritate conuicisse, Deum esse liberum in suis operibus, atque adeò in mundi productione.

Qũo probetur Deũ posse aliquid facere ex nihilo ratione naturali.

Alterum etiam probatur, quòd ex nihilo produci possit aliquid ab ipso. Primò Ipse est infinitæ potentiæ: sed hæc nõ potest exerceri in effectu infinito, quia infinitum non est factabile: ergo erit in modo, quia infinitè producit, quod non est aliud, quàm ex nihilo producere.

1.

Prætereà secundo. Quia est causa efficiens, (vt diximus,) vniuersi: ergo ex nihilo producit. Consequentia probata est satis clarè in superiori parte quæstionis.

2.

Prætereà tertiò. Quia omnium principio primo danda est actio nobilissima omnium naturalium: at omnes naturales sunt cum mutatione: ergo prima erit sine

3.

m

mutatione, & sic sine subiecto: vnde errabant in hoc Aristot. & alij Philosophi. Nō enim per actiones naturales debebāt colligere, similem esse actionem Dei: sed potius esse suprà omnes illas.

4. Præterea. Vt natura est supra artem, ita & Deus supra naturam. Nam natura facit materiam arti, vt benè notat S. Thom. quia facit lingnum, & reliqua, ex quibus ars operatur. Ergo & Deus faciet materiā naturæ, & ita ex nihilo faciet rem, quia non est alia materia. Cum igitur Deus ex nihilo possit operari: potest absque dubio mundum in tempore facere: & est argumentum hoc potissimum. Addamus pręterea alias rationes, ex D. Thoma, Contra gentes lib. 2. cap. 16. ex pluribus quas ibi adfert pulcherrimas. Sit ergo quita ratio.

5. Quātò aliquis effectus est vniuersalior, tanto habet propriam causam aliorum: quia quantò causa est altior, tanto ad plura virtus eius extenditur: Esse autem est vniuersalius, quàm moueri: sunt enim quędam entia immobilia, vt etiam Philosophi tradūt, vt lapides, & huius: oportet ergo, quòd supra causam, quæ nō agit nisi mouendo & trāsmutando, sit illa causa, quæ est primum essendi principium. Hoc autem ostendimus esse Deum. Deus igitur non agit tantummodò mouendo, & transmutando. Omne autem, quod nō potest producere res in esse, nisi ex materia præiacente, agit solùm mouendo, & transmutando. Facere enim aliquid ex materia, est per motum, vel mutationem quandam. Non ergo impossibile est producere res in esse sine materia præiacente: producit igitur Deus res in esse sine materia præiacente.

6. Præterea: quod agit tātùm per motū, & mutationem, non competit vniuersali causæ eius, quod est esse: Nō enim per motum, & mutationem fit ens ex non ente simpliciter: sed ens hoc ex non ente hoc. Deus autem est vniuersale essendi principium, vt ostensum est: non igitur sibi cōpetit agere tantùm per motum, aut per mutationē: neque igitur sibi competit indigere præiacenti materia ad aliquid faciendum.

7. Amplius. Vnumquodque agens sibi simile agit quoquomodo: agit autē vnumquodque agens secundum quòd actu est: Illius igitur agētis erit producere effectū, causando aliquo modo formam materiæ inhærentem, quod est actu per formam sibi inhęrentem, & non per totam substantiam: vnde Philosophus 7. Metaph. probat, quòd res materiales habētes formas in materijs, generantur a materialibus agentibus habentibus formas in materia: non à formis per se existentibus. Deus autem non est ens actu per aliquid sibi inhęrens, sed per totam suam substantiam: vt suprà probatum est: igitur proprius modus suæ actionis est, vt producat rem subsistentem totam, nō solùm rem inhærētem, scilicet formam in materia. Per hūc autem modum agit omne agens, quod materiam in agendo non requirit. Deus igitur materiam præiacentem non requirit in sua actione.

8. Amplius. Quorunculque in rerum natura est aliqua proportio, & aliquis ordo, oportet vnum eorum esse ab alio vel ambo ab aliquo tertio. Oportet enim ordinē in vno constitui; respondendo ad aliud, alias ordo vel proportio esset à casu, quē in primis rerum principijs ponere est impossibile: quia subsequeretur omnia magis alia esse à casu. Si igitur sit aliqua materia diuinæ actioni proportionata, oportet, vel quòd alterū sit ab altero, vel vtrunque à tertio. Sed cum Deus sit primum ens, & prima causa, non potest esse effectus materiæ, nec potest esse ab aliqua tertia causa: relinquitur, igitur si inuenitur aliqua materia proportionata diuinæ actioni, quòd illius ipse sit causa.

9. Adhuc. Quod est in entibus primum, oportet esse causam eorum, quæ sunt: si enim non essent causata, non essent ab ipso ordinata, vt iam ostensum est. Inter actum & potentiam talis est ordo, quòd licet in vno & eodem, quod quandoque est potentia, quandoque actu, potentia sit prior tempore, quàm actus, licet actus sit prior natura: tamen simpliciter loquendo oportet actum potentia priorē esse: quod patet ex hoc, quòd potētia non reducitur in actum, nisi per ens actu: Sed materia est ens in potentia: ergo oportet, quòd Deus qui est actus primus & purus, sit simpliciter ea prior, & per cōsequens causa ipsius: non ergo suæ actioni pręsupponitur materia ex necessitate.

Item

10. Item. Materia prima aliquo modo est, quia est ens in potentia: Deus autem est causa omnium quæ sunt, vt supra ostensum est: Deus igitur est causa materiæ primæ, cui nulla præexistit: diuina igitur actio materiam præexistētem nō requirit.

Conc. Secunda conclusio. Mundus à Deo cū ipso motu, & tempore de nouo est factus: Mundum quidē esse genitum in vniuersum consensus est omnium antiquorum Philosophorum ante Aristot. vt diximus ex ipsius Aristot. testimonio. ex quibus aliqui etiam cum motu & tempore factum concedunt, & omnia ex Deo nulla materia, aut subiecto præsupposito esse facta, & ipsam quoque materiam à Deo factā, vt postea dicemus quęstione sequēti. Sed nota ex Alberto tract. 1. c. 13. quòd cum audis, mundum de nouo productum, nō sic intelligas, q̄ præcesserūt inter Deum, & mundum anni, dies, horæ, & tempus. Non enim præcessit, nisi æternitas Dei, quæ semper eadē est, fuit, & erit. Et quāuis antè & antè mundus esset factus, semper esset æternitas, in qua esset Deus, & mundus post. Vnde nō expectauit Deus tempus, nec durationem aliam, vt mundū faceret, quia non est successio in eo. Hanc conclusionem, quæ de fide est, hoc loco non probamus rationibus, aut testimonijs, quòd sequenti quæstione manifesta futura sit, cum probatum fuerit, mundū non posse esse ab æterno.

Nota ex Alb.

His igitur constitutis, descendamus ad vltimam quæstionis partem, qua soluamus fallacia Philosophorum argumēta.

1. Pars q̄stionis. Solūtur Arist. & fallacijs Graphiæ Ioan. Ad primum.

Ad primum dico: quòd Deus ab æterno potuit, & ab æterno voluit producere mūdū: verùm non producere ab æterno, sed in tempore. Quod est dicere: Deus habuit hanc voluntatem æternā, volo producere mundum in tempore, vt dictum est iam.

Cur voluit Deus mundū potius in tpore, & fuit me ab æterno.

Nec est inuidiæ adscribendum, quòd nō antè fecerit, sed suę diuinæ voluntati, quę causa prima est. Nam nō facere bonum, cum possis, non est inuidiæ: debet enim bonum fieri, cum oportet, & quomodo oportet. Ita decuit diuinam voluntatem, mundum in tempore facere, quia non oportebat, creaturam esse suo creatori cōternam. Et vlterius ita factum est; vt nobis ostenderet, Deum non eguisse ipsum hoc mundo, sed mundum ipsius egere. Et vlterius: vt cognosceretur clariùs ipsum authorem omnium, quod cognosci vix posset, si mūdus esset coæternus. Rursus, vt sic clariùs cognosceretur esse creatorem. Item, vt sic cognosceretur meliùs, & clariùs esse infinitæ virtutis, qui ex nihilo fecerit. Postremò, vt cognosceretur esse agens liberum, quia produxit, cū voluit. Demum, quia sic homines illum timeāt, honorent, venerentur, cū videant omnia ab ipso eius nutu, & potestate pendere, ac voluntate. Ob has ergo causas Deus meritò voluit, & ita fuit meliùs, mundum in tempore produci, quàm ab æterno.

Ad secundum benè respondet Philop. argumento quarto, contra Procl. Breuiter attende, quòd in his etiam inferioribus ex potentia propinqua actiua peruenire ad actum secundum potest agens peruenire absque sui mutatione: vt ignis ex non calefaciēte fit calefaciens absque sui mutatione, & aliud quoduis ex non agente agens, quia vt ex Aristotele habes, agēs, vt agens non mouetur: est enim actio in passo. Ita Deus ex non producēte est producens: nam productio in ipso non est, nisi in producto. Ad 2.

Dices, saltem mutatur secundùm actum voluntatis, quo vult producere modò; & non antè. Id negamus, sed actus voluntatis, quo vult producere, est terminus, non vt producat ab æterno, sed vt producat in tempore. Obiectio. Solutio.

Ad tertium dico, quòd ipsum exemplar fuit æternum, licēt relatio non sit ab æterno, sicut homo potest esse, imò est ante filium, licēt relationem simul cum ipso habeat. Ita similiter est ipse Deus, qui exemplar est, sed non refertur, nisi in tempore. Ad 3.

Dices: ergo iam de nouo relationem acquirit. Respondeo, quòd hę temporales relationes non sunt reales in Deo, sed in creatura, & per easdē denominatur Deus denominatiōe extrinseca: vt dicitur Deus Dominus, & Creator noster, quia nos sers ui ipsius, & creaturę sumus: Sicut columna dicitur dextera per mutationem tuā, qui ad illā te refers sinistrū, cùm priùs ad eam dexter referebaris. Ita dicendum de exemplari. Nec hęc doctrina est ignorata Obiectio. Solutio.

ab

ab Aristote. nam in Metaph.cap.15.docet scibile dici, non quod referatur ad scientiam, sed quia scientia ad ipsum: & huiusmodi esse relatiua.

Ad 4. Ad quartum dicitur, quòd agenti voluntario non competit illud: nam positis omnibus requisitis ad operandum, potest non operari, si non vult, & iterum operari, si vult. Ita gloriosus Deus. Præterea: cũ Deus semper in eadem esset dispositiõe, mundum tamen produxit in tempore, quia ita voluit volũtate æterna: voluit aũt meritò ob causas superius dictas.

Ad 5. Ad quintum dico, quòd Deus ex parte sua semper fuit causa actu in se, quamuis mundus in tempore sit factus; nec ob id aliqua conuenit perfectio Deo.

Deinde distinguendum est de actu. Nã alius est actus perficiens operãtem; alius est actus perficiens non operantem, sed opus ipsum, quod fit: vt ait Aristot. 6. Ethicorum cap.5. Discrimen ponens inter artem, & Prudentiam, ait, Prudentiã perficere sua operatione appetitũ, & habentem; artem verò sua effectione, non perficere appetitum, sed perficere ipsum opus factum: Et prudentiam consultare ad bonum ipsius operantis, & ad eius finem: Artem verò, non ita, sed ad finem ipsarum artium, & particularium rerum ipsarum. vnde fit, vt ibidem, ait, quòd magis laudatur artifex, qui volens peccat, quàm qui nolens: e contra verò in ipsa prudentia, plus vituperatur, qui volens peccet, quàm qui nolens: vnde artifex aliquis si sit perfectus, non perficitur cùm facit. v. g annulum, vel sertam: nec in perfectione ipse crescit, cũ sit in se perfectissimus: nec ideò operatur, vt si perficiat, sed perficit opus. Si ergo Deus perfectissimus artifex cùm sit, fabricando Mundum, & res alias; nõ se, sed opera ipsa perfecit; res inquam ipsas factas. Vnde notãdum etiam est, quod potentia ad talem actum, quo quis non se, sed alia perficit, non dicit imperfectionem in agente, sicut nec ille ipse actus addit perfectionem ipsi agenti. Vnde sicut actus, ita & potentia est duplex. Vna ad perfectionem suam, & ad actum se perficientem, & hæc dicit imperfectionem, nempè, carere tali perfectione. Altera est potentia perfectæ iam rei, non ad se perficiendum, sed potestas ad perficiẽdum alios, & hęc non dicit imperfectionem, sed potius perfectionem intrinsecã rei; & cum agit exteriùs, perficit exteriora, non se; vt cum ignis agit, & calefacit non perficitur ipse, vt diceramus: nec gẽma applicata sanans, nec calor ipse vt octo, calefaciens.

Ad sextum dico, quòd productio mundi fuit indiuisibilis, & non successiua: & illi productioni correspondit vnicum instans, quod instans fuit vltimum non esse motus, quia tunc non fuit motus, & immediatè post fuit: & similiter vltimum non esse temporis, quia immediatè post fuit tempus: & hoc est, si mundum simul cum cælorum motu produxit. Ad 6. Ad 7.

Ad septimum respõdet benè Philop. quod Aliquando, dicitur vno modo positiuè: & sic tempus dicit. Altero modo negatiue: & tũc dicit negationem perpetuitatis motus. Vt cum dicitur, Aliquando fuit hora matutina, non significat, quod in aliquo alio tempore illa hora fuit, sed quòd non semper fuit. Ita cùm dicitur, Aliquando non fuit, aliquãdo non erit tempus, significat, quòd tempus non est semper, nec erit semper, sed cessabit, & initiũ habuit. Imò hoc etiam possumus ex ipso Aristotele confirmare. Ipse dicit, extra cælum non esse locum. Dicam ergo: si extra est: ergo locus ibi est. Respondebit, quod non valet, quia sensus est non esse locum infinitum, sed finem habere: Hoc etiam dicitur ad argumentum de tẽpore. ad 8.

Ad octauum facilis est responsio. Negamus enim, quòd mũdus productus sit per motum, aut mutationem: tunc enim opus erat subiecto. At non est, nisi simplici productiõe, quę crãtio dicitur, productus: & ita non opus fuit subiecto. Deinde. Si illam simplicem productionem velis vocare mutationem, distinguimus de mutatione, & dicimus esse duplicem. Alteram ab esse ad esse alterum: & hanc dicimus requirere subiectum prius. Altera à non esse ad esse: & hęc quidem, vel à nõ esse secundum quid, vel secundum partem; vt alteratio, & generatio à non esse forma ad formam: & hæc etiam requirit subiectũ, vel materiam prius, in qua fiat illa mutatio formę; At altera est à non esse simpliciter totius, ad esse simpliciter totius: & hanc negamus requirere subiectum

ctum præcedere: imò implicat, vt requirat prius subiectum, quia est à nõ esse totius ipsius subiecti ad esse illi9. Quare hęc est quidem in subiecto ipso, qui fit, quia dicitur primò esse, & non fuisse.

Ad 9. Ad nonum dico, quòd mundus potest à Deo destrui, sicut est factus: Nec si destrueretur, ob id prauus esset: quia tũc destrueret propter aliquem rectum finem. Nec destruere perfectum, vitium est, cùm iam nullius vsus est, sicut qui lyram temperatam in intemperiem redigit, quia iã non vult pulsare. Ita Deus gloriosus posset benè ipsum dissoluere mundum: quia in tantum vsus ipsius est, in quantũ ipsi benè placitum fuerit. Nec illud argumentum quicquam valet. Nam illo probaretur, quod homo non posset dissolui, nec alia, quia perfecta sunt. Vnde attende, q̃ mũdus, sicut ingenerabilis fuit, id est, nõ per generationem factus, ita est incorruptibilis, id est, non corrũpi potest per mutationem: At sicut creabilis est, ita est à Deo annihilabilis: hæc enim inter se opponuntur.

Ad oẽs simul rationes Aristo. Vltimo tãdem ad has, & ad omnes alias Aristotelis rationes, (vt ijs etiam satisfiat, qui putant esse demonstrationes) respondemus, quod D. Th. ait in summa Theologiæ, 1.p.q.46.art.1. in corpore sic dicens: Quòd omnes rationes, quas inducit Arist. non sunt demonstratiuę simpliciter, sed secundũ quid, scilicet, ad cõtradicendum rationibus antiquorum, ponentium mundum incipere secundum quosdã modos in veritate impossibiles. Et hoc, ait, apparet ex tribus. Primò quidem: Quia tam in 8. Physic. quàm in 1. de Cælo, præmittit quasdam opiniones, vt Anaxag. Emped. & Platonis, cõtra quos rationes contradictorias inducit. Secundò: Quia vbicunque de hac materia loquitur, inducit testimonia antiquorum; quod non est demonstratoris, sed probabiliter persuadẽtis. Tertiò. Quia expresè dicit in 1. lib. Topicorum, quòd quędam sunt problemata dialectica, de quibus rationes non habemus, vt, vtrum Mundus sit æternus. Hæc D. Tho.

Dicimus ergo, si subtilius consideremus, omnes rationes Aristotelis nõ pugnare cùm fide: sed rectè concludere, scilicet, per motum non fuisse productum mundum ex aliquo subiecto, quod sanè ipse Arist. intendebat cõtra Philosophos alios. Et hoc manifestè patet: quia semper in eis ex motu procedit. Intulit aũt conclusionem latius patentem, quàm rationes ipsæ probabãt, quia fortè nõ cognouit, vel non consideraui alium modum per creationem incipiendi. Certè contra hunc modum directè, & per se nõ disputauit, sed semp̃ supposita materia, vel subiecto, & motu. Rationes ergo retinendæ, sed conclusio moderãda: atq; ita in paucis videbitur Aristoteles in hac re fidei repugnare. Impiè verò agunt, qui talib. rationibus cõtra fidem, & veritatem creationis abutũtur, quod sanè nõ fecit Aristoteles. Atq; hactenus de hac quęstione.

An potuerit mundus esse ab æterno.
Quæstio II.

Cur iam agendum sit de hac q̃stione, q̃ grauissima est, & dignissima.

CVm teneamus mundum in tẽpore, & cum tempore incipere potuisse, imò & incepisse: superest examinare. An ab æterno potuerit esse ita, vt mundus hic durationis esse potuerit æqualis cum ipsa prima causa: si enim hoc fieri non potuisse fuerit ostensum, maximè erit impugnata opinio Arist. & sequacium. Vt enim ipsi mundum non incepisse, nec potuisse incipere arbitrabantur: ita nos, & ipsorum opinionem non esse veram, nec potuisse esse veram probabimus: ac si ostenderimus non potuisse esse ab æterno, absque dubio etiam constabit non fuisse. Est aũt quæstio nimis grauis propter placita diuersa insignium Doctorũ, & propter rationes validas ex vtraq; parte, & propter rei ipsius magnitudinẽ. In primis est argumentum primum, quo probatur mundum potuisse ab æterno esse. Deus ab æterno fuit iam omnipotens, sicut cũ produxit mundum: ergo ab æterno potuit producere mundum. Consequentia certissima est, & antecedens verissimum. Et hoc argumẽtum est præcipuum pro hac sententia. Rationes q̃ potuerit mundus esse ab æterno. 1. Ratio.

Secundò. Deus ab æterno cognouit mundum, & voluit: ergo potuit mundũ producere. Probatur consequẽtia: Quia tantæ facilitatis est ipsi, mundũ producere, quantæ cognoscere, & velle; imò sola 2.

cognitione, & volũtate producit res has.

3. Tertiò. Si ab æterno nõ potuisset mũdũ producere: sequitur, quòd debuit expectare per æternitatem, vt mundũ posset producere. Aeternitas autem maior est quocunque tempore, & sic expectaret per multum temporis, quod absurdum est, & impossibile.

4. Quartò. Si mundus non potuisset ab æterno esse, ex eo foret, quia nõ possunt esse in vnico instanti, simul causa, & effectus, producens, & productum. Sed hoc falsum est, vt colligitur ex his sensibilibus. Si enim sol ab æterno esset, lumẽ ab æterno esset: & si pes, similiter vestigiũ. At lumen, & vestigium effectus sunt efficiẽter solis, & pedis: potuit ergo cũ causa æterna effectus coæternus esse.

Doctores illius sententiæ.

Huius sententiæ est S. Tho. Theologorũ primus, 1. p. q. 46. art. 2. & cũ eo ipsius discipuli. Similiter Duran. 2. d. 1. q. 2. & Gregor. 2. Sen. d. 2. q. 3. Quamuis Durandus non simpliciter id concessit, sed cum distinctione, de rebus tantùm permanẽtibus, & incorruptibilibus esse posse ab æterno: non autem de corruptibilibus: imò etiam D. Tho. ex infinitate animarũ ait eis non potuisse esse ab æterno.

Doctores contrariæ opinionis scholastici, & sacri, quod nõ potuerit esse ab æterno.

At opposita pars sustinetur à Doctoribus magnæ authoritatis, puta, à Bona. 2. d. 1. q. 2. Enrric. de Ganda. quodlibeto 1. q. 7. Marsil. 2. sen. d. 1. art. 2. Adde, quòd est sententia Doctorum Græcorũ. Ambros. lib. 1. Examer. c. 3. dicit, esse inconueniẽs, putare, creationem posse esse coæternã creatori. Et Basil. dicit esse blasphemum. Damas. 1. lib. de Fide, c. 9. id etiam negat. Præterea August. 12. de Ciui. cap. 15. dicit Angelos nõ potuisse esse coæternos creatori. Similiter Hugo de Sancto Victo. libro 1. de Sacramentis, cap. 10. hoc inquit, Fugit diuinam virtutem, quod aliquid sibi coæternum faciat. Hoc inter Philosophos asserit Philop. cap. 3. contra Procul. & solutionem argumenti primi: idẽ etiam Burl. Est autem argumentum primum pro ista sententia. Si mundus potuisset ab æterno esse, vtique essent trãsacti homines infiniti: sed quisque habet suam animam immortalẽ: ergo esset numerus animarum actu infinitꝰ, quod est impossibile.

1. Ratio quòd nõ potuerit esse ab æterno.

Hoc argumentum apud Philosophos, qui æternitatẽ mundi posuerunt, tantũ facessit negociũ, vt in varia absurda, eaque grauissima eius vi coacti inciderint. igitur aliqui vt euaderent, vel animam mortalem, impiè fecerunt, vt Alexander: vel eorum transmigrationem, vel circulum certo quodam tempore: vel vnicum intellectum tantùm esse in omnibus hominibus, vt stultè pariter & impiè Auerroes: aut non esse inconueniens infinitũ in rebus incompletis cõcedere qualis est anima: non verò in rebus omninò completis, & perfectis, vt Auicenna. Quæ omnia sunt contra rationem naturalem et nos id alibi ostendimus: sed probare hic non est præsentis loci. Satis sit absurda, ad quæ eos cogit, indicasse.

Aliqui ex catholicis, vt Herueus, 2. sen. d. 1. q. 1. respondet ad hoc: quod si mundus esset ab æterno, tunc animæ essent corruptibiles, vel vna plura corpora successiuè informaret. Sed profectò hoc est non minus absurdum. Nam si anima ex se est incorruptibilis, nõ ideò fit corrupti bilis, quia esset mundus ab æterno: cùm nõ sit maioris potentiæ conseruare, quã producere. Si Deus potuit infinitas animas producere, cur non potuit etiã singulas conseruare?

Solutio, & eius cõfutatio.

Qu. d si dicas, Hoc esse, ne sit infinitũ: Profectò responsio nulla est, & petit principium in responsione; hoc enim cõuincit argumentum, quod posset tunc esse infinitum: vnde oportet negare infinita produci posse: & sic nec mundus fuit ab æterno.

S. Tho. 2. lib. Contra gen. c. 81. postquã attulit illas varias euasiones, & incommoda Philosophorum, in quæ inciderũt hoc argumento coacti, dicit, non esse inconueniens secundum Aristotelem infinitum actu in rebus spiritualibus ponere. Sed hoc non videtur satisfacere: nam numerus infinitus actu nõ repugnat esse nisi ab intrinseco, puta, vt numerus est, vt patet ex ratione Aristotelis: quia infinitũ nõ est numerabile. Impertinẽs ergo est, quod ipsę vnitates sint spiritualia, aut corpora. In summa verò Theologiæ re maturius cõsiderata, 1. p. q. 46. art. 2. ad 8. respõsiones illas afferens varias Philosophorum, qui æternitatem mundi defenderent, cùm videret eas non satisfacere, ait: Con-

ait: Considerandum timen, quòd hęc ratio est particularis, vnde quis posset dicere, quod mũdus, vel aliqua creatura possit esse ab æterno, vel Angelus: nõ tamẽ homo. Nos autem intendimus in vniuersali, ꝙ aliqua creatura fuerit ab æterno. hæc ille. Vbi etiã ait Caietanus, quòd secundum D. Thomæ doctrinam, & mentem, qui sustinet animam immortalem, & sine circulo; & negat infinitum etiam per accidens, inintelligibile esse, quòd generatio humana sit æterna: & iubet Thomistas esse cautiores, vt cùm concedant mundum potuisse esse ab æterno, nõ simpliciter concedant, sed præter humanam generationem.

Quamobrem hinc etiam habemus secundum D. Thomam hanc rationẽ concludere tum de hominibus, & eorum generatione nõ potuisse esse ab æterno: tum etiam ex consequenti nec mundum talem, qualis nunc est, & qualẽ reperit Aristoteles esse potuisse ab æterno, nẽpè cũ omnibus his suis speciebus perfectis.

Iterũ confutatur solutio concedentiũ infinitum in solis animabus.

Præterea: est argumentum, quo probatur, nõ in solis animabus esse infinitum, sed etiam in alijs. Nam cùm essent dies infiniti trãsacti, in singulis diebus potuit Deus lapidem vnum creare, & cõseruare, siue cõtinuando vnum alteri, siue nõ: tunc profectò essent quanta infinita, nec potest benè intelligi, quomodo Deus nõ potuerit in singulis diebus id facere. Nec valet dicere, quòd infinitum occuparet omnia, nec alijs locum relinqueret: Hoc enim nil valet: nam illud non esset infinitum secundum omnẽ dimensionem, sed secundum longitudinem. Et præterea: quia potest Deus facere, quòd vnum corpus cum alio penetretur.

Nominales admittunt, infinitum fieri posse. Sed hoc videtur intellectu valdè difficile; quod sit corpus nullius figuræ, & nõ habens terminos vllos prorsus: vnde argumentum profectò vim habet.

2. Ratio, ꝙ non potuerit esse ab æterno.

Secundum est. Si mundus potuisset esse ab æterno, vtique dies essent transacti infiniti, vnus post alium: esset ergo infinitum pertransibile: quod profectò est inintelligibile cõtra ipsum Arist. qui ait, infinitum esse impertransibile 3. Phys. t. 59. & 62. & 8. Phy. t. 68.

Obiectio.

Dicunt aliqui, quod infinitum est impertransibile ita, vt ab vno extremo in aliud incipiatur, inter quæ est infinita distantia: at in diebus non datur primus dies omnium, à quo vsque in præsentem sint infiniti.

Solutio.

Sed hoc primò videtur impossibile, si rectè aduertas. Nam istud tempus & dies à Deo facta sunt: quomodo ergo potest comprehendi, quòd sint dies à Deo, & ordine fluant, & non cognoscat ipse, quem primò produxit? Similiter, si homines creauit etiã ab ęterno, profectò dicẽdum est primum ipsum cognouisse, & probatur. Nam hæc propositio est falsa: Nullus homo immediatè factus est à Deo: Ergo eius contradictoria esset vera: aliquis homo immediatè factus est à Deo: ille ergo esset primus, & illum ipse, quem primò fecit, cognouisset. Ergo quamuis nos primum assignare non possimus, qui nõ omnes comprehendimus; tamen Deus ipse, qui primò fecit, & omnia comprehendit, poterit assignare; & negare esse primũ, iudicio meo, est negare esse à Deo productum, vt dicetur inferius.

Deinde: esto, nõ possit assignari primũ, nõ effugitur difficultas: nam semper verum est pertransita esse infinita: dies, inquam, & annos, & generationes infinitas, etiamsi non detur primum.

Præterea sic necessaria illatione conuincimus, quòd non præcesserit tempus infinitum: infinitiuè dies aut anni, tẽpus præteritum infinitum, non est minus, quàm tempus futurum infinitum: neq; futurum est maius, quàm præteritũ: Sed impossibile est, pertransiri tempus futurum infinitum: ergo impossibile fuit pertransiri tempus præteritum infinitum. Sanè fateor hanc mihi videri demonstrationem.

3. Ratio, quod non potuerit esse ab æterno.

Tertium est argumentum nostrũ, quo puto demonstrari hoc præsertim contra Aristotelem. Si mundus potuit esse ab ęterno, vtiq; motus, & tempus potuerunt esse ab æterno, quod ipse, & sequaces omnes cõcedunt: sed hoc est impossibile: ergo mundus non potuit ab æterno esse. Hoc antecedens probatur. Detur, quòd ignis, & stupa fuit ab ęterno; quęro, an talefactio potuerit esse ęterna. Manifestè patet, ꝙ non: nam ignis in instanti est: at impossibile est intelligere, seu imaginari,

quòd illud instans sit ignis, & quòd tunc sit calefactio: nam motus non in instanti est, nec incipit per primum esse. Si igitur motus non potest habere coæternitatem cum mobili, signum clarissimum est, nõ potuisse ab æterno fieri.

Corroboratur rõ. Idem dicitur de cælo, & suo motu. Est enim necesse, quòd detur instans cæli, & tunc adhuc non est motus: vnde motus nec potest coeternitatem habere cũ ipso Deo: ergo nec mundus.

Et confirmatius fit. Nam mundus, & mobile nõ excedit motum in duratione æterna, nisi per horã fortè, vel instãs, aut aliquod tempus finitum, quod nõ potest facere ex non eterno eternum. Et in hoc rursus probatur consequentia illa posita. Nam si mobile esset æternum, & nõ motus, esset profectò mobile sine motu, per spacium eternum, quod est impossibile, & contra ipsum Arist. at si fuit per finitã durationem, & ante motum, non fuit eternum.

Cõfirmatur ratio. exemplo. Idem etiam confirmatur de muliere, quę ab eterno fuit grauida: peto enim de partu, an sit æternus. Si enim hoc dicas: ergo fuit partus ita antiquus, sicut mulier, quod est impossibile. Si verò non: ergo nec mulier: nam per nouem menses distat à partu: nisi dicas, q̃ infinito tempore maneat grauida. Colligimus ergo fortissimo argumento, non potuisse mũdum ab æterno produci, sicut nec motꝰ, & subinde tempus.

Ratio. Quartum est. Mundus non potuit esse nisi à Deo productus, & factus: at esse factum, & æternũ implicat: ergo id est impossibile. Minor patet: nam maior est certa: Si mundus factus est, in aliquo instanti positiuo, & determinato saltem à Deo cognito, factus est; at nullum est instans, in quo Deus primò sit, quia non fuit primò, sed sine principio: ergo non potest mundus cum Deo habere coæternitatẽ. Vnde vix potest intelligi, quomodo Deꝰ sit efficiens causa mundi, & mundus sit absque vllo principio alicuius durationis, sicut Deus. Quæ enim facta sunt, determinato instanti facta sunt. Ob hoc autem antiqui illi Doctores Sancti hoc noluerunt creaturæ posse concedi, vt creatura posset esse coæterna creatori, quia id est Deum tũc non creatorem facere, & factorem mundi esse negare.

Confirmatius fit: quia causa prior est effectu: si ergo Deus prior fuit: igitur fuit propria duratione prior, nõ aliena. Propria autem duratio Dei, est eternitas: ergo ipsa æternitate Deus præcessit mundum, & ipsum tempus. Nam si fuit causa temporis: ergo fuit prior tempore, idque alia duratione, videlicet æternitate. Nam implicat contradictionem vt antequã sit tempus, sit tempus. Nec Deus tempore mensuratur, sed æternitate: ergo necessarium est concedere, quòd Deus tota æternitate præcessit tempus.

Quintum est. Sequitur, q̃ tunc mundus necessariò procederet à Deo: quod est impossibile. Probatur; Detur, quòd sit coæternus: tunc non licet nec vnum instans cogitatione sumere, in quo sit Deꝰ, in quo etiam non sit mundus. Si igitur liberè produxit mundum: ergo potuit non producere. Tunc, vel in eo instanti, in quo mundus est, potuit à Deo produci: vel antè, vel post. Non in eo: quia tunc est: & quod est, cùm est, necesse est esse. Non post; quia semel productum necessariò est productum. Ergo antè: & sic prius fuit Deus, vel necessariò productus est mundus. 5. Ratio.

Ad hæc addendum hoc est: Quòd negare infinitum posse à Deo fieri, & cum hoc mundum posse æternum fuisse, vix potest capi. Videtur enim necessariò sequi ex æternitate mundi actu infinitum esse possibile.

Prætereà. Si mũdus fuit factus ab eterno per emanationem, vel quocunq; alio modo voles; quæro, cùm emanauit, & factus est. v.g. sol, aut factus est in oriente, aut in occidente, Septentrione, vel meridie, aut in omnibus his simul locis, & positionibus, aut in nulla earum. Nõ in omnibus simul: quia implicat naturaliter rem esse simul in pluribus locis. Non in nulla earum positionum; quia etiam implicat hoc, & est inintelligibile, vt sol esset, & nullibi esset: Ergo in aliqua positione, & situ factus est, & emanauit. 6. Ratio.

Dices fortassè, te nescire vbi erat cùm emanauit, vel non posse dari, vel assignari primã positionem loci, vbi fuerit sol. Obiect.

At hæc fuga nulla est. Nam siue fuerit prima, siue non, nil curo; necesse tamen est con- Solutio.

est cõcedere vel in aliqua positione factũ esse, vel in nulla, vel in omnibus simul: aut concedere duas contradicentes esse simul veras, vel simul falsas. nam hæ contradicunt sibi, in omni, & in aliqua non: in multa, & in aliqua sic. Oportet ergo aliquam istarum necessariò concedere. Et præterea, non erit verum, quia tu nescias.

Dices fortè; erat in oriẽte (perinde est autem si in quouis alio loco dixeris ad vim argumenti.) Quæro itaque, Aut man sit infinito tempore immotus. Et hoc nõ, quia esset contra naturam, & infinito tẽpore violenta actio. Aut cœpit statim moueri ab æterno. Ac tunc quæro; quanto tempore motus est ab oriente in occidẽs aut infinito tempore, aut finito. Non infinito, tum quia ridiculum est dicere, infinito tẽpore tantùm absoluisse semicirculationem vnam; tum quia infinito tẽpore infinitæ circulationes sunt trãsactæ, nec vna media pars: igitur peruenit ab oriente ad occidens tẽpore finito. v.g spacio duodecim horarum.

1. Iam, sic argumentor. Igitur supputando à fine istius semicirculationis, vsque ad initium; quo factus fuit sol in oriente, reperitur tempus finitum tantùm duodecim horarum, atque adeò non fuit factus ab æterno, quia à certo dato postea termino, & instanti ascendendo superius, non procedimus in infinitum, quod quidem oporteret, si ab æterno antea fuerat factꝰ in oriente: quodcunque enim instans acceptum post æternum, oporteret infinita esse distantia vsque ad æternum.

2. Rursus supputãdo ab eo tempore, quo fuit in occidente vsque ad nos, peto, an fuerit etiam tempus finitum, an infinitũ. Si finitum dixeris: iam ergo totum tempus, postquam factus sol esset, reperietur finitum. nam ab occidentis positione ad nos esset per te finitum: & ab illa rursus vsque ad positionem in oriente cùm fuit factus, esset finitum quoque. v.g. duodecim horarum: ergo finitum finito additum non faciet infinitum tempus, sed finitum.

Si verò dixeris: infinitum tempus fluxisse ab eo tempore, quo sol fuit occidente ad nos vsque: iam ergo sequitur aliud absurdum non minus; imò, & impossibile, videlicet, quòd infinito posset fieri additio versus illam partem, qua est infinitum: quod implicat; Velut si accipias lineam infinitam, quæ ducatur à puncto hoc, v.g. in infinitum sursum versus, illi quidem lineæ posset fieri additio versus hoc extremum finitum, quæ terminatur in puncto, sed non secundùm alterum extremum, quod tendit in infinitum. Probatur autem illatio euidenter. Nam vltra æternum adderẽtur illæ duodecim horæ, vsque dum sol prius factus fuit in oriente. Item sequitur, quòd vtrunque fuisse ab æterno scilicet oriente, & occidente, & tamen alterũ fuisset prius altero: igitur omnibus modis implicat, solem factum fuisse ab æterno.

Et quod de solis circulatione, & motu diximus, idẽ de omnibus, rebus, quæ mouentur, vel corrumpuntur demõstrari, vt de illa combustione stuppæ vnà cum igne ab æterno creatæ, an finito tẽpore fieret, an infinito: & ita de cæteris omnibus mutationibus, generationibus, & corruptionibus eodem modo probari posset, esse non potuisse ab æterno, quod quisque facile poterit deducere.

Rursus septimum sit argumẽtum. Aeternitas est propria quædam Dei duratio, videlicet infinita; ab æterno sicut & sapientia infinita, & bonitas, & perfecto infinita: sed non potest alicui puræ creaturę communicari sapiẽtia infinita, nec bonitas infinita, vel pfectio infinita: ergo nec duratio æterna, & infinita. Probo illationem. Nam tam æternitas est Dei proprietas, quàm sapientia infinita, vel bonitas: & omnium æqua est ratio. 7. Ratio.

Dices; non communicari eternitatem mundo, sed æuum, vel tempus æternum, & ita alterius ratiõis mensuram, & durationem diuersam. Sed hoc facilè confutatur, qa similiter diceretur communicari quidem posse creaturæ sapientiam alterius speciei à Dei sapientia, sed infinitam: nam & sapiẽtiæ varia sunt genera, & species, sicut & durationis, vt v. g. ex phantasmatibus, & per discursum qualis, est noster: & sine phantasmatibus, aut discursu per simplicem cõtemplationem, & intelligentiam; vel per essentiam ipsam, qualis esset Dei: & bonitas similiter creaturis diuersa communicaretur, sed infinita, quàmuis Obiect. Solutio.

quamuis à Deo diuersa esset, quæ est per essentiã bonitas : At hoc est impossibile: ergo etiam erit impossibile, q̃ cõmunicetur duratio infinita ab æterno, etiam si alterius sit speciei à diuina ęternitate, & denique impossibile est creaturam esse coæternam creatori.

8. Ratio. Atque hactenus videtur rationes, quas attulimus demonstratiuas. Sunt autem aliæ, quæ proxime accedunt. Sit ergo octauum argumentum, quo ex viuentium nutritione, & alimẽto probemus, impossibile esse, generationes rerum fuisse ab ęterno: & probatur sic. Supposito, quòd omnes medici, & Aristoteles confitentur per cibum, seù alimentum nõ restaurari æquè bonum humidum radicale, & per consequens neque æquè bonum, & æquè viuidum calorem naturalem, quod in ipso humido cõseruatur, vel est ipsummet; sed quotidie fieri deterius ex alimento cõuerso in naturã aliti: quàm id, quod quisque à pueritia accepit. Imò si æquè bonũ restauraretur, animalia, & homò viuerẽt semper. si humidũ radicale ex alimento acquisitum esset æquè bonum, nisi fortè violenter vel ex accidenti necaretur: Imò & cibus ipse, & alimentum cùm sit dissimile, & contrarium in initio nutritionis, & contrariæ qualitatis, necesse est animalis virtutem aliqua ex parte debiliter quotidie magis ac magis; & præsertim cùm agens agendo repatiatur; & ita per totã vitam patiatur ab alimento ipsum animal, & eius virtus.

Igitur, eo supposito, manifestè sequitur, patrem, & matrẽ generaturum filios cũ peiori humido radicali, quàm ipsi fuerant, & præsertim cùm varijs etiam vitæ euentibus, contingat corpus hominis labefactari morbis, laboribus, vulneribus, fame, siti, & alijs innumeris. At verò semel labefactatum nunquam restituitur naturaliter in meliorem statum, quàm fuerat. Iam, si ita est, cùm infinitæ generationes præcesserint, si mundus fuit ab ęterno: ergo essent iam debilitatæ in infinitum generationes: & vis generatiua & nutritiua omnino iam cessarent, & humidi naturalis virtus tota deperisset; si quidẽ in singulis generationibus pars aliqua debilitabatur, virtus humidi innati, & radicalis. A finita autem virtute, si infinitæ partes æquales adimantur, nil remanebit, imo etiam si infinitæ, nedum finitæ,

9. Ratio. Nonum argumentum fit ex multiplicatione hominum; quæ quidem, si mundus fuit ab æterno, esset infinita, ita, vt nũc simul esse deberent infiniti homines actu viuentes. Probatur autẽ vno supposito: Quod plures homines nascantur, quàm moriantur: quod sane videtur verum & ex fide, & experientia, & ratione. 1. ex Fide. Ex fide quidem, quia ex vno Adã, & Eua omnes multiplicati sunt, & post diluuium ex vno Noe cum tribus filijs, & vxoribus, octo videlicet, totum vniuersum genus humanum, quod nunc videmus, est propagatum: Et ex vno Abraham, & Iacob totus populus Israel Hebreorũ. 2. Experientia. Experientia etiã deprehenditur. Nam in pluribus opidulis deprehenditur, omnes penè alius opiduli ex vno attauo, vel proauo originem duxisse; & familiæ etiam plurimæ in ciuitatibus singulis multorum hominum, & numerosissimę ex vno illius familiæ primo originem trahere, & quotidie videmus ex vno patre plurimos nasci filios: Imò aliquando referunt historię ad centũ & sexcentos, vt de Priamo, & alijs. 3. Rõne.

Ratio etiã idem suadet: Quia cũ homo (si cõmunem naturę cursum spectemus, & communem vitam hominum) viuat quinquaginta, & sexaginta annos, vel septuaginta certè, vel quadraginta, aut triginta, singulis haud dubie annis potest generare, cum ipse vnus tantũm sit: & ita toto illo medio tempore ipse durat, nec moritur: & idem de cæteris dicendum. Si naturæ per se cursum spectemus, suo etiã medio vitę tempore communiter perdurant; igitur maior vera videtur, plures homines nasci, quàm mori.

Probatur illatio totius rationis. Iam verò ex hoc illatio est manifesta, videlicet, Oportere nunc esse infinitos homines viuẽtes simul in mundo: quod est impossibile. Nam si ab æterno plures nascantur, quàm moriuntur: ergo semper viui plures homines quotidie relinquuntur, quàm anteà erant, & numerus crescere. Cum ergo tempus præcesserit infinitum, & infinitę generationes: ergo infiniti viuerent modo.

Præterea: Quia si infinitæ generationes precesserunt, imò infinitæ ætates hominum, & ex singulis ætatibus saltem vnus

vnus homo plus quàm anteà, superesset nunc, iam infiniti simul essent homines.

Et è contrario rursus, sequitur: Cum verè modò sint finiti tantùm homines, sequitur inquã, quòd nullus homo fuisset ab æterno: & probatur. Quia sunt, v.g. nunc mille millia hominum, ante hanc ætatem essent pauciores, saltem vno minus, & ante duas ætates essent saltẽ duo minus, & sic perpetuò retrocedẽdo: ergo tandem in ętatibus totidem ante, scilicet, ætates mille millia, nullus fuisset homo, si semper plures nascantur, quàm moriũtur: Nam quiuis finitus numerus, ablatione tandem facta, finitur.

Solutio. Dices: Quamuis plures nascantur, quàm moriantur, tamen bello, & peste, ac fame, & terroribus, & similibus, cõtingit, vt illi plures, qui nãti erant simul omnes intereant vna die fortè ducẽta millia; & ita fit, vt non sint plures quàm erant, nec simul infiniti.

Cõfirmatio solutiõis. Hæc solutio non aufert difficultatem. 1. Primò quidem, quia iam Philosophus hic diuinat, & dicit aliquid, cuius nullam potest reddere rationem nec probare, sed gratis id dicit: nempè bello, & peste, & similibus, tot interire, quot alias nati plures erant.

2. Secundò. Non est consentaneum rationi. Nam actio violenta, & contra naturã, non potest esse ęqualis actioni naturali in vi, & virtute, vt quot illa efficiat, hæc destruat. Semper naturalis actio, & id, quod est secũdum naturam, fortius, & pręstantius est: pessimè ergo sic philosophatur, qui actionibus violentis tot perire homines ait, quot actionibus naturalibus nascebantur.

3. Tertiò. Quia peto, Num quotidie sic fiat, vt tot violẽter sic intereant, quot nascuntur. An intra hebdomadam tãtùm vel intrà mensem, vel intrà annum, vel decem, vel centũ, vel mille annos: An verò nullo seruato ordine id fiat, sed casu, vel fortuitò: An verò ex electione ab aliqua causa, puta. Deo, sit volente, ne homines crescerẽt in infinitũ in mundo. Nil horum Philosophus certò respondere potest, sed irrationabiliter vnumquodq; horum affirmaret, cui certam aliquã adserre non posset probationem.

4. Quartò. Quia: Natura non debet esse, nec est erronea, & sibi contraria. Primũ, vt tot naturaliter superfluè generet, quos cum sustinere non possit, cogatur posteà perdere, & numero minuere. Hoc sanè esset stultitię, vt artifex, qui in ædificãda domo vellet plures parietes erigere, quàm sit necesse, quos posteà diruet, relictis necessarijs. Deinde. Nec ipsa sibi debet habere violentas actiones in remedium suarum actionum naturalium exorbitãtium à recto ordine & fine. Sed nec tales natura habet actiones naturales à debito suo fine exorbitantes. Igitur hęc fictio, quòd peste aut bello tot moriantur, quot nascuntur, satis apertè manet confutata.

Igitur iam dici non possit, tot homines mori, quot nascuntur: dicẽdum erit, aut quòd plures moriuntur, quàm nascuntur: & sic iam omnes homines perijssent, & nullus esset superstes, si semper numerus ab ęterno minuitur. Aut è contra: si plures nascuntur, quàm moriuntur, & sic essent actu viuentes infiniti homines, si numerus hominum sic ab æterno augetur. 5.

Decimò. Sequeretur quoddam absurdum valdè graue, & paradoxon, imò & omninò incredibile. Sequeretur, inquam, si mundus fuit ab æterno, quod tot præcesserint instantia, quot horę: & tot horę, quot dies: & tot dies, quot menses: & tot menses quot anni, & tot anni, quot secula. Id necessariò consequitur. Nam essent hæc omnia infinita, quæ præcesserunt: & tamen vnum infinitum non est maius altero, etiam secundum Aristotelem. 10. Ratio

Est præterea non perexiguum argumẽtum, sed satis probabile, quod sumitur ex decremento tum vitæ hominis, tum staturę ipsorum. Nam si fidem spectemus, certũ est ex Genesi, & ætati, & statura imminutos homines à vita mille annorum vsque ad septuaginta annos tempore Dauid, & nunc fortè communiter ad quinquaginta, vt nunc experientia comperimus. Nam si ita est, profectò mundus ab æterno, saltem homines esse non potuerunt. Consequentia est manifestissima. Antecedens probatur mutipliciter. Primò enim in hac sententia est Plinius lib. 7. cap. 16. vbi hæc habet verba: In plenũ autem cuncto mortalium generi, minorem 11. Ratio.

rem in dies fieri staturam propemodum obseruatur, rarosque partibus procerio. res, consumente vbertatem seminum exustione, &c. D. etiam Augustinus lib.15. de Ciuitate Dei cap. 9. & sequentibus pluribus probat imminutam fuisse hominũ ætatem & staturam. quo etiam cap. 9. ait de molari dente humano, quem ipse vidit, cum alijs pluribus, qui si cõscinderetur in partes, centum dentes molares sui temporis efficerentur. Alibi etiã ait, se in sepulchris antiquis vidisse ossa tantę magnitudinis, vt tibiæ solùm os æquaretur cũ integro crure sui temporis, à coxa ad pedem vsq;. Multa etiam de hac re habes apud Nicolaum de Lyra in Genesim, vbi & rationes vsque varias adfert. Conciliator etiam multa hac de re congerit in differẽtia 9. & Petrus Crinitus idem ostendit 7. de honesta disciplina cap. 2. imò ꝙ magis miremur Auer. 2. de generatione tex. 85. id videtur fateri. Huc pertinet illud Virgilij 12. Aenidos cùm de lapide à Turno facto loquitur.

,, Vix illam lecti bis sex ceruice subirent
,, Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

Et primo Georgicorum.

,, Grandia, quæ effossis mirabitur ossa sepulchris. De eodem Gellius lib. 3. cap 10. Sanctus Cyprianus etiam de eodem multa affert contra Demetrianum. Quòd si vetustissimos consulimus, Homerus huius diminutionis cõquerebatur sæpè, de quo Iuuenalis Satyra 15.

,, Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero
,, Terra malos homines nunc educat, atque pusillos.

Id etiam ratiõe patet, tum quia hominũ intẽperãtia efficit, vt imbecilli patres liberos procreẽt imbecilliores: secundò, quia ex communi sententia medicorum, (vt antè à diximus) certum est humidum radicale semel amissum, nũquam posse per nutritionem perfectius, vel ęquè perfectũ instaurari, quo fiet, vt nunquàm parentes per suam nutritionem æquè bonam materiam parare possint soboli, vt ipsi habebant: igitur hoc posito antecedenti, cõsequentia est manifesta, ab æterno homines esse non potuisse.

Iam verò idem ostendamus ex consensu totius antiquitatis cũ Philosophorũ, tum Historiarum, & gentium consentu. Est autem magnifaciendus hic consensus tot testimoniorũ, in rebus præsertim, quæ ex facto pendent. Et quia quò propiores fuerint mundi origini, eò memoria recentior apud eos permanebat. In omnibus enim rebus vetustissimis id solet accidere, vt quò proprius ad originem accedas earum, fama reperiatur magis celebris. 11. Ratio, cõsensu totius antiquitatis. 1.

Itaque cùm de orbis cõditione, & origine antiquissimo quæras, eò manifestiora reperies testimonia, quò Authores illi fuerunt vetustiores: & maioris esse in hac re debebunt momenti, & authoritatis, quò fuerint vetustiores.

Igitur primò in hoc est consensus omnium antiquorum Philosophorum ante Aristotelẽ, genitum esse mundum, Anaxagoræ, Democriti, Heracliti, Empedoclis, & cæterorum, quamuis de modo, quo genitus esset, inter se differant, vt vidimus. Sed in illo in genere, mundum esse genitum, omnes conueniebant; vt etiã expresè ait Aristoteles 1. de Cęlo, tex. 102. omnes ante ipsum genuisse mũdum, sicut antea diximus. Idemmet Aristoteles idem ait lib. de mundo ad Alexand. sic dicẽs: Vetus fama est, & quidem hereditaria, mortalium omnium vniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta. Imò verò aliqui eorum ex nihilo productionem admiserunt in mũdi generatione, vt Plato in Timæo, qui non solùm mundum, sed etiam tempus generat, teste etiã Aristotele; quare cùm nulla potuerit corporea res, vel materia aliqua ante tẽpus prę-fuisse, si tempus generat Plato: Ergo omnia cum tempore secundùm Platonem ortum habuêre. Prętera ex eo probatur, quia Plato in Timæo, & 6. de Repub. Deũ patrem ait primò generare Deum filium, non quidem ex materia, sed ex se, & deinde factam tertio loco animam mundi, & quarto loco naturã, & posteà dæmones, seu Angelos factos à Deo, & istis Deum dedisse, ne corrumperentur. At verò iam hæc Plato ex nihilo, & sola efficiente causa generabat, scilicet, Deo, & in tempore vt in eodem Timæo manifestum est. Et quamuis aliqui, vt Simplicius in 8. Physi. text. 10. conati fuerint trahere Platonem ad

ad æternitatem: tamen id cæteris omnibus Platonicis reclamãtibus, & alijs grauissimis authoribus Plutarcho, Philone Iudęo Attico, imò & ipsomet Aristotele, qui optimè nouerat sui magistri sententiam, qui tamen asseruit, vt diximus, illũ mundum generasse, atque id manifestissimè ostendit Philoponus in solutione sexti argumenti Procli à ca. 7. vsque ad 29. & ex neotericis quoque Marsilius Ficinus lib. 18. de Theologia Platonis, ca. primò. Igitur tum Plato, tum Platonica, & qui illum sequuntur, re ipsa, non solum mundum generant in tempore, sed etiam ex nihilo rerum dictarum productiõem admittunt necessario, nisi à magistro discedant.

Ante Platonem etiam Trismegistus ex nihilo videtur etiam mundum à sola causa efficiente generatum affirmare, à quo vult omnia esse accepisse. Item Pythagoras, ex vnitate, quã Deum esse putabat, tanquam primo principio generabat omnia.

Item Auicenna 9. Meta. vltro cõcessit creationem. Ait enim Deum creasse primùm substantiam separatam, & hãc rursum creasse secundam, & sic quodam ordine vsq; ad vltimam. Itaque non solùm Deo creationem concessit, sed alijs quibusdam substantijs separatis à Deo. Item Simplicius concessit creationem verè esse, licet ab ęterno, & productionem ex nihilo mundi illam emanationem ab ęterno: & ita materiam à Deo ex nihilo factã in 3. digressione contra Philop. li. 8. Phy. & alibi.

Alij verò ex antiquis Philosophis, ex chao, vel materia, aut ex atomis indiuisibilibus, idque vel casu, & fortuito, vel à mente & intellectu, vel alijs causis & modis. Tamen in hoc omnes consentiebant, quòd mundum generabant, vt vidimus, licet in eo differrent, quòd aliqua ęterna cum Deo facerent.

Deinde omnia Antiquorum scripta, tũ Historiographorum, tum Poetarũ & antiquorum Populorum id testantur, quæ quidem Augustinus Eugibinus diligẽtissimè lib. 7. de perenni philosophia à ca. 8. vsque ad 22. in vnũ colligit Homeri, Hesiodi, Sophoclis, Phocilidis, Arati, Mercurij Trismegistri in Pimandro, & Orphaei asserentiũ mũdum genitum fuisse, & cępisse; inter quos Orphæus, quem primũ Theologum Greci vocant, qui etiam pulchrè addidit, res nõ verè dici posse factas ex nihilo; quoniam factæ sunt ex Dei sapientia, in quo præerant omnia, quę quidem nos ob prolixitatem nõ citabimus: quisq; poterit apud illum videre.

Itaque omniũ rerum agnoscimus initia, idque constat ex illis, qui scripserunt de rerum inuentoribus. Ergo mundus nõ est æternus: imò idem ipse Aristoteles in Procemio Metaphysic. asserit esse inuentores artium: & 19. Sectione Probl. Probl. 18. ait, Mathematicas esse in Aegypto inuẽtas, quòd ibi genus sacerdotum aleretur è publico; & fuisse ante ipsum pueritiã philosophię, & alia similia, quæ ostendunt mundum in tempore fuisse factum.

Item nulli sunt scriptores, qui explicẽt aliquid fuisse gestũ ante sex, vel septẽ millia annorum, quod merito mirabatur Lucretius, sic dicens:

,, Præterea si nulla fuit mundi genitalis origo,
,, Terrarum, & Cæli, semperque æterna fuêre;
,, Cur supra bellum Thebanum, & funera Troiæ
,, Nõ alij alias quoq; res cecinêre poetę.

Nam quod aliquot confingunt, interiectis quibusdam certis spatijs per combustiones, & inundationes aboleri omnes memorias rerum: Præterquam quod per se ipsum est fictitium, sine vllo fundamẽto id dicitur, cùm nulla veterum monimenta id asserant fuisse factum; & id etiam in argumento: ergo confutabimus.

Ego igitur acquiesco sententiæ sacrorũ Doctorum contra Auerroem asserentiũ, creaturam non posse esse coęternã Creatori, & id demonstrari sufficienter arbitror superioribus rationibus, quarum etiam plures putamus esse veras demonstrationes. Cæterum alij fortasse aliud iudicabunt, non carere, inquam, probabilitate contrariam sententiam, aut etiam esse problema vtrinque, sicut putauit Scotus 2. sent. 1. q. 3. Quorum iudicium alijs relinquimus. Nos certè putamus & pium Coęlusio.

id esse, & demonstrari creaturam nō posse esse coæternam Creatori.

Solut. rationum. Ad 1. Sed argumenta opposita soluēda iam sunt, in quorum solutione adhuc magis hoc notificabitur. Ad primum: Concedo Deum esse omnipotentem ab æterno: & concedo, quòd ab æterno potuit mundū producere: Sed dico, quòd nō potuit mūdus æternꝰ fieri: Quod est dicere: semper potuit mundus produci ita, vt non sumatur instans aliquod imaginatione, quin Deus possit tunc mundum producere: tamen non ob id mundus esset coæternus, nam adhuc Deus excedit, & antecedit quodcunque instans acceptum, quia vacat principio: hoc autem creaturæ repugnat.

Nota. Vnde nō est hoc impotentiæ Dei, sed quia res non est factibilis in se, nec talis, aut tantę duratiōis capax, qualis, & quātus est ipsemet Deus. Sicut facere rē absque productione, est impossibile: ita etiā producere rem & non in principio alicuius durationis eius: æternitas autem nō habet principium. Et nota solutionem, quam puto esse verissimam.

Ad 2. Ad secundum dico: Quòd est diuersa ratio de cognitione Dei, & volitione, ac de mundi productione. Illi enim actus est increatus, & est ipse Deus, ideoq; principium non habet, sicut nec esse ipsius Dei: at mundus, & eius productio est qd creatū, nec potuerunt esse, nisi in aliquo principio durationis.

Ad 3 Ad tertium dico: Quod non expectat Deus successiōem, sed semper, & semper creare potest. Aeternitas enim non est diuisibilis in se.

Ad 4. 1. Solut. Ad quartum dico: Quòd impossibile est, quòd causa efficiēs, & effectus sint in vnico instanti primo: Vnde sicut vltima dispositio ignis, quæ inducitur cum forma ignis, non est effectus ab illa forma, sed ab eo, q̄ generat: Similiter vestigium simul cum pede incipiens, non fit à pede, sed ab eo, qui pedem fecit: & eodem modo de Sole, & lumine dicendum: Ita profecto, si in vnico primo instanti mūdus, & Deus essent, impossibile esset, mūdum esse factum à Deo, nisi ponatur aliquid, quod Deū cū mundo fecit, quòd est plus quàm impossibile. Vnde hoc est argumētum potissimum pro hac sententia, quia est in intelligibile, causam efficientē veram coæternam cum effectu facere.

2. Solut. Deinde secūdò respondeo, quòd si causæ, & effectus eadem esset, & eiusdem speciei mensura, concedi tunc posset, effectū posse esse coæqualē causæ, vt in diuinis personis dicimus, in quibus communis est mensura ipsa æternitas Patris, & Filij; potuit alterum ab altero generari, & nō esse generante posterior, vt re ipsa est. Sic etiam, si vtriusque communis esset mensura tempus, vt Solis, & Luminis, pedis, & vestigij, cùm esset ab æterno tempus, etiam alterum posset esse ab æterno. At verò cum illorū diuersa est natura, & ratio mensuræ, non ita, sicut sunt Deus, cuius propria mensura est æternitas, & res aliæ, quarum propria mensura sunt ęuū, vel tempus impossibile, vt sint coæqualis durationis causa, & effectus. Atque hactenus de hac quæstione.

An Deus sit causa libera: an verò agat ex necessitate naturæ.

Quæstio. III.

SVperius ad confutandam mundi æternitatem, obiter, quantū fuit satis, ostēdimus Deum esse liberam causam; ideo nunc diligentius id ostendendum erit; etiam secūdum Arist. sicut illic promisimus. Aliqui enim falso asserunt, nec Ari. nec Peripateticos vllam primæ causæ libertatem concedere: sed contrà impiè affirmāt, ea omninò agere ex necessitate naturæ.

Id autem probant ex aliquot locis. Primò. Illa ratio Aristotelis in 8. Phy. text. 7. & 8. id videtur supponere. Ait enim: Si mouens non mouebat prius, oportebat, vt postea moueret, auferri illud impedimentum, à quo prohibebatur. Quod videtur supponere agere ex necessitate naturæ: Nam alias posset responderi, primū mouens esse liberum, atque ita sine aliquo impedimēto prius nō mouisse, quia noluit. 1. rō in oppositum.

Secūdo. Ibidem tex. 15. propter eandē rationem, ait esse absurdum, & simile figmento, Deum ab æterno non fecisse, & postea fecisse. 2

Tertiò

3. Tertiò. Ratio Aristotelis in tex. 79. etiā id supponit. Ait enim: Virtutem infinitā, q̄ est in Deo, si esset in magnitudine, moueret in non tempore.

4. Quartò. Cælum est ingenerabile & incorruptibile secundum Arist. 1. Cæli, cap. 10. & sequentibus. At si Deus secundum Aristot. esset causa libera efficiens cæli & mundi, posset igitur cælum & mundum corrumpere.

5. Quintò. Item lib. 9. Metaphysi. tex. 17. & lib. 12. text. 30. item lib. 2. Cæli, text. 17. ait, Cęlum non posse non moueri, & Deū ac intelligentias non habere potentiam, vt non moueant; nec esse in potentia, sed esse actu semper mouentes.

6. Sextò. Ratio etiam hæc difficultatē facere videtur: Quia, si esset liber, posset velle & nolle, ac facere & non facere, atq; ita posset mutari Deus: est autem Deus immutabilis.

8. Conclu. Q̄ nō cōfitetur in Ari. Deū ex necessitate naturæ agere: imo in plurib. libere agere.

Loca hæc, & aliquot fortè similia multos induxerunt, vt Deo, secundum Aristotelem, tollerent omnē libertatem. Vt autem aperiam, quid sentiam, primò dico, non esse certum apud Peripateticos, Deū nullo modo esse liberū in Aristotele. Deinde dico, posse pluribus locis ex principijs Aristotelis probari, Deum in quibusdam rebus esse liberum, etiam secūdum Aristotelem.

Quot vijs probanda conclusio

Ostendamus ergo primò ex testimonijs Aristotelis; deinde ex testimonijs Interpretum eius: tertiò, necessarijs rationibus ex principijs etiam ipsius Aristotelis desumptis.

1. Via ex testimonijs. 1. Testimonium.

Primò enim sunt hæc testimonia Aristotelis. Primò in 4. Top. c. 5. loco. 64. ait Aristoteles, non debere dici calumniatorem, vel furem eum, qui possit talia agere, sed qui fecerit. Nā, inquit, multa possunt facere & Deus, & homines, quæ non faciunt. Nil clarius dici potuit. Vbi vide etiam Alexādrum, qui benè explicat quo modo in Deo sit potentia ad facienda aliqua, quæ non facit.

2. Testimonium.

Secundò. 10. Ethic. c. 8. Aristoteles ait, illos esse Deo charissimos, qui sint verè sapientes; & rationem ducem sequentes, optimo animo sunt affecti. Vbi & curare Deum res humanas manifestè confitetur, & plurima istis beneficia conferre, qa tales sint: & delectari Deum optimis, & sibi similibus hominibus, & illos ei esse charissimos. Hæc ibi. Inclinari autem, & mouere se ad amandum, vsa illorum sapientia, & virtute, necessitatis nō est, sed libertatis, & propriæ voluntatis.

Præterea: Curam habere rerum humanarum, & beneficia largiri eis velle, voluntatis est.

Rursus; Cùm homini in Aristotele liberum sit, vt in studia incūbat, & sapiens sit, vel non sit, virtutem eligat, aut secus; profectò actus ille Dei, quo diligit sapientem, & studiosum, non erit necessarius. Obiectio & eius cōfutatio.

Est autem ridicula illorum expositio: qui, vt effugiāt, dicunt, Arist. illa in Ethicis populariter, minus verè dixisse, vt homines alliceret ad virtutem; tum quia nil tale ibidem ipse iudicat, & in vniuersis Ethicis seriò agit, & eodē maximè loco, verbis grauissimis; tum quòd Eustratius Grēcus author Ethicorū Aristotelis præcipuus interpres longè aliter dicat, qui etiam eius rei rationem reddit, & in eo maximè ridendi sunt, quòd non possint Aristotelem pro sua impietate defendere, nisi dicant illum sponte fuisse mendacem, & impostorem.

3. Testimonium. Tertiò. Ex 2. de Gener. text. 59. omnia eo modo compleuit Deus, quo ipsorum naturæ debebatur. Item ex 12. Metaphy. text. vltimo, res eo modo gubernantur, quo optimò possunt. Sed dātur entia cōtingentia, & libera: ergo contingenti, & libero modo gubernari debent: aliter nō gubernarentur, neque complerentur secundum suam naturam. Nō possunt autem libero modo gubernari, nisi à causa libera: ergo &c.

4. Testimonium. Quartò. Aristoteles in 8. Ethic. c. 7. & sępè etiam alibi docet, Deum erga bonos habere amicitiam: non quidem vt inter æquales, sed ex supereminentia, quam ipse vocat, vt superioris ad inferiorem. Idē ait in ca. 12. & ca. 14. & sępè alibi tradit de honore debito & cultu ac laude Dei. Vno verò in testamento, quòd condidit, antequam excederet ex hac vita, quod extat in ipsius vita apud Laertium: Deum orat & aliqua fieri iubet religionis ipsius monimenta, quę quidem nunquam facturus fuisse videretur, nisi Deum esse liberum putasset.

5. Testimonium. Quintò. In libro de Mūdo ad Alexandrum

drum, siue is sit Aristot. siue alterius, dignus sanè est, qui tribuatur Aristoteli: Postquam omnia dixerat Dei esse opera, cælum.terram.animantia, atque omnibus dare vitam, & cuncta gubernare, ac regere, tandem ait: Deus cum in re immobili collocetur, omnia, quò vult, mouet, arbitratuque suo, in diuersis rebus generibus, & naturis versat, &c. Atque hactenus ex Aristotelis quibusdam testimonijs: iam ex Interpretibus quoque eius, idem ostendamus.

2. Via. Ex testimonijs interpretũ Arist. Prætereà: ad id probandum suppetunt multa interpretum Aristotelis, & Peripateticorum testimonia ex Aristotelis sententia, sic arbitrãtium. Primò enim apud Theophrastum. Si intellectus agens est Deus, vt ipse putat, etiam secundum Aristotelem, in libro de intellectu à cap. 17. qui immittit cogitationes hominibus, cùm ij intelligant contingenter, ipse contingenter immittet. Idem dixerim de Alexandro, cuius eadem fuit sententia de intellectu agente, secundum etiam Aristolem, vt patet ex suo 1. de Anima cap. 25.

1.

2. Secundò. Alaxander expresè in lib. de fato ad Antonium, & Seuerum Imperatores in epilogo, vbi profitetur se explicare sententiam Aristotelis, ait, A Deo esse petendum, vt concedat beneficia, quoniam ipsi dandi, & non dandi, facultas est.

Tertiò. Simplicius in 2. Physic. text. 77. ait: Deum vti natura, vt vult, & cuncta in æquitate dirigere.

3

Quartò. Idem in 4. Physi. in digressione de loco, paulò post initium, ait: Deum in Cælo Empireo illustrare mentes hominum, & ostendere illis ea, quæ per se sunt spectabilia. Et super Epicthe. c. 54. & 27. ait, animas hominum in reditu post corpus bonas manere præmia: de quo vide orationem, quam habet ad Deum, ad calcem illius operis in Epicthetum, qua ipsum precatur, vt mentes nostras illuminet, idem etiam Simplicius, quod plus est, in Physico. ait intelligẽtias posse mouere Cælum, velocius vel minus velociter pro earum voluntate: & ibi ita ipsum intelligit Aristotelem, vt superiùs citauimus.

4.

Quintò. Philoponus prætereà, Ammonius, & alij ex veteribus, quorum attuli ad calcem primi Periherm. Themistius, Eustratius, Psellus, & Magentinus: cum plerisque alijs, qui ponunt in Deo prouidentiam secundùm Aristotelem, consequenter libertatẽ confiteantur necesse est, secundùm eundem: hæc enim non potest esse sine libertate, nec haberi de rebus liberis à causa omnino necessaria: atque hæc ex testimonijs interpretũ Aristotelis.

5.

Sed, ex doctrina Aristotelis, & ipsius principijs multa etiam deduci possunt argumenta.

3. Via Ex necessariis rõnibus ex principijs Arist. desuptis.

Primò, In Aristotele: Homo est liber, vt patet ex 2. Physic. text. 58. & 59. ait hominem agere, cætera agi. & in 2. Ethi. ca. 6. ait, in nobis esse virtutes, & vitia, quæ tamen versantur circa ea, quæ subdũtur nostræ electioni. Et in 3 Ethic ca. 2. ait, in brutis esse spontaneũ, in solo loco homine electionem. Et ab Alexandro in libro de Fato cap. 8. & 9. id supponitur vt primum principium, in sententia Aristotelis. Idem Simplicius 2. Physic. tex. 1. & 32. & sæpè alibi, vt alios omittam innumeros. Sed impossibile est causam secundam esse liberam, prima existente necessaria: ergo &c. Probatur minor. Quia aliàs secunda causa potest operari sine prima: ga posset efficere id, ad quod prima nõ posset cooperari: & præterea secunda tunc causa videretur domina primæ, si pro eius arbitrio primam ad agendum secum traheret, vel reijceret; ac fieri demum posset, vt actionem necessariam primæ causæ, secuuda frustraret, sua liberate, nollẽs operari; Quæ omnia sunt planè absurda, Prætereà; ratio ipsa, qua probat 2. Ethic. in homine esse libertatem, & voluntarium, non verò in bruto, aut alijs rebus, est, quia valet intellectu, quo cognoscit finem, & media ad finem, & ea ad finẽ ordinat, & ita intellectum consequitur in appetitu voluntarium, & sensum consequitur in appetitu spontaneum tantum: At Deus intellectum habet, & mens est, secundum Aristotelem: ergò &c. Et consequitur in eo voluntarium, ex Aristotelis ratione: & præsertim, cùm omnia ordinet Deus in finẽ, vtpotè sapientissimus.

1.

2.

Secundò. Secundum modum argumẽtandi, quo vtitur Aristoteles in 1. de anima, tex. 8. quod etiam repetit 3. Metaphysic. tex. 15. aduersus Empedoclem. Ineptè facit.

facit, qui aliquam perfectionem, quæ verè perfectio sit, negat Deo. Sed libertas est perfectio: ergo &c. Probatur minor: Quia solũ dicit in sua ratione esse dominum suarum operationẽ, & ita posse facere, vel non facere, vt velit, idq; ex ipso, nec alteri necessario subesse: At hoc perfectionis est, esse suarum actionum absolutum dominum, & non alteri subditum vel seruum, nec ab alio aliquo necessariò pendere: ergo, & c.

3. Ex plurib. sportaredicã non sõt, ẕpter diuinãvoluntatem 1.

Tertio. In innumeris rebus naturalib. nullam posset quis reddere, secundum Arist. rationem, nisi recurratur ad diuinam voluntatem: vt v.g. in ordine circulationum cæli, cur hæc prior, illa sit posterior, & non contra: cùm enim sint omnino similes, reddi ratio non potest, nisi sola Dei voluntas ordinantis: Cur non totus mundus sit inuersus: vt pars antartica sit, vbi est artica, & econtrà. Omnia enim eodem modo se haberent.

2.

Præterea: Cur motus cæli sit magis ab oriente in occidens, quàm ecõtrà. de qua quęstione tã laborat Arist. in 2. Cæli, tex. 33 nulla enim inueniri potest, prẕter diuinam libertatem. Nam ꝙ respondet, in oriente esse dextrum, manifestè petit principiũ: Nam propterea ait esse dextrum in oriente, quoniam inde incipiebat motꝰ. At vero eadem remanet difficultas, quia si esset in occidente, ibi esset dextrũ, quia inde inciperet motus, & ita videtur petitio principij: Quæro. n. cur Deꝰ posuisset dextrũ in oriente potius, q̃ in occidẽte.

3.

Præterea. Posita aliqua debita dispositione ad introducendã. v.g. formã ignis, nulla potest reddi ratio præter diuinam voluntatẽ, cur hæc forma numero introducetur. v.g. bipedalis, & nõ alia ignis bipedalis. Non enim magis conuenit hæc forma ignis numero, cum hoc loco, hoc tempore, ac numero, dispositione, quàm alia forma ignis bipedalis.

4.

Item partes temporis inter se sunt omninò homogeneæ: Cur ergo tempus hesternũ non fuit hodiernum, & econtra: cur dies vel annus elapsus prẕcessit, & hic subsequitur, sed & infinitorum instantiũ ordo, cur ita fit? Et in partibus etiam motus cæli idem poteris querere. Neque verò ratio in his, quæ satisfaciat, reddi potest, ẕpter diuinã voluntatem, & sapientiã, sic in istis rebus indiuiduis ordinem cõstituentẽ, quibus similia problemata facilè poteris sexcenta excogitare.

Ad hæc, addamus rationes quasdam. D. Tho. ex li. 2. Summæ contra gentes, c. 23. ex pluribus, quas illic adfert Sanctus Doctor pulcherrimas. Sit ergo argumẽtum. 5. Ratio.

Amplius secundũ philosophũ 9. Meta. duplex est actio. Vna, quæ manet in agẽte, & est perfectio ipsius: vt videre. Alia, q̃ transit in exteriora, & est perfectio factis, sicut comburere in igne. Diuina autẽ actio non potest esse de genere illarum actionum, quæ non sunt in agente, cum sua actio sit sua substantia, vt in primo ostensum est: oportet igitur quod sit de genere illarum actionum, quæ sunt in agẽte: & sunt quasi perfectio ipsius. Huius autem non sunt, nisi actiones cognoscentis, & appetentis: Deus igitur cognoscendo & volendo agit, & operatur, non igitur per necessitatem naturæ, sed per arbitrium voluntatis.

Adhuc. Deum agere propter finem ex hoc manifestum esse potest, quòd vniuersus non est à casu, sed ad aliquod bonum ordinatur: vt patet per philosophum in 12. Meta. Primum autem agens propter finem oportet esse agens p ꝛr intellectũ, & voluntatem: ea enim quæ intellectu carent, agunt propter finem, sicut In finem ab alio directa: quòd quidem in artificialibus patet: nam sagittæ motus, est ad determinatum signum ex directione sagittantis. Simile autem esse oportet in naturalibus. Ad hoc enim, quòd aliquid directè in finem debitum ordinetur, requiritur cognitio ipsius finis, & eius quod est ad finem, & debitæ proportionis inter vtrunq; quod solum intelligẽtis est. Cùm igitur Deus sit primum agens, non agit per necessitatem naturæ, sed per intellectum, & voluntatem. 6. Ratio.

Itẽ. Voluntas habet pro obiecto bonũ secundum rationẽ boni: Natura aũt non attingit ad communem rationem boni; sed ad hoc bonum, quod est sua perfectio Cùm igitur omne agens agat secundum quod ad bonum intendit: (quia finis mouet agentem:) oportet quod agẽs per voluntatem ad agens per necessitatem naturæ comparetur, sicut agens vniuersale ad 7. Ratio.

ad agens particulare: Agens autem particulare se habet ad agens vniuersale, sicut eo posterius & sicut eius instrumentum: ergo, oportet, quòd primum agẽs sit voluntarium, & non per necessitatem naturæ agens.

1. Ratio. Dẽmum, si Deus liber non esset, sequerentur multa absurda contra naturã, & contra ius, & debitum naturæ: Vt, quòd non esset orandus, cùm esset necessariũ agens: nam stultum esset orare agentia necessaria, vt Solem, Lunam, ignem, vel aquam, quia flecti precibus nõ posset. Sic etiam non timendus esset, nec reuerẽdus; imò nec colẽdus, nec in eo spes collocanda, q̃ adiuuaret, vel eriperet ex malo, aut periculo: & sexcenta eiusmodi.

Hæc sanè argumenta omnia etiam in principijs Arist. & in rationi naturali, euidenter ostendunt, Deum non posse esse agens omnino necessarium. Sed secundũ etiam Aristotelem tum cum liberis causis medijs liberè coagere, tũ in indiuiduorum productione, & ordine liberè ea disponere, & præsertim concessa, vt concedi debet, secundum Aristot. prouidentia, de qua & nos alibi.

Solut. obiectionũ cõtrariarũ 1. Solu. ad omnia simul in genere loca Aristo. Vt autem locis illis Aristotelis satisfiat, dici posset fortè probabiliter: Primò Aristotelẽ voluisse Deum esse agens necessarium circa ea, quæ pertinebant. ad perfectiõem vniuersi, vt videlicet circa species in vniuersali, & de motu in vniuersali, ac mundi conseruationem, de quibus videtur procedere argumenta illa: at verò circa indiuidua (vt diximus) & res liberas, vt homines, non est dubium, quin ipsum posuerit liberum.

Sed neque illud certò apud Aristotelẽ affirmari quis poterit, vt ostendimus, maximè cùm nullibi id expresè dixerit: & hæc loca nõ conuincant, sed optimè dissolui possunt, etiam de speciebus cęli, motu, & mundi cõseruatione, vt paulò post dissoluemus.

2. Solu. in genere. Secundò: Cùm illæ rationes Aristotelis, tam in tex. 8. & 9. quàm in 79. quas facit pro mundi æternitate, tam peccẽt in multis alijs, vt supra attigimus ex Philop. & suo etiam loco erit manifestum, non esset mirum si inter alia inconuenientia, in hoc etiam inciderent; vt illam libertatem adimerent Deo, quam in tam multis alijs locis ipsemet concedit Arist. atq; ita in genere responsum esset.

Ad singula testimonia Arist. Sed tamen particulatim singula accedamus, & ostendamus ex nulla certò cõstare Arist. ademisse Deo libertatem, etiã in Cæli motu, & speciebus, & mundi cõseruatione.

Ad 1. Ad primum igitur, respondemus: ibi Arist ponere mouens fuisse non seorsim; sed simul cum mobili, & tũc ait oportuisse esse aliquam causam quietis, si mouens non mouebat illud mobile: vt si poneretur, v.g coæterna materia cum Deo, vel chaos, vel aliud aliquid, vt illi antiqui philosophi ponebant, contra quos disputabant. Ac tũc quidem rectè ait esse aliquã causam quietis debere, alias contra naturam esset talis quies, & violenta: imo nec fieret. Et quidem hoc semper sequitur, siue mouens esset liberum, siue necessarium. nam nec ex electione, vel voluntate illa tunc quies esset sine causa, vel impedimento eligẽda: sicut nec à natura tũc sine causa, vel impedimento efficeretur. quare ratio Aristotelis simpliciter cõcludit & absolutè, non curãs quòmodo mouens agat liberè ne, an necessario, sed abstrahendo.

Ad 2. Ad secundum respondeo eodem modo, supposito mobili cum mouente. inferre Aristotelem contra Anaxagoram illo loco, qui ponebat mentem, & chaos infinito tempore præcessisse in quiete, & postea mẽtem inde omnia segregasse, & mouisse. Nam hoc contra rationem, ait, diceretur fuisse infinito tpe mouens, & mobile, nec tamen assignare causam naturalem illius infinitę quietis, & cur modò, & nõ prius. cuius rationem nullam reddebat Anaxagoras. Hæc autem Aristotelis illatio, posito mouẽte & mobili, simul & eodem modo, tunc sequeretur, siue illa mẽs libera, siue necessario agens ab Anaxagora diceretur. Nam illa quies mobilis infinita esset præter naturam, & sine ordine ad motum finitum, vt ait Aristoteles, & ita nec eligenda ab ipsa mente, etiam si libera esset. Sed, vt diximus, Aristoteles nil curat ibi, an mouens sit liberum, vel necessarium, sed absolutè infert, & simpliciter. An verò rectè inferat, alia q̃stio est. Nã posito mobili cum mouente, rectè fortasse. Sed si mẽs illa Anaxagorę fuisset ab

ab æterno sola, & libera, non ita: Nec cõtra hoc ibi disputauit Aristoteles. Posset enim tunc assignari causa, cur prius, & non antèa, vt suprà diximus.

Ad 3. Ad tertium. Respondeo: quòd si illa virtus esset in magnitudine, esset necessaria: quia esset omninò immersa materię, vt aliæ formæ corporeæ: secus autem si sit, vt est, etiam secundum Aristotelem, à materia separata, & à magnitudine: nam sic est libera, vtpote intellectu, & voluntate prædita. Vel si adhuc quis dicat, manere liberam in magnitudine, & corpore existentem, sicut anima rationalis nostra. Tamen tunc in illius motus naturalis actione esset necessaria, velut etiã viuificandi corpus, & dando ei esse, cùm in alijs actionibus, scilicet, voluntatis, & intellectus esset libera. Sicut ipsa etiam anima nostra, in actionibus naturalibus, vt nutritionis, augmenti, & decrementi, & cæteris, est etiam agens naturale, sed in alijs voluntatis, & à voluntate imperatis, agit liberè.

Ad 4. Ad quartum. Respondemus primò, etiam si hoc concederemus secundũ Arist. in conseruatione cæli, & mundi esse causam necessariam: non ideo cõcluderetur in omnibus alijs eius actionibus nullo modo esse liberam, scilicet, vel cum causis liberis coagẽdo, vel in particularibus rebus, vt ostendimus.

Secundò. Dicimus etiam cum illa necessitate posse esse aliquam libertatẽ, videlicet complacentiæ, qua scilicet, spontè, & delectabiliter mundum conseruare vult, & conseruat sua ipsa propria immutabili voluntate, sicut complacet in se ipso, & suis perfectionibus, & sui amore. Quare non excludi adhuc secundum Aristo. etiam in mundi conseruatione omnem libertatem.

Tertiò, dicimus, quòd Deus etiam si posset corrumpere, non tamen corrumpet, ne opus suum destruat. Esse autem cælum incorruptibile ex se, quod careat materia & contrarijs, atque ideo nulla naturali causa posse corrumpi; & nil amplius concludere testimonium illud Aristot.

Ad 5. Ad quintum respondeo idem, quod ad præcedens argumentum, primo, & secundo loco diximus, & tertio, rursus addimus: ibi solùm dici, ex se cælum, si naturam eius spectemus, non posse nõ moueri, & hoc suæ naturę esse impossibile, & ei repugnare, quod postulat semper moueri: non verò Deo mouenti ex se repugnare, aut intelligentiæ, quamuis & hæ quidem non intermittẽt motũ, nõ quia non sint liberæ, aut quia ex se nõ possẽt, si solùm suam naturam spectemus: sed quia contra cæli naturam non agant, nec volunt agere, ne etiam contra rationem sic agant non mouendo.

Dicimus præterea, non esse in potẽtia intelligentias ad motum cæli, vt possint non mouere, si spectemus naturalem ordinem rerum, & actionem naturalẽ, quia aliàs violenter agerent, & contra naturã cęlo inditam: non quòd in se absolutè nõ sint præditæ intellectu, & voluntate, atq; adeo liberè agant.

Quamuis etiam Simplicius, posse intelligentias celerius cælum mouere, & minus celeriter, concessit etiam secundũ Arist. suprà in Physi. vbi ipse etiam Arist. idem videbatur insinuare.

Ad 6. Ad sextum. Etsi Deus possit facere, & nõ facere, & velle vel nolle, vt aliquid sit, vel fiat, non sequitur ipsum mutari, sed res ipsas factas. Et hoc etiam de prima causa cognouit Aristoteles, qui posuit primum mouens immobile, mutat itaq; reliqua, ipso immoto permanente. Nec cũ dicimus illum posse velle & nolle, habet diuersos in se actus voluntatis sibi succedentes, vt in nobis: nam & ipsum velle est ipsum esse, sicut & intelligere est ipsum esse: non verò actus accidentales informantes eius voluntatis potentiam; solùm ergo mutatur respectus rerum volitarum ad ipsum, quia aliter se habent ad ipsius voluntatem, quàm antèa; non verò ipse mutatur, aut aliter se habet ipse Deus. Denique quicquid vult, voluit ab æterno, sed liberè vult, & nunc, & ab æterno: atque de hac quæstione sit satis.

CAPVT III.

Principium considerationis id erit. Tex. XXI.

Motus

Vt probet motū primi, & motoris primi æternitatē suppo nit aliqua sēper moueri, aliqua semp q̃escere: aliqua quā doq; quiescere.

MOTVS æternitate constituta vniuersaliter, modò vnius motus primi æternitatem indagat, ac similiter vnius primi motoris: ic exordium sumit à quęstione proposita in tex. 19. superiori: An, quæ mouentur, semper moueantur: & quæ quiescunt, semper quiescāt: ad cuius inquisitionem ponit vnam diuisionem cū subdiuisione; & argumēto, colligit, esse aliqua, quæ semper mouentur, alia quæ semper non mouentur: Aliqua, quæ aliquando quiescunt, aliquādo mouentur: & per hoc soluitur dubiū, & similiter finitur speculatio de motu, quæ in his sex libris Physicorum suscepta fuit.

Est igitur diuisio tripartita. Aut omnia mouentur semper, aut omnia quiescunt semper. Aut aliqua quiescunt, aliqua mouentur.

Diuisio eorū, q̃ mouentur & q̃escunt.

Subdiuisio.

Subdiuisio est huius tertij membri, ad huc etiā tripartita. Si aliqua mouentur, aliqua quiescunt: aut illa, quæ mouentur, semper mouentur; & illa, quæ quiescunt, semper quiescunt: Aut illa, quæ mouentur, possunt quiescere: & illa, quæ quiescunt, possunt moueri: & tunc omnia moueri, & quiescere poterunt, & apta erunt: Aut tertiò, Alia mouentur semper, alia quiescunt semper; alia, modò mouentur, modò quiescunt.

Nota.

Ita, vt sint tria entium genera: Quędā immobilia, quędam mobilia semper: quędā apta modò moueri, modò quiescere. quod membrum verum esse ostenditur per aliorum exclusionem.

Integræ totius diuisiōis partes quinque.

Est igitur vna integra diuisio, quinque partibus constās. Idem in primis duabus fit diuisio solùm penès prædicata duo, subiecto non diuiso: Puta, aut omnia semper mouentur, aut omnia semper quiescunt. Sumimus enim omnia entia in vtraque parte. In tertia diuidimus vtrunque: Puta, aut alia semper mouentur, & alia semper quiescunt. In quarta coniungimus duplex prædicatum vni subiecto: Puta, Aut omnia sunt apta moueri, & quiescere. In quinta sumimus vtriusque diuisionem simul cum diuisione aduerbij temporis, Putà, aut alia semper mouentur, alia quiescunt semper: alia modò quiescunt, modò mouentur.

1 2 3 4 5

Dicere igitur omnia quiescere. Text. XXII.

INcipit partes excludere: ac primò illam, quam prius sumpsit: puta, omnia quiescere semper, quòd affirmabat Zeno. Quadrupliciter autem hoc reijcit. Primò, ex sensu, quo motum percipimus, in quo reprehenditur Zeno, quia relicta sensus experiētia, sequebatur rationem: quod dicit esse imbecillitatis intellectus: quia, vt dicit S. Thom. nesciens soluere rationes sophisticas, contra sensum quicquàm affirmabat. Simplic. dicit, hoc dici esse ex imbecillitate intellectus, quia est nescire per se notum à non per se noto distinguere.

Excluditur illud membrū, q̃ nō omnia semper quiescant. 1.

Secundò reprehendit: Quia ista sententia non solùm aufert vnam conclusionē particularem, aut vnam rem: sed potiùs omnes res naturales negat, in quibus motus est principium. Imò dicit, quòd omnes artes, & opiniones negat, quia omnes motu aliquo modo vtuntur, & indigēt. Physica enim motum per se considerat; Metaphysica motum supponit, per quem, Deum esse, indagatur. Mathematica motum supponit, vt ab eo abstrahat: similiter etiam aliæ artes practicæ. 2.

Tertiò autem in hoc reprehenditur: quòd etiam præter Physicam alia tollat. 3.

Quartò reijcitur; quia sicut eos, qui instant, & principia negāt Mathematica, non est Mathematici redarguere: ita nec est Physici contra eos disputare, qui motum negant, cùm sit principium Physicū, naturam esse principium motus, 4.

Ferè autem & omnia dicere moueri. Tex. XXIII.

REijcit alteram partem diuisionis, puta, omnia moueri, quod dicebat Heraclitus. Dicit autem, quod hoc est ferè simile cum prima opinione, quia est falsum, & etiam præter methodū. i. non Physicè dictum. Quia sicut qui motum negat, non loquitur Physicè: ita etiā qui quietem. Nam natura principium est vtriusque, & motus, & quietis.

Reijcit alterum mēbrū, q̃ nō omnia semper moueantur. 2

At minus præter Physicam loquitur, qui negat quietem. Nam Naturalis præcipuè in motu versatur eò, quòd plura moueantur, & quòd motus quid positiuum est: quies verò motus priuationem dicit. Et ita parum de quiete, multum de motu in Physica disseritur: minus ergo negat Physicam, qui omnia semper moueri dicit. Est autem hæc notanda expositio. Impugnaturus ergo hanc opinionem, tanquam magis Physicam ipsam exponit. Isti enim dicunt, omnia moueri, nullo dempto, & semper moueri: tamē non semper motum hunc apparere: ob id quædam quiescere videntur, cùm tamen moueantur.

Exponitur opin. Heracl.

At quamuis hi non explicent, quo motu cuncta moueantur semper, an vno, an pluribus: tamen Aristoteles de omnibus probat, ac dicit, facile esse probare, omnia secundum nullum motum moueri semper. Et primò probat de augmento, & decremento sic. Secundum augmentum, & decrementum non potest quicquam continuè moueri, quin detur interpolatio: ergo non possunt omnia secundum talē motum semper moueri.

Primò probatur in Augmento, & Decremēto, non semper cōtinuè moueri.

Hoc argumentū varie intelligitur ab Expositoribus. Themist. sumit vtrumq; motum simul: vt sit sensus: Augeri, & decrescere, sicut ascēdere, & descendere, nō possunt esse absque media quiete: ergo non possunt res semper moueri. Quòd si dicas: debebat probare de altero per se: Dico, non oportebat: nam hoc sensus indicat, cùm res non semper augeri, sed aliquando decrescere sentiamus. Quòd si istam admittamus expositionem à quæstione illa nos liberamus. Contendunt enim aliqui ex hoc loco, augmentum nō esse motum continuum. Adde etiā quòd cum Themist. exponunt Simplicius, & Psellus.

Not. tex. expōnem 1. expō.

Alij verò cum S. Thom. & Auer. aliter exponunt: puta, quòd nec augmentū cōtinuum est per se, nec decrementum, sed quòd fit per minima ita, vt vnico instanti, & tempore acquiratur minimum vnum quantitatis, alio tempore, & instanti aliud minimum, & non continuè ita, vt in singulis instantibus augeatur: esset enim infinitum actu.

2. Expō.

Vnde debes intelligere sic augmentū, quòd in hoc tempore disponatur alimētum tantùm, & in fine dispositionis conuertatur, & nutritum fiat maius: & alio tempore disponatur, & posteà augeatur nutritum semper interrupto augmēto. Non vt tēpore aliquo continuè augmentum fiat, ne detur infinitum. Idem de decremento: & sic explicant rationem Aristotelis.

Authoris sentētia.

At quicquid de hoc sit, melius est, admisso, quòd loquatur de augmento per se, quòd sit sensus, quòd non semper res augeatur, id est, quamuis per viginti annos duret augmentum, non in hoc toto tempore continuè augmentum fit, sed aliquando cessatur. Hoc tamen nō obstabit, quin augmentum saltem aliquo tempore sit continuum.

Inter has expositiones mihi magis placet vltima: nam verba, quæ sequuntur, huic videntur facere. Et Simplic. docet etiam non solùm illos duos motus non esse continuos, puta, augmenti, & decrementi inuicem, sed nec singulos per se. De continuatione autem horum alibi disputabitur.

Est autem similis ratio illi, quæ est de eo.

COmparat hos, qui totum augmentum dicunt continuum, his qui dicerent, excauationem lapidis à gutis esse continuam ita, vt si tanto tempore tantum excauatur, in dimidio dimidiū excauabitur, & in alia quauis tēporis illi parte, etiam pars alia excauatur. Ita etiā de augmento: si enim augetur viginti annis, in dimidio dimidium, & in alio aliud augebitur: quamuis non semper notus sit motus, sicut excauatio à singulis guttis non est nota.

Reijcit similia duò quæ videri possint. 1.

Similiter est aliud exemplum de arbore, quæ nascens iuxta lapidem, ipsum tandem scindit, dum crescit: videtur enim motus scissionis esse continuus. 2.

Statim reijcit hoc Aristoteles dicens, quòd non ita est. Non enim quæuis gutta, & in qualibet parte tēporis cauat, sed omnes simul. Similiter, nō in toto tempore, quo arbor nascitur, lapidem scindit, sed tem-

sed tempore quodã, sicut qui nauim trahunt. Non enim quiuis per se aliquo tẽpore trahit, sed omnes simul per totum tempus.

Ita fit augmentum. Non enim calor naturalis per quamlibet dispositionem continuo tempore auget, sed aliquo tempore disponit, & alterat, & pòst auget: similiter in diminutione. Vnde quamuis pars remota excauataque diuisibilis sit, non tamen pars quælibet in parte qualibet temporis remouetur. Similiter de augmento, & diminutione. Dices, quomodo gutta cauat lapidem, cũ nulla per se? Respondet S. Tho. quòd primæ dispo. Solutio D. Tho.
nunt, vltimæ autem, dispositione præcedenti, excauant.

Simplic. & Themist. hæc verba nõ referunt ad augmentum, sed ad operationem ipsam illorum, qui dicunt, motum esse, sed non semper percipi: & tunc dicit, quòd hoc simile, ac si dicant, excauationẽ esse continuã, at non percipi: Quod quidem falsum ostendit: pendet autem hæc expositio ex præcedenti ipsorum, & vtraque est conueniens.

Concludit Aristoteles, quòd quamuis diminutio, & augmẽtum diuisibilia sint in infinitum, cùm per ea quãtitas acquiratur, vel deperdatur, quæ diuisibilis est in infinitum: tamen non oportet, quòd in qualibet parte temporis continuè perdatur, aut acquiratur aliquod totum, id est, aliqua quantitas, vt dictum est. Et in hoc apparet, expositionem priorẽ magis cõuenire literæ, q̃ posteriorẽ Simplicij.

Similiter autem & in alteratione qualibet.

Probatur idẽ in alteratiõe.

CVm probasset secundum augmentum, vel decrementum, omnia nõ semper moueri eò, quòd augmentum non est cõtinuus motus: probat idẽ modò de alteratione: quòd non moueãtur omnia alteratione semper. Et hoc tripliciter. Primò, quia non fit semper alteratio continua, vt dictũ est de augmento: non igitur semper res alteratur. Probat antecedens de congelatione, quæ alteratio quædam est, & in tempore fit: nõ tamen in qualibet particula temporis congelatur pars congelati, sed totum simul: vt patet de coagulatione lactis, & de aquæ congelatione, de qua iam alibi dictum est. 1.

Probat secundò: quòd alteratur certo tempore, & in certum terminum mouetur: Vt quod ægrotat, ab ægritudine in sanitatem tẽdit in tempore aliquo, & non in instanti: ergo non semper est sanatio: aliàs non esset tempore certo, nec in terminum certum. Vnde addit, quòd hoc negare, est valdè nota negare: & vocat continuò alterari semper, & incessanter alterari. Nota, quod addit illud verbum (non in termino temporis,) id est, instanti alterationem esse) quia aliàs nisi esset in tempore, non videretur motus continuus. 2.

Tertiò probat experiẽtia: Experimur enim multo tempore lapides in eadem duritie pseuerare, nec duriores, aut molliores fieri: quòd si alteratio esset secundum duritiem, profectò tanto tempore sentiretur notabiliter: quod non ita est. 3.

Et de ipso ferri mirabile est. Tex. XXIIII.

PRobat tertio de motu locali: quòd non omnia semper moueantur motu locali: Et facit duas rationes. Altera est: quia motus localis est sensu perceptibilis: at sensu aliquando motum lapidis, aliquando quietem in terra percipimus: ergo non semper lapis mouetur: aliter mirum est, quòd lapis existens in terra, moueatur localiter, & sensu nõ percipiatur. Altera ratio est: Omne, quod in proprio loco est, quiescit, nisi violenter moueatur: at multa in suis locis existunt, nec violenter semper mouentur: ergo non omnia mouentur, sed aliquando quiescunt. Vnde ex his concludit, quòd non omnia semper quiescunt, aut semper mouentur: & hoc per has rationes, & alias similes notum euadere potest. 3. Probatur idem in motu locali. 1. 2.

At verò neque alia quidem contingit.

Impu-

Impugnat 3. rõ diuisiõis, scilicet cẽ quod aliquando quiescat, aliquãdo moueatur. 1. Ratio. 2.

IMpugnat tertiam diuisionis partem, puta, aliqua quiescunt semper, aliqua mouentur semper, ita, vt nihil fit, qd' aliquando quiescat, aliquãdo moueatur: & reijcit duplici ratione. Prior est, sicut præcedens: Quia est contra sensum. Experimur enim aliqua moueri, & eadem aliquando quiescere.

Posterior: Quia ex hac opinione aufertur augmentum, & motus violentus, & generatio, ac corruptio, ac deniq; motus vniuersaliter. Aufertur quidem augmentum, quia (vt dictum est,) non est continuum: Aufertur motus violentus, quia mouetur violenter, quod ex quiete naturali in motum tendit præter naturam: Debuit ergo quiescere, nam motus naturalis violento non est continuus.

Aufertur generatio, & corruptio, & denique motus: quia omnis est ex quiete vnius termini in quietem alterius: vt cùm ex albo fit nigrum, tunc quod quiescebat sub albo, mouetur in nigrum: similiter cùm ex non homine fit homo, quod non homo erat, tendit vt sit homo. Aut in loco similiter; quod erat hic, mouetur hinc, vt sit, & quiescat in alio. Auferre igitur quietem in his, quæ mouentur, est auferre, & destruere motum omnem.

Quare manifestum est. Tex. XXV.

Impugnatur quarta pars diuisionis, omnia aliquando quiescere, aliquãdo moueri.

CONcludit, quòd alia quidem modò mouẽtur, modò quiescũt, quod est contra partem impugnatam: postea excludit quartam partem, quòd omnia aliquando moueantur, aliquando quiescant. Et dicit, hoc esse ascribendum rationibus superioribus. Intellige, quòd est opinio Empedoclis superius impugnata tex. 15. Hic enim dixit omnia aliquo tempore quiescere, alio moueri. Simplic. aliter exponit: sed sic est bona expositio.

Reiectis his quatuor opinionibus ad inferendum quintam diuisionis partem iterum velut resumit dicta, & syllogismum diuisiuum componit, partes omnes præter vnam, quam intendit, destruentem.

Aut enim omnia quiescunt, aut omnia mouentur.

Tex. XXVI.

ESt igitur diuisio. Aut omnia quiescunt, aut omnia mouentur: aut aliqua quiescunt, aliqua mouentur: & horum, aut omnia sunt apta quiescere, & moueri aliquando: aut aliqua quiescunt semper, alia mouentur semper: & alia modò mouentur, modò quiescunt: & prætermisit in hac diuisione tertiam partem superiorem, quia cum alijs intelligi potest. Proponitur tota diuisio.

Statim partes excludit. Primò, illam, omnia quiescunt: & dicit, quòd supponatur, ita esse, sicut Melissus dicebat, puta, ponens vnũ & immobile vniuersum: quamuis igitur non sit, non tamen negari potest, quin saltẽ aliqua moueri appareant, aliqua non: tunc illa imaginatio, & opinio, qua motus apprehenditur, & iudicatur, erit falsa, cùm aliter res se habeat: & aliquando est vera, cùm res ita se habet. Ergo ex hoc, quòd motum negant, motus est. Nam imaginatio, & opinio falsa, & vera, imò absolutè imaginatio, & opinio motus quidã est. Quo aũt modo imaginatio motus sit, ad libros pertinet de Anima. Est enim imaginatio motio potentiæ interioris à sensu in actu facta: vt cùm quę sensibus percipimus, imagines interius voluimus. Opinio autem est assensus, & iudicium sensus interioris: hi autem quidam motus sunt. Excludũtur aliquę partes.

At quia hæc res est per se nota, dicit, quòd non oportet rationẽ quærere, cùm habeamus sensum, qui notior est ratione. Quærere autem rationes, vbi sensus est, est hominis non distinguẽtis melius, & peius, per se notum, & non per se notum, vt diximus. Nota, quare rationem, vbi ẽ experientia sensus esse hominis nõ distinguentis intra melius, & peius.

Alias partes duas diuisionis superius positas reijcit: & dicit, quòd omnia semper moueãtur, aut quòd aliqua quiescãt semper, alia moueãtur semper. Similiter prima, quòd omnia quiescant semper, vnica ratione reprobantur. Nã experiẽtia ostendit, aliqua aliquando quiescere, & eadem aliquando moueri: & hinc patet, quòd impossibile sit, omnia quiescere, Excludũtur aliæ partes.

aut omnia moueri continuè, id est, semper, aut aliqua semper moueri, alia semper quiescere: & non esse aliud medium, puta, alia aliquando moueri, aliquando quiescere.

CAPVT IIII.

Reliquum est igitur. Tex. XXVII.

Explicat suã sentẽtiam Aristot.

ALIIS diuisionis partibus refutatis, nunc suã sententiã determinandam interrogatiuè proponit sub disiunctione cum quarta parte diuisionis: puta, an omnia sint apta quandoque quiescere, quandoque moueri: an potius non sit, sed aliqua sint semper in motu, alia semper absq; motu; alia verò quãdoque in motu, quandoque in quiete: atque hanc partem intendit demonstrare: ex hac enim colligitur, vnicum esse perpetuum motum continuum, & vnũ motorem immobilem.

An omne, quod mouetur, ab alio moueatur.

Ad huiꝰ determinationẽ vnum aliud inquirit: An omne, quod mouetur, ab alio moueatur; quod quidem in libro septimo disputauerat, sed non similiter. Illic enim tractauit hoc vniuersaliter, & qua ratione ad motum pertinebat: hic verò particulariter, & ostendendo, quale sit id, à quo vnumquodque mouetur: & hoc, vt deducat nos ad primum motum, & primum motorem. Vnde ex illo, quod dicitur in septimo, & hic, perfecta fit huius tractatio.

De quo motu, & mouente agatur hic.

Primò autem explicat de quo motu, & mouente sermo sit. Secundò, in quo præcipuè difficultas cõsistat, aperit, & id posteà determinat. In hoc ergo textu triplicem diuisionem mouentium, & mobilium ponit, quarum prima est aliàs dicta: Eorũ, quę mouent, aut mouẽtur quædã per accidens, quędã per se, aut mouẽt, aut mouentur. Explicat priorem partem. Illa mouent per accidens, quæ mouent, quia insunt alijs: vt si ignis calefacit id, quod accidens est igni, dicitur per accidens calefacere: sicut album per accidẽs ædificat, quia accidit artifici ædificanti. Dicitur etiã alio modo per accidens mouere, quod ob id mouere dicitur, quia secundum sui partem mouet: vt quod manu, vel alia parte sola mouet aliquid, per accidens dicitur mouere.

Tres diuisiões mouentium.

1. Quædam mouent, & mouẽtur, vel per se, vel per accidens.

Quæ moueantur per accidens.

Idem fit ex parte mobilis. Per accidẽs enim mouetur, aut id, quod accidit rei motæ, vt album calefit per accidens: aut quod per partem sanatur, vt per accidẽs sanatur, quod tantùm secundum oculũ sanatur. Et nota, ꝙ hic sumitur, per accidens vniuersaliter, vt comprehendit etiam secundum partem moueri: nam in quinto libro particularius sumpsit.

Quæ per se.

Explicat aũt posteriorẽ partem: puta, quæ per se mouent, aut mouentur. Et dicit, quòd ea, quæ non per accidens, id est, quæ mouent, non quia alij insint, nec qa secundum partem, illa mouent per se. Similiter illa per se mouentur, quę mouentur, non quia alteri insint, aut secundum partem moueantur. Hæc autẽ nota sunt ex præcedentibus.

2. Quæ per se mouentur, eorũ alia à principio intrinseco mouẽtur, alia ab extrinseco.

Secunda diuisio est subdiuisio eorum, quæ per se mouentur. Horum enim quędã à se ipsis, id est, à principio actiuo interno mouentur, vt animalia: Alia ab alio extrinseco mouentur, vt inanimata. Tertia diuisio est: Eorundem, quæ per se mouentur, tam à se, quàm ab alio: quędã secundum naturã, quędam violentè mouẽtur. Explicat primò in his, quæ à se ipsis mouentur. Et dicit, quòd totum animal mouetur naturaliter, si motus ipsi toti cõparetur. Probat: Omne, quod in se habet motus principium, secundum naturam mouetur: sed quæ à se ipsis mouentur, in se habent motus principium: ergo secundum naturam mouentur.

3.

At si motus animaliũ ipsi corpori cõparentur, tunc sunt quidam violẽti, quidã naturales. Violenti, qui sunt cõtra elementum prædominans in illo: vt cùm animal sursum saltat, videtur violentus motus:ècontra verò naturalis. Vnde oportet motuũ positiones respicere, an sit sursum, an deorsum: similiter qualitatẽ. Non enim naturaliter alia vertigine mouentur, aut in terga: ob id motus hi violenti dicuntur corpori. Hoc idem in partibus animalis fit: motus enim partium sunt etiam violenti aliquando, vt motus pedum retro, & manus deorsum, quia sunt contra naturalem aptitudinem.

Expli-

Explicat etiam de his, quæ ab alio mouentur, Nam violenter mouentur: puta, vt cùm lapis sursum, ignis deorsum ferũtur: cùm autẽ oppositò modo in propria feruntur loca, tunc non violentè, sed naturaliter mouentur.

Et maximè moueri ab aliquo. Text. XXVIII.

In quo sit difficultas illius problematis, an omne quod mouetur, ab alio mouea tur. Primũ dictum.

1.

EXplicat modò secundum, puta, in quo difficultas illius problematis consistat: nam diuisiones præcedentes fuerũt ad hoc, vt intelligas, hic agi de mouentibus, & motus per se, Dicit igitur primò quòd difficultas nõ est in his, quę violentè mouentur, & non à se ipsis. Nam clarum est, quòd in his ab alio est motus, puta, ab extrinseco. Dicit secundò, quòd nec est difficultas in his, quæ à se ipsis mouentur, siuè secũdùm naturam, siuè violentrẽ: quia etiam in his notum est, ab alio moueri, quàmuis non extrinseco.

In his tamen difficultas est distinguendi partem, quę mouet, & partem, quę mouetur: & quomodo dicitur se mouere, & moueri: & hoc breuiter explicat, dicens: Quod videtur in animali esse, sicut in naui. Nauis enim dicitur moueri, habet tamen principium mouens distinctũ à motu, puta, nautam: at quia simul sunt duo hæc, totum dicitur se mouere: ita in animali. Quo autem modo hic textus sit intelligendus, magis in quæstione explicabitur.

Dicit tertiò: quòd difficultas est in his quæ naturaliter mouentur, & non à se ipsis: vt cùm lapis deorsum, ignis sursum feruntur. Nam tunc non est ita clarum, quòd ab extrinseco moueantur, sicut cum violentè mouentur: at quòd ista ab alio moueãtur, cùm naturaliter feruntur, patet ex diuisione. Vt enim quę à se ipsis mouentur, aliquando natura, aliquando violentia feruntur: ita quę ab alio, aliquando natura, aliquando violentia feruntur.

Vnde cũ violentia ferantur ab alio, sequitur oppositum mẽbrum, quòd etiam natura ab alio ferantur. At hoc difficultatem maiorem habet, quomodo id sit.

A quo autem non adhùc. Text. XXIX.

Probatur elemnta nõ moueri à se ipsis. 1. Ratio.

QVatuor rationibus ostendit, quod huiusmodi cùm naturaliter ferũtur, non à se ipsis, sed ab alio feruntur, quod est tertium, quod circa hoc facit. Prima ratio est. A se moueri, viuere est: at huiusmodi non viuunt: ergo non mouentur à se. Maior relinquitur vt nota, quam nos lib. 2. declarauimus satis.

2.

Altera ratio est. Si huiusmodi à se haberent talem motum, vtique haberent facultatem quiescendi: at non eam habent. Lapis enim quiescit extra locũ ab extrinseco propter impedimentum: non ergo à se extra locum mouetur. Antecedens patet: Quia ob id animal habet potestatem ambulandi, & non deambulandi, quia mouetur à se.

3.

Tertia est. Si à se ista mouerentur, vtique duos, & plures haberent motus, vt ignis sursum, & deorsum: quod falsum est. Probatur sequela: Quia si à se mouentur, non est vlla ratio, quo minus non habeãt plures motus, Non enim ob aliã rationem id animalibus concedimus, puta, quòd secundum varias moueantur positiones, nisi quia à se ipsis mouentur: & hoc est quod dixit, (irrationabile esse,) id est, non est ratio, cur negetur illa habere plures motus: si à se ipsis moueãtur, vt exponunt Alexan. & Simplic.

Amplius quomodo contingit. Text. XXX.

4.

QVarta ratio est. Nullum continuũ à seipso pati potest: at elementa verè continua sunt: nullum ergo elementum à se ipso pati potest. Similiter et iam nullum aliud continuum à se pati potest: at moueri pati est: non ergo continuum à se moueri potest. Maiorẽ probat: Quia actio, & passio inter ea est, quæ se tangunt: hæc aũt discontinua sunt: vnde cùm elementa, & inanimata violẽtè mouentur ab animatis, tunc ibi discõtinuatio, & tactus est: aliter non fieret motus. At ratio hæc declaratione indiget, ob id dubium interponetur.

Vtrũ.

Vtrum animal à se ipso moueatur.

Quæstio. IIII.

Primũ argumentũ.

HAEc quęstio proponitur, vt magis sensus Aristotelis percipiatur in in hac materia. Et est primũ argumentũ: nam in text.20. dicit, quod falsum est putare, animal non ab alio extrinseco moueri: si ergo hoc ita est, nõà se mouetur.

2.argumẽtum.

Præterea à secundò: dicitur in textu 27. animal naturaliter se mouere: videtur falsum. Quod enim naturale est, necessarium est: at animal non necessariò, sed secundum appetitum mouetur: & homo liberè mouetur, vt possit non mouere se: ergo non naturaliter moueret se animal.

3.argumẽtum.

Præterea tertiò: contra textum 30. vbi dicit, cõtinuum non agere in se: aqua calefacta est continua, & tamen partes calidiores agunt in minus calidas: imò animal continuum est: si ergo contiuum non à se mouetur, vtique nec animal se moueret.

1. Notandũ. Non ẽ mot', nisi sit motor.

Circa hoc aduerte: quòd motus non est, nisi sit motor, & id, quod mouetur: cùm autem animal se moueat, oportet dare in ipso animali, & id quod mouet, & id, quod mouetur.

Ratio difficultatis.

Difficultas in hoc stat, quid sit id, quod mouet, & quid id, quod mouetur in ipso animali.

Expositio multorũ

Themist. Simplic. Alexan. & ferè alij exponunt id, quod mouet, esse animam: id quod mouetur esse corpus: ex vtroque autem conficitur essentialiter animal, & ex motore, & ex mobili: & iuxta hoc interpretantur hos textus Aristotelis.

Improbatur primo

Sed mihi non potuit placere ista sententia propter tria. primum est. Moueri est eius, quod est actu perfecto, loquor de motu locali, at corpus est potentia: est enim materia; non ergo est, quod mouetur, nec quod per se recipit motum localem.

Solutio Iand.

Ad hoc dicit Iandu. q. 9. quòd corpus non dicit solam materiam, sed aliam formam substantialem, secundum quam est mixtum: & hoc totum est, quod ab anima mouetur

Reijcitur hæc solutio.

Sed hoc non placet. Primò, quia multiplicat formas substantiales in vna materia, quod suprà reiecimus: & præterea, quia illud corpus mouetur ab anima, nõ vt mixtum tantùm, sed vt corpus animalis est, organizatũ, & dispositum, quod non habet à forma mixti, sed ab ànima: non ergo tale corpus est, quod mouetur.

2.Rõ contra illã expositionẽ.

Alterum est ex textu 28. quod mouet, diuisum est ab eo, quod mouetur: at anima à corpore non est diuisa: ergo non est id, quod mouet, nec corpus est quod mouetur.

Solutio Alberti.

Albertus respondet, quòd anima est diuisa secundum definitionem, quia aliter definitur, quàm corpus: quamuis nõ omnis sit diuisa secundum esse, sed sola rationalis: hæc enim præterquam quod secundum definitionem diuisa est, etiam est secundum esse, id est, in sub esse non dependet à corpore: & hoc dicit ex sententia quorundam Græcorum.

Reijtur solutio.

Sed hoc non valet: nam eodem modo forma quæuis inanimatorum est diuisa secundum definitionem à materia: possent ergo ista se mouere, & habere id, ꝙ mouet, & id ꝙ mouetur in se, quòd non admittit Aristoteles: Ex hoc rursus conuincitur, quòd non omnis anima dici potest motor, nec corpus mobile secundum Aristotelem.

3. Rõ contra expositionẽ.

Tertium est ex tex.30. vbi fit hoc argumentum. Nullum continuum à se mouetur: at elementa, & inanimata continua sunt: non ergo à se mouẽtur: quod enim mouet, debet esse discontinuum ab eo, quod mouetur. Peto: si anima mouet, quomodo discontinua est à corpore?

Respõsio Alexan.

Respondent Alexan. & Simplic. quòd anima est discontinua, quia non est quanta, ob id que mouet. Si hoc ergo ita est, etiam forma quæuis discontinua, & mouebit; quod est contra Aristotelem qui continua inanimata vocat: forma autem mixtorum, & animæ quantæ non sunt nisi per accidens: vnde vtriusque esset ratio vna.

Reijcitur.

Quòd si dicas: id, quod mouet, & id, quod mouetur, sunt discontinua, sicut duo composita, & duo entia per se, quorum vtrunque, aut alterum quãtum quidem est: tunc profectò corpus non est id, quod mouetur, nec anima, quod mouet.

2. Notandum pro

Existimo ergo aliter esse dicendum Ad

Quæstia an sit verum esse motorem, quod est id, principium actiuum motus.

uerte igitur primò; Aliud est, esse principiũ actiuum motus, aliud esse motorem. Aliud est, esse principium passiuum, & aliud mobile, seu quod mouetur. Esse principium actiuũ motus est, esse id, quo aliquid mouet, vt calor, est actiuum principiũ calefactionis, quia eo ignis calefacit: at esse motorem, est mouere. Non autem hæc idem sunt: Quod enim mouet, est cõpositum ex materia, & forma, aut aliquid per se habens esse, vt Angelus mouens orbem: at quod est principium actiuum motus, non est aliquid per se, aut compositũ, sed forma in eo existẽs. Similiter id, quod mouetur, compositum est, & ens per se: at principium passiuum motus est id, quod in eo est, quod quid incompletum esse potest, quale est materia, aut quid simile, ex quo sequitur, quòd anima potest quidem esse actiuum motus principium: at motor esse nõ potest, quia non est per se, nec completa: similiter corpus quia non est ens completum, non potest esse mobile, licet sit principium passiuum secundum aliquos.

Notãdũ. Quid ꝙ sit anima principiũ actiuũ motus, & quid sit motus.

Aduerte tertiò, quòd in animali duo hæc insunt, & principium actiuũ, & hoc est anima. & principium passiuum, & hoc corpus est, sicut materia disposita. Præter hæc est motor, & mobile: motor quidem est quædam composita pars corporis, seu animalis, cui anima potentiam actiuam mouendi communicat: mobile est reliquum animalis, quòd à tali parte, puta, corde mouetur. Vnde hęc est causa, quare corpus animalis ætherogeneũ est, & partes habent diuersæ rationis, vt altera mouere, altera moueri posset: si enim eiusdẽ essent rationis omnes, vtique anima non posset vni, non alteri potentiam actiuam communicare.

Et hoc est, quod dixit Aristoteles, non habere in se inanimata, quod mouet, & quod mouetur, quia continua sunt, id est, eiusdem & similaris rationis. Nam quod à se mouetur, debet non solùm in se habere actiuum, & passiuum motus principiũ, sed & id, quod mouet, & id, quod mouetur, quod soli inest viuenti. illa tamẽ pars quæ mouet, puta, neruus, aut cor, aut quę cunque sit, moueri debet ab anima, sicut instrumẽtum à causa principali, vnde finis mouẽtiũ sistit in principio actiuo, puta, anima.

Aduerte tertiò: quòd Aristoteles non hic solùm principium actiuum, aut passiuum motus inquirit, sed mouentia, & mobilia, & sic cum dixit textu 28. habere animalia, quod mouet, & quod mouetur in se, non intelligi debet de anima & corpore, sed de parte mouẽti: & parte mota: & hoc egregiè comparauit nautæ, & naui: non autem anima est similis nautæ, cùm loquatur Aristoteles de quocunque animali: per nautam ergo in animali intellige partem compositam, quę reliquas mouet: reliquum animalis naui similis est, sed cum discrimine: vnum enim totũ est per accidens, alterum verò per se. Quare pessimè ex hoc loco quidam colligunt, animam rationalem esse tanquam nautã in naui, & ita assistentem secundum Aristotelem, cùm deberẽt idem de omni anima eadem ratione secundum Aristotelẽ ex hoc ipso loco colligere, quod est perquam absurdum, & manifestè falsum.

4. Notãdũ Quid Aristot. inquirat hic.

Aduerte quintò quòd animal est, quod dicitur se mouere, & moueri: tamen ratione vnius partis, per se mouet: ratione alterius, per se mouetur: cũque vtræque sint in ipso, dicitur moueri à se.

5. Notãdũ. Animal dicitur se mouere, & à se moueri, tamẽ ratione partium.

Tamen vnũ nota, quòd pars, quæ mouet, mouetur simul, dum mouet alteram: & inde prouenit, quòd totum animal secundum omnem partẽ moueatur: & hoc dicitur lib.7. text.1. Dixit enim ibi, quòd dum vna pars mouet alteram, simul mouetur: & ob id totum mouetur. Ac cùm totum moueatur, est difficile distinguere, quod per se mouet, & quod per se mouetur. Ex his patet sensus, & declaratio multorum textuum in præsenti.

Ad 1.

Ad primum igitur argumentũ respõdetur. Ipse enim Aristoteles in eodem textu id declarat, videlicet, quòd non cuiusque motus animal in se principium habet, sed localis, ante quem animal mouetur alio motu ab extrinseco, puta, ab appetibili, vel à quouis alio: hoc autem non impedit, quin posteà localiter à se moueatur.

Ad 2.

Ad secũdum dico cum Aegidio: quòd naturale duplex est. Alterũ quod opponitur violento, & de hoc loquimur. Alterũ quod opponitur libero, seu secundũ appetitum: & de hoc procedit argumentum.

Dubi-

Dubitabis, An motus localis animalis sit dicendus violentus corpori. Aliquì dicunt, quòd est mixtus, quia quod progreditur, modò leuat, modo deprimit pedes. Sed hoc nihil est: vnde respondeo, ꝙ animalis corpus dupliciter cõsideratur. Vno modo solùm in ratione grauis: & sic motus sursùm illi est violentus, deorsum naturalis. Altero modo, vt corpus animalis est: & sic motus talis ab anima proueniẽs naturalis dici debet absolutè, licet habeat quid violẽti: quia animal etiã graue est, & hinc prouenit defatigatio.

Dubitum, an motus localis animalis sit dicendus violentus corpori.

Corpus animalis dupliciter consideratur.

Sunt etiam quidam motus animalis, qui etiam violenti dicuntur animali, vt animal est, cùm sunt contra institutionẽ, & dispositionem organorũ: vt manibus ambulare, retrocedere, & huiusmodi alij.

Ad 3.

Ad tertium respodeo, quòd vt aliquid agat in alterum, sat est discontinuatio in qualitate, dummodo tamen, quod agit, vel mouet, & mouetur, actu sint, & composita: hoc autem quantùm ad motum localem in partibus animalis inuenitur, nõ autem in inanimatis, tàm mixtis, quàm elementorum, quæ partes eiusdem habẽt rationis: ob id forma eandem potentiam eis communicat. In animalibus verò propter variam dispositionem partium, cuidam mouere, alteri moueri inest, & sic patet determinatio quæstionis.

Sed accidit & hæc ab aliquo. Text. XXXI.

Distinctio mobilium & mouentium.

CVm probasset, inanimata naturali motu non moueri à se, modò ab alio extrinseco moueri ea, dicit. Vt autem hoc explicet, motus primò principia, & causas distinguit, puta, mouens, & mobile. Dicit igitur, quòd sicut mouens est duplex, & secundùm naturam, & præter naturam: ita etiam & mobile.

Mouens præter naturam est, cùm in se non habet principium actiuum ad talem motum, sicut cùm vecte mouemus lapides sursùm, & separamus ab alijs: tunc vectis non est mouens secundum naturam, quia grauis non est talem motum efficere.

Mouens secundùm naturam est, cùm in se talis motus principium habet, vt calidum secundùm naturam calefacit, & frigidum frigefacit.

Ita etiam de mobili. Id est mobile secũdùm naturam, quòd ad talem motũ principium habet, non de per accidens: vt calidum in potentia est mobile naturaliter secundùm calefactionem: & frigidum in potentia mobile secundùm frigefactionem.

Nota.

Explicat autem, quare dixerit, non per accidens. Ratio huius est: quia accidit, ꝙ vnum sit quale, hoc est album, nigrum: vel quantũ, vel alias patiatur denominationes: sed non ob eas dicetur mobile naturaliter, nisi per accidens. V.g accidit, quòd album sit calefactibile, sed per accidens quatenus, quod per se calefactibile est, album est: Huiusmodi sunt res artificiatæ, quæ per accidens sunt mobiles secundùm naturam, quatenus in naturali subiecto fundantur.

Mobile verò præter naturam est, quod potentiam non habet ad talem motum, vt cùm graue sursùm, leue deorsum fertur. Ista autem naturaliter feruntur, cùm ad suos actus ex potentia naturali feruntur: vt cùm ignis sursum fertut, & graue deorsum, & reliqua ad proprios suos actus.

Quoniam autem, quod est potentia, multipliciter dicitur. Text. XXXII.

Duplicem esse potentiam, & duplicẽ actũ.

CVm dixisset tunc res naturaliter moueri cùm ad proprios actus ex potentia feruntur, quia duplex erat potẽtia, & duplex actus, & sic dupliciter res moueri contingeret naturaliter. Distinguit hoc prius: nam ex hac multiplicitate prouenit difficultas cognoscendi, à quo ista moueantur.

Exemplo declaratur in scientijs.

Exemplo quodam scientis duplicem explicat potentiam, & actum. Dupliciter, inquit, aliquis dicitur sciens. Vno modo, sicut qui discit: Altero modo, sicut qui iam didicit, sed non contemplatur actu: vterque enim potentia sciens dicitur, sed aliter.

Nam qui discit est, in potentia ad duo, puta, ad habitum scientiæ, & contemplationem, quæ ex ipso prouenit: at qui iam didicit, alijs tamen vacat, est in potentia solùm ad contemplationem. Vnde is, qui habitum habet, est in potẽtia quidẽ, sed non sicut prius, quàm habitum haberet: sed partim est actu respectu prioris potentiæ, partim potentię respectu vlterioris actus.

Præterea, is, qui est in potentia tali, id est, habitum habet, potest operari, & contemplari semoto impedimẽto, puta, si voluntatem applicat, & ab alijs vacat. Nisi enim operari posset per solã impedimentorum ablationem. vtiq; non haberet habitum scientiæ, aut haberet contrarium habitum scientię: Et hoc est dicere, quòd esset in contradictione, aut ignorantia. Qui enim sublato impedimento, non cõtemplatur, aut est, quia est in pura negatione, id est, nõ habet habitum: aut est in opposita dispositione, id est, habet errorẽ oppositum. Potest igitur, qui est cum habitu, & sic est in potentia operari, sublato impedimento: at qui est in priori potentia, etiam sublato impedimento non cõtemplatur, nisi prius habitum in se acquirat.

Nota quę nã potentia sit, quę vocari solet remota vel essẽtialis, propinqua l. accidentalis.

Hic nota, quòd prior potentia dicitur ab aliquibus remota, ab alijs essentialis, quia est ad formam: & actus illi respondens, dicitur actus primus: posterior potentia dicitur propinqua, ab alijs accidẽtalis, quia est ad operationem: & actus huic respondens, qui est operatio, dicitur actus secundus.

Quæ dicta sit de potentijs, applicantur rebus naturalibus.

Hoc igitur exemplum, quod in scientijs, & habitibus positum est, applicat rebus naturalibus: dicitq; etiam dupliciter aliquid esse in potentia ad aliquem motum. Vno modo in potentia remota, seu essentiali, vt recipiat formam: sicut quod est potentia calidum. Altero modo, quod est in potentia propinqua, quia iam recepit formam calidi, sed est potentia, vt vrat, & calefaciat.

Nota

Et aduerte, quòd actus secundus statim sequitur ad actum primum, nisi sit aliquod impedimẽtum, vt quod calidum factũ est, statim vrit, nisi quid prohibeat: sicut qui habitum habet statim contemplatur, nisi sit aliquod impedimentum.

Quæ dicta sit de potentijs, applicantur

Hæc, quę dicta sunt, applicat grauibꝰ, & leuibus, dicens: quòd est graue potentia, cùm nondum accepit formam grauis, & leue, cùm non accepit formam leuis: vt aqua est potentia leue, quousq; fiat aer, vel ignis: cùm primum autem formã hanc accipit, statim sequitur actus secundus, nisi sit aliquod impediẽs: quod si sit, est in potẽtia proxima ad actum, sicut qui habitum habet.

Grauibus, & leuibus

Hoc etiam fit in quantitate, & qualitate: vt pater, si aqua in vase mundatur, tunc vtique extenderur, & expanderetur aqua, nisi esset impedimẽtum vasis: sublato verò impedimento, statim expanditur. Similiter in qualitate, vt dictum est, de scientia, & de calore.

Quòd si dicas: quare ex graui sequitur talis motus, & ex leui talis motus, & non alius: Respondet Aristoteles eam esse rei naturam, nec huius alia est quærenda causa.

Nota.

Ex his omnibus vult Aristoteles responsum esse ad quæstionem, à quo inanimata moueantur, cum naturaliter mouentur: puta, ab eodem moueri ad actus secundos ex proxima potentia, à quo mouentur ad actus primos ex remota potẽtia. V.g, qui ex aqua facit ignem, & reduxit ad actum hunc, idem reducit ad motum sursum, quia cùm ignis fit, vtiq; nisi esset impedimentum, statim moueretur: ablato ergo impedimento, sequitur ille motus.

Sententia Aristo. de motu grauium & leuium.

Vnde qui impedimentum aufert, partim mouet, partim non mouet: mouet enim per accidens. sed non per se, quia nõ dat mouendi virtutem, nisi generans: sicut qui aufert lapidẽ, quo vter aere plenus sub aqua cõprimebatur, statim mouet vtrem sursum, sed per accidens.

Qui remouet prohibens partim mouet, partim non.

Similiter cum pila reflectitur à pariete, paries per accidens mouet, per se verò, ꝙ ijciens, qui impetum impressit. Vides ergo, qualiter ista moueantur à generantibus, à quibus facta sunt.

De pila repercussa, sagitta emissa.

Accipe exemplum clarũ. Sit aliqua sagitta emissa fortiter à sagittante, sed quę in principio non ita fortiter feratur ob impedimentum, hoc autem ablato; velocissimè feratur: quamuis mortuus sit iam sagittans. profectò nemo non dicet, sagittam, cum velocissimè fertur, à sagittanti moueri.

Ita fit in his: generans enim dans formam grauibus, & leuibus qualitates statim impressit, quibus absq; mora ferren-

Quo mõ se habeat generans

ad mortui grauium, & leuiũ.

tur in loca propria, & naturaliter, nisi esset impedimentum: hoc autem ablato, sequitur motus, qui esset à principio, quia illa virtus naturalis permanẽs est: per se ergo à generante mouentur imprimente virtutes, & formas: à remouẽte verò prohibens, per accidens. Ex quo fit, quòd solùm se habeãt ista passiuè, id est, mobilia sint, mouentia verò extrinseca sint: & hic est sensus huius textus. Hanc autẽ quæstionem de grauium & leuium motu copiosè disputauimus lib. 2. q. 2. propterea modò ab hac supersedemus.

Si igitur omnia, quæ mouentur. Tex. XXXIII.

Oẽ. quod mouetur, ab alio mouetur.

CONcludit tandem illud problema: Omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Et facit inductionem quandam ex prædictis. Omne quod mouetur, aut secundum naturam, aut violẽtè mouetur. Si violenter mouetur, clarum est, ab alio moueri: Si verò secundum naturam, aut à se ipsis, vt animalia, & hæc ab alio mouentur, licèt intrinseco: si non à se ipsis, vt inanimata, etiam ab alio mouentur, puta, à generante, vel à remouente prohibens. Cùm autẽ huiusmodi sint omnia, quæ mouẽtur, patet, omne quod mouetur, ab alio moueri.

Dubium. à quo moueantur grauia, & leuia, post quã mortuus est generãs.

Hic posset dubium esse: A quo dicẽda sunt moueri ista inanimata, cùm ipsa generantia non sunt? Aliqui dicunt, à cælo moueri: Alij à loco naturali habenti virtutem attrahendi: Alij ab ipso medio. Sed in re clara profectò mirũ est, cur tot sint opiniones. Dico igitur cum Aristo quod à remouente prohibens per accidens, per se verò à generante: quamuis enim non sit generans, tamẽ manet virtus impressa in re, quæ fertur, vt notum est in sagitta, quæ fertur impetu à sagittãte impresso, etiam ipso mortuo.

Dubiũ 2. An sicut calidum actiuè calefacit, ita graue actiuè se moueat.

Aliud dubium est. Nam dicitur in textu, quòd sicut, qui rem facit calidã, dat etiam, quod vrat: & qui dat habitum, dat etiam contemplationem: ita quod facit graue, aut leue, dat etiam motum. Ex hoc videtur, quod sicut ignis, seu calidũ actiuè calefacit, & sciens actiuè contẽplatur: ita etiam inanimata actiuum in se habeant motus principium. Vlterius: quòd sicut iste motus inanimatorum tribuitur generanti, ita etiam sit tribuendum generanti, cùm ignis calefacit aquam: & magistro sit tribuenda discipuli contemplatio.

Solutio.

Dico ad primum, quòd nos non negamus in inanimatis esse principia actiua instrumentalia illorum motuum: sed dicimus talia principia esse grauitatem, vel leuitatem, non autem formas substantiales: solũ enim sunt passiua principia, vt diximus in libr. 2. & in hoc similitudo tantùm est. Nam nõ sola forma substãtialis facit rem in actu primo, & potentia proxima ad motum hunc, nisi sit grauitas, & leuitas. At cùm ignis calefacit, tũc forma substantialis actiuum est illi? motus principiũ, quia nõ est in ipso igne: forma autem inanimati potest actiuè exercere motum circa alia, sed non circa se: hoc enim reseruatum est viuentium formis. Et huiusmodi signũ est: Si enim ipsorum formæ motuum suorum actiua essent principia, vtique in se haberent virtutem mouentem compositam, distinctã à parte mota: hæc autem non est, cùm similia sint, & homogenea. Illud autem de scientia positum est pro exemplo, vt cognosceretur duplex actus, & duplex potentia. At non dubium est, quin homo intelligat, & contemplentur per se actiuè, quia habitus non dant operationem, sed perfectionem in operatione: & præterea, quia pendet ex libertate contemplari, quam homo ex se exercet, ob id simpliciter tribuitur contemplatio ipsi.

Ad aliud dico, quòd non tribuitur generanti calefactio huius ignis, sicut motus localis: quia calefactionis, cùm sit extra ipsum, potest esse ignis principium quod, sed non sui motus propter rationem dictam. Repete, si voles, quæstionem illam secundi libri.

CAPVT V.

Hoc autem dupliciter, aut enim non per se ipsum.

Cum

In omni motu deueniendũ esse ad vnũ primũ.

CVM determinasset illud problema, q' mouetur, ab alio moueri: ad rẽ magis accedens, aliud determinare aggreditur, videlicet, in motu quolibet locali præsertim, deueniendum esse ad vnum primum, quod non ab alio extrinseco moueatur, sed si mouetur: per seipsũ moueatur. Ob id pri? distinguit, duplex esse mouens. Alterum est, quod mouet, quia moueatur ab alio extrinseco mouente ipsum mouens: sicut baculus mouet lapidem, quia à manu mouetur. Alterum est, quod sic mouet, quòd non ab alio extrinseco moueatur, sed per se ipsum; sicut homo, cùm lapidem mouet, non ab alio extrinseco motus,

Duplex ẽ mouens.

Mouẽs p se subdiuiditur.

Iterum subdiuiditur hoc, quod per se ipsum mouet. Est enim duplex: Alterum, quod mouet primum post vltimum motum, id est, quod per vnum medium mouet: sicut homo, qui manu mouet baculum: per medium enim vnum mouet vltimum, puta, per manum: Alterum est, quod per plura media mouet, nec est proximũ primo post vltimum: sicut cum homo mouet manu baculum, & baculo lapidem, & lapide librum.

Hic autem est vnum motum tantùm, puta, liber, sed non mouens aliud: est etiã vnum mouens tantùm: sed non ab alio extrinseco motũ: reliqua intermedia sunt mouentia, & mota, vt patet de manu, baculo, lapide, quamuis omnia moueant præter vltimum.

Cõparantur ista mouentia inter se.
1.
2.

Comparat autem ista, quæ mouent, & præsertim vltimum mouens, qualis est lapis cum primo mouẽte, puta, homine; & dicit, quòd magis mouet primum.

Similiter facta cõparatione ad ea, quę mota ab alio, mouent: magis primũ mouet. Quod dupliciter probatur. Primò: quia primum mouet vltimum, sed vltimum non primum, id est, recipit vltimũ à primo motum, sed non primum ab vltimo. Præterea: quia vltimo mouente ablato, etiam mouet primum: at ablato primo, non mouet vltimũ: magis ergo motus à primo est: ob idque ipsum primum magis mouet.

Si ergo necesse est omne. Tex. XXXIIII.

Probatur in motib? deueniendum esse ad vnum primũ. qd nõ moneatur ab alio externo. Nota.

PRoponit modò rationes, quibus, probat in motibus semper deueniri ad vnicum primum, quod non ab alio moueatur extrinseco, sed à seipso.

Vbi nota, quòd nõ intendit deducere per has rationes, quòd sit deueniendum ad vnum in quolibet motu, quod à se moueatur: sed ad vnum, quod non moueatur ab alio, siue sit immobile, siue mobile: quod si mobile fuerit, tunc mouebitur per seipsum.

At quia Plato existimabat, omne mouens moueri, vt Simplic. & S. Thom. docent: ob id infert, quòd illud primum à se ipso mouetur: tamen rationes hoc tantùm concludunt, quòd nõ ab alio extrinseco moueatur.

1. ratio ex parte mobilis.

Facit igitur rationẽ primam. Omne, quod mouetur, aut mouetur ab eo, quod non ab alio extrinseco mouetur: aut ab eo, quod ab alio mouetur. Sed vtroq; modo datur vnum primum, quod non ab alio moueatur, sed per se ipsum. Si id mobile est: ergo in omni motu datur vnum, quod non ab alio moueatur. Minorem probat. Si enim detur prior pars, quę moueatur ab eo, quod non ab alio mouetur, tunc hoc erit primum mouens: nec necesse est aliud vltra hoc quærere. Si verò detur posterior pars, quod moueatur ab eo, quod ab alio mouetur: tunc de hoc ipso petam. An moneatur ab alio, quod non per se mouetur: Quòd si iterum, atque iterum detur, erit processus in infinitum in mouentibus, qui esse non potest: nam nisi sit primum mouens, reliqua non mouebunt, vt dictum est. In infinito autem non est primum. Quòd si nõ sit talis processus, sed perueniatur ad vnum primum: tunc haberur intentum: hoc enim non ab alio extrinseco mouebitur.

Et aduerte, quòd loquitur de motibus essentialiter ordinatis, cùm vnus ab alio actualiter pendet: in his enim nõ est processus infinitus, sicut nec in caussis: secus in alijs non ordinatis, nisi accidentaliter.

Nota loq Arist. de mouentib? & motis essẽtialiter subordinatis.

Amplius autem & sic ipsam hanc rationem. Tex. XXXV.

2. Rō ex parte mouentis.

SEcūda ratio est ferè eadem cum præcedenti: sed alia via proponitur: nam prima est ex parte eius, quod mouetur, hæc verò ex parte mouentis.

1. Suppositum.

Supponit autem tria. Primum est: In motu est, quod mouet, & quo mouet.

2. Alterum est: Quod mouet, aut se ipso, aut alio mouet: vt homo, aut se ipso mouet, aut baculo: & vētus mouet aliquid, aut se ipso, aut lapidem mouendo, & illo mouet aliud.

3. Tertiū est: Quo mouetur aliquid, non mouet absque eo, quod mouet per illud: vt baculus non mouet nisi manus moueat; nec manus, nisi homo.

Ex his cōstituit rationem. Si aliquid mouet, vel à se ipso mouet, vel alio per se cundum principium, & per primum; tūc si seipso mouet, non erit aliud mouens: & sic habetur intentum.

Ex his cōstituitur 2. Ratio.

Obiect.

Dices tu, seipso, id est, immediatè mouebit, sed tamen ab alio motum: vt baculus seipso mouet lapidem; tamen mouetur ab alio.

Solutio.

Aduertēdum, quòd hoc non valet: nā tunc non est baculus, qui se ipso mouet, sed homo per baculū: quæritur enim de agenti principali.

Quòd si des alteram partem, quòd mouet per aliud, tunc oportet deuenire ad aliquod, quod se ipso moueat, & hoc nō ab alio mouebitur: quòd si non deueniatur, erit processus in infinitum, & sic non erit aliquid, quod se ipso moueat: quòd si hoc non sit, nihil mouebitur per principium tertium.

Nota. Vis rōni. Aristot.

Et nota, quòd vis rationis in hoc consistit: quòd si semper vnū ab alio, & hoc ab alio moueretur, nihil se ipso mouere, sed omnia essent instrumenta. Nam dato vno, quod moueret, si hoc ab alio moueretur, iam non illud, sed hoc per illud moueret, & ita non esset, quod se ipso ageret: sed semper inferiora sunt instrumenta superiorum. Cùm autem debeat dari aliquid, quod se ipso moueat, siue tunc, vt cum ventus, vel homo se mouet lapidem, aut post tria, aut quatuor, aut aliquot intermedia: profectò in omni motu deuenire oportet ad vnum, quod non ab extrinseco moueatur: & hic est sensus, & vis rationis huius, quam inuenisse nō est facile.

Postea autem, quæ dicta sunt. Tex. XXXVI.

3. Ratio.

TErtiam rationem ad idem ostendēdum facit, & sumit illam propositionem: Omne, quod mouet, mouetur ab alio extrinseco: Tunc vel est cōtingens, vel necessaria: sed nec veritatem habet cōtingentem, nec necessariā: ergo nō omne, quod mouet, mouetur ab alio.

Minoris priorem partē ostendit, quòd non sit contingens, vt quòd mouet, moueatur: Si enim est contingens, ponatur, quòd mouet non moueri: (nam possibile poni potest in esse.) Tunc est argumentum cōtra istorum dicta. Quod mouet omne, non mouetur, ergo tūc nullus motus est. Consequentia est bona vt statim dicam. Consequens est impossibile: nam necessariò motus est: ergo antecedens non erat contingens: Quamuis enim esset falsum, at ex falso cōtingenti falsum quidem benè inferri potest, at non impossibile: ergo profectò non fuit illud contingens, Omne, quod mouetur, ab alio extrinseco mouetur.

Dubium.

Sed dices: Vnde valet illa consequentia: si non mouetur mouens, esse ab alio, quòd non sit motus?

Solut.

Respondetur, quòd est valida: nam in his, quæ ab alio extrinseco mota mouent, non mouerēt, nisi ab alio mouerentur: & qui ponit non moueri, ponet non mouere.

Et rationabiliter hoc accidit. Tex. XXXVII.

PRobat rationabiliter dici, quòd mouens nō mouetur ab alio necessariò & argumentū hoc est. In motu sūt, quod mouet: ꝙ mouetur: quo motus est.

Horum trium vltimum, puta, cùm homo baculo lapidem mouet: vltimum inquam; vt lapis, mouetur ab alio, sed non mouet aliud extrinsecum: medium aūt, scilicet baculus, mouet quidem lapidem, at mouetur ab alio, scilicet homine. Cùm enim tangat hominem mouentem: vtiq; mouebitur, & motus mouebit, nō autem immobilis existens. Oportet ergo, quod primum, puta, homo, moueat, sed nō moueatur ab alio extrinseco.

Sic enim seruabitur ratio medij ad extrema: Medium enim mouet, & mouetur ab extrinseco: vltimum mouetur, sed nō mouet: primum ergo mouebit, sed non mouebitur ab alio.

Confirmat ex sententia Anaxagoræ. Hic enim Mentem, quæ prima causa motus erat, dixit localiter mouere, non ab alio motam; & alterare immixtam, id est, non alteratam.

At verò si non secundū accidens. Tex. XXXVIII.

Mouens si necessario dēt moueri.

PRobat alteram argumenti partem, quæ erat posterior pars minoris, qd' non ex necessitate, quod mouet, moueatur. Diciq;, quòd si ex necessitate mouens moueretur ab alio, vtiq; non moueret, nisi moueretur: vnde quatenus mouetur, mouet. Tunc ergo est argumentum. Vel mouetur ab alio eadem specie motus, qua mouet: vt quod alterat, alteratur: quod fert, fertur: ꝙ auget, augetur. Vel alia, puta, quod alterat, augetur: sed nec alia, nec eadem specie motus necesse est, quod mouet, vnum moueri ab alio: ergo nō necessariò, quod mouet, ab altero extrinseco mouetur.

Si necesse dēt moueri eadem specie motus.

Probatur minor: si dicas, quòd eadem specie, tunc enim manifesta absurda sequuntur. Sumere enim debemus vsq; ad species specialissimas, & vltimas: & sic ꝙ docet Geometricam, docebitur ab alio, & quam propositiōem docet, simul ab alio docebitur: & quod proijcit, simul proijcietur, & quomodo proijcit, proijcietur: quæ quidem impossibilia sunt.

Si necesse dēt moueri a specie motus.

Altera pars probatur: quòd non secundum aliam speciem motus. Tunc enim oporteret multiplicare in infinitum species motus, cum semper, quod mouetur ab alio, & hoc ab alio, moueatur sine limite secundùm speciem aliam motus.

Posset tespōderi: Quòd nō oporteret, infinitas species motus facere, sed finitas transpositas sic: Quod localiter mouet aliquid, mouetur ab alio secundum alterationē: & hoc, quod alterat, ab alio augetur: & quod auget, iterum ab alio localiter fertur: & sic in infinitum transponēdo.

Hoc excludit Aristo. ratione. Quia ex hoc adhuc sequitur, quòd res mouetur à mouente moto secundum eandem speciem motus. Nam res magis mouetur à primo, quàm ab intermedio: vt si A, mouetur à B, & hoc à C, & hoc à D. magis A mouetur à D, quàm ab alijs. Ita ergo si motum localiter mouetur ab alterato, & alteratum ab aucto, & hoc iterū à moto localiter; valet de primo ad vltimum, vt motum localiter moueat: & sic de quocūque alio motu. 1.

Idem alio argumēto probat: Quòd sequitur, quod vnum erit motum à quocunque mouente, & quodcunq; mouens erit quodcunque mobile: vt sanatiuum sanabile: & etiam augmentabile, & mobile localiter: Sic enim hæc ratio est intelligenda. Sequela patet. Nam quàmuis, si immediata mouentia, & mota respicias, hoc non appareat, tamen ascendendo, & descendēdo hoc inuenies. Nam si quod sanatur, mouetur à sanante, & hoc per se et vt sanans augetur: iam sanatiuum erit per se augmentabile: Et iterum inuenies, quòd augmentabile est sanabile, & etiam localiter mobile. Hoc autem figmentum est: & quod omne, quod moueatur, impossibile. Si enim non est contingens, nec necessarium, erit impossibile; Et nota expositionem huius posterioris rationis. 2.

Non ergo necesse est semper moueri. Tex. XXXIX.

Cōcluditur in generali, nō omne mouēs ab alio externo debere moueri.

COnclusionem facit generalem rationum præcedentium, puta: Non omne qd' mouetur, ab alio extrinseco moueri: sed autem ab immobili, aut ab eo, quod se ipsum mouet, si primum fuerit motum. Vbi vides, quod suprà notauimus, ex his concludi solùm deuenīēdum ad vnum primum in motu, quod non ab alio extrinseco mouetur.

Addit autem quartam ratiōem. Id debet

4. Rō ad idem.

bet esse principium motus, & mouēs primum, cui magis cōpetit mouere: at omnes concedunt, magis mouere id, quod per se mouet, & non ab extrinseco mouetur, quàm quod ab extrinseco mouetur: ergo tale erit motus principium potius, quàm motum ab alio.

Quare hoc considerandum est. Tex. XL.

Debere dari Vnū principiū mot⁹ omninò immobile.

ALiud principium vult modò Aristoteles constituere. puta, non solùm in motu dandum esse principium, quod non ab alio extrinseco moueatur, sed à se: sed etenim dandum esse principium, immobile per se: & quod nec à se, nec ab altero moueatur. Ad cuius probationem disputat id, quomodo quod à se mouetur, moueri dicatur.

Qd mouetur, debet eē diuisibile.

Supponit aūt ante omnia fundamentum: Quod mouetur esse continuum, & diuisibile in semper diuisibilia, quod in libro 6. ostensum est.

Aliqd cōtinuū mouere seipsū sex modis cōtingere potest.

Aduerte autem aliquod cōtinuum seipsum mouere. sex modis contingere potest. Primò, quòd totum secūdum totum moueat se ipsam totum: vt totum sit, qd primò mouet, & totum, quòd primò mouetur. Aut quòd pars moueat totū. Aut quòd totum moueat partem. Aut quòd partes se inuicem per se moueant, & moueantur à se. Aut quòd aliquæ partes totius singulæ, vel vna se ipsas moueant. Aut tandem, quòd vna moueat immota, altera moueatur non mouens.

Horum modorum, solus sextus & vltimus verus est, ac eligendus: reliqui reprobantur ab Aristotele, non tamen exprimit secundum, & tertium, quia eadē ēriū primorum ratio, vt dicetur.

Totū secūdū se totū non pōt moueri se ipsū secūdū totū. 1. Ratio.

Probat ergo, quòd totum secūdum se totum, non moueat seipsum totum, duplici ratione. Prior potest sic cōponi. Mouens impossibile est moueri illo eodem motu, quo mouetur motum ab eo: at si totum se totum mouet, mouens, eodē motu mouetur, quo motum: ergo impossibile est, totum secundum se totum mouere se totum primò. Maior explicatur. Baculus, seu homo mouet lapidem, & mouetur: sed alius est mot⁹ lapidis, alius in homine, similiter in alijs omnibus. Minor nota est. Cùm enim idem sit totum mouens, & motum, illo prorsus motu mouebit totum, quod mouetur; quod impossibile est. Nam pariter in alijs mouentibus id accidet: & eadem sanitate sanabitur quis, quo sanat aliud, & feretur quo motu fert.

2. Ratio.

Altera ratio est in secunda figura. Omne mobile, vt mobile, est imperfectum: nullum mouens, vt mouens, est imperfectum: ergo nihil, quod est mouēs, est primò mobile. Maior probatur: Quia quod mouetur in potentia, nec actu habet id, ad quod mouetur: Est enim motus actus imperfectus: vt quod calefit, nondum est calidum perfectè. Minor patet. Nam mouens, & agēs actu habet ad quod mouet mobile: est enim actu calidum, quod calefacit.

Addit. Cùm mouens est causa vniuoca: nam cùm est æquiuoca, non habet illam formam formaliter, nisi in virtute: vt Sol calida facit, at ipse formaliter non est calidus. Cum igitur idem secundum idem, non possit esse actu & potentia, perfectò totum non potest secundum se, mouere se ipsum; benè quidem vna pars alteram.

Nota pars non pōt moueretum secūdū se totū nec totū secūdum se totum, pōt mouere partem

Nota, quòd hac ratione probari etiam potest, quòd pars non moueat totum secundum se totum, similiter nec totum, vt totum, mouere partem. Nam si totum secundum se totum mouet partem, totum est actu, pars verò potetia: sed quomodo totum actus est, si pars est potentia? cùm enim totum est calidum, pars non erit non calida.

Similiter nec pars totum mouebit: Erit enim pars actu, totum verò potentia ad formam illam. Sed implicat hoc. Si enim pars actu formam habet, totum secundū se totum, non erit in potentia: potest ergo pars mouere partem aliam, sed non totum secundum totum; nec totum secūdum se, partem.

Quod autem non est ipsum se ipsum. Tex. LXI.

Non pōt totum se ipsum mo

EXcludit quartam partem illius argumentationis, puta, quòd totum se ipsum mouet, quia partes seinuicem mouent, altera alteram per se: hoc reprobat quatuor rationibus.

Prima est. Vbi non datur primum, nō est motus: at si ita totum moueretur, nō esset primum mouens: nō ergo esset motus. Minor probatur. Quia cum æqualiter hoc alteram, & altera illam per se moueat, neutra principium motus est.

Pretera: quia si principium esset vna, tunc totum esset magis propinquum vni parti, quàm alteri, puta, illi, quę prima est & tunc vna alia magis per se moueretur, quàm altera, puta, quæ longius distat ab vltimo, quod a primo mouetur: cùm igitur vna pars magis distet ab ipso toto, qp à primo mouetur, ipsa erit magis per se mouens: non ergo æqualiter partes seinuicem mouerent.

Ratio

Secunda ratio est. Dato, quòd vna pars primo moueat, sicut & altera: tunc sumo vnam, & fit argumētum subtile. Ista mouet primò: de necessitate autem non est, vt quod primò mouet, ab alio moueatur: ergo poterit talis pars mouere totū absque eo, quòd ab altera moueatur. Ponatur ergo possibile in esse, tunc iam habetur intentum: quòd in eo, quod à se mouetur, detur aliquid mouens, & non motum.

Ratio.

Tertia ratio est eodem ferè vtens principio: si ista pars primò mouet, ergo vel est immota, vel se ipsam mouet; nam per accidens est, quòd ab alio moueatur. Si immota est, habetur intentum: si verò se ipsam mouere dicas, existimās, quòd nisi hoc ita sit, motus non erit, vt diximus textu 56. iam profectò totum non mouebit se ipsum, quia vtraq; pars seinuicem mouet: quod est contra suppositum.

Ratio.

Quarta ratio est. Si seinuicem partes mouerent, vtique esset idem actu, & potentia. Probatur. Si hæc pars mouet, puta, calefacit alteram, est actu, puta, calida: quòd si mouetur ab altera, ergo est potentia, puta, calefit: similiter ergo est actu, & potentia secundum idem: quod est impossibile.

At verò neque ipsius primò. Tex. XLII.

Nō pōt totū se mouere, quia eius partes seipsas moueant. 1. Ratio.

REijcit quintum modum, puta, qd totum se ipsum moueat, quia vna aut aliquę ipsius partes seipsas moueant.

Hoc reprobat sic. Totum vel mouetur ipsum totum, vel non, sed eius pars ita, vt motus sic tantùm in ea. Si detur hoc, iam non est totum, quod primum se mouet, sed pars, in qua est motus; & ita separat, à toto se ipsam mouebit, sed non totum. Si ergo totum mouetur, ita vt motus sit in eo, & à se mouetur ergo per accidens ad motum totius à se quòd iste partes, vel vna se ipsam moueat: Quòd si per accidens, ponatur in esse, iam dabitur in eo quod à se mouetur, aliquid in motū, qd intendimus.

Si totū se mouet oportet aliquā, partē eē per se mouētem aliquāper se motā,

Vnde concludit sextum modum. Sic enim mouet aliquid seipsum, quia vna se ipsius pars secundùm se immota, mouens est: altera vero secundùm se mota, sed nō mouens. Vnde cum totum à se mouebitur, vt A B, non est aliud dicere, quòd à se mouetur, quàm quod ab A, quæ est vna ipsius pars, alteram mouens, & iste est sensus vltimorum verborum huius textus, vt Simplic. exponit, quàmuis alij aliter exponant, & Alexand. referente Simplicio.

Quoniam autem mouet aliud quidem. Tex. XLIII.

Explicat Arist. qp sit illud qd primo seipsū mouet.

VNum proponit Aristote. quo explicat, qd sit id, quod primò se ipsum mouet dicens. Quod id, quod seipsum mouet per se & ex necessitate, duplici parte constat: Altera, quæ mouet immota: altera, quæ mouetur, sed non mouet aliud.

Est enim duplex mouens, & quod mouet, sed mouetur ab alio: & quod mouet solùm, & non mouetur. Similiter duplex mobile: & quod mouetur & mouet aliud, & quod tantùm mouetur.

Solùm ergo in mouente se ipsum duplex pars est necessaria, & quæ mouet immota, & quæ mouetur nō mouens aliud. Quòd si acciderit, quòd id quod mouetur, etiam aliud moueat, tunc id per accidens est, nec necessarium ad id, quod se ipsum moueat.

Et hoc

Et hoc probat. Sumatur ergo tale mouens se ipsum, in quo vna pars mouēs sit immota, puta, A; altera mota, & mouēs, puta, B, quod moueatur ab A, & moueat, C; totum autem se ipsum mouens sit, A B. C.

Est argumentum. Ablato C, magnitudo, quæ restat A B, mouebit se ipsum, cum ex parte mouente, & mota constet: ergo iam illa magnitudo tota A B C, non erat prima se ipsam mouens, sed A B; nam C, non mouebitur per se: ergo non fuit necessarium, quod B, moueret, sed tantùm moueretur. Vlterius auferatur A. & relinquatur, B C, non mouebit se ipsam, nam B, non per se potest mouere, nisi mota: ergo necessarium est, quòd vt se moueat, aliquid sit A, & pars mouens.

Concluditur ergo ex vtroque, quòd ad hoc, vt aliquid seipsum moueat, tantùm sit opus parte mouente immota, & parte mota non mouente: quod si hæc fuerit etiam mouens, hoc quidem per accid est. (Concluditur suis rationis,)

Dicit autem; quòd tales duæ partes, se debent tangere, puta, mouens, & mota: aut vna saltem tangat alteram. Tunc se tangunt, cùm vtraque corpus est, vt neruus mouens, & caro mota: Tunc autem vnum alterum, cùm vnum nō est corpus, puta, mouens: vt cùm intelligentia mouet cælum, non enim tangitur à cælo, at ipsa tangit virtute sua.

Ex his concludit intentum: Cùm mobile continuum sit, non aliter esse dicendum se ipsum mouere, nisi quia ratione vnius partis mouet, ratione alterius mouetur, vt dictum est.

Dubitationem autem habet, si auferat aliquis. Text. XLIIII.

CVm dixisset, dari partem, quæ mouet, & partem, quæ mouetur in eo, quod se ipsum mouet: argumentum facit circa hoc. Demus talem magnitudinem puta, A B, tunc A, mouet, & B, mouetur: si igitur vtraque diuisibilis est, diuidatur A, & B, & sumatur magnitudo ex parte A, & ex parte ipsius B, composita talis mouebit se ipsam: ergo A B, non erat prima, quæ se ipsam mouebat. Quòd autem illa se ipsam moueat, patet. Nam si B, mota erat, quælibet eius pars erat mota: similiter de A. (Obijcit cōtra, se Aristot.)

Quòd si dicas: A. cùm mouens sit, non necessariò esse diuisibile, nam immaterialia possunt mouere: saltem, quàmuis hoc verum sit, ipsum mobile diuidi poterit: & ratione huius non dabitur primum, quod se seipsum moueat. (Sol. Arist.)

Ad hoc respondet Aristoteles, quòd illæ partes, aut vna saltem, si altera non sit corpus, est quidem in potētia diuisibilis. at actu non: ita vt si diuidatur, iam non talis motus in ea perseuerabit, vt patet; Animal enim progreditur, & progressus est potentia diuisibilis secundùm partes animalis progredientis: tamen si actu diuidas in duas partes, nō permanebit motus. Ad hunc ergo sensum dicit Aristoteles, quòd datur primum motum in actu, vt nequeat pars mota actu diuidi, quin amittat motum, quàmuis potentia diuisibilis semper sit. (Nota.)

Inest igitur in his diuisibilibus primū actu, & ex tali primo cōficitur de necessitate quod se ipsum mouet. Idem dicendū de parte mouente, cum ipsa corpus est, & diuisionem habet: quòd datur prima in actu, quæ mouere possit.

Manifestum est igitur ex his.

EX his concludit, quòd in motu deuenire oportet, ad aliquid immotū mouens. Nam quæ mouentur, aut statim ab immoto mouentur, sicut pars mota se habet in mouente se ipsum: vt corpus respectu animæ, si anima sit pars mouens: alia mouetur non à primo immoto, sed ab alio, quod mouetur. In his autē deuenire debemus ad aliquid, quod se ipsum moueat: in hoc autē deuenitur tandem ad immotum: ergo quocunque modo procedatur in motu, ad primum immobile deuenire oportet. (In motu oportet deuenire ad aliquid qp moueat immotū.)

Dubium est, quæ sit ista pars mouens immota, ad quam reducitur mouens seipsum, quod supra in quæstione tertia diximus. Si enim dicas, quòd est anima, profectò vix potest textibus istis quadrare: quoniam loquutus est semper Aristoteles de (Dubium. Ratio dubitatiōis.)

partibus cōtinui: nam superius dixit, omne mouens seipsum esse continuum: nec aliter se mouere, nisi quia est vna pars mouens, & altera mota; & multa alia dixit, quæ non nisi de integranti parte intelligi possunt. Ex alia parte videtur primum mouens esse anima ipsa. Nā quamuis sit pars integralis, quæ mouet, tamen adhuc iste mouetur, & nō nisi ab anima. Respondeo, quòd intelligi potest Aristoteles, de vtroque. Anima enim est principium actiuum primum motus: Vnde absolutè loquendo, ipsa est primum principium motus animalium. At Aristoteles in suis probationibus, de parte integrali procedit, quę mouet, non simpliciter immota, sed immota per se illo motu, quem in animali facit: vt cor, seu neruus, seu quæcunque alia pars, quæ primò mouet animal, nō mouetur per se illo motu, quo mouet animal, nisi per accidēs, quatenus in eo est, quamuis etiam moueatur alio motu neruus, vel talis pars, qui referendus est in animam, vt in principium primum. Et hoc modo possemus intelligere per hoc principium primum animā, quæ per se immobilis est: mouet autem animal, vt actiuum principium. (Solutio.)

CAPVT VI.

Quoniam autem oportet motum. Tex. XLV.

VLTERIVS Aristoteles accendens, vult constituere ex motus perpetuitate, vnicum esse mouēs immobile, & perpetuum. Vt enim ex motu, quia ab aliquo fit, venatus est dandum esse in vnoquoque motu primum mouens immobile: ita ex perpetua motuum serie, quæ nunquam intermittitur, probare aggreditur, vnicum esse mouens immobile, & perpetuum. (Vnum da mouēs immobile, & perpetuum.)

Vnumquodque igitur immobilium. Tex. XLVI.

PRætermittit quandam dubitationem, quę esse poterat, An omne mouens immobile sit perpetuum: dicitque non esse præsentis loci determinare: Sat est modò probare, quòd aliquod sit mouens immobile perpetuum, quod quidem nulla mutatione moueatur, nec per se, nec per accidens. (Excluditur dubium. Nota,)

Nota, quòd grecè habetur aliter, quod enim nos dicimus [mouentium autem] legit [non mouentium] & tunc de Ideis sermo est, puta, immobilia non mouentia, an perpetua sint: non est modò discutiendum, sed solùm de immobili mouente. At melius est sequi nostram literam: Et tunc est sensus: quòd non intendimus probare omnia immobilia mouentia esse perpetua, sed aliquod vnum: & hoc magis quadrat sequentibus. (Nota.)

Sit autem, si quis velit in quibusdam.

REsponsionem, quam aliqui dabāt argumento, quo probari poterat, immmobilia omnia esse perpetua, admittit. Posset igitur hoc esse argumentum. Ea, quæ non generantur, nec corrumpuntur, perpetua sunt: nec aliquando sunt, aliquando non sunt: At immobilia non generantur, nec corrumpuntur: non ergo aliquando sunt, aliquando non sunt. (Argumentum, quo posset probari, omnia immobilia esse perpetua.)

Ad hoc aliqui negabant maiorē: nam aliqua aliquando sunt, aliquando non sunt, quæ tamen sunt ingenerabilia, qualia sunt puncta: non enim per se generantur, aut corrumpuntur: non tamē id perpetua sunt. Similiter ea, quæ in cōpositis sunt, vt formæ. Ex quo sequitur, quòd possint principia immobilia nō esse perpetua: possunt enim esse mutabilia per accidens. (Sol. quorundam.)

Aristoteles ergo admittit hoc tanquam necessarium, quòd nō omnia, quæ per se immobilia sunt, sunt perpetua: possunt esse quidem aliquando, & nō esse absque generatione, vel corruptione per se: Tamen hoc docet Aristoteles esse necessarium, quòd non omnia sint huiusmodi, sed sit aliquod mouens immobile perpetuum. (Sentētia Aristo. de illo argumento.)

1. Ratio, qua probatur debere dari aliquod mouens immobile perpetuum.

Hoc autem dupliciter probat. Primò ex generatione, & corruptione perpetua omnium inferiorum, etiam eorum, quæ se mouent. Nam ea, quæ se mouent, aliquando sunt, aliquando nō sunt, & cum hoc magnitudinem habēt: sunt ergo generabilia, & ad ipsorum generationē cō surgunt principia mouentia in ipsis, puta, animæ. Tunc est argumentū. Generationes, & mutationes hæ perpetuò sunt, nec vnquam omnis cessat motus: ergo oportet ponere vnum supremū perpetuū mouens. Probatur consequentia. Nam huius perpetuitatis, & continuæ mutationis, non potest esse causa vllum mouens ex his particularibus, quę aliquando sunt, aliquando non sunt: nec omnia simul: Ergo debet esse aliquod aliud perpetuum, quod vnum illorum esse non possit. Patet: Quia illud nō est semper: at motus semper est. Similiter nec omnia: nam omnia infinita sunt, nec simul sunt. Si infinita, nō possunt esse causa. Si nō simul sunt, quomodo possunt simul causare? ergo profectò ista cōtinua, & incessabilis successio mutationum causam mouētem petit perpetuā immobilemq; præter ista mouentia particularia.

Oportet dari aliqd, quod sit cā perpetuitatis, quę reperitur in rebus.

Manifestum est igitur, quòd quamuis. Tex. XLVII.

Mouētia particularia simul sūpta nō pūt esse cā illius perpetuitatis.

INfert, quòd simul nō possint illa mouentia particularia esse causa perpetuitatis. Dicitque, quamuis sint millia, & millia, & vnum moueret aliud, adhuc non sufficerent perpetuitatem & cōtinuationem in motu facere, nisi esset aliqua causa superior mouens & sub se complectens omnes has: atque hæc continuam hanc successionem facit.

Additque, quòd hæc causa mouet vnum, puta, cælum: hoc autem suo perpetuo motu hanc seriem perpetuam, & indefatigabilem seriem mutationum facit apud nos.

Si igitur perpetuus motus. Tex. XLVIII.

Si motus est perpetuus, esse debet vnus motor perpetuus.

COnclude, quòd si motus perpetuus debet esse, vnus etiam motor erit perpetuus: quòd si vnus fuerit, erit vnus motor perpetuus: si verò fuerint plures motores, plures erūt perpetui.

Dicit itaq; quòd vnus est primus motor: cuius ratio est. Cùm effectus per finita principia fieri æquè benè possunt, nō oportet infinita ponere: & cùm per vnū æquè, sicut per plura, potius oportet vnum ponere: quia natura semper ordinem maximè amplectitur, & quod frustra est, abhorret: Sed omnes effectus inferiores possunt benè consistere, vno existente principio: vnum ergo, non plura principia prima ponenda sunt.

Manifestum est ex hoc. Tex. XLIX.

2. Rō ad idem.

ALia ratione probat vnitatē principij, quia motus est semper, vt probatum est: est igitur argumentum. Motus semper est: sed non propriè motus semper esse dicitur, nisi esset motus continuus: est ergo continuus motus: Si continuus: ergo vnus: Quòd si vnus, vnum erit & mobile, & motor: erit ergo vnum principium.

Nota.

Nota, quòd non dicit, ostensum esse, motum esse continuum perpetuum: nā non est demonstratum, nisi de motu in communi, quòd semper oporteat, quòd motus sit, quicunque sit. Sed dicit ostensum esse, quòd motus sit semper, & modò addit, quòd, re vera, non est propriè motus semper, nisi continuus sit: Nam motus consequenter sē habentes non de necessitate sunt ita coniuncti, quin mediet quies, vt dicit Simpli. quòd si semper futurus est motus, conuenit maximè, vt is sit continuus: & hoc inferius probabit.

Et rursus cùm respexerit. Tex. L.

Alia ratio ad probādam perpetuitatē primi motoris.

RAtionem vnam facit, qua probauit, vnum esse mouens perpetuū, sumptam ex perpetua serie mutationum: nunc alteram rationem ad idem facit, quæ sumitur ex principijs eorum, quæ se mouent. Ingeniosè autem repetit ea, quæ dicta sunt, vt ex eis rationem eliceat, & ea, quæ superius dixerat, quorum occasione multa disputauit, ostendat.

1. Fundamētum.

Resumit autem tria ex his, quæ dicta sunt. Primum est: Esse aliqua, quę eadem aliquando quiescunt, & aliquando mouentur: & hæc ostendunt falsitatem eorum, qui dicunt, omnia semper quiescere, aut omnia semper moueri: aut quòd omnium entium, alia semper quiescunt, alia semper mouentur. Omnes hæ sentētiæ vnico isto conuincuntur argumēto: quòd aliqua modò quiescere, modò apparent moueri, & ad vtrumq; apta sunt, tam motum, quàm quietem.

2. Fundamentum.

Alterū, quod repetit est, quòd ex his rebus, quæ notæ sunt, voluit ascendere ad constituendas duas rerum naturas, & quæ semper mouentur, & quæ immobilia semper sunt: & ad hoc ostendendum, probatum est, Omne, quod mouetur, ab aliquo moueri: & per distinctionem eorum, quæ mouentur ab alio, & quę mouentur à se, peruentum est ad hoc principium, quòd in omni motu dare oportet principiū, quod se ipsum moueat: & cū hoc ad primum mouens immotū reducatur adhuc, absolutè in motu est principium primum immotum mouens.

Tertium.

Tertium est, quòd cùm videmus ea, quæ se ipsa mouēt ad sensum, vt animalia, de nouo incipere motum post quietē, apparebat, imò hoc est sumptum pro argumēto, quòd vniuersaliter motus omnis posset incipere ita, vt mundus esset, vt animal vnum, quod de nouo motum in se inciperet: & sic posset motus incipere.

Hoc autem oportet accipere. Tex. LI.

Repetitur solutio cuiusdā dubij.

REpetit solutionem dubij, quæ data fuit textu 20. quòd animalia non habent principium in se actiuum cuiusque motus, sed localis, & progressiui, & huius non propriè principium in se habent, quia prius mutantur alijs motibus extrinsecis, antequam ad illud perueniant, puta alteratione, & augmētatione, ad quos motus oportet antè prius alia mutari. Sūt enim multi motus à continente circa ipsum animal, qui antecedunt illum localem motum: vnde dum quiescit, & dormit, decoquitur cibus, posteà excitatur: præcessit etiam motus alimenti, & alia etiam multa antè, quàm ad motum localem peruenirent animal, quod de toto mundo dici non potest. Nihil enim est extra continens totum mundum.

Hinc iam sequitur aliud: (quòd aliàs non est sufficiens principium, vt se continuò moueat) modò Aristoteles adiungit: puta, quòd animal non est sufficiens principium, vt se continuò moueat, cùm motus ipsius dependeat à motu extrinseco, cuius non habet in se actiuum principium.

Principiū & pars, quę se mouet animal, mouetur per accidens.

Vlterius addit: quòd animalis principium, & pars, quæ mouet, mouetur per accidens his motibus: dum enim animal ab alio alteratur, augetur: simul etiā anima & pars mouens per accidens alteratur, & augetur. Similiter, dum localiter se mouet: vt enim qui mouet vectem, simul cum vecte mouetur, & anima etiam corporis motiua, & partes mouentes per accidens, cum ipso corpore mouētur: omnia igitur ista principia eorum, quæ se mouent, per accidens mouentur ab alio, & à se.

Ex quibus credere licet. Tex. LII.

Cōcludit ex his omnibus ratiō. 2.

COnclude ex omnibus his rationem secundam principalem. Impossibile est, vllum principium horum, quę mouent mota, per accidens, esse causam perpetuæ mutationis, & continuæ, cùm omnia ab alijs moueantur, nec motuum suorum causæ sunt, nisi ab alijs prius mota: Ergo oportet, aliud principium vtra hæc omnia facere, quod sit immobile etiam per accidens: & sicut illa, & hoc erit primum, à quo omnia pendeant: & tunc motus erit incessabilis, & totum ens, id est, mundus in se, & in sua vniuersali dispositione seruabitur. Cùm enim principium semper sit, & id, quod ab ipso pendet, & sustentatur, etiam perpetuitatem obseruabit.

Non est autem moueri secundum accidens.

Excluditur obiectio.

EXcludit obiectionē. Dictum enim est, quòd quæ ab alijs mouētur per accidens, non habent perpetuitatē. Videtur hoc falsum: Nam intelligentiæ orbiū inferiorum cum suis orbibus mouentur vltra suum motum à supremo orbe: at perpetua principia sunt. Ad hoc respondet, quòd aliud est per accidens moueri à se, id est, in se: aliud ab alio, id est, in alio. Principia animalium mouentur per accidens in se, quia sunt partes ipsorum, quæ per se mouentur: at intelligentiæ non in se, sed in suis orbibus motum recipiunt, quia, vt inquit S. Thom. & Auerroes, non sunt formæ orbium sicut animæ, ob id motus orbium nullo modo eis inest: hoc autem non repugnat etiam perpetuis. Aliter Simplic. exponit: at hæc expositio sufficit.

At verò si aliquid est semper. Tex. LIII.

Primum mobile, quod mouetur à primo mouente perpetuo debet esse vnum & perpetuū.

POstquam ostendit, vnum esse mouens primum immobile, & perpetuum, docet, quòd mobile primum ab isto mouente motum, erit vnū, & perpetuum, similiter & motus vnus. Probat aūt, quod sit tale mobile. Motum à primo mouēte vnum, & immobile, eodemque modo se semper habens, non potest immediatè plura, ac contraria facere: at primum mouens est vnum, & immobile, semperq; eodem modo se habens: ergo non possunt hi effectus inferiores multiplices, & mutationes oppositæ ab eo immediatè esse: oportuit igitur, vnū ab ipso solùm mobile, & motum ponere, & hoc efficiet hanc diuersitatem in rebus, prout variè se habet in motu: & ita fit: Astra enim à solo Deo mouentur: at hæc mota in diuersis sitibus existentia modò generationum, modò corruptionum causa sunt: à principio tamen primo immediatè vnum prouenit, puta, motus huius corporis.

Cōclusio omnium dictorū.

Ex his omnibus concludit, quæ superius dubitata fuerunt: sunt enim, quæ semper mouentur, puta, orbes immediatè à primo principio moti: Sunt, quę semper non mouētur, puta, principium primum, quod eodem modo se semper habet: Sunt, quæ aliquando quiescunt, aliquando mouentur, puta, inferiora, quæ non à primo immobili immediatè mouentur, sed ab orbe, & ab alijs. Cumque hæc non eodem, ac vno modo se semper habeant, fit, vt ea, quæ ab istis pendent, modo moueantur, modo quiescāt: & sic manet absoluta illa dubitatio superius proposita, ex qua ostensum est, vnū esse mouens immobile, ac perpetuum.

An sit vnum primum mouens immobile. Quæstio V.

1. Argu.

ST argumentū aduersus text. 48. vbi dicitur, esse necessariū ponere vnum immobile mouens, & perpetuū propter perpetuitatem generationum. Videtur hoc esse falsum: nam singularum generationum causę sunt singula agentia particularia: ergo omnium simul causæ erunt, omnia agētia: nec oportet aliud prēter ista ponere.

2. Argu.

Secundò contra eundem textum, vbi dicitur: vnum esse principium. Si vnum est: ergo vna est vniuersalis causa efficiēs: quòd si vna est causa omniū, reliqua sunt ipsius effectus: ergo sempiterna secundū Aristotelem, habent causam efficientem, quod multi negant.

3.

Tertiò contra tex. 52. vbi dicitur: hoc principium esse immobile per accidens. Intelligentia mouens est in cælo moto: sed moto eo, in quo res est, mouetur etiā & res. Cùm igitur cælum moueatur, in quo intelligentia est, profectò etiam ipsa mouebitur.

4.

Quartò, contra textum 53. vbi dicitur: op? esse ponere mobile perpetuū vnum, quia ab vno immobili multa procedere nequeunt. Videtur hoc falsum, prēsertim secundum fidem nostram: nam Deus se ipso multa producere potest.

Nota.

Aduertę, quòd hanc quæstionem proponimus, vt quod hucusque Aristoteles obscurè, & prolixè disputauit, breuiter ante oculos poneremus.

In li-

Affirmū dictor. in hoc lib.

In libro igitur hoc Aristoteles de primo motore disseruit, ac primo motu. Quinque autem attributa motoris huius ostendit: puta esse vnum, immobilem, perpetuum, impatibilem, infinitum. Hactenus autem tria priora demonstrauit: tota autem ipsorum demōstratio sex theorematibus continetur.

Quorum primum est. Necesse est motum æternum esse, nec incępisse ita, vt aliquando nullus fuisset motus, aut mutatio: nec desiturum ita, vt aliquando non sit vllus futurus motus, aut mutatio. Hoc duplici ratione ostenditur. Prior est. Si motus incępit modò, aut antè: ergo per aliquam nouam mutationem subiecti, aut agentis præcedentem: ergo fuit ante primā mutationem, vel motū mutatio: Et iterum quæram de ista: si modò & nō antè: ergo per aliam præcedentem, & sic fiet processus in infinitum, & dabitur mutatio ante primam mutationem: non ergo incępit vniuersaliter mutatio.

Altera ratio est: Tempus non potuit incipere, nec desinere potest: ergo nec motus. Est enim tempus passio motus. Antecedens patet. Nam si tempus incępit, aliquando non fuit: si desinet, aliquando non erit: at qui Aliquando dicit, tempus ponit: fuit ergo tempus, cùm non fuit, & erit cum nō erit: quod est impossibile. De hoc Theoremate disputauimus in quæstione prima, & veritatem contra hoc ostendimus.

Secundum Theorema fuit. Omne, quod mouetur, ab alio distincto mouetur. Hoc duplici ratione monstratur. Altera est: Quod mouetur, aut à se ipso mouetur, aut non à seipso: & vtroque modo, aut naturaliter, aut violentè: sed omne quod mouetur, ab alio mouetur. Maior satis est explicata in textu: Minor declaratur. Si enim à seipso mouetur, partem habet mouentem: si ab alio, & violentè, tūc clarum est, quod à motore extrinseco mouetur: Si autem naturaliter, vt cùm naturaliter mouentur inanimata, tunc à generante mouentur, vt iam ostensum est.

2.

Altera ratio est: Quod se ipsum mouet, non potest secundum se totum, mouere se totum: ergo ab alio mouetur. Vel vniuersaliter sic: Nihil seipsum secundum se totum, se mouet: ergo omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Probatur antecedēs: Quia mouens est actu, mobile potentia: at idem secundum idem non potest esse actu, & potētia: ergo nec simul idem mouens, & motum.

3. Theorema. In motu oportet deueniri ad vnum, quod non ab alio extrinseco mouea tur.

Tertium Theorema est. In motu oportet deuenire ad vnum, quod non ab alio extrinseco mouetur. Probatur vnica ratio. Vbi nō datur primum aliquod, quod moueat, non potest esse motus: sed si omne, quod moueatur ab alio, mouetur extrinseco ita, vt in infinitum processus sit, non dabitur primum: ergo oportet, quod deueniamus in motu quolibet ad aliquod, quod non ab alio moueatur.

4. Theorema. In motu oportet deueniri ad vnum quod per se sit immobile.

Quartum Theorema est. In motu oportet deuenire non solū ad vnū, quod non ab alio mouetur, sed etiam ad vnum quod mouet, & non mouetur per se. Hoc probatur vnica ratione: Quod mouetur, aut mouetur à se ipso, aut ab eo, quod à se ipso mouetur, aut ab aliquo immoto: Si detur hoc tertium, habetur intentum: Si verò secundum, & primum: Tunc cùm omne, quod à se ipso mouetur, à parte immota per se, moueatur: profectò quod mouetur omne, ab immoto per se mouetur. At quod à se motum ab immoto moueatur: probatur. Nam à se toto moueri non potest, sed à parte aliqua, quæ dicitur pars mouens, & corpus est. Cùm autem ipsa etiā moueatur per se, vt puta, neruus, aut musculus, qui mouent corpus, & mouentur: profectò debet reduci tandem in animam, quæ immota per se mouet: si enim semper in partem corpoream referatur motus, cùm illa se moueat, & non secundum totam, erit secundum partem, & iterum de illa erit quæstio. Oportet ergo ad animam tandem deuenire, quæ immota mouet.

5. Theorema. Oportet deueniri ad vnicum mouens perpetuū & immobile.

Quintum Theorema est. In motu tandem ad vnicum mouens perpetuum, & immobile deuenire oportet. Probatur duplici ratione. Prior est. Generationes sunt perpetuæ & mutationes: sed nullum mouens particulare potest huius perpetuitatis esse causa: ergo vnum est mouens supremum. Minor patet. Nam particularia mouentia causę sunt singula singularum per se mutationum: at perpetuitatis nullum est causa, cùm non sit perpetuum.

1. Ratio.

Posterior est. Omnia mouentia particula-

2.

cularia alijs motibus mouentur per accidens ab extrinseco: vt animalia alterãtur augenturq; facto motu extrinseco: ergo nullum est sufficiens principiũ perpetuæ continuitatis in mutatione. Non enim illorum motuum principia actiua sunt: ergo vnũ oportet supremũ mouẽs constituere, quod nullo motu, nec per se, nec per accidẽs ab extrinseco moueatur.

6.Theorema. oportet etiam esse vnũ primũ mobile perpetuum.

Sextum Theorema est. Præter motorem hunc immobilem & perpetuum, oportet vnum mobile, motumque perpetuum cum eo constituere. Probatur vnica ratione: Quia quæ plura sunt, & diuersa, non dimanant ab vno eodẽ modo se sem per habẽte: at res hæ inferiores variæ sunt, & diuersę: ergo ab isto principio immediatè non procedunt: Debet ergo poni vnum intermedium vniuersale mouens, & motum, quod suo motu, & varietate ista omnia efficiat: mouens autẽ primũ immobile hoc immediatè mouebit.

His sex additur 7. Theorema Hic primũ motor tãtũ est vnus 1.Ratio.

His omnibus possumus addere septimum Theorema. Motor hic omnium primus vnus est. Hoc triplici ratione desumpta ex Aristotele probari potest. Prima est vltimo textu Metaphysic. quæ ex fine sumitur. Si enĩ essent plura principia prima, essent plures fines: tunc, vel vnus in alium ordinatur, vel non. Si nullus in alium, sed omnes sunt æquè primi: tunc non posset vnitas in medijs conseruari, & sic dissolueretur mũdus, dum quædam in hunc, quædam in alium tendunt finẽ: quod impossibile est. Si verò omnes in vnum referuntur, iam is primus omnium esset.

2.Ratio.

Altera ratio est lib.12. Metaph tex.49. Si plura essent principia, vel tunc essent æqualiter perfecta, vel non: sed vnum esset perfectissimum. Si hoc detur, habetur intentum. Si verò illud, tunc essent eiusdem speciei. At plura eiusdem speciei nõ sunt, nisi materiam habeant: essent ergo composita, & materialia: quod primis principijs repugnat.

3.Ratio.

Tertia ratio est hoc libro textu 48. quę ex genere causæ efficientis: Frustrã ponũtur plura principia, & causæ, cum vna sufficit: at sat est vnum primum principiũ: est igitur vnũ. Minor patet: Si enim sunt plura, tunc, vel quæ potest vnum, potest aliud; vel non. Si sic: superfluum est, plura ponere. Si verò non; imperfectum est profectò principium quodque, & nullum est primum.

Not. Arist nondũ demõstrasse primũ motorem esse substantiã separatam

In omnibus his aduerte maximè, quòd Aristoteles nondum demonstrauit hunc motorem esse substantiam separatam, & non animam corporis cælestis: nam quæ dicta sunt hactenus ab Aristotele saluari possunt. Si dicatur, illud esse primum mouẽs, quod est anima corporis cęlestis, nec vllum alium motum habet, quam localẽ ratione illius corporis. At in sequentibus hoc demonstrabit, cùm probat esse infinitæ virtutis, & non esse virtutem in corpore.

Aduerte etiã, quòd hęc tria sic se habẽt, esse vnum primum, esse immobilem, & esse perpetuum. Ex primitate immobilitas, ex immobilitate nascitur ꝓpetuitas.

Ad 1.

Ad primũ argumentum respondetur: ꝙ nõ potest omnibus simul attribui perpetuitas, quia nõ sunt omnes simul: at causa cum effectu debet esse: nam causa particularis, vt dicit Auerroes, nõ totaliter effectum producit: animal enim, & viuens semen dat, & relinquit: quod nisi ab alia causa iuuaretur, disponeretur, & conseruaretur, non esset futura generatio.

Ad 2.

Ad secundum dico, quòd qui vellet effugere, posset dicere, quòd ad rationem principij primi sufficit, quod quorundã sit finis, quorundam sit efficiens. An tamen secundum Aristotelem, omnium sit causa efficiens, quæstione sequenti discutiendum relinquimus.

Ad 3.

At tertium dico, quòd Aristoteles prę cipuè intendebat dicere, quod primum principiũ non mouetur per accidens, motu facto ab alio, sicut mouetur principiũ mouens animalis: nec sicut dicuntur moueri inferiores intelligentiæ ratione orbium à supremo motorum. At an eo motu, quo orbem mouet, per accidens moueatur, non ita ex professo hoc docet hic, quia hoc pendet ex probatione, quòd nõ sit anima. Et Alexan. in hoc loco credidit moueri per accidens, quia existimauit, intelligentias, esse animas cælorum.

Nota.

Dico tamen ad hoc, quòd cùm animæ non sunt orbium, ipsos mouent, nec cum eis mouentur per accidẽs, quia orbes semper secundum totos in vno manent loco: At si orbes locum mutarent ad dextram, vel

vel sinistram, vel aliam positionem: tunc per accidens mouerentur intelligentiæ, quia alias non mouerent, cum requiritur approximatio virtutis. At cum Deum infinitum, & vbique præsentem ponamus, nullo modo per accidens moueretur motu quocunque orbis. Hoc autem an perceperit Aristoteles, alia quęstio est: at quia talis orbiũ motus impossibilis est naturaliter, ob id simpliciter sunt motores orbium immobiles per se, & per accidens.

Ad quartum dico, quòd quamuis miraculosè & supernaturaliter, sine vlla causa media illa posset facere: at iuxta ordinẽ naturalẽ (naturaliter loquendo) nõ possunt aliter fieri, nisi mediãte orbis etiam motu. Vtq; ideo Aristot. naturalẽ solùm ordinẽ sequens, dixit, aliter non posse fieri: intellige autem tu, naturaliter: vt ipsi loquebantur: Sed quicquid sit de Aristotele, secundum nostram veritatem dicimus, quod licet Deus posset, voluit tamen rerum mobilium causam vniuersalem mobilem ponere, vt omnia suauiter disponerentur: Aristoteles verò ex suis principijs Deum considerat solùm, vt diximus.

An Deus sit causa efficiens Mundi, etiam per Aristotelem.

Quæstio VI.

Omnia ac Auerroi Arist. ꝓpre illa asseruit.

SVPERIORI quæstione promisimus tractaturos, An Deus esset causa efficiens mundi, etiam secundum Aristotelem. Nam ex veritate satis iam constitit in primis istius libri octaui quæstionibus. Nunc tamen potissimum secundum Aristotelem, etiam si mundum ab æterno posuerit, videamus.

Id ergo probabimus tripartitò. Primò ex ipsis Aristot. Interpretibus celebrioribus. Secundò ex ipsius Aristot. testimonijs. Tertiò rationibus validissimis ac verissimis, ductis etiã ex eiusdem Aristotelis principijs.

Mundum fuisse factum à Deo, ex Aristotelis sentẽtia, tenet ex Alexandro Simplicius in 1. Physic. text. vltimo, vbi etiã probat verbis Alexandri, Deum esse efficiens, quoniam est finis. Idem in 2. Physi. 66. & in 2. Physic. 45. vbi id optimè deducit ex Aristot. Idem etiam facit vberiùs in tex. 72. idem in 8. Physic. in prima digressione contra Philop. & in tertia digressione conedit materiam secundum Arist. fuisse ex nihilo factam à Deo: Idem Ammonius in 1. Periher. cap. vltimo. De eodem habes pulchrum locum in Alex. in 8. Metaphysi. text. vltimo & denique hanc esse Aristotelis sentẽtiam, præter Philop. in toto opere contra Proclum D. Thom. Auicen. Themist. & Albert. qui sine vlla contradictione sic sentiunt. Sunt innumera etiam loca Auer. vt de substantia orbis cap. 2. Syrianus etiam 3. Metaphysi. vt asserit Simplic. in 8. Physi. 85. Macrob. etiam in 2. de somnio Scipionis, asserit, totam philosophiam Deum, posuisse authorem rerum.

Ex Neotericis etiam viri graues idem secundũ Aristot. optimè probant, vt Cornelius lib. 2. de abditis rerũ causis, de quo vide Eugubinũ 4. de perenni philosophia. vt alios taceamus.

Ex testimonijs Aristot.

Sed probatur etiã testimonijs Aristot. Primò, 1. Politicorũ cap. 5. ait Deũ fecisse omnia propter hominẽ: cui videtur cõuenire illud secundi Physicę tex. 24. nos esse omniũ finem: quod proculdubio nõ esset, nisi efficiens rerũ illas ad nos ordinasset. 1.

Secundò. In 2. Rheto. cap. 23, ait, Dæmones etiam Dei opus. 2.

Tertiò. In 2. de generatiõe, 59. ait, Deũ omnia cõpleuisse, dando veram æternitatem illis, quę habere poterãt: cæteris verò continuam quandam successionem in diuersis indiuiduis. 3.

Quartò. In 2. de generatione, sic ait, tot principia requiri in rebus sempiternis, quot sunt in primis, id est, in elementis, nempe materiam, formã, & efficiens, vbi vides expresse poni efficiẽs sempiternorũ. 4.

Quintò solet adduci locus ille ex 2. Metaphysi. text. 4. vbi Aristot. ait, primum in vnoquoq; genere esse causam cęterorum, quæ sunt in illo genere: Et tamen agit de principijs sempiternorum. 5.

Sextò in lib. etiam de mundo ad Alex. frequentissimè ait, omnia esse Dei opera, cælum & terrã, animãtia, &c. & omnibus Deum vitam dare, regere, & gubernare omnia, ac conseruare. qui quidem liber si non est Aristo. est certè grauissimi authoris, & dignus, qui tribuatur Aristoteli. 6.

Sed

Rationib. etiam desumptis ex principijs, Arist. 1.

Sed iam idem probemus quoq; rationibus desumptis ex principijs Aristot. Primò Si Deus non esset effector æternorũ, in Aristotele maximè, quia æterna nõ habẽt causas. Sed hoc est falsum in Aristotele. Nam 8. Metaphysic. 15. reprehendit Democritum, qui dicebat quædam non habere causam, quia erant æterna. In 5. etiã Metaphysic. in tex. 6 ait, quedam necessaria habere causam suæ necessitatis.

2. Secundò ex 12. Metaphysic. 52. Deus est causa ordinis vniuersi: ergo est causa naturarum, quæ in vniuerso sunt ordinatæ. Probatur consequentia: Quia cùm res secundum suam naturam sint ordinatæ, si Deus non causaret naturas, nõ posset causare ordinem, nec potest intelligi illum naturarũ ordinẽ causari à Deo, nisi causando naturas.

Adde, quod aliàs ad minus dicendum esset, talem ordinem esse extrinsecum & per accidẽs vel accidentalem ipsis rebus: qui tamen non est, sed secundum rerum naturam; imò & intrinsecus vnaquęque essentia suum habet gradum ordinis & mensuræ. Vnde cum ordo sit bonum vniuersi, res aliàs intrinsecæ non essent ordinatæ, & sine bono.

3. Tertiò ex 2. Physi. Natura agit propter finem: sed finis nõ causat prout est in re, vt fusè ostendunt Peripatetici, quoniam est vltimum in executione: ergo causat, vt cognitus. Et vt etiam affirmat communis sententia, Tunc sic, vel vt cognitus à rebus ipsis; Et hoc non: quia multæ carẽt cognitione. Vel vt cognitus à Deo, à quo inanimata reguntur in suis actionibus, vt ait Aristoteles in 2. Physic. text. 59. Tunc sic; Ergo Deus debet ordinare ad suos fines, & hoc producere in ipsis talẽ cõpulsum & cooperari dirigendo rerum actiones: ergo debet causare res. Et probat ipsum efficere omnia, quæ habent finem.

4. Ratio multiplex

Quartò. Deus est causa in Aristotele omnium rerum etiam incorruptibilium: ergo est efficiens. Probatur primò antecedens, & posteà consequentia. Antecedens quidem ex 12. Meraphysic. tex. 38. vbi ait, ab hoc principio cælum, & Natura dependent. Et in 36. & 37. ait, Deum respectu omnium intelligentiarum esse finem, qui præexistit, & mouere ipsas, vt amatum & desideratum: vnde Aristoteles ibi à text. 37. sæpissimè vocat Deum principium, & primam causam: ex quo illud apud Peripateticos percrebuit, idem esse primã formã, & primum efficiens, & vltimũ finem.

Hoc supposito, probatur consequentia: Deus est causa intelligentiarum in Aristotele: ergo, vel vt materia, vel forma, vel vt finis, vel vt efficiens. Certum est nõ esse materiam, nec formam: omnes item concedunt esse finem: Sed inde probabimus esse efficiens.

1. Primò: vel intelligentia habet esse à se, vel à Deo. Si à Deo, habetur intentum; Si à se: peto, circũscripto Deo, vel amitteret illud, vel non. Si amitteret; ergo non habebat à se: Si non: ergo non referebatur ad Deum, vt ad finem essentialem.

2. Secundò item. Modus operandi sequitur modum essendi: Intelligentiæ in operando pendent à Deo: ergo in essendo.

3. Tertiò: vel intelligentiæ omnes sunt ęquè perfectæ, vel non. Si sunt: ergo omnes sunt dij. & nulla est subordinatio, nec magis hæc refertur ad illam, quàm è contra. Adde, quod si vnaquæque illarum esset ipsum esse inreccęptũ, nulla ratione possent plurificari. Sin autem sunt inæqualis perfectionis: ergo illæ imperfectiores non habent esse à se: quia si haberent omnes esse à se, omnes essent æqualis perfectionis: nec posset reddi ratio, quare vna se fecit imperfectiorem, aut quare facta est imperfectior altera: præterea, si sunt à se, essent ipsum esse, vnde essent perfectissimæ.

Quartò, quod habet esse à se, est propter se: intelligentiæ non sunt propter se, sed propter Deum: ergo &c.

Alia argumenta his similia reperies àpud Heruetũ, 2. Quolibeto, quæst, 1. apud Heliam Cretẽsem in opusculo hac de re, penes Scaligerum, Fernelium, & alios authores, quos superiùs: quæ quidem volui paulò fusiùs & accuratiùs prosequi, ne quis falsò putaret, non posse probari in Aristotele, Deum esse efficiens, cùm tamẽ quæ supra attulimus id in Aristotele, & lumine naturæ euidenter demõstrent.

CAPVT VII.

At verò & alio facto principio. Tex. LIIII.

Cum

Qualis sit primus motus inquirit.

CVM mouens primum motu vno immediatè mouere docuisset; quis, & qualis is motus sit, nunc indagat. Hic aũt motus debet esse primus, & continuus, & perpetuus: talis enim est motus, quo primus motor mouet. Ob id inquirit, an sit motus continuus, & primus: & quis sit. Cui enim hæc insunt, is erit motus primi motoris, si simul etiam motus perpetuus ille sit.

Tribus autem existentibus motibus. Tex. LV.

Motus localis est primus omnium.

INcipit indagare, quis motus primus sit: & hanc constituit conclusionem. Motus localis est omnium primus: quam multipliciter probat. Supposito vno, quod iam dictum est, motus species esse tres: Alterationem, quæ ad passiones, & qualitates est: Augmentationem, quæ ad magnitudinem: Lationem, quæ ad locum fit.

1. Ratio.

Est igitur argumentum primum. Augmentatio omnis prę supponit alterationem, alteratio motum localem: ergo omnem motum antecedit motus localis. Probatur prior pars antecedentis. Augmẽtatio fit ex contrario, & dissimili illius, quod augetur: nt tamen ex eo, postquam simile est factum: sed ex dissimili nõ fit simile, nisi per alterationem: ergo augmẽtationem præcedit alteratio. Maior explicatur: Cibus enim ex quo nutritur, & augetur aliquid, debet esse diuersum ab eo, quod augetur in principio: vt tamen augeat, debet conuerti in simile, vt cibus conuertitur in carnẽ, vt augeat carnem: hoc autem absque cibi præcedẽti alteratione non fit: quod magis in libris de generatione explicabitur.

Posterior pars antecedẽtis probatur. Agens seu alterans educit in actum rem ex potentia, vt facit cibum calidum actu ex potẽtia; sed ad omnem actionem huiusmodi loci approximatio necessaria est ita, vt aliquando fuerit, aliquando nõ: si n. esset semp approximatio, nõ fuisset in potentia alterabile: præsupponitur ergo localis motus. Cùm igitur sit motus perpetuus, erit motus localis perpetuus: Et cùm quidam sint priores, quidam posteriores, dabitur vnus primus.

Amplius autem omnium passionum.

4. Rõ ex sententia Antiquorum.

SEcundum argumentum facit ex sententia Antiquorum, qui omniũ qualitatum principia ponebant raritatem & densitatem: & has per congregationem, vel disgregationem præcedentiũ partium fieri, dicebant: hanc enim generationem ponebant. Cùm igitur congregatio, & disgregatio talium prę supponat motum localem, motus hic antecedet alterationem. Vlterius de augmento patet, quia cùm non sit augmentum, vel diminutio sine partium, quæ locum habent acquisitione, vel deperditione: non erunt profectò absque motu locali: & sic omnem motum antecedit localis.

Amplius & hinc consideranti-bus. Tex. LVI.

Tripliciter aliqd dicitur altero prius.

PRosequitur adhuc idem probare, ac modos, quibus aliquid prius alio dicitur, distinguit. Tripliciter vnum dicitur altero prius: Primò, quia hoc ablato, alterum aufertur, nõ tamẽ ècontra: vt animal prius est homine: ablato enim animali, aufertur homo, nõ ècontra. Est secundo modo prius tẽpore. Tertiò prius secundum substantiam, id est, perfectione. Omnibus his modis localem motum priorem probat.

3. Ratio.

Est autẽ tertium argumentũ de priori natura. Is motus, qui magis est cõtinuus, prior est natura, quàm is, qui minus: at localis est huiusmodi: is igitur est prior natura. Maiorem explicat. Duplex est cõtinuitas in motu, aut ratione solius temporis, quæ dicitur contiguitas: aut ratiõe ipsius spacij, & termini simul cum tempore: & hæc est propriè continuitas, & motus huiusmodi dicitur cõtinuus. Nã contigui, non continui, sed continuè fieri dicuntur. Clarum est, quòd magis vnus est continuus, quàm contiguus: ob id prior est natura.

Remouetur obiectio prima.

Dices: etiam alij motus sunt continui perpetuò, vel possunt esse. Ad hoc dicit, quòd non possunt esse: Hoc tamen demonstrabitur posteà.

Remouetur obiectio 2.

Dicet quis; quamuis solus motus localis perpetuò possit esse continuus, non tamen ob id sequitur, quòd talis motus sit. Ad hoc respondet, quòd in natura oportet ponere, quod melius est, cùm esse potest. Cùm igitur talis motus esse possit, nec vllũ ex hoc sequatur absurdum, imò perfectius hoc erit, oportet ipsum constituere.

4. Ratio.

Quartum argumentum facit ad idẽ: Quia quod localiter mouetur, non indiget necessariò vt alterabile, aut augmentabile sit: at augmẽtario, & alteratio presupponunt motum hunc localem cælorum, quo non existente, non erunt reliqui: igitur motus localis prior est natura, quàm alij sint motus.

Adhuc, tempore primum. Tex. LVII.

5. Ratio.

QVintum argumentum facit. Is motus primus est, qui rebus perpetuis solus inest: at talis est motus localis: (inest enim corporibus cælestibus, quæ perpetua sunt:) motus ergo localis primus est tempore.

Obiect.

Aduersus hoc obiectionem ponit. Motus enim localis videtur omniũ vltimus: nã prius res generatur, alteratur, & augetur, quàm sit motus localis, vt patet. Nõ enim localiter animalia mouentur, nisi postquã generata sunt, & secundũ quantitatem perfecta: quod sine augmẽtatione, & alteratione præcedentibus nõ fit.

Solutio.

Ad hoc respondet Aristoteles, quòd quamuis in hoc indiuiduo ita fit, & in vnoquoque, ꝙ motus localis sit vltimus: tamen ante illud præcessit aliquid localiter motum, quod fuit causa generationis eius, & ita in diuersis motus localis prior est, quamuis in eodẽ sit vltimus.

Obiect.

Dices tu: etiam hoc, quod antecessit, fuit generatum, & auctum, & alteratum ante motum localem.

Solutio.

Ad hoc respondetur, quòd non semper illud, quod mouet, & generatum: nõ enim omnia sunt generabilia: Sed datur aliquod generationis causa, quod nõ sit generatum: tunc profectò istius motus localis antecedet omnes generationes: Quòd si antecedit generationes, antecedet etiam reliquos motus, qui post generationem sunt, puta, alterationem, augmentationem, corruptionem. Et cùm hoc non sit generabile, non erit augmentabile, nec alterabile. Motus igitur localis absolutè omnem alium antecedit, & ille est cælorum motus.

Omninò autem videtur id, quod fit. Tex. LVIII.

6. Rõ, latio tripliciter superat alios motus in perfectione.

SExtum facit argumentum de priori secundum perfectionem, ac tripliciter motum localem alios perfectione excedere, probat. Primò, subiecto: Quod generatur, est imperfectum, quia nondũ est: similiter, quod augetur, quia ad terminum perfectum nondum venit: similiter, quod alteratur, cùm ante augmentum alteretur: Quod verò localiter mouetur, perfectũ est: ergo nobilius est subiectum motus localis. Experientia etiam probat: quia non mouẽtur, nisi perfecta: vnde plantæ motu locali carent, cùm reliquos habeãt, quia imperfectiores sunt. Similiter, inter animalia sunt quędã, quę ob imperfectionem non mouentur localiter: vt conchæ, spongiæ, & alia, quæ instrumentis motiuis carent.

1. Ratiõe subiecti.

Et propter hæc, & quia minimè. Tex. LIX. LX.

2. Ratiõe effectus.

PRobat secundò perfectionem ex effectu: Quia reliqui motus mutationem in re ipsa ponũt: semper enim alij motus cũ acquisitione, vel deperditione, vel substantiæ, vel eorum, quę substantiæ insunt, fiunt: At motus localis nihil substantiæ mutat, quia est ad locum, qui est extra substantiam rei ipsius.

3. Ex principio motus.

Tertiò probat ex principio motus. Inter ea, quæ mouentur, id, quod magis est principium motus, est quod se ipsum mouet: at quod se ipsum mouet, maximè se mouet secundum localem motum: is ergo est primus, quippè qui magis insit princi-

principio motus. Ex quibus omnibus probatum relinquitur, motum localem esse omnium primum.

Quòd igitur latio primus motuum sit. Tex. LXI.

Inquirit, quæ sit latio primus motus.

CVm ostendisset, lationem, id est, localem motum esse primum: nũc, quæ latio ista sit, inquirit. Nã sunt multæ species motuum localium. Dum autem hoc inquiritur, simul etiam tractabitur, quòd talis motus sit perpetuus, & continuus: Nam ille motus localis inter alios primus erit, qui solus potest perpetuus esse, & continuus: ob id probat, nullum motum præter circularem posse esse perpetuò continuum: propterea ille solus omnium erit primus, & hoc motu mouebit primus motor.

Quòd igitur aliorum motuum continuum. Tex. LXII.

Nullus motus præter circularem localem posse esse perpetuò continuus.

PRobat nullum motum præter circularem localem posse esse perpetuò continuum, simul etiam nullã mutationem. Argumentum est huiusmodi. Nullus motus, qui est ab opposito in oppositũ, potest esse perpetuò, continuus: omnes motus, pręter circularem, sunt ab opposito in oppositum: nullus igitur cõtinuus perpetuò esse potest. Minorẽ declarat. Nam mutatio est inter ens, & non ens: alteratio inter contrarias qualitates: augmentatio, & diminutio inter perfectam, & imperfectam viuentium magnitudinem: sic tamen, quòd contrarij motus ad contrarios ferantur terminos, vt generatio ad ens ex non ente, at corruptio ex ente in non ens: calefactio ad calorem ex frigido, ècontra frigefactio, & ita de alijs omnibus.

Nota.

Maiorem probat. Et nota, quòd nõ sumit vnicum motum ab opposito in oppositum: vt calefactionem, quæ est à frigiditate in calorem: nam sic probatum est iam, nullum motum vel mutationem posse esse infinitam, cùm sit distantia finita inter contraria: & sic non esse potest perpetua cõtinuitas. Sed probat de motibus conuersis: vt à nigro in albu & rerum ab albo in nigrum: hoc enim modo debet esse perpetua cõtinuitas inter hos motus, si esse posset. Ostendit autẽ, quod illi duo motus, vel mutationes conuersæ non sint inter se continuæ.

Et facit argumentum hoc. Sumo illũ secundum motum cõuersum ab albo in nigrum: & sic procedo: Omne, quod ante aliquem motum existit, debet habere aliquam quietem sub contrario termino, à quo ille motus incipit: sed quod illo motu secundo mouetur ab albo in nigrum, existit ante illum motum: ergo quieuit sub albo: At quies est in tẽpore: ergo per aliquod tempus fuit sub albo.

Non ergo est iste motus continuus cũ eo, qui est à nigro in album; nã tunc non quiesceret in albo, sed cùm primùm ad ipsum peruenireret, statim inciperet per alium motum ab illo termino mutari absque vllo tempore quietis. Idẽ dicitur de alijs mutationibus oppositis, puta, generatione, & corruptione, quæ vniuersaliter opponuntur. Similiter in particularibus: vt enim in generali mutatio mutationi, ita in particulari hæc huic opponitur, vt notum est.

Obiectio.

Dices, quòd inconueniens, si dicatur, quòd non quiescit in illo termino, puta, albo, per tempus. Dicit Aristoteles, quòd tunc simul moueretur motibus contrarijs, quod est impossibile.

Solutio.

Quòd hoc sequatur, non explicat: tamẽ explicare possumus sic: Quia quod ex albo conuertitur in nigrum, vel cõuertitur, postquam factum est album, vel dum fit. Non postquam factum est: quia tunc quiesceret, & esset tempus, in quo factum est album: ergo dum fit: simul ergo fit album, & denigratur. Ita exponunt alij.

Quantam vim hẽat hoc argumentum Aristo.

Mihi non videtur hoc argumentum Aristotelis demonstrare, sed quandã probabilitatem habere. Non enim fieret res alba, nec motus esset ad terminũ, vt per instans duraret in eo: at non ostenditur hoc nõ posse fieri. Nam potest esse, quòd cũ aliquid calefit à calido vt sex, accedat ad frigidum vt octo: ita vt in primo mutato esse caloris, vt sex, quod tuit primũ nõ esse calefactionis, incipiat agere frigidum, vt octo, per vltimum nõ esse: tunc

enim ille gradus, vt sex, non durabit, nisi per instans, puta, nunc est, & immediatè ante hoc non fuit, quia inducitur in fine motus. Similiter nunc est, & immediatè post hoc non erit, quia immediatè post hoc non erit motus frigefactionis, cùm incipiat per vltimum non esse. Erit igitur idem instans primum non esse vnius motus præcedentis, & vltimum non esse sequentis: & erit primum esse illius formæ inductæ in fine motus prioris, & vltimum esse eiusdem respectu posterioris: Et hæc sunt verissima.

Nihil enim differt contrarietas, aut non contrarietas.

Excludunt tres obiectiones.

EXcludit tres obiectiones contra prædictam rationem. Prima est: Quia dictum est, contrarios motus simul non esse, ac ob id non esse cõtinuas duas mutationes: posset quis dicere, quòd generatio, & corruptio non sunt cõtrariæ, ob id poterunt, simul esse. Respondet, q̃ ratio ducit ad hoc absurdum, quòd duo opposita simul essent, siue illa sint contraria, siue priuatiua: Hoc enim parũ cõducit rationi. Sat est, quòd probet, quòd generatio, & corruptio essent simul, quæ non possunt verè simul esse, siue vocentur contraria, siue non.

1.

2. Altera obiectio est: Quia dictum est, q̃ debet esse quies in termino, à quo est mutatio. Videtur falsum: quia quod generatur, non est: quiescit post generationem, vel ante corruptionem: quia dictum est, quietem tantùm opponi motui. Respondet, quòd parum hoc refert. Nam ratio hoc contendit, quod debet esse per aliquod tempus in termino, à quo est motus, siue sit quies, siue non. Si enim datur tale tempus, tunc illæ mutationes non erunt continuæ, & hoc sufficit, & intendimus probare.

3. Tertia obiectio est. Nam primò diximus, motus esse contrarios, & postea vnum illorum incipere à quiete contraria: Vbi videtur, quòd vnum duo habeat contraria. Ad hoc respondet, quòd siue quis illa duo contraria vocet, siue non: ad rationẽ satis est, quòd opponatur motus, & quieti, & alteri motui: sicut mediũ duplici extremo opponitur. Quòd verò sit perfecta contrarietas inter quietem, & motum, parum hoc refert ad præsens. De hoc autem diximus libro quinto.

Amplius autem & in generatione. Tex. LXIII.

ITerum probat, quòd nõ sint duo motus illi cõtinui per generationem. Vt enim nihil generatur, vt duret per instans: ita profectò fit in alijs motibus: nihil ad terminum mutabitur, vt per instans sit in eo: quia quod naturale est, in omni motu erit: at si illi motus essent continui, illud sequeretur, vt textu præcedenti probatum est. Nõ igitur sunt tales motus, quin sit media quies, saltẽ per aliquod breue tempus: hoc autem continuitatem illorum impedit.

Quòd aũt contingit esse quendam. Tex. LXIIII.

Inter motus locales nullũ fieri circulariter posse esse perpetuum.

CVm probasset, nullum alium motum cõtinuum perpetuò esse posse, nunc ad locales deuenit: & inter locales nuliũ, nisi circularem perpetuò continuum esse posse, ostendit.

Distinguit autem tres locales motus, rectum, circularem, & mixtũ ex vtroq; puta, qui fit per chordam, & arcum. Dicit, quòd si probatur, vtrumque simplicem aut vnum non esse infinitum, etiam probatum erit, mixtum non esse infinitum: nã iste ex simplicibus componitur.

1. Ratio.

Probatur igitur de recto, quòd esse nõ possit perpetuò continuus. Et non sumit vnicum rectum simplicem, qui ab vno in aliud fit, nam notum est, nõ posse talem esse infinitum, sicut nec alios motus, qui sunt à contrario in contrarium: sed sumit rectum, & reflexum vt ab A, in B, & iterũ à B, in A. De his enim dubium est. Ostendit autem, quòd tales motus non sint cõtinui, tali argumento. Motus contrarij non sunt continui: illi motus sunt contrarij: non ergo sunt continui.

Consequentia est certa. Maiorem probat ex his, quę dicta sunt libro 5. Vbi probatum est, ad motus continuitatẽ debere esse

tempus vnũ, mobile vnum, & terminum vnum specie: at contraria non sunt vnius speciei: non ergo continuari possunt.

Minorem probat. Nam illi motus se inuicem impediunt: ergo sunt contrarij. Patet antecedens. Moueatur aliquid ab A, in B, & aliud à B, in A, profectò se mutuò impediẽt, quo minus motus suos per agant. Non sic autem, cũ aliquid sursum, aliud ad latus mouetur: sunt ergo illi cõtrarij, ac ob id non erunt continui.

Maximè autem manifestum est. Text. LXV.

2. Ratio

ALterum argumentum facit ad idẽ probandum sic. Illi motus, inter quos mediat quies, non sunt continui: at inter motum rectum, & reflexum mediat quies: ergo illi non sunt continui. Addit, quòd non solùm inter rectum & reflexum, sed etiam in circulo motus simplex & reflexus quietem habet. Vt si per circulum procedat ab A, in B, & iterum à B, in A.

Explicat tamen, quòd ferri iterum ab ipso B, in A, potest, aut continuando motum per totum circulum: & hoc dicitur moueri per circulum, & hic motus continuus esse potest: Aut regrediẽdo per eãdẽ partem circuli: & de hoc motu reflexu dicitur, quòd non est cũ altero continuus.

Inter motũ rectum, & reflexũ mediat quies. Obiectio.

Minorem illam probat, quòd mediet quies. Et dicit, hoc sensu patere, & ratiõe. sẽsu quidẽ: quia experimur aliquando in his reflexionibus mobilia retardari: Rationem autem adiungit.

Sed dices: si hoc sensu notũ est, vt quid ratione opus est, cum qui sensu probat, ratione ostendere superiùs reprehendit in textu. Solutio 26. Respõdet Auerroes, quòd ratio ponitur vltra sensum in præsent, quia illa quies non percipitur in omnibus reflexis. Nec similiter per sensum cognoscitur causa: ratio probat in omnibus, & dat causam.

Principium autem hoc est.

suppositio in quanto sunt tria principiũ, mediũ & finis.

ADprobandum id ratione, supponit duo, Alererũ est. Quòd in quãto sunt tria. Principium, medium finis: & hæc sunt tàm in spacio, quã motu, & tempore. Medium autem habet rationem duorum: respectu enim principij finis est: respectu verò finis, principium.

Alterum est. In linea recta quodlibet punctum medium non est actu principiũ, aut finis, sed potentia. Vnde nõ actu dicitur, nisi cùm sumitur cum hac, aut cũ illa parte. Ex quo fit, quòd in motu facto per lineam, nunquam punctum habeat rationem principij aut finis actu, nisi facta fuerit aliqua diuisio non per magnitudinis diuisionem, sed secundum quietem.

Nota.

Vnde maximè aduerte: quod hoc est discrimen in puncto lineæ, vt est medium tantùm, & vt est principiũ, vel finis motus: quòd vt est tantùm medium, sufficit, quòd sit potentia principium, vel finis; & tunc erit, cùm motus continuè fit per illam lineam. At si debet esse finis actu, vel principium motus, tunc debet sumi cum diuisione ita, vt cesset mobile in illo per aliquod tempus: sic enim fiet actu finis præcedẽtis, & actu principium sequentis motus. Et dicitur, quòd mobile ad illud accessit per motum primum, & per alterum motum recessit, & abfuit: de puncto verò absque vlla quiete.

Nec potest dici, quòd mobile fuit in illo, & recessit ab illo: quia, vel hoc esset in vnico instanti, vel in tempore. Non est dicendum, quòd in illo fuit in tempore: tũc enim esset quies. Nec instanti; nam tunc peto, An in eodẽ recessit: Et hęc nõ. Vel in alio: & tunc intercederet tempus, & in hoc quiesceret. Et iterum peterem de vltimo instanti, An in alio recessit: & sic mobile nunquam moueretur. Non ergo debemus dicere, quòd in puncto medio instanti fuit & recessit, nisi ibi quiescat: aut q̃ si res dicitur in instanti esse, est, quia in tempore, in quo illud instans est.

Vis rationis.

Ex his vult rationem hanc esse: illi motus, qui habent actu finem, & principium non sunt cõtinui: at simplex, & reflexus habent actu finem, & principium, cùm diuersi sint: ergo est quies in illo vltimo reflexionis: aliter enim esset illud, sicut pũctum medium, quod est potentia: vnde nec ille primus motus haberet actu finẽ: quod falsum est.

Nota

Nota. Nota literas: per C, intelligitur vltimus punctus: per B, medius, qui dicitur in potentia: per A, mobile. Dicit, quod si A, vtatur B, vt fine, & principio actu, vt in reflexione fit: tunc necesse erit illic quiescere. Nam sicut cogitatio, qua punctum sumimus, respectu huius vel illius partis, facit, vt dicatur actu principium, vel finis: Ita in motu facit quies illud actu principium, aut finem. Statim addit, quomodo incipit motus. Nempè cùm recedit ab aliquo puncto in principio, vt ab A, & finis est, cùm in aliquo, puta, C, steterit. Nam (vt dictum est) in principio motus non est primum: in vltimo verò est primum, in quo mutatũ est. Et nota, quod modò per A, punctum, & signum, quod idem est, intelligit.

Quam habeat vim ratio ipsi Aristot. Hæc ratio Aristotelis, vt dixi tibi tex. superiori, non est demonstratio: nam aliquãdo accidit, motum reflexum ratione temporis, cõtinuitatem habere, vt patet de faba, quę sursum proiecta fine quiete trahitur à magno lapide cadente, de qua diximus lib. 5. Verum est, quod Aristot. dicit, cùm aliunde non prouenit impedimentum, vt in casu posito satis manifestum est.

Quapropter & ad dubitationẽ. Tex. LXVI.

Dubium quoddã. CVm dixisset, punctum medium nõ esse actu finem, aut principium motus, nisi sit quies: nec mobile dicendũ ibi accedere, aut recedere: nũcp hoc respondet ad dubium quoddã quod ex simili concessione suboriri poterat.

Sumantur duæ lineæ æquales: altera E, altera F. Et duo mobilia æquali velocitate mota: per E, moueatur A, & per F, moueatur D, & signentur duæ partes æqulaes: in linea E, signetur B C: in linea F, signetur F G.



Incipiat autem moueri A, à principio lineæ, vsquę ad A, & cùm ibi sit, incipiat D, recedere ab F, vsque ad G. Tunc citiùs peruenient D, ad G, quàm A, ad C, ex B, & tamen magnitudines hæ duæ æquales erant, & mobilia æquè velocia. Quòd autem citiùs peruenient D, patet: quia cùm A. est in B, tunc D, recedit ab F. Nec poteris dicere, quòd tũc A, recedit à B, quia simul non est ibi & recedit: ergo quieuit ibi, quia citiùs alterum peruenit: ita est intelligendum hoc.

Solutio. Ad dubium, quod profectò in litera est valdè obscurũ: respondet Aristoteles, quod non est concedendum, quod dum D, recessit ab F, erat A, in B. Non enim A, in B, fuit, quia B, erat in medio motus: Nã, vt diximus, A, incepit motum ab E, cp erat ante B.

Nota. Per hæc vult Aristoteles docere, quòd alter se habet punctum in medio motus, alter in principio motus, & fine: Nam in medio potentia est, nec ibi est quies: at in fine, seu principio actu est, & debet esse quies sub illo.

Vnde concludit ex hoc, quod cùm in motu reflexo ibi sit actu finis præcedentis, & principium sequentis motus, debet in eo quies esse: & ponit exemplum mutatis significationibus literarũ: puta, si G, mobile feratur vsque ad D, pũctum: & iterum reflectatur, quiescet ante reflexionem: quia illud actu est finis vnius, & principium alterius.

At verò, quæ olim allata fuit. Tex. LXVII.

Excludit quandam responsionem. Exceluditur quædam responsio. EXcludit quandam responsionem. Posset enim quis dicere, quòd in illo puncto lineæ vltimo, in quo fit reflexio, non sit mobile, nec recedit: sed sicut se habet medium punctum motus recti, ita illud est medium recti, & reflexi. Hoc reijcit: nam illud punctum actu est finis & principium, quia sunt illi diuersi motus: alius enim est sursum, reflexus deorsum, vel è contra. Vnde tale punctum non potest censeri, sicut mediũ in moto eiusdẽ rationis: erit ergo quies in illo.

Et ex his potest sumi argumentum. Nam si non esset quies in illo puncto, tunc eodẽ modo se haberent duo illi motꝰ diuersi, quo duæ motꝰ eiusdẽ rationis partes; quod non est, cùm illi actu sint diuersi motus. Partes autem vnius motus solùm distinctæ potentia: aliqua ergo inter illos mediat quies.

Nota solutionem argumentum Zenonis. Statim per hanc doctrinam vult solutum esse duplex dubium. Alterum Zenonis lib. 6. propositum: puta, quod nõ sit motus, quia oportet trãsire priùs per dimidium: hæc autem infinita sunt, ac transiri non possunt. Alterum dubiũ est ferè idẽ, sed alia via propositũ. Cùm aliquid mouetur, numeret ea dimidia simul, atque mouetur: cùm hæc autẽ sint infinita transacta in motu, accedit infinitũ esse numeratum: cp est impossibile.

In primis ergo de motu. Text. LXXVIII.

Nota nõ esse verũ in Arist. id quod dictũ est in 6. Phy. tet. 18 infinitum posse pertransiri in infinito tempore. EXcludit solutionem, quam dederat argumento Zenonis in lib. 6. text. 38. Illic enim dixerat, quod quãuis in spacio sunt infinita, tamen etiam in tẽpore quo pertrãsitur spacium, sunt infinita: vtrunque enim est æqualiter diuisibile. Hanc solutionem dicit esse ad hominem, id est, quantùm sufficiebat pro soluendo argumento. Zeno enim contendebat, quod si motus esset infinitum transiretur tempore infinito: puta, magnitudo diuisibilis in infinitum per vnã horam. Ad hoc satis tunc fuit respondisse, quòd pariter tempus erat infinitum: Est enim etiam diuisibile in infinitum.

Nota. Sed hæc solutio prorsus difficultatẽ non euacuat, nec veritatem ostẽdit: Nam dubium manet, quomodo tempus, cùm infinitas habeat partes, potest transiri & finiri. Hoc autem per ea, quę modo dicta sunt, soluitur: Non enim ista dimidia actu sunt in continuo, sed potentia: nam actu essent, si vnumqnodque punctũ fieret duo; vt cum hac, vel illa sumeretur parte: aut si motus cessaret. Tunc autem facta diuisione, iam non esset continuũ. Et sic etiam patet de numerãte: qui enim numerat diuersas partes facit, & bis punctum sumit cũ duplici parte, ac duo puncta facit: hoc autem non se habet in cõtinuo sic. Vnde concludit, quod infinita contingit transire potentia, sed non infinita actu. De hoc abundè diximus lib. 6. præsertim quæstione vltima. Vnde linea finita quidem est secundum substantiam, & esse actu: potentia autem, illa habet infinitatem.

Manifestum autem est, & quòd nisi aliquis. Text. LXIX.

In tempore instans medium habet rationem prioris, & posterioris, alias sequeretur vnum è duobus incõuenientibus. IN hoc text. ostendit, quòd debet in tempore constitui instans medium, quod habet rationem duorum, & sit finis prioris, & principium posterioris: & hoc instans sit primum nõ esse rei corruptæ. Et hoc est, quod dicit quod posterius debet sumi ad ipsum rem, id est, debet esse primum esse ipsius rei, quæ generatur post alterius corruptionem.

V.g. ex aere generatur aqua: tunc datur in illo tempore instans, quod sit primum nõ esse aeris, & primum esse aquę. Hoc autem instans, re vnum est, & pro parte præterita, & pro parte futura temporis: ratione duplex est.

Probat autem, quod nisi sic distinguatur hoc instans, sequetur vnum ex duobus inconuenientibus, & impossibilibus. Aut quod idem in vno instanti erit idẽ, & non idem: Aut quod factum est, non erit; vel quod corruptum est, erit.

Probat hoc, sumpto tempore A C B, puta, hora, & instans commune vtrique mediæ est, C. Prior enim media est A C, posterior est C B. demus, quòd aliquid sit album in vna media & non album in altera. Si igitur est albũ in media hora prior, erit in illo instanti terminatiuo ipsius: Si est non album in altera, erit etiam in instanti initiatiuo, Cùmque istud instans vnum sit, erit in eo aliquid albũ, & non album. Necesse est ergo dicere, quod in illo instanti res, quæ corrumpitur, non est, sed in tempore priori, præter illud instans: & sic erit primum non esse preteritæ, & primum esse futuræ formæ.

Similiter, detur quod in media hora sit res facta: in altera non facta. Si in priori est non facta: ergo in illo instãti C. Si verò in posteriori est facta: ergo etiã in illo erit: ergo res, quando non est facta, & è contra, vt notum. Oportet ergo diuersitatẽ hanc in illo instanti facere.

Nota. Et attende, quod per albũ, & non albũ debes formas substãtiales intelligere: hæ enim sunt, quę per primã esse incipiunt. Accidentia enim, quę cũ motu incipiũt, per vltimũ non esse incipiũt, sicut motus ipse, vt iam declaratum est in libro 6.

Si

Si verò, quod fuerit priùs nõ ens.

Tempus non componi ex instantibus.

OStendit ex dictis, tempus non esse compositum tantùm ex instantibus: Et ratio est. Detur, quòd aliquid fiat ens ex non ente, puta ignis, aut album ex non albo, vel non igne: cùm debeat dari instans, in quo primo est: detur illud, & sit B, in tempore A. Si in A, est: ergo antè fiebat, & non erat: ergo debuit esse generatio, & productio ante instans. in quo est D, quod factum est: hæc autem non potest fieri in altero instanti immediato, & contiguo: quia, detur illud, in eo res illa non est: ergo, vt ex non esse veniat ad esse, debet esse aliquod intermedium: mediat ergo tempus, non poterunt duo immediata instantia esse.

Vis ratiõis Aristot.

Breuiter ratio est. Dentur duo instãtia simul, tunc in vna res est, in altero non est: ergo necessariò debet mediare aliquid, in quo sit productio: nam in instanti esse non potest, Dicit tamen Aristoteles, quòd dubium nullum est apud se, qui tempus ponit ante quodcunque instans, ei immediatam.

Dices: Si generatio, vel res corrumpitur per aliquod tempus, & in vltimo instanti huius, non fit, quia desinit per primum non esse: videtur, quod non sit in toto illo tempore. Respondet Aristoteles, quòd in toto illo est: nam instans nihil diminuit nec auget tempus, cùm sit indiuisibile.

Quibus igitur aliquis. Text. LXX.

Ratiõibus cõmunibus ostendit simplicẽ & reflexũ nõ esse cõtinuos.

POstquam rationibus proprijs, & ex propria materia sumptis probauit, motum simplicem, & reflexum non esse continuos: modò ratiõibus communibus, quas dialecticas vocat, id probat: quarum prima est. Ille est terminus motus primus, & specificus, in quem motus cõtinuè fertur, nisi impediatur: cùm ergo motus est ab A, in B, & iterum continuè à B, in A, motus fertur ad A, terminum: illi ergo duo motus habent vnum terminum, & specificum: erunt ergo vnius speciei. Hoc autẽ est falsum, cũ sint contrarij: ergo, re vera, nõ continua est illi reflexio cum motu priori.

Amplius autem & ex his. Text. LXXI.

SEcunda ratio est, eadem cum superiùs posita text. 62. Quod mouetur aliquo motu, qui non fuit priùs, debet priùs quiescere quiete opposita illi: sed cùm fit illa reflexio motuum contrariorum: posterior motus non fuit prius, cùm alter erat: aliter duo motus cõtrarij simul essent ergo quod mouetur, quiescit sub termino ad quem prioris. Hæc enim quies est opposita motui posteriori, (quia suppositũ est, non esse: nisi hos motus:) non ergo hi continui sunt: cùm media sit quies.

Amplius autem & hæc ratio. Text. LXXII.

TErtia ratio est ferè similis primæ, sed ad aliud inconueniens ducens. 3.
Detur, quòd ex non albo fiat albũ, & ex albo iterum cõtinuè non albũ: erit ergo totus hic vnus motus, qui ex nõ albo tendit in non albũ. Nã cùm ex nõ albo fit album, illic non fuit vlla quies: per vnum ergo motum, & corrumpitur nõ album, puta, cum fit album, & destructo albo, fit non album. Hæc enim tria illa motu fiũt. At absurdum est concedere, quòd vno motu & destruitur vnum, & fit ipsum: erit ergo quies media in albo.

Quarta ratio est. Quia possit dici: quòd 4.
cum possint duo illi motus in continuo tempore fieri, erunt ipsi continui. Ad hoc addit rationem, quòd solum tempus non sufficit, nisi sit vna forma: at duo contraria non possunt vnum facere: erunt ergo illi motus consequenter.

Vbi nota, quòd non negat Aristoteles posse absque tempore medio aliquando motus illos fieri, sed solùm probat absurdum esse vniuersaliter, & semper id fieri. Et quia minus aliquando ita sit, non tamen illi continui dicendi sunt, propter terminorum diuersitatẽ. De inceptione, & desitione formarum, & motuum diximus libro sexto.

Caput

CAPVT VIII.

Qui autem super circularem fit. Tex. LXXIII.

Motũ circularẽ cõtinuum

CVM motum localem, nec rectum, nec reflexũ perpetuò cõtinuum fieri probasset: nunc motum circularem continuum esse posse ostẽdit, ac id duplici ratione, probat. Prior est: Quia in tali motu non sunt illa, propter quæ negatum est, motum rectum & reflexum esse continuos. Hoc.n. negabat: quia si ab ipso A, in B, motus sit & iterum à B, in A, per rectum, & per lineam eandem: tunc duo motus contrarij essent vnus, & idem: nã totus ille motus ab A, terminaretur ad A, At hoc in circulari motu non est, quia illi motus non sunt cõtrarij. Nam cum ab A, per B, circulariter regreditur ad A, iste regressus non est contrarius, quia A, & B, non sunt oppositi termini. Termini enim oppositi, & & contrarij distant secundum lineam rectam: at motus illi non sunt secundum rectum.

1. Ratio.

Vnde non omnis motus, qui est ad terminum aliquem opponitur motui, qui est à termino illo, nisi cum est secundum eandem lineam rectam. Imò hæc est natura circularis, quĩ ab vno in idẽ redeat. Potest ergo motus circularis cõtinuè redire ad idem punctum, vnde ortus est, & secundum idem propositum, & positionem. Nam qui per circulum semper ad idem procedit, semper seruat eandem positionem, sequẽs partem post partem: at qui reflectitur, mutat positionem, & posteriores spacij partes, facit priores.

Altera ratio est. Ob id negabatur continuitas in reflexo: quia per idem spaciũ regreditur ad idem punctum, siue per rectum, siue per semicirculum: at quod per circulum mouetur, regreditur per aliud spacium: nam per vnum semicirculũ tendit ab A, in B, & per alium semicirculum regreditur ad A. Non igitur sunt motus contrarij, cùm non fiant secundũ idem; & sic possunt esse continui. Motus ergo circularis continuus est, & sic potest habere perpetuitatem in continuitate; quia continuè redit ad idem punctum vnde profectus est.

Manifestum autem est. Tex. LXXIIII.

COncludit ex hoc, quod modò dixerat; quod reliqui etiam motus reflexi, puta, alterationes non possunt esse continuæ, quia sunt per idẽ medium: vt ab albo in nigrum, & econtra. Similiter in augmentatione, & diminutione, & in alijs.

Quòd si dicat, esse aliquando multa media inter qualitates, & extrema. Respondet, quòd nihil refert. Sat est, quòd sæpè accidat esse per eadem media, vt auferatur perpetua continuitas: vt ab albo in nigrum per fuscum, & iterum à nigro in album per idem fuscum: quamuis aliquando sit per viride. Attende, quod generationem sumit hic coniunctam cum alteratione, & medium vocat dispositiones ipsas, quæ ad formam ipsam conueniunt. Ex quo reprehendit philosophos, qui dicebant, omnia continuè moueri: præsertim enim loquuntur de alteratione, & hanc; nec vllum motum alium, præter circularẽ, possibile est esse cõtinuum, vt ostensum est.

Dubium. Solutio. Motũ circularẽ esse primum.

Quòd autẽ lationum circulatio. Tex. LXXV.

PRobatum est, circularem posse esse perpetuò continuum: nũc eum esse primum motum oportet probare. Nam vt sit motus primi motoris, vtrumque debet habere. Cùm autem localis sit primus omnium aliorum motuum, si probatur inter locales, circularẽ esse primũ, absolutè probabitur omnium esse primum. Præterea inter locales, rectus, & circulares sunt simplices, ob id priores sunt composito ex vtroq; solùm ergo probare oportet, quod circularis sit prior recto. 1. Ratio.

Hoc autem multiplicitèr probatur. Primò. Ille motus prior est, qui est simplicior, & perfectior: motus circularis est huiusmodi: ergo est prior. Minor probatur.

Nam sumo rectum: Et tunc, vel est simplex absque reflexione: & tunc terminatur, quia in infinitum protrahi non potest: Et tunc circularis est perfectior, quia potest in infinitum protrahi. Est autem perfectius quod semper esse potest. Aut rectus sumitur cum reflexo; & iam iste motus est compositus, cùm ad idem punctum bis transeat idem spacium: & tunc circularis erit prior, quia simplicior.

2. Ratio. Probatur secundò. Ille motus est prior, qui potest esse perpetuo: at nullus motus potest esse perpetuus, nisi circularis, quia si alij sumantur cum reflexione, necessariò habent mediam quietem, & sic corrumpuntur: ergo ille prior est.

Rationabiliter autem accedit. Tex. LXXVI.

Suppositio. SVbdit, non esse absque ratione, circularem esse continuum, & nullum aliũ. Supponit autem, quòd in spacio, per quod fit motus, dantur principiũ, mediũ & finis: sed differẽter. Nã in recto illa actu sunt determinata, cùm linea terminos habeat: at in circulo ea non possunt determinata esse, cùm quodcũque sumatur, non est, ratio, quare illud sit principium potius quàm finis, aut medium, & illud potiùs, quàm aliud, cum omnia æqualiter se habeant. Hinc est: quòd meritò per circulum totum potest esse motus cõtinuus semper, non autem per rectũ reflectendo: hoc enim habet determinata principium, medium, & finem.

Vnde, quæ per illud mouẽtur, cũ sunt in vno, non sunt in alio. at in circulo mobile semper est in fine, simul etiam in medio, & in principio Causam huius dat: quia linea circularis habet extrà se medium, puta, centrum, quod est principium, & finis: & mediũ dici potest. Ob id igitur cõtinuò mouetur per circulum, quia nũquàm mobile ad centrũ peruenit. Et hinc sequitur, quod totus circulus quod modo quiescit, cùm centrum non mutet, sed fixum maneat: similiter etiam mouetur continuè ratione ipsius circumferentiæ, quæ aliter & aliter circa centrum se habet.

Accidit autem è conuerso.

TErtiò probat primitatẽ huius motus, quia est aliorũ mensura, quàmuis hoc argumentùm sit cõuertibile. Nam, quia primus motus est, ob id aliorum est mensura: etsi mensura, etiam primus est. Est autem mensura: nam (vt dictum est lib. 4) tempore, quod in circulo consistit, mensuramus reliqua. 3.

Quartò idem probat. Quia solus iste circularis regularis est: reliqui enim motus naturales, quò magis ad finem peruenint, eò magis intenduntur, nec vniformitatem seruãt. At circularis vniformis est, cùm non habeat finem determinatũ: est ergo iste prior: similiter finem habet extra se, Puta, centrum. 4.

Dubitatur: quæ sit causa, quare motus naturalis in fine intendatur. Albertus 4. Physicor. tractat. 1. capit 3. dicit, quòd medium propè extrema magis accedit ad naturam extremorum: vt aer propè ignem accedit magis naturæ ignis, propè etiam accedit naturæ terræ: ob id motus naturales in fine sunt velociores, quia medium est eis magis naturale. Sed hoc non videtur vafere. Dubium quare motus naturalis fit velocior in fine. 1. Sententia Alb.

Nam eadem est ratio huius velocitatis maioris versùs finem, qua solet esse in motibus violentis versùs medium: at in his non est propter talem causam: ergo nec in illis.

S. Tho. 4. Physi. lect. 12. dicit, esse velociores, quia magis accedunt ad id, quod sibi naturale est, puta, proprium locum. 2.

Aliqui addunt: quia virtus loci magis viget in locis proximis, à qua talia trahuntur. 3.

Sed omnia ista vnico argumẽto impugnantur, quod facit Burleus in præsenti. Demus, quod lapis deorsum per centum stadia cadat; & consideretur motus velocitas, quæ fit per vltimum stadium: Iterũ per illud lapis deijciatur, vt solũ cadat è principio stadij: profectò multò minùs velox erit motus huius, quàm cùm cadebat ex alto, & tamen idem stadium est æquè propinquum cẽtro: ergo non est illa ratio velocitatis. Impugnãtur istæ sententiæ. 1.

Vlteriùs sic impugnari potest. Signetur stadium in medio distanti à centro, et aliud propè centrum: & per id, quod est remotum à centro, moueatur lapis cadẽs ex altiori adhùc loco: & per id, quod est propè centrum, moueatur non ex altiori cadens. Profectò velociùs per illud aliud mouetur: non ergo facit quicquã loci naturalis propinquitas. Adde etiam, quòd nihil acquirit in se mobile. 2.

Authoris solutio. Respondetur igitur cum Burleo, quod in fine, & medio intẽditur motus, qa sunt plures partes aeris, vel medij, q̃ post mobile mouentur; & ipsum impellunt. Similiter partes anterioris medij plures mouentur versùs locum illum, & ei cædunt: vt si lapis deorsum mouetur, anteriores aeris partes versùs terram mouẽtur plures, dum motus longior est: & posteriores plures post se secum fert: & sic augetur motus ex cẽdentibus alijs, alijs propellentibus medij partibus. At differt motus violentus: quia in motu violento deficit vis impressa mobili: ob id remittitur vltra medium: in naturali verò seruatur eadem virtus per totum motum, cùm sit permanens, ob id iste intenditur in fine: vterq; tamen in medio intensior est, quã in principio.

Quod autem ea, quæ est secundũ locum. Tex. LXXVII.

Motũ localẽ ẽ primũ probatur multis testimonijs. Emped. Anaxag. Democr. Plato. VLtimò localem motum omnes antecedere probat ex sentẽtia omniũ Philosophorum. Primò ex Empedocle, qui litem, & amicitiam per congregationem, & segregationẽ operari primò dixit: illa autẽ sunt cum locali motu. Secundò ex Anaxagora, qui hanc etiam separationem rerum ponit factam à Mẽte. Tertiò ex Democrito, qui non ponit causam efficientem, sed propter vacuum res fieri, & moueri dicit: at motus hic per vacuum, localis est. Quartò ex alijs, qui densitate, & raritate cuncta faciunt: vt qui vnum elementum principium ponunt. Hi enim motum localem ibi ponunt, vt densetur, aut rarefiat res. Quintò ex Platone, qui animam se ipsam mouentem principium mundi ponit: at quod seipsum mouet, maximè se secundum locum, mouet. Sextò ex sententia communi, qui absolutè per motum absque limitatione prolatum, localem intelligunt; & hoc, quia is est omnium primus.

Ex his epilogat, quæ dicta sunt hoc libro: puta, quòd motus semper sit, & quod sit principium motus; & quis motus sit primus; & quis perpetuò continuus: & quod primum mouens sit omninò immobile: motus autẽ, quo immediatè mouet, circularis est.

CAPVT IX.

Quòd autem hoc necesse est. Tex. LXXVIII.

Primũmotorẽ esse incorporeum inquiritur. ALiud attributum primi motoris probare aggreditur: Nempè, quod sit incorporeus, & magnitudinis expers. Ad hoc autem probandum vtitur hoc medio, quòd tẽpore infinito mouetur, ac duos facit syllogismos. Alter est: Nullum finitum potest mouere tempore infinito: primus motor mouet tempore infinito: ergo primus motor non est finitus: erit ergo infinitus.

Alter syllogismus est: Nullum infinitũ habet magnitudinem: primus motor est infinitus: ergo non habet magnitudinẽ: ergo incorporeus est. Vtriusque syllogismi probat maiores, in hoc autem textu priorem. Nota.

Nota aũt, quòd sequor modò expositionem communiorẽ, nam in quæstione dicam exactius meam de hac sententiã. Rõ Arist. q̃ probat, nullũ finitum posse mouere tẽpore infinito.

Dicit igitur, quòd ante istam conclusionem, quòd primus motor incorporeus sit, oportet aliqua priora, id est, aliquas propositiones præmissas sumere: Quarũ vna est. Nullum finitum potest mouere tempore infinito.

Supponit autem duo ad probatiõem. Alterum est: Tria esse in motu, prout attinet ad negocium præsens, puta, Mouẽs, Mobile, Tempus. Alterum est, quòd ista possunt penes finitum & infinitum quadrupliciter ordinari. Aut. n. omnia tria sunt infinita, aut omnia finita: aut duo infinita, vnum finitum: aut econtrà, duo finita, vnum infinitum. Suppositiones q̃dã

Modò

Nectitur ratio.

Modò autem hoc probatur, quòd nō possint esse duo finita, puta, mouens, & mobile, & tempus infinitum. Sit igitur in casu argumenti, A, mouens, B, mobile finita: C, tempus infinitū: & sumatur pars mouentis, quæ sit D, pars mobilis, quę sit E, & tempus sit F. Est igitur argumentū. D, pars mouentis tempore infinito mouet E, quæ est pars mobilis tempore infinito: mouet autem tēpore finito F; ergo totum A, mouet totū B, tempore finito: non ergo in tēpore infinito. Antecedens probatur: Quia pars mouet minori tempore, quàm totum: sed totum positū est, mouere tempore finito: ergo & pars mouebit finito.

Consequentia probatur. Fiat additio partium ad D, & ad F, tunc etiam crescet tempus: cum autem finitū sit A, & B, tot partes addentur D, & E, quòd adæquent ipsa A, & B, & ista consumantur, ablatis partibus ab eis, & additis D, & R. At tempus non consumitur, cùm infinitum sit: at cum debeat cōsumari, quia sicut D, & E, adæquant per additionem ipsum A, & B, ita etiam tempus adæquabit. Non autem posset, si illud esset infinitū: ergo finitum est tempus, quo A, mouet B.

Obiect. Auic. contra respōsionē Ari.

Aduersus hoc dubitat Auic. quia non videtur, quòd mobile, & mouens diuidi semper possit: & sic demonstratio nō est vniuersalis.

Solutio D. Tho.

Respondet S. Tho. quòd non est opus hoc de diuisiōe reali intelligere, sed de ea, quæ cogitatione fit, qua rei naturam scrutamur.

Alterum dubium.

Dices: quomodo dicit Arist. quòd pars mouet partem in minori tempore: dictū enim est li. 6. quod si mouens mouet mobile tanto tempore, dimidiū mouet dimidium æquali tempore? Hoc cum alijs grauioribus dubijs examinabitur in quęstione. Interim dico, quòd illud potest sic clariùs probari. Si totum A, mouet totum B. tempore infinito: totum A, mouebit partem B, tempore finito. hoc enim benè sequitur. Vlterius adde: partes æquales B, donec æquetur toti ipsi B, addes etiam tempori: sed non fiet infinitum, quia addendo finita finitè finito non fiet infinitum: ergo totum A, mouebit totū B, tempore finito. At quare Aristo. non sic probauit hoc, cum posset, dicam inferius.

Quod autem omninò non contingit. Tex. LXXIX.

Virtutē in finitā nō posse esse in magnitudine.

PRobat alteram maiorem alterius syllogismi: puta, virtus infinita non potest esse in aliqua magnitudine. Loquitur autem de magnitudine finito, tū quia alibi ostensum est, non esse magnitudinem infinitam: tunc etiam, quia eodem argumēto potest probari, quod nec esse possit in magnitudine infinita.

Supponit autem duo. Alterū est: quòd illa est maior potentia, quæ potest æquale facere cum altera in minori tempore: & quæ potentia minor est in maiori tempore æquale facit, siue sit calefaciēdi virtus, siue proijciendi, quæcunq; sit illa. Alterū est: quòd, quod ab infinito mouetur, patitur magis, quàm si à quocunque finito moueretur; atq; potentia infinita est maior quacunque finita.

Rō Arist. q̄ virtus infinita posita in magnitudine moueret in non tpe.

Ex his facit argumentū. Si esset virtus infinita in magnitudine, sequeretur q̄d moueret in non tempore: sed hoc est impossibile: ergo pariter impossibile est, q̄d sit magnitudo habens virtutem infinitā. Probatur sequela. Si enim infinita virtus non mouet in non tempore, mouebit in aliquo tempore finito minori, quàm virtus finita mouet: sit illud A, puta, hora: & tempus, quo finita mouet idem mobile finitum sit A B, puta dies. Tunc argumentor. Addatur virtuti finitę plus, minuetur tempus: addatur vlterius, etiam minuetur: Tot ergo partes addentur, quod fiat tempus vnius horæ: & tamen illa virtus erit adhuc finita, quia ex additione finita finitum fit. Hæc ergo finita virtus mouebit æquali in tempore cum infinita idem mobile quod est impossibile. Nulla ergo magnitudo finita potest habere infinitam virtutem. Idem est argumētum de infinita magnitudine, si esset.

Neque igitur nec in infinito finitam. Tex. LXXX.

Virtus finita nō est in magnitudine infinita.

CVm ostēdisset, virtutem infinitam non esse in magnitudine finita: ostendit, quòd nec è contra, in magnitudine infinita sit virtus finita.

Et

Et supponit vnum: Quòd maior magnitudo maiorem habet virtutem. Nam quàmuis aliquādo accidat, minorem magnitudinem habere maiorem virtutem: vt paruꝰ ignis virtutis est maioris, quàm maior pars aeris: tamen si sit maior, & maior aer, vincitur ignis: & semper per augmentum magnitudinis crescit virtus in re.

1. Ratio.

Ex hoc fit argumentum. Detur illa infinita magnitudo habens virtutem finitam, & sit A B. sumo ipsius aliquam partem, quæ moueat D, mobile: hæc pars, cū alicuius sit potentiæ, mouebit aliquo tempore ipsum D. sit tempus E F, & pars mouens B C. Tunc sumam aliā particulā, & reddam eam duplam: hæc mouebit ipsum D, in dimidio tempore, sit F H. iterum sumam aliam, & duplicabo: iterum dimidiabitur tempus: Tunc sumam aliā, & iterum dimidiabitur tempus. Sed cùm illa sit infinita magnitudo, semper & sēper potero sumere, & sic absque termino minuetur tempus ita, vt data quacunq; parte temporis, adhuc in minori: ergo illa erat virtus infinita: Quia virtus, quæ vincit quamcunque temporis propositionem datā ita, vt in minori & minori, est virtus infinita: Si enim esset finita, peruenietur ad tempus, vt in minori non posset mouere: non ergo virtus finita est in magnitudine infinita.

Nota.

Nota verbum [secundum conuersionem] significat, quod opposito modo se habent tempus, & magnitudo: vno enim aucto, alterum decrescit, vt in argumento patet.

Est autem & hoc sic demonstrare. Tex. LXXXI.

2. Rō ad idem.

ALtero argumento idem probat. Sumpta magnitudine eiusdem generis cum infinita. Id est, sit magnitudo infinita habens virtutem infinitam, ignis. v. g. Et sit virtus ista, cū finita sit, decem, aut centum graduum: Tunc sumam vnum finitum ignem alicuius gradus, qui sit pars aliquota illorum graduum: addā huic igni ignem; augebitur virtus. addam vlterius, augebitur magis: tot ergo addas partes aliquotas, vt hæc magnitudo adæquet totam illam virtutem centum graduum. At magnitudo ista finita erit, cum fiat ex finita additione: non ergo potest in magnitudine infinita virtus inesse finita. Ex hoc concluditur. quòd motor primus non sit virtus in magnitudine, quia aut esset finita, aut infinita: sed neutra potest: finita enim non mouet in non tempore infinito: infinita autem moueret in non tempore; quod est impossibile.

De his autem, quæ feruntur. Tex. LXXXII.

3. rō. quod primꝰ motor sit incorporeꝰ.

DIfficulter percipitur sensus huius textus, non quod obscurus sit admodum: sed quòd cum præcedētibus non videatur cohærere: tamen (ni fallor,) noua est ratio, quam Aristoteles ponit ad ostēdendā primi motoris incorporeitatem. Vult enim ostendere, quòd motus non esset regularis, nisi motor esset incorporeus: Probatq;, quòd irregularitas motuū prouenit ex pluralitate motorum: aut ex vno, quod dum mouet, mouetur. Cùm autem motus cæli sit regularissimus, eius motor, qui vnus est, nō debet moueri dum mouet, & ob id erit incorporeus.

Dubium de motu proiectorum.

Ad explicandam autem primam irregularitatem, quæ ex diuersitate motorū prouenit circa idem mobile, dubiū proponit de proiectis, quorum motus est irregularis ob motorum diuersitatem: scilicet, cùm omne quod non se mouet, moueatur ab alio. Proiecta, vt lapides, & similia, à quo mouentur, cum iam separata sunt à proijciente?

Excluditur prima responsio de motu proiectorum.

Excludit quandam responsionem, quę poterat dari: puta, quòd qui mouet lapidem, v. g. mouet simul aliquam partē aeris lapidi circunstans, & hic aer, velut vas fert lapidem ipsum mouens per totum spacium. Hoc reijcit Aristoteles: quia est eadem difficultas de ipso aere, vel de ipso simili, quodcunque sit, à quo mouetur, postquam separatus est à proijciente: nō enim à se mouetur: non ergo videtur, q̄d moueatur nisi à proijciente: Quòd si ab hoc solùm moueatur, profectò cessabit lapis, cùm cessabit proijciēs, & mouebitur simi-

similiter cum eo: quod falsum apparet. Vnde videtur, quòd præter proijciens, aliud sit adhuc mouens.

Addit illa verba [quemadmodum lapis, &c.] Sensus est: quòd cessabit proiectum, sicut cessat lapis, cùm sumitur ab aliquo ad mouendum aliud: cessante enim manu mouētis, cessat instrumentū: Quod est dicere: proinde cessabit proiectum, cessante proijciente, sicut cessat id, quod non proijcitur, sed simul cum proijciente est coniunctum, cùm cessat mouens: quod est falsum. Alij per lapidē intelligunt magnetem, sed est expositio valdè aliena. Melior est hæc, & commodior. Hoc igitur est dubium propositum.

Necesse est autem hoc quidem dicere.

Respon-sio Arist. de motu proiectorum.

Adhibet dubij solutionem, quæ talis est: Quòd mouens primū mouet aliquam partē medij sibi proximam aeris, vel aquæ, vel alterius, quod sit aptum moueri, & mouere: & hęc mouet aliam sibi proximam, & illa aliam, & sic fertur lapis semper ab aliquo immediato, & coniuncto mouente: tamē istæ partes medij motæ, quamuis moueātur, & moueant, non tamen simul desinunt: nā proijciēs mouet partem aeris, & mota mouet alteram: tamen non est opus, cùm mouet alterā, quòd adhuc moueat mouens. Similiter de alijs.

Nota.

Est etiam notandum, quòd partes dū magis præcedunt, minus mouent: paulatim enim virtus deficit, donec peruenia-tur ad aliquam, quæ mouetur tantū, & non mouet; & tunc deficit moueri proiectum. Cessante enim illo, quod mouetur, & non mouet, & cessante illo, quod talem motam partem mouit, cessat motus totus proiecti. Hæc intellige de partibus medij, quæ sunt versus latera proiecti, & sursum, & deorsum. Tales enim partes motæ mouent lapidem, dū mouent alias, quæ mouent etiam lapidē: & sic fertur lapis, sicut lignum in aqua, vndarum impulsu, vna aliam impellēte. Ex quo patet, quod semper est motor immediatus in his proiectis. De hoc paulò pòst dubitabimus.

Hic igitur in his, quæ possunt aliquando.

Motum proiectorum non esse cōtinuum ex his concludit: Dicit primò, quod ex tali motu mouētur, quæ aliquando moueri, aliquando quiescere apta sunt. Nam diximus, quòd virtus decrescit in mouentibus: & hinc patet, quòd non sit cōtinuus, quāuis videatur: Nam non mouetur nisi a diuersis motoribus, qui se consequenter habent: id est, vnus est post alium, aut se tangūt: ac ideò fit in aqua, aut aere, aut simili. qa in rebus duris non possunt isti motores inueniri, quia si vna pars mouetur, reliquæ simul mouētur. Et idē de quiete. At in liquidis potest vna pars moueri, nō alia mota: & sic possunt assignari plures motores: & in his etiā potest motus esse, qui dicitur circūobsistentia, seu antiparistasis. Is aūt motus est, qui fit, cùm partes aeris citò occurrunt ad replendū locum, quem post se relinquit proiectū, qui solùm in his rebus fluidis fit.

Cōclusio de motu proiectorum.

Concludit, quòd non est alius modus, quo fiat proiectionis motus, nisi iste. Si enim alius esset, esset antiparistasis illa, vt reliqui dicunt. Nam dum occurrunt partes ad replendum locum, impellunt proiectū: sed talis non est causa, quia illa antiparistasis fit simul cum motu proiecti. Dum enim lapis relinquit locum, occurrit ille motus: vnde simul cessant, & simul mouentur: cum autem lapis adhuc motum prosequatur, non erit motor: at debet esse: ergo oportet dicere, quod dictum est.

Nota.

Nota, quòd vocat illas partes aeris, vel aquæ consequentes, non quòd non sint continuæ, sed quòd non simul moueantur, ac ob id in ratione motus continuitatem non habent, ac diuersi motores censentur.

Dubium.

Dubitabis: quomodo motus proiectorum non est continuus, cùm non videatur quies aliqua esse media.

Solutio.

Respondeo, nō esse mentem Aristotelis dicere, quòd non sit continuus, id est, sit media quies, quia hoc esse impossibile notum est: sed quod nō sit regularis, & vniformis, cùm motores illi inæqualē necessariò habeāt virtu-

virtutem: alias motus talis nunquam cessaret, sed esset perpetuus, vel per totū esset medium.

Quoniam autem in his quę sunt. Tex. LXXXIII.

Si primus motus sit ppetuus, debēt esse vnū mouēs, & vnū mobile.

Solutio.

Obiect.

Concludit ex his, quæ dixit, ꝙ cùm motus perpetuus sit & continuus, debet esse vnum mouens, & vnum mobile. Si enim non esset vnum mouens non posset continuitas, & regularitas esse in motu.

Posset quis dicere aliud esse in proiectis, aliud in hoc: quia proiecta sunt magnitudines: at non sic in hoc motu. Hoc excludit dicens, quòd etiam in hoc motu est magnitudo mota. Impossibile enim est, motum esse alicuius, nisi sit magnitudo: mobile enim omne corpus est. Si ergo mouetur corpus, & ab vno, tunc peto: id, quod mouet, vel mouetur, vel nō. Si mouetur, ab alio mouebitur, vel à se. Et quocunque modo peruenietur, ad id, quod mouet immotum, & hoc mouebit, nec mouebitur.

Quod probat: nam si moueretur, dum mouet, vtique defatigaretur, nec posset vniformiter, nec semper mouere. Non enim defatigabile debet esse, quod mouet vniformiter semper. Vide ergo argumentum. Ex eo enim, quòd mouet vniformiter, debet esse indefatigabile: id autem, ꝙ indefatigabile est, debet mouere, & non moueri. Nihil est autem, quod mouet, & non mouetur, nisi virtus extra corpus.

Prim⁹ motor ē omnino inuariabilis, & immobilis, vnde incorporeus.

Omnis enim virtus, & forma corporis mouet, & simul mouetur: prim⁹ ergo motor expers est corporis. Ex perpetuitate igitur continuitatis, & regularitatis colligit, quòd motor sit inuariabilis, & omninò immobilis ac inde incorporeus.

Necesse est autem in medio. Tex. LXXXIIII.

De loco primi motoris.

Obiter dubitat, in qua parte cæli sit primus motor. Ac breuiter respōdet: In circunferentia, non autem in centro. Et ratio est, quia ibi æquum est, motorem esse, vbi velocior est motus. At motus velocissimus partium est versus conuexam circunferentiam, quia illę partes maiores sunt: ibi ergo est motor primus: nō quidem vt in loco cùm sit incorporeus, sed per assistentiam.

Vtrum Deus sit vbique secundum Aristotelem. *Quæstio. VII.*

Hic disputari solet, an Deus sit vbique. Nam hic Aristoteles prębuit causam dubitandi, cum ex operatione primi motoris, quę maximè est in circunferētia, videtur deducere ipsum esse in circunferentia, & nō in centro.

Secundum veritatem, Deum esse vbique manifestū est ex his, quæ diximus in 2. Phy. Cùm enim Dei operatio vbiq; sit, erit etiam Deus, & secundum Aristo. Prima sententia est Auerrois disp. 14. Metaphysic. dubio vltimo; vbi ait satis impiè (vt sæpè solet, cùm de Deo loquitur:) Dicentes Deum esse vbique, & tangere omnem rem, esse pueros, & destruere ordinem causarum, & causatorum. Vnde plerique Auerroistæ illum sequentes dicunt, Theologos differre à Peripateticis, quòd illi ponant Deum vbique, hi in cælo. Probatur ista sententia ex 8. Physico. 84. vbi Aristoteles ait esse in circunferentia cæli. Secundò, in 1. de cælo, 12. vbi ait Græcos, & Barbaros in hoc conuenire, vt Deus sit in in cælo. Tertiò, ex 2. de generatione 59. vbi ait, Hæc entia nostra, quoniam valdè distant à primo principio, non posse esse æterna; igitur vult primum principium esse in cęlo.

1. Opin. Auerro. falsa.

Contrarię verò sentētiæ sunt plurimi, & celeberrimi Aristotelis Interpretes, tā Platonici, quàm Peripatetici, Deum videlicet esse vbique, etiam secundum Aristotelem, & ex ipsius etiam Aristotelis testimonijs colligitur & rationibus, quod iā ostendamus.

2. Opi. aliorū vera. Arist. Interpretes in hac opinione.

Primò, Alexander Aphrodis. in suo 2. de anima. cap. 23. ait, intellectum agentē, quem ipse ponit, esse Deum, esse vbique. Idem ipsi tribuit Philoponus in 1. de anima text. 40. vbi ait Alexandrum, & eius sequaces Deum esse vbique dicere.

1. Alexan.

Secundo, Simplicius in hoc 8. Physico. rum

2. Simpli.

rum, 84. luculenter dirigitur de loco Dei, vbi ex sententia etiam Alexandri concludit, cùm Deus sit impartibilis, & separatus, & per se perfectus à corpore mundano, rectè dicendum est ipsum esse vbique & nullibi. Et inquit, Quando Pythagorei dicunt Deum esse in centro, debet intelligi quo ad participationem bonitatis opificij: Cùm Aristoteles etiam ait, Deum esse in primo cælo, debet intelligi modo quodam eminentiori, quoniam primum mobile est, quod primò participat motũ opificij. Adde quòd Simplicius in digressione text. 89. 8. Physic. dicit, Deum ex Aristotele, & Platone continere omnia vinculo suæ voluntatis, quod vinculum firmius est, quàm natura earundem rerum. In Epictet. etiam cap. 66. ait. Deum simul vbique adesse, & in 8. Physi. 85. ait secundum Aristotelem Deum non esse in vltimo cælo, sed in aggregato omnium cælorum.

Iamblicus. Tertiò. Iamblicus de misterijs Aegyptiorum cap. 6. fusissimè probat, ex professo, Deum esse vbique.

Themisti. Quartò. Themistius in paraphrasi 12. Metaphysic. agens de loco Dei, ait, Deum vestire omnia, non vt vestis, quæ extrinsecùs tantùm tangit rem: sed intrinsecùs, vt totum tangat totum: ait tamen, primũ mobile esse corpus nobilissimum, & eius animam esse primam Intelligentiam, & quasi pro lege, atque propterea ibi magis elucescere maiestatem opificij.

Philoponus. Quintò, Philoponus in 1. de anima tex. 4. id asserit: cuius extat locus pulcherrimus in primo Meteororũ aliquanto post principium: vbi quærens rationem, cur cælum in orbẽ voluitur, affert ad verbũ raitonẽ ex Plotino, quã & ipse probat. Inquit enim, Quia vult imitari Deũ, vnde cum mens & intellectus diuinus rerũ omniũ conditor, & Architectus nullũ locum substantiæ suæ habet constitutũ: in omnibus autẽ partibus mundi locis eius ac summa potentia, æternaque ipsius vis actio reperitur, ac dominatur. Ita cælum, quod cùm corpus sit, simul totum vbique esse non potest, conatur secundum suas partes esse in omnibus locis.

D. Tho. In eadem sententia est D. Thomas, qui explicans hunc textum, & mouẽs, hoc dubium, respondet, Dicendum esse, quòd dicitur, principium mouẽs esse in aliqua parte sui mobilis, non per determinationem suæ substantiæ, sed per efficaciã motus: quia ex aliqua parte sui mobilis mouere incipit: & ideo (ait) potius dicitur esse in cælo, quàm in terra, & potius in oriente vnde incipit, quàm in alijs partibus cæli. Hæc D. Thomas.

Quod si quis illum locum Aristotelis text. 48. ita malè velit cum Auerroe interpretari, profectò incidit in hoc absurdũ, etiam Deum non esse in alijs cælis, imo nec in primo ipso cælo, sed in sola eius vltima superficie, hoc est, in circunferentia, vt dixit Aristoteles: quod asserere esset perquàm ridiculum, & indigna sententia, quæ tribueretur Aristoteli. Sed sensus hic est, quem cæteri grauissimi Interpretes, & D. Thomas voluerunt, quòd ibi potius esse dicatur, quia inde incipiat motus, quo ad efficaciã scilicet motus, quia ibi magis operatur, non quo ad determinationem substantiæ, atque hactenus de Aristotelis Interpretibus.

Ex alijs Arist. testimonijs primo. Ex Aristotelis testimonijs alijs idẽ probatur primò: Auctor libelli de mundo, siue sit Aristoteles, siue quis alius, qui tamen dignus est, qui tribuatur Aristoteli, cap. 7. Postquàm latè probat indecens esse, vt Deo aliqua particularis prouincia demãdetur: cõcludit Dei vim esse, vt eius munus collocetur in toto mundo. Vnde ait, hãc ipsius vim esse omnium tutricẽ, & continentem, Item numen diuinum, quoque versus omnia permeare, & alia his similia.

Secundò. Est locus pulcherrimus in Aristotele, 1. de partibus animalium, capit. 5. vbi laudat Heraclitum, quem cum quidam adijssent visendi gratia, eumque in casa quadam furnaria caloris gratia, sedẽtem reperijssent, se ipsos ab ingressu cohibuerunt: ille ingredi eos fidenter iussit, dicens, nec illi loco Deum deesse immortalem.

Tertio. cùm probatũ sit, Deum mouere vt finem, & primum cælum, & omnia secundum Aristotelem: & influere immediatè in primum cælum, & omnia vt causa efficiens: certè non est maior ratio cur sit in cælo, quàm in cæteris mundi partibus: vnde vel erit nullibi, vel vbique.

Quar-

Quartò. Deus non potest constitui in loco circumscriptiuè per corpulentiam, quam non habet: sed per operationem. Vnde Aristoteles in hoc 84. ex operatione visus est colligere locũ Dei. Sed probatum est (vt diximus) omnia fuisse efficienter à Deo secundum Aristotelẽ: ergo ex eodem principio manifestum est, ipsũ esse vbique.

Hoc idem ex sententia Aristotelis aliqui etiam Neoterici, viri nequaquã contemnendi fusè ostẽdunt, vt Fernelius libro De abditis rerũ causis c. 2. Idẽ secundum Aristotelẽ Eugubinus 4. de perenni philosophia, ca. 7. Item Marsilius Ficinus lib. 2. de Theologia Platonis ca. 6. & 7. apud quos multa, eaque præclara de hoc ipso reperies. Nicolaus etiam Leonicus in Bembo dialogo, siue de animorum essentia, vbi fatetur omnes asseruisse, Deũ vbique esse, licèt modum, quo esset, non omnes satis intelligerent.

Antiquorum aliorum plura testimonia ẽt ante Aris. Neque verò hoc Peripateticorum inuentum proprium fuit, imò vt ex Eugubino, Leonico, & Marsilio, ex auctoribus ab eis citatis cõstat, id tota fatebatur antiquitas. De Mercurio Trimegistro, eius Pimander refertus est hac re, Mundũ esse vas plenum Deo, Dei spiritum omnia cõtinere, &c. Idẽ ex Orpheo, Holoastro, Musęo & alijs habes apud Eugubinum. Item ex Platone & Plotino loca iam attuli, ex quorum etiam sentẽtia idem asserit Macrobius lib. 1. in somnium Scipionis: Proclus item in Timæum paulo post initiũ, sic argumentatur: Deus est vbiq; anima non: ergo anima non est Deus. Hinc illud Virgilij,

,, Iouis omnia plena Hinc Lucanus.
,, Iuppiter est, quodcunque vides.

Empedocles etiam, cuius fit mentio in libro de mundo, vbi suprà, omnia asserit esse plena Deo. Quæ loca pauca pro multis, quæ afferri possunt, adducta sufficiant, vt appareat contra Auerrois impietatem, non esse pueros, qui sic opinantur, sed ipsum potius impium, qui sic opinatus fuerit.

Ad 1. & 2. Ad argumẽta. Ad primum, & secundũ patet ex D. Thoma, Simplicio, Themistio, & libello de mundo. Est enim in primo mobili modo quodã peculiari, quo ad efficaciã, & initiũ motus, vt diximus.

Ad 3. Ad tertium. Textus ille perperã ab aliquibus exponitur. Nam putant Aristotelem agere de distantia loci, quod falsum est: nam materia prima tam distat à cęlo, quàm eius formæ. Vnde si corruptio proueniret ex distantia à Deo, etiam ipsa esset corruptibilis: Anima item hominis incorruptibilis est secundum Aristotelem, quæ tamen iam distat à Deo, quàm cæteræ res corruptibiles. Sẽsus ergo est, de distantia in natura, quæ etiam magis distant, hoc modo à Deo, magis sunt corruptibilia.

Dubium. Sed objicies: in genere substantię magis distat materia prima à Deo, quàm eius forma: ergo si hic est sensus, oporteret ipsam esse corruptibilem.

Solutio. Respõdetur, illud intelligi de entibus completis: at licèt materia prima sit ens imperfectissimum, tamen est pars, & non est ens compositum ex partibus potentibus dissolui: nam ab hoc prouenit corruptibilitas. Quæ enim magis à Deo distant, habent substantiæ suæ partes, quæ facilius dissolui possunt, quàm ea, quæ propiora sunt Deo, in natura. Hæc de quæstione.

Habet autem dubitationem, si contingat. Tex. LXXXV.

Dubium proponit, Aristo. DVbium proponit, ex quo determinat, nullum mouens motum perfectè cõtinuum motum efficere. Dubium igitur est: An id, quod motum mouet, possit mouere continuè, & non sicut qui impellit idem multoties. Hic enim non est motus perfectè continuus, sed multi consequenter se habentes. Solutio. Respondet, quod motum mouet, aut mouet impellendo, dum per spacium fert mobile suo impulsu immediato: aut mouet trahendo, aut vtroque modo, nempè secũdum vertiginem: aut mouet projiciẽdo, tunc enim sunt plures motores. Non est autem alius modus, quo mouet id, quod mouetur. Omnibus aũt his modis, quod mouet, & mouetur, non mouet continuè, & vniformiter: primus ergo motor, cùm vniformiter moueat maximè, mouebit, & non mouebitur.

Determinatis autem his manifestum est. Tex. LXXXVI.

Conclusio, ꝙ primus motor nullā habet magnitudinem.

Concludit tandem: quòd cùm primus motor moueat immotus, nullam habet magnitudinem. Repetit autem epilogans rationem factam. Si enim haberet magnitudinem, aut ea esset infinita, aut finita. Non infinita: quia nō datur infinitum quantū actu, vt probatum est 3. Physic. Non finita, quia non posset habere potentiam infinitam, quæ necessaria est, vt magnitudo moueat tēpore infinito. Finitum aūt nō mouet tēpore infinito. Cùm igitur primum mouens tempore moueat infinito, & perpetuo, necesse est, quòd sit indiuisibile, & magnitudinis, ac corporis cuiusque expers. Hæc Aristot.

Dubium de motu proiectorum.

Dubium vnum est circa proiectorum motum. Videtur enim Aristotel. referre causam huius motus in medium ipsum motū à causa principali primò: deinde consequenter partē à parte. Sed omissis aliorum placitis, existimo dicendum: quòd medium quidem eo modo, quem dicit Aristoteles, cōfert ad motum proiectorum. Et hoc experiētia patet. Nam non aliter proiecta in medio velocius, quàm in principio feruntur, vt consideranti patet.

Medium aliquod cōfert ad motū proiectorum.

Simul etiam existimo, quòd non solūm medium est causa motus huius, sed quòd etiam virtus imprimitur ipsi proiecto secundum quam fertur: sicut graue per grauitatem, licèt differant: quia vnus naturalis, alter violentus est motus.

Non solū mouētur à medio, sed à virtute impressa.

Et pro hoc facit ratio, & experientia. Ratio quidem: quia sicut proijciens imprimit virtutem aeri primo, vt moueat lapidem, & per parum spacij moueatur ipse aer: non enim desinit statim esse percussus aer cùm desinit moueri manus, vt ipse Aristoteles fatetur: quare, etiam non imprimetur virtus similis lapidi, vt moueatur. Est autem hoc validum argumentum, quod fecit dubitare Simplicium in hoc.

1. Ratio.

Præterea multùm hoc patet experientia. Primò: videmus enim, & sentimus aerem fortiter à bombarda impulsum non deijcere hominem in terram, quamuis ipsum à facie percutiat, nec ipsum globulum: quomodo ergo propellet ad tantam distantiam lapidem, aut globulum ferreum? 1.

2. Ex variis experientijs.

Similiter fortior videtur magnus vētus, quàm ille, qui excitatur ab arcu: sed magnus ventus vix poterit sagittā leuare à terra: ergo nec aer motus ab arcu. 2.

Præterea: quia aliquando est, magnū ventum lapidem iacere, nec credendum est, quòd solus ventus tàm fortiter regreditur, vt lapidem moueat contra impetum totius venti. 3.

Præterea: sequitur, quòd pluma velocius proijceretur, quia facilius ab aere sustineri potest, quàm lapis: quod est falsum. 4.

Præterea: in rota barbitonsoris, vbi videmus, cùm motus est remissus, & propè finem, motus contrarios exercere, nec in medium id referri potest. 5.

Præterea: quia tunc si hoc esset, dato vacuo, nō posset esse proiectio, quod credibile non est. Ob ista ergo mihi videtur, virtutem imprimi etiam ipso proiecto. 6.

An Deus sit virtutis infinitæ. Quæstio VIII.

Quæstio hæc si de re secundum se ipsam agatur, nullam habet difficultatem: est enim comperrissimum, Deum esse infinitæ virtutis intensiuæ, vt etiam inferius probabitur. Sed in Aristo. est aliquanto difficile, tum ob interpretum sentētias, tum potissimum ob duos illos textus 78. 79. ex quibus ad eam disputandam sumitur occasio.

Primum notandū.

Vnde aduerte primò, in quo consistat rei huius difficultas: in Aristotele, hic virtutem pro vi, & robore in agendo, & præsertim in mouendo localiter accipimus. Dupliciter autem est virtus aliqua infinita. Vno modo intensiuè, vt sit graduum infinitorum: sicut albedo esset infinitè intensa, si actu haberet gradus infinitos. Altero modo est infinita duratiōe, puta, quę finita quidem in gradu est: tamē potest du-

rare in motu tempore infinito.

Duplex opinio de infinitate Dei ex sēntia Arist. Vnde fit orta difficultas.

Iuxta hoc est duplex opinio de infinitate. Quidā dicunt, quòd Aristoteles loquitur de infinita, vel finita virtute duratione: quidam verò, qui de intensione.

Et difficultas bina in demonstratione fecit sententias diuisas. Nam fecit Aristoteles duas consequentias. Prior est. Si mouet tempore infinito, non erit virtus finita. Altera est, si est virtus infinita, mouet in non tempore.

Fundamēta eorū, qui putāt agi de infinitate duratiōis.

Quidam ergo cōsiderantes, priorem non valere nisi de finito duratione, quia ad mouendum tempore infinito, sat est infinita virtus duratione: vt patet de Sole, qui agit tempore infinito secundū Aristotelem, & de inferioribus intelligentijs, quæ non sunt æquales primæ. Ob id dixerunt, esse hoc intelligendum de finitate, vel infinitate durationis.

Fundam. eorū, qui putant agi de infinitate intensiōis.

Quidam alij respicientes posteriorem consequentiam, dixerūt esse de infinitate intensiua sermonem, quia aliter non valeret, quòd moueret in non tempore: in vtraque autem sententia est vna difficultas. Quod enim mouet hos, torquet illos: nec omni ex parte hi, aut illi difficultatem absoluunt.

Duplex difficultas vtrisq; cōmunis.

Est autem vtrisque duplex difficultas communis. Altera est circa illud Aristot. quòd in non tempore moueret, si esset in magnitudine. Videtur hoc nihil esse. Nā si infinita virtus est, quid refert, quòd sit in magnitudine, vel extrà? semper enim, & quocunq; modo mouebit in non tempore, si infinita est. Vel si non mouet in nō tempore extra magnitudinē, nec in ipsa mouebit. 1.

2. Altera difficultas est circa maiorē Aristotelis illi9 primi discursus. Dicit enim, quòd si totum mouet totum mobile tēpore infinito, quòd pars mouebit partem minori tempore: videtur hoc manifestè contra id, quod dicitur 7. Physic. tex. 36. si totum mouet totum tanto tēpore per tantum spacium, quòd dimidium mouebit dimidium eodemmet tempore per ęquale spacium. Hæ sunt præcipuæ difficultates circa Aristotelis discursum, in quo sunt tres sententiæ.

1. Sēntia.

Prima est quorundam, qui dicunt Aristotelem loqui de finitate, & infinitate durationis, & maiorē illius discursus sic intelligunt. Si aliquod totum finitū duratione mouet mobile finitū duratione, pars illius mouentis finiti duratione mouebit mobilis finiti duratione partē minori tempore, quia cùm pars sit finiti duratione, minus debet durare.

Reijcitur 1. sententia

Ista sententia non est, (vt censeo) digna disputatione: quia talis maior syllogismi ridicula esset: qui enim facit finitum duratione, dicit tempus: non ergo opus est dicere, finitum duratione mouet tempore finito. Præterea: Quia quāuis concluderet, Deum esse infinitū duratione, tunc non soluuntur difficultates, quomodo virtus infinita duratione moueret in non tempore. Profectò consequentia esset nulla, nisi sermo sit de intensiua virtute.

2. Sēntia Auerr.

Secunda sentētia est Auerrois, & aliorum, ꝙ Deus nec est finitæ, nec infinitæ virtutis, ac ob id est incorporeus: quia finitum, & infinitum corporum passiones sunt: ac id dicunt probare Aristotelē, ꝙ nec sit virtutis finitæ intensiuè in primo discursu, nec infinitæ in secundo.

Hæc sententia potius videtur fugere difficultatem, quàm aliquid decernere. Nam (vt alibi ostendimus) malè in spiritualibus negat: reperiri finitum, vel infinitum aliquo modo. Est enim quantitas molis, & perfectionis; & sic etiā finitum, vel infinitum. Vnde profectò etiam patet, quòd necesse est admittere, quòd intelligentiæ quædam sunt maioris, quædam minoris perfectionis, & æqualitatem, vel inæqualitatem habere in perfectione & virtute.

Reijcitur sententia Auerr.

Non igitur possum non mirari Auerroem, qui ad calcem digressionis in text. 79. ait, non posse intelligi vnā intelligentiam maiorem vim habere alia: Est enim contra rationem omnem. Nā si sunt inęquales in essentia, vt necessariò sunt, & ipsemet fatetur, quia ponit differre essentialiter; at essentiæ sunt sicut numeri: etiam erunt inæquales in virtute.

Viderunt hoc aliqui Auerroistæ, vt Iandunus, qui licèt 8. Physic. quęst. 22. secundum Aristotelem, & Auerroem asserat, Deum nec esse finitum, nec infinitū: posteà tamen, videns hanc sententiā esse valdè absurdam, in quęst. 12. de substantia orbis, ait, Aristotelem, & Cōmentatorem cir-

rem circa quęstionem hanc in nullo differre à Fide Catholica.

3. Sentētia S. Tho. & aliorum. Tertia sententia est Sancti Thomæ, & omnium ferè Græcorum, & aliorum, vt inferius probatur, quòd sit sermo de infinitate intensiua: & quod Aristoteles ostendat in priori demonstratione, Deum esse infinitæ virtutis intensiuæ. At quia ista sententia est celeberrima, & scitu digna, exponam eam primo ad mentē D. Thomæ.

1. Fundamentum D. Tho. Aduerte igitur primò ex ipso S. Tho. quòd motus ex duplici ratione oritur. Primò ex spacio, puta, cùm vnum mobile per varias spacij partes vagatur: tunc oritur successio secundum plures spacij partes, qui motus est ex spacio consequens. Oritur secundò ex ipso mobili, cùm opposito modo locus, & spacium vnum est, tamen per ipsum transeunt diuersæ partes mobilis, tunc fit successio, & motus consequens ipsum mobile ratione suarum partium penes eundē locum, & loci partem. Quod si velis cōparare istos motus ad mobile, magis intrinsecus, & per se est ille, qui ex ipso prouenit, quàm qui ex spacio: & ratio est, quia hic ex ipsius partibus, ille ab extrinseco spacio ei prouenit.

2. Fund. D. Tho. Aduerte secundò: quòd cùm tempus consequatur motum, erit etiam duplex tempus. Alterum penes motum mobilis secundum suas partes: Alterum, secundum spacij partes. Et quemadmodū motus secundum partes mobilis est magis per se, & primus: ita etiam est ipsum tempus: Motus verò alius & tempus est velut per accidens ad istud. Vlterius, sicut tempus est duplex, ita etiam duplex erit infinitas temporis, & prioris, & posterioris. Prior autem infinitas est per se magis, & prima.

3. Funda. Aduerte tertiò: quòd prima causa, quę tempore infinito mouet, debet esse talis, quæ possit facere motum, & tempus infinitum per se, & primum, puta, corpus infinitum mouere, quia primæ causæ debetur infinitum tempus per se: reliquis verò infinitum per accidens, puta, motus infinitus corporis finiti multiplicatus. Cùm igitur prima causa debeat esse talis, quæ mouere possit corpus actu infinitum, debet esse infinitæ virtutis intensiuæ. Ad alium motum infinitum per accidens, sat est infinita tantùm virtus duratione.

Sēsus demonstrationis Arist. secundum hāc opinionem. Vult igitur S. Thom. q̄ demonstratio Aristotelis procedat de infinita virtute intensiua, & de tempore infinito per se ex parte mobilis: & tunc nota fit solutio vltimæ difficultatis, puta, quomodo si totum mouet totum tanto tempore, pars mouebit partem in minori tēpore. Hoc clarum fit de tempore ex parte mobilis. Nam per vnam loci partem citius transit pars mobilis, quam totum: & citius minor pars, quàm maior.

Obiect. Quod si dicas, videtur vana demonstratio: quia nō est tale corpus infinitum actu, nec esse potest. Respōdet S. Tho. q̄ verum est, tamen Aristoteles procedit ex suppositione, vt sit sensus: Prima causa debet esse talis, vt si esset infinitum actu, posset moueri ab ipsa per vnum locū successiuè: & similiter causa prima infinitatis temporis debet esse talis, vt ex se possit esse causa infinitatis per se, & secundū mobilis partes. Hæc est sententia S. Tho. declarata quoad potui, subtilis profectò in se, & digna S. Tho. sed videtur habere aliquot difficultates.

1. Difficultas cōtra D. Tho. Prima, quia Aristoteles non procedit ex impossibili, sed ex his, quę sunt. In superioribus enim probauit motum nullum alium infinitum esse posse, nisi circularem, & hunc tanquam propriū Deo tribuit: Modò consequenter ex talis infinitate motus eius indiuisibilitatē ostendit: nec apparet in litera talis distinctio temporum, quam hucusque Aristoteles non significauit.

1. Præterea: Quia S. Thom. non soluit difficultatem, quomodo si est infinitę virtutis intensiuæ, non mouet in non tempore extra magnitudinem, & in magnitudine moueret.

Respondet S. Tho. quia cùm est extra magnitudinem agit intellectu, & arte: nō autem ita ageret in magnitudine, sed sicut ignis.

Solutio profectò non omninò satisfacit: nam primò si Aristoteles posuisset Deum agens necessarium, tantū ageret, quantum posset, siue in magnitudine, siue extra.

Præterea, quia quid vetat, quo minus agat

agat intellectu, licèt sit in magnitudine? esset enim sicut homo quidem. At Aristoteles vult, quod sit omninò corporis expers, non ergo videtur de mēte Aristotelis ita esse dicendum.

1. cōclusio quod sit infinitæ virtutis intēsiuè. Vt autem in quęst. hæc aperiam quid sentiam, sit prima conclusio. Quicquid sit de viis tarum rationū Aristot. ipse voluit Deum esse infinitum intensiuè in vigore. Hanc conclusionem probabo primò ex ipso Aristot. Secundò ex eius interpretibus. Tertiò ex rationibus ductus ex principijs Aristot.

Probatur cōclusio ex Arist. Ex Arist. primò: quoniam in illo tex. 78. expresè ponit primum mouens esse virtutis infinitæ. Primò, quia ipsum esse infinitæ virtutis in duratione superiùs fuit demonstratum in text. 45. In hoc autem 78. cùm velit demonstrare ipsum esse incorporeum tanquam quid hucusq; nō demonstratum, ait, se velle priùs demonstrare ipsum esse infinitum: & hoc supposito progreditur ad demōstrandū esse incorporeum, & separatum.

2. Secūdò: quia si Aristot. intelligebat de sola infinitate durationis, manifestè peteret principium in argumento. Nam certum est, id quod est, vel mouet infinito tempore mouere, & esse infinito tēpore: Quare manifestè esset nugatio, si solùm intellexit de virtute infinita in duratione, & esset ridiculum argumētum.

3. Tertiò: quia Aristot. sumit hanc illationem: Si aliquid mouet tempore infinito, est virtutis infinitæ. Quæ quidem illatio est ab infinitate durationis, & successiuo motus, ad infinitatem intensiuam motoris, ex intensiua inferendo intensiuā: virtute illius proportionis. Si aliqua res haberet ex se virtutem mouendi per vnum tantùm diem. v.g. esset alicuius virtutis: si per duos dies, esset in dupla maioris virtutis: si per quatuor, esset in quadruplo maioris virtutis, & ita consequenter. Ergo si habet virtutem ex se mouendi infinito tempore, erit infiniti temporis: Arist. inquam, virtute huius proportionis ex extensione infinita optimè sic colligit intensionem virtutis mouentis infinitam: aliter nil omninò inferret, sed (vt diximus) principium petereret.

Obiectio. Dices: intelligentiæ mouent infinito tempore secundum Arist. ergo essent infinitæ virtutis.

Solutio. Respondeo, Intelligētias non esse à se, nec à se ipsis habere suā virtutem, sed à prima causa, vt superiùs ostendimus. Deus autē est à se, & ex se suā habet virtutem, quare etiamsi intelligentiæ durent infinito tempore, tamen non sine prima causa cōseruāte: & ideo primæ potius causæ illas conseruanti id tribuendum erit, & illius inferretur virtus infinita, non ipsarum rerum conseruatarum. Atque ideo dicebamus in illa proportione, si quid haberet ex se virtutem mouendi infinito tempore tunc optimè sequi. Arist. autem, sic etiam intellexisse ex eo cōstat, quod ibi de primo motore solùm agit, non de alijs, & de eo solo aggreditur demonstrare.

4. Quartò in text. 79. ait hanc virtutem infinitam, si poneretur in magnitudine, debere mouere in nō tempore, quod manifestè pertinet ad infinitam intensiuè.

Cōfimatur ex solutione aduersariorum. Nam quod quidam Auerroistæ dicūt sensum Arist. esse, virtutem infinitam in duratione, etiam moturam in non tempore, eò quod non potest poni virtus infinita in duratione in materia, quin etiā sit infinita intēsiuè: omnis enim virtus, quæ finita esset, defatigaretur. Id potius est pro nobis: vident enim se non posse saluare discursum Arist. nisi recurrant ad vim infinitam intensiuè.

Ex interpretibus celeberrimis Arist. 1. Simpli. Secundò. Idem probatur veterum testimonijs. Primo Simplicius in illo 79. expresè in solutione cuiusdā dubij Philoponi, ait, Deum secundum Arist. aliquid esse infinitæ virtutis, posse intelligi dupliciter. Vel quoad durationem, & hoc, inquit, competit etiam cælo: Vel quoad quandam virtutem, quæ tota sit actu, & secundum hanc, ait, Deum primum motorem esse actu infinita potestate prædi tum. In tex. etiam 86. idem ait.

2. Them. Secundò, Themist. in tex. 78. ait, Post quam Arist dixit Motorem esse sempiternum, nunc vult probare ipsum esse incorporeū: quod vt faciat, primo probat ipsum habere virtutem infinitam. (Ecce manifestè distinguit Themist. inter habere durationē, ifinitam & virtutè infinitā,) primū (ait,) demonstratum, secundū esse ex illo demonstrandum.

3. Ammonius. Tertiò est locus pulcherrimus Ammonij ad initium capitis de substantia, in Præd. Arist. Vbi ait, Aristot. in Phys. probare

bare, Deum esse incorporeum, ex eo, ꝙ asserit illum pollere infinita vi. Adfert autē totum Aristot. discursum, inquiēs: Quod habet infinitam vim, nō potest esse corporeum. Nam vel corpus est infinitum, & tale supra in tertio Physi. probatum est non dari. Vel finitum, & tale certum est, non habere virtutem infinitam. Nā imaginemur hoc corpus in tres partes esse diuisum, Tunc quæro, vnaquęq; illarum an habeat vim infinitā, vel finitam. Si infinitam: ergo totum tantundē valebit parti. Si finitum: ergo quod constat ex finitis, finitum erit. Hæc Ammonius, quæ omnia vides intelligi de vi infinita intensiuè. Et confirmatius fit: Nam de infinita duratione nullū inconueniēs est, imò potius est necessarium, partem tantundem durare, quàm totum.

4. Alexā. & alij. Quartò. in eadē sententia fuit Alexander, vt ei Vicom. & alij graues authores hic tribuunt. Primò: quia quod Simplicius dicit vbi suprà, semper videtur dicere ex sententia Alexandri, Secundò: quia (vt alibi tetigimus) ipse ponit Deū intellectum agentem, quem vult omnia præsentia, præterita & futura in particulari simul intelligere. Vnde cum hæc sint infinita, nō potest nō habere infinitā vim intelligendi, quare & essendi, quia eadē est in Deo. Quod argumentum idem cōcludit, ex Theophrasto, Eustrathio, Pselo, Magētino, & alijs Peripateticis, quos attulit in primo Periher. in capite, De futuris contingentibus: imò verè & simpliciter concludit, vt posteà dicemus.

5. Philoponus. Quintò est sententia Philoponi, qui ex Peripateticorum principijs id deducit in primo capite, eorum, quæ circunferuntur, in opere ipsius contra Proclum.

Nota valde. Et quod valde est notandum. Nemo istorum veterum affert, aliquem Peripateticum fuisse in opposita sententia: nec vertit in dubium an hoc sit dicendū in

Not. ex Simpl. Aristotele, sed quasi manifestum tradit. Imò Simplicius contra Philoponum in illo 79. vt illum adducat in maximū inconueniens, ait, eum nesciuisse distinguere inter infinitatem durationis & virtutis, vt illam secundum Aristotelem tribuēret cælis, hanc Deo.

6. D. Tho. & Latino- Sextò. Hæc est sententia D. Thomæ hoc loco, & communior Latinorum. Secundò, imò ipsius Auerrois, qui hic ait se esse valde dubium, & hoc esse maximum dubium eorū, quæ sunt in Philosophia: vnde attulit fugam illam potius, quàm solutionem, de qua fusiùs egi. Post in 12. Metaphysi. tex. 41. ait, motum cæli duos habere motores: vnum finitę motionis, & est anima existens in eo: alterū infinitę motionis, & est potentia quę non est in materia. Ac si dicat Deum esse infinitæ virtutis, licēt motor peculiariter adducto primo mobili sit finitæ. Non enim potest intelligi illa potentia infinita in abstracto, sed in aliquo subiecto: nec de infinita te durationis, nam hæc cōpeteret ipsi animæ orbis particulari motori, imo omnibus motoribus orbium.

rū cō munior. 7. Auerroes.

Scio Zimaram ibi confingere nescio quam solutionem, sed certe textus nullam patitur. Vnde credo Iandunum, vbi supra exactius fuisse assecutum mentem Auerrois: nam quid aliud intelligere potuerit per illum motorem infinitæ motionis, non apparet

Tertiò, id est probandum rationibus ductis ex principijs Aristotelis. Primò. Mundus effectiuè est à Deo ex nihilo, vt suprà probatum est: siue id sit per emanationem, siue per creationē: ergo Deus habet vim infinitam. Consequentia probatur. Tum quia, si crearet in tempore secundum Peripateticos, haberet infinitam: sed ꝙ fuerit factū ab ęterno, quod factū fuisset in tempore nullo modo minuit hanc vim: ergo. Tum etiam: quia nō est minoris virtutis dare esse ab æterno, quàm dare esse in tempore: ergo si hoc inferret infinitam virtutem, etiam illud.

3. Rōnibus ductis ex principijs Arist. 1. Ratio

Confirmatius fit ex illa calculatione D. Thom. Agens quod producit ex passo minus disposito, maiorem habet vim: ergo ꝙ ex nullo modo disposito, infinitā.

Confirmatius item fit: quia intelligētiæ emanarunt à Deo secundum Aristotelem: ergo emanarunt ex nihilo, quia nō ex materia.

Item de anima rationali si est immortalis, & multiplicatur, vt re vera est, sequitur creari & ex nihilo fieri, non autem educi ex potentia materiæ.

2. Ratio

Secundò. Deus secundum Aristotelē, vt alibi ostendimus, & partim etiam tetigimus in illo primo Periher. quo in loco grauissimos quosq; Peripateticos attulimus, qui id ipsi tribuebāt, cognoscit omnia præsentia, præterita, & futura in particulari, fines etiā omnium agētium particulariū, ad quos ipsa dirigitur: Hæc autem sunt infinita: ergo habet infinitā vim cognoscendi. Sed qualis operatio, talis essentia: ergo. Et hæc est etiam eadē cum ipsius essentia: ergo habet infinitā essentiam. Confirmatur: quia saltem cognoscet circulationes sui orbis primi quē mouet, aut faceret stultam primam causam, & ignorantem: aut illæ sunt infinitæ: & dies præteritos & annos nouit, aut obliuiscitur: sicut infiniti: ergo est infinita intelligendi capacitas.

3. Ratio. Tertiò. Ex D. Thoma, primo Contra gentes, cap. 45. actus alteri inhærens terminatur ab eo, in quo est, cum omne ꝙ recipitur, per modum recipientis recipiatur: actus verò nulli inhærēs à nullo terminatur, quia habet omnē perfectionē illius generis. Vnde albedo per se subsistens & à se, haberet omnē perfectionem albedinis. Sed Deus est ipsum ens per se subsistens; ergo à nullo potest coarctari, aut limitari, quin habeat omnem perfectionem, quæ intelligi potest in genere entis.

4. Ratio. Quartò. Ipsum esse per se consideratū, infinitum est: Nam ab infinitis & infinitis modis participari potest. Si igitur esse quod ex se est infinitum in aliquo profectò ab aliquo debet determinari: igitur vel vt à producente tale esse, vel vt à recipiente illud: sed esse Dei nec habet producens, nec recipiens: ergo non potest intelligi esse coarctatum, vel limitatum, aut determinatū ab aliquo: ergo nec potest intelligi deesse illi illa infinitas, qua habet esse ens secundum se.

5. Ratio. Quintò ex eodem S. Thoma. Illa perfectio magis habetur ab aliquo, quod ipsum plenius participat: sed summus modus participādi est si illa profectio sit de essentia: at in Deo esse est de essentia ipsius: ergo profectio entis infinito & illimitato modo habetur à Deo.

6. Ratio. Sextò. Deus est æternus: ergo infinitus. Nā æternitas est duratio infinita: ergo eius radix, quæ est ipsa essentia, est infinita. Nam permanētia infinita non potest esse à virtute finita. Item: quia hæc permanentia infinita est tota simul: ergo.

Quod si objicias, idem esse de Angelis: Negatur consequentia. Nam non habēt eam à se, sed à Deo. Denique septimò, vt plures alias rationes omittam, quas affert D. Thomas & alij, multa sunt in natura, quæ quasi quoddam vestigium sunt istius infinitatis: vt infinitas instantium temporis, & infinitas pūctorum in linea, infinitas perfectionum indiuiduantium in vnoquoque indiuiduo diuersæ, quę sunt sub vnaquaque specie infinitas partium continui.

7. Ratio.

Item. Intellectus noster, dato semper quouis, potest maius & maius apprehendere & intelligere. Vnde cùm vltra omne finitum nos possimus aliquid perfectius intelligere, euidenter sequitur Deū esse vltra omne finitum, nam aliàs possemus intelligere aliquid maius, & melius Deo.

8. Ratio.

Adde: Quòd intellectus noster est insatiabilis appetitus. Nam postquam quis scit, plura scire semper vult. At hic appetitus, hæc ordinatio intellect⁹ nostri ad infinitatem, vt in nullo finito, & in nulla finita veritate acquiescat, frustrà esset, nisi daretur infinitum aliquod, infinitaque veritas, qua satiaretur. Et manifestè ostendit ipsum ad aliquid infinitam habere capacitatem.

9. Ratio.

Eodem modo de appetitu volūtatis ad bonum ostendi potest, quia nunquam eius appetitus aliquo huius vitæ bono satiatur, sed eo habito, plus desiderat.

10. Ratio.

Hæc item sententia omnium Priscorū fuit, nam vt ait Arist. in 3. Physico. 25. omnes prisci tribuerunt infinitatem primo principio. licèt posteà crearent in applicatione talis infinitatis: vnde, vt colligitur ex illis testibus. Pythagoras, Plato, Anaxagoras, & Democritus id asseuerabant Mercurius Trimegistrus sępè asserit in Pimandro, Deum esse infinitum, imò tota vetustas Deū intelligebat hoc nomine, vt videre est apud Eugubinum 3, lib. de perenni Philosophia, cap. 8. vbi multa adducit testimonia. Idē Auicen. in tract. 8. Metaph. cap. 4. & 5. Author etiam lib. de causis idem videtur asserere.

1. Concl.

Secunda conclusio. Circa rationes istas Aristotel. certum est, non omnes esse demonstrationes. Satis fuerit si sint aliquę aut

aut fortassè etiam omnes rationes probabiles. Hæc cōclusio satis manifesta est ex eo, quòd nemo vuquam interpretum satis potuit sententiā Aristot. in his omnibus textibus ita commodè explicare, vt nullum sequeretur inconueniens. Potest tamen eas rationes probabiliter defendere altero duorum modorum, vel vt S. Thomas superius, vel secundo, pro quo hæc erunt aduertenda.

1.Fūdamētum. Primò. Quòd virtus maior, vel minor mouentis non solùm debet pensari penès pondus, & resistentiam, sed etiam penès tempus. Vnde non solū illa est maior virtus, quæ æquali tempore maius pondus mouet: sed etiam, quæ idem pondus per maius tempus: & hoc nō indiget probatione: sensus enim hoc indicat. Maioris enim est virtutis decē pondera mouere per horam continuā, quàm per dimidiā. Aliqui enim per dimidiam mouēt, & deficiunt statim. Ex quo fit, quòd tempus etiam cum resistētia habeat computari. Multum enim, vel paucum temporis pondus secundum resistentiam auget vel diminuit.

Not. Nota tamen, quòd hoc fundamentū non est vniuersale, nisi in virtutibus, quę patiuntur: & dum mouent, mouentur à motis, quales sunt corporeę. Virtus enim quę non patitur dum mouet, solùm per pondus & resistentiam mensurari debet, non per tempus.

2.Fundamentū. Aduerte secundò: quòd omnis virtus animalis ad mouendum infinito tempore, similiter virtus in corpore, infinita intensiuè debet esse: quia cùm talis, dū mouet moueatur à moto resistenti, mensurabitur secundum tempus etiam. Vnde si maior est, quæ tēpore maiori mouet, si proportione ꝓcedendo, quę debet absque fine mouere, infinita debet esse intensiuè.

Sicut si homo sustineret decem pondera ferri, seu moueret per horam, esset alicuius virtutis: si per duas, maioris: si ꝑ tres, adhuc maoris: si ergo per infinitum, infinitę.

3.Fundamentum. Aduerte tertiò, quòd Aristoteles ex sensibilibus philosophiā deducēns, non existimauit esse virtutem aliquam in corpore posse, quæ non moueretur, dū mouet, & defatigaretur, si virtus animalis est. Cùm autem superius ostensum sit, in moto deueniēdum esse ad aliquod, quod se ipsum moueat, nec possit sistere motu in inanimatis: sequitur, quod in motu cæli non sit deuenire, nisi ad viuens primum. At ne quis existimaret, hoc esse quoddā corporeum animal, seu animā in corpore: probat hoc non esse, sed debere esse substantiam viuentem sine corpore, quia si in corpore esset, defatigaretur: sicut quælibet anima, quæ moueretur saltem per accidens: & tunc ad mouendum tempore infinito indigeret virtute infinita intensiua, quæ esse non potest.

Explicatur discursus Arist. Ex his sequitur discursus Aristotelis notādus: & semper procedit de virtute, quoad intensionem. In primo discursu probat, quòd nulla virtus corporea finita intensione possit mouere tempore infinito: sed si mouet, debet esse intensiuè infinita.

In secundò discursu probat, quòd virtus corporea infinita esse nō possit, quia moueret in nō tempore: ex vtroque ergo sequitur, primum mouēs nō esse corporeum, vt sit hoc totum argumentum. Omnis virtus corporea, vel est finita intensiuè, vel infinita: sed neutra potest mouere tempore infinita: Non finita, quia crescit virtus secundum tempus, vt dictū est: Non infinita, quia moueret in non tempore. Cum ergo primum mouens tempore infinito moueat, nō erit virtus in corpore.

Dissoluūtur illæ supra positæ difficultates. Ad 1. Ex his facilè soluuntur omnia: & concordantur consequentiæ illæ: & soluuntur illæ duæ difficultates. Prima enim soluitur. Ob id enim virtus in magnitudine nō potest mouere tempore infinito, quia tunc esset infinita intensiuè: quod esse non potest: moueret enim in non tempore.

Ad 2. 1.Solutio Ad secundam difficultatem potest sic responderi: quod pars mouentis debet sumi talis, vt sit maioris proportionis ad partem mobilis, quàm erat totum ad totum V.g. totum ad totum erat duplum: pars mouentis sumatur, quæ sit triplo maior, quàm pars mobilis: talis mouebit in maiori tempore, quia magis vincit resistentiam. Et hoc optimè conuenit cum Aristotele, & veritatem habet. Nam in lib. 7 seruabatur eadem proportio totius ad totum, & partis ad partem: & tūc idem debet esse tempus.

Solutio. Possumus & aliter respondere, & forsan melius: quòd loquitur Aristoteles de virtute corporea passibili, & tūc tempus est cum resistentia computatum. Et si totum mouet totum tanto tēpore, pars mouebit partē minori tempore, quæcunque sit. Si enim fortis homo mouet pondus per diem, nō sequitur, quòd dimidia fortitudine præditus homo moueat dimidium pōdus per diem. Falsum enim hoc esse experientia monstrat. Nam hoc modo probares, quod infirmus homo per diem posset mouere talem partem breuē ponderis: quod nō est verum, cùm absque pondere vix per horam moueri posset. Aristoteles autem lib. 7. loquebatur de virtute nuda motiua, & quæ non repatitur, vt illic declarauimus. Hæc igitur satis sint de Aristotelis discursibus.

Alia explicatio reijciur cuiusdā pro positionis Aristo. Aliqui contrahunt illam propositionem, si mouet infinito tempore, est infinitæ virtutis, ad virtutē solùm in magnitudine existentem, & operante cum resistentia, & aliter nolunt in vniuersum esse veram, nec cum fuisse sensum Aristotelis. At verò cùm Aristoteles illam absolutè, & sine restrictione sumat, & ita etiam defendi possit, vt diximus, quando res ex se habet eam mouendi virtutem indepēdētem, vt illa ꝓportionis calculatione deduximus: in hoc etiā sensu defendēdaest.

Sed contra primam conclusionem sunt aliquot dubia, & rationes dissoluendæ eorum, qui negant secundum Aristo. Deū esse infinitæ virtutis. Sunt aūt hæc.

Dubiorū, solutio, & rationum contrariatum. Primum secundum Arist. Deus, vt videtur, nihil potest facere ex nihilo ex 1. Physi. 33. & 34. vbi ait ex nihilo nihil fieri: ergo non habet vim infinitam. Respōdetur, sententiam Aristo. esse iuxta naturalem rerum ordinem, & de naturali actione, de qua loquebatur, nihil ex nihilo posse fieri: atque ita modo nihil creari ex nihilo: non negat tamen, quin omnia ex prima causa sint: & ab æterno productus fuerit, & emanauerit ex Deo mundus cū materia, vt superius probauimus. Secundò dicimus, quòd quāmuis nil putaret modò ex nihilo posse fieri, nihilominus tamē maneret infinita virt⁹, scilicet perpetuò mouendi in primo motore, quam ipse hoc loco tex. 78. probauit.

Secundum dubium. Si haberet virtutem infinitam, moueret in non tempore ex illo 79. Respondetur, id esse verum, si illa virtus infinita esset materialis, aut in materia, & corpore: tunc enim ageret quantum posset: at modò est extra materiam, & ita non sequitur, nisi solùm, vt agat proportione ad ipsum mobile, & vt illius solùm natura requirit. Secundò: quia si esset causa omnino necessaria agēs sine cognitione, tunc ageret secundū vltimū potētię: at modò agit ex electione quantū videt conuenire orbi, & mobili.

Virtus materialis agit in quā tū potest, secus quæ est, extra materiā.

Tertium. Deus non potest facere aliū mundū, ex primo de Cælo, 92. nec potest facere actu infinitum: ergo no habet virtutē infinitam. Respondetur, multa non posse facere Deū, licet habeat vim infinitam: non quia desit potestas, sed ex eo, ꝙ res ipsæ implicent, & nō possint fieri. Talia autē sunt hęc secundum Aristo. Vnde Aristoteles non probauit non posse esse plures mundos ex parte opificis, sed ex parte ipsius rei, quod tātùm deberet esse vnum centrum, & vna mteria, &c.

Quartum. In 2. Cæli à tex. 67. videtur Aristoteles asserere, motores tā esse ꝓportionatos mobilibus, vt si vnum astrum alicui orbi adijceretur, non posset ab intelligentia moueri. Respōdetur de hac re aliquod esse dubium: tamen loqui semper Aristotelē secundùm naturalē motum, & de naturali actione, non violenta aut miraculosa. Secundò præterea, in genere loquutum fuisse de intelligentijs motricibus, nō de Deo. Et ratio huius est: quia intelligentiæ addictæ orbibus, habent limitatam virtutem & orbi proportionatam: secùs autem est de Deo, quē solum fecit infinitæ virtutis.

Vltimum. Aristot. in 3. Physic. & in 1. de Cælo, fusè probat non dari infinitum actu: ergo. Respondetur, vt ibi adnotauimus, & apertè colligitur à text. 35. vsq; ad 39. Aristotelem tantum agere de infinito in quantitate. Atq; de hac quæstione hactenus, & de tota expositiōe librorum octo Aristotelis de Physi. auditu Sit laus Deo sempiterna, à quo omnis perfectio & omne bonum procedit. Amen.

FINIS OCTAVI LIBRI PHYSICORVM.

Laus Deo, & Domino nostro IESV Christo, & Virgini Sanctissimæ MARIAE, Matri eius. Amen.

Hæc Commentaria vnà cum quæstionibus Doctoris Francisci Toleti, Societatis IESV, nil continent contra fidem, vel bonos mores: & sunt vtilia, vt studiosis prælegantur. atque ideò poterunt typis excudi.

† *D. Ledesma.* †
† *M. Antonius Lisius.* †
† *M. Hieronymus Hurtadus.* †

PRIOR INDEX QVAESTIONVM IN LIBRVM PRIMVM PHYSICORVM, IN quo post quæstiones, Prior numerus pag. posterior columnam indicat.

IN LIBRVM SECVNDVM.

IN LIBRVM TERTIVM.

IN LIBRVM QVARTVM.

IN LIBRVM QVINTVM.

IN LIBRVM SEXTVM.

IN LIBRVM SEPTIMVM.

IN LIBRVM OCTAVVM.

POSTE-

POSTERIOR INDEX
RERVM ET VERBORVM, IN QVO PRIOR NVMERVS PAGINAM, POSTERIOR COLUMNAM: litera A priorem pag. B. posteriorem indicat.

A.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

L.

M.

M.

N.

O.

P.

Q.

Quies

R.

S.

Sup-

T.

V.

Z.

ERRATA SIC CORRIGANTVR.

sæpius. l.pro vel positum.

Pagina 2 columna 1.linea 43.pro expreuerunt,lege respuerunt.ibid.col.2.linea 48.pro citet. leg.vetet.pag.3.col.3.lin.20.pro ipsius,leg.in.ibid.col.4.lin.15.pro qui.leg.quia. pag.7.col.1. lin. 23.pro Adractus.leg.Adrastus.ibi.col.ead.lin.26.pro Eund.Eudẽ.ibid.col.4.lin.21.pro quo intelligitur,leg.intelligi.pag.10.col.3.lin.3.pro quippe in,leg.quippe cùm in. pag.15 col.4.lin 46.pro scientia,leg.scientiæ,pag.24.col.3.lin.46.pro argumenti,leg.augmenti.ibid col.4.lin.16. pro ab extrinseco,leg. ab intrinseco. pag.26.col.4. lin.35.pro id,quod.leg.id,in quod.pag.27.col.2.lin. 4.pro alterius,leg.alterutris.ibid.col.3.lin.25.pro vnum aliud in contrarium,&c.leg.vnum inest actu,aliud contrarium inesse illi in potentia &c.vel simili modo.pag.31.col.1.lin.39.pro statua tamen,leg.statua:tamen.pag.34.col.1.lin.2.pro substantiam,leg.substantia.pag.36.col.3.lin.25.pro quia,leg.qua.pag.38.col 2.lin.14.pro compositam,leg.compositum.ibid.col.3.lin.32. pro ipsum, leg.insunt.Ibid.ibi.lin.21.pro &,le.vt.pa.41.col.1.lin.27.pro quæ,le.quia.Ibi.ibi.lin.50.pro claudit,leg.includit.pag.43.co.4.lin.24.pro su ipsi,le.sibiipsi.pag.45.col.3.lin.54.pro ministrant se, leg.ministrant ex se,pag.49.col.2.lin.6.pro rei,qua,leg. rei, in qua.Ibid.ibi.lin.49.pro dici,leg. dici,&c.Ibi.col.4.lin.43.pro solita.leg.solida,pa.52 col.2.lin.48.pro sit.leg.sint,pa.52.col.2.lin. 43. pro causæ in actu,&c.leg.causa in actu,&c.& causa in potentia.pag.59.col.3.lin.6.pro petit,leperit.Ibid.ibid.lin.15.pro hoc effectus,leg.hos effectus.ibid.col.2.lin.26.pro illi,leg.illæ. pag.63. col.2.lin.47.pro dupliciter,leg.simpliciter.pag.63.col.2.lin.35.pro it forum,leg.it ad vel in forũ. pag.66.col.3.lin.37.pro effectu consequitur,leg.effectum non consequitur.pag.67.col.1.lin.9.pro ob illa,leg.ob id illa,Ibid.col.2.lin.29. pro qua,leg. quia.Ibid.col.3. lin.26. pro finem,leg.fidem, pag.68.col.1.lin.35.pro visurum,leg.visurus,pag.70.col.2.lin.39.pro repetitur,leg.repatitur,pag. 71.col.1.lin.34.pro duos,leg.dicas.Ibi.ibi.lin. 40.pro postquàm,leg.post quam,pa. 73. col.1. lin. 20.pro occultandum noxijs,leg.occultandum à noxijs.pag.75.col.2.lin.42.pro continuum,leg. contentiuum,pag.76.col.1.lin.41.pro vnusq;,leg.vtrisq;, Ibid.col.2.lin.37. pro sit apprehensione,leg.sit in apprehensione,ibid.col.3. lin.15. pro hoc & ille est quo, leg. hoc & illo est quæstio, pag.77.col.3.lin.3.pro prætermittere,leg.præmittere,Ibid.ibid.lin.6. pro quorum, leg.quarum, pag.79.col. 4.lin.13.pro actum est,leg.actu est.pag.80.col.2.lin.36.pro ob in,leg.ob id in.ibid.col. 3. lin.12. pro in vigorem,leg.in vigore.pag.92. col.1.lin.44. pro aliud veri,leg. aliquid veri.pag. 100.col.3.lin.15.pro ob res est,leg.ob id res est,pag.102.col 4.lin.49.pro posse,cum.leg posse infinitum,cùm.pag.107.col.3.lin.22.pro tradebat,leg.tradebatur,pag.112.col.1.lin 10.pro pari modi,leg.pari modo.pag.116.col.1.lin.13.pro Quoſt si,leg. Quod si,pag.117.col.1.lin.36.pro qua,leg. quia,pag.126.col.2.lin.48.pro ,ppositio,leg.proportio.pa.131.col.4.lin.27.pro calefacta,leg.calefactam,pag.132.col.1.lin 5.pro generationis,leg.generationi,pag.133.col.2. lin. 50. pro vocamus intẽsione,leg.vocamus in intensione,pag.140.col.4.lin.39.pro indiuisibilis,leg.indiuisibili.pag. 142.col.4.lin.7.pro melij,leg.milij,ibid.col.3.lin.27.pro esser, leg.esse.pag.149.col.3. lin.27 pro entia,leg.entis.pag.149.col.1.lin.13.pro intensio,leg.intentio. Ibid. col.2. lin.38. pro quod mouetur,terminus,leg.quod mouetur,tempus in quo mouetur,terminus,&c. pag.158. col.3.lin. 25. pro habens,leg.habent,pag.150.col.1.lin.9.pro discontinuitas,leg. discontinuas, pag. 164. col.1. lin.1.pro quis,leg.quies,pag.165.col.2.lin.13.pro stant,leg.stat.pag.167.col.3.lin.18.pro parte,leg. parti,pag.168.col.2.lin.13.pro in continuo,leg.in continua,pag.168.col.4.lin.37.pro propositum leg.propositionem,pag.172.col.1.lin.45.pro partes esse infinitas,leg.partes infinitas,pag.174.co. 2.lin.1 pro maius,leg.maiorem,Ibid.ibid.lin.50.pro propositio,leg.proportio,pag.175.col.1.lin. 5.pro potest,leg.post,pag.178.col.1.lin.10.pro motu,leg.motus.pag.189.col.4.lin.32.pro moti,le. motui,Ibid.col 4.lin.3.pro membrum,leg.membrorum,pag.202.col.1.lin.32.pro circula,leg.circularis,pag.205.col.3.lin.5.pro facere,leg.faceret,pag.210.col.3.lin.40.pro & animalia,le.& alia Ibid.ibid.lin.39.pro si perficiat,leg.se perficiat,pag.217.col.1.lin.51.pro fuit occidente,leg.fuit in occidente.pag.220.col.4.lin.19.pro solo loco homine,leg.solo homine.pag.223.co.2.lin.22.pro facere,leg.fauere,pag.225.col.1.lin.20.pro violentem,leg.violentè,pag.229.col.1.lin.37. pro habent,leg.habens.Ibid.col.4 lin.18.pro habet ad quod,leg.habet id,ad quod.Ibid.col.3.lin.8.pro se ipsum,leg.ipsam.Ibid.col.4.lin.43.pro quos superius,leg. quos superius citauimus, pag. 337. col.1.lin.39.pro textu solutio 26.leg.textu 26.Ibid. col.2.lin.41.pro medio instanti,leg. medio, aut instanti.Ibid.col.3.lin.44.pro ad A.leg.ad B.Ibid.col. 4.lin.18.pro ipso proiecto.leg. ipsi,proiecto.ibid.col.4.col.31.pro tempore infinita,leg.tempore infinito.

Reliqua diligens lector per se & obseruabit & emendabit.

FINIS.